(19)

54721/B

History of Medicine Room

WEPFER, J. J.

CHARING CROSS HOSPITAL MEDICAL SCHOOL · LIBRARY ·

Pemberton

Presented to the Library of
The Charing Cross Hosp^l.
by E Canton. 1877.



Diet. Seiller Scaphuſian. Sculpsit

JOH. JACOBI WEPFERI,

Diverſor. S. R. I. Elector. & Principum, *dum viveret*, Archiatri, Reipubl. Scaphuſianæ Phyſici Ordinarii, Academiæ Naturæ Curioſorum Adjuncti d. Machaonis III.

OBSERVATIONES MEDICO-PRACTICÆ,

De

AFFECTIBUS CAPITIS INTERNIS & EXTERNIS.

Nunc demum publici Juris redditæ

Editio altera.

Studio & Opera

Nepotum,

BERNHARDINI WEPFERI,

Sereniſſ. Princip. Aur. Archiatri,

Et

GEORGII MICH. WEPFERI, M. D.



TIGURI apud HEIDEGGERUM & SOC. MDCCXLV.

1218
17/10/78
348157
WELLCOME INSTITUTE LIBRARY
WITHDRAWN

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

OBſervationum Medico-Practicarum utilitatem æque ac neceſſitatem pluribus hic commendare velle, non eſt opus, cum id cuivis Medicorum, qui vel limina ſaltem Praxεως ſalutarit, abunde ſatis conſtet non ſolum, ſed etiam à diverſis iisque Præclaris Medicis dudum jam fuerit demonſtratum, imprimis *ab Illuſtri Bagli-vio* per totum ſuum de Praxi Medica ad priſcam obſervandi rationem revocanda Librum verè aureum; hæ etenim ſunt vera fundamenta, ex quibus in Arte Medica elici poſſunt Veritates, hæ ſunt clavis, quâ ad interiora Artis paratur aditus atque recluditur, hæ præ omnibus aliis mediis inſerviunt ad incrementum

 Medi-

Medicinæ majus perveniendum. Laudandi igitur ſunt Illi, quibus utilisſimum illud per Obſervationes, Conſultationes & Conſilia Scriptionis genus magis arriſit, ſingulari namque hoc Artificio, id Artem hanc jucundisſimam exercentibus facillimum effectum, quod in ea omnium ſemper difficillimum judicatum eſt, univerſalia nimirum præcepta dextrè appoſitèque particularibus applicare. *Longum* quippe *eſt*, ut ait eleganter non minus quàm verisſimè *Seneca, ad Scientiam vel Artem iter per Præcepta, breve & efficax per Exempla*, &, *teſte Manutio*,

Artem experientia fecit, Exemplo monſtrante viam.

Scilicet tum demum Sapientes Artifices evadimus, cum Præceptis uſus accedit. *Nec Medici, nec Imperatores, nec Oratores, quamvis Artis Præcepta perceperint, quicquam magnâ laude dignum ſine uſu & exercitatione conſequi poſſunt*, inquit præclarè *Cicero.* Ut verò omnium rerum ipſe quis uſum habeat, ἓν eſt τῶν ἀδυνάτων; longa enim Ars, vita brevis. Ubi igitur à noſtra experientia deſtituimur, ut quid alii experiundo conſequuti ſint, inquiramus è re erit. Dolendum autem quàm maximè eſt, quod, quamvis nullâ ætate tantâ Librorum copiâ redundaverit Medicina quam hac, nulla pariter tantâ Obſervationum Practicarum fideliter conſcriptarum inopiâ laborarit, quam præ-

ſens,

ſens, cum tamen iis ad rectum aut faciliorem Artis uſum excogitari utilius quicquam nequeat. Optandum itaque foret, ut & Ipſi Artis Proceres iique Practici conſummati, quæ longâ annorum ſerie obſervarunt, Orbi Literato fideliter communicarent, hincque majorem Medicinæ lucem ſenſim afferrent; verùm tam curtæ ſunt & conciſæ horum Medicorum horulæ, qui hominum valetudini ſe emancipant, ut nec legendis, nec conſcribendis Libris multis vacare liceat, hoc tamen non obſtante *Beatus Avus noſter* totus in eo incubuit, ut, quicquid notatu dignum in Praxi ſua quinquagenaria eaque amplisſima atque diffuſisſima felicisſimaque occurrit, chartis conſignaverit, idque accuratè non minùs quam fidelisſimè, uti noverunt omnes Illi, qui familiariter cum Ipſo vixerunt, & abundè etiam teſtantur *Publica Scripta olim ab Ipſo edita*; in ordinem autem redigere & typis commendare, quæ tamen deſtinaverat, negotiorum cumulus prohibuit, huncce laborem Poſteris ſuis relinquens, quem quidem *Beatus Parens noſter* ante viginti jam & quod excurrit annos in ſe ſuſcepit, ob adverſam verò valetudinem tandemque mortem, proh dolor! præmaturam ſupervenientem abſolvere nequiit. Ne igitur egregia hæc Manuſcripta præloque dignisſima tineis erodenda relinquamus atque blattis, ac ut ab oblivione vindicemus, neve in *Beatisſimi & poſt cineres Venerandi Avi noſtri* manes peccemus,

cemus, è ditisſimo horum, quem poſt ſe reliquit, theſauro, quemque magna ſollicitudine ultra quinquaginta annos ſtudiosè collegit, præſentes, quas *Lectori Benevolo* ſiſtimus, Obſervationes deprompſimus easque ſelectiores eâ fide, quâ *Author* has conſcripſit, plures easque non minus lectu dignisſimas addituri, ni præſens Volumen alias jam in molem ſatis magnam excreviſſet. Nulli interim dubitantes, quin *Lectores* egregium inde reportaturi ſint fructum, præſertim Juniores Practici, idque eò magis perſuaſum habemus, cum *alios Authoris Labores* Eruditis nunquam diſplicuiſſe abundè conſtet inde, quod *Tractatus de Apoplexia* ante triennium demum *Amſtælodami* denuò & quidem quarta vice fuerit recuſus.

MEMO-

Memoria Wepferiana,
magni Viri
DOMINI DN.
JOHANNIS JACOBI WEPFERI.
Diverſorum S. R. I. Electorum & Principum Archiatri, Reipublicæ Scaphuſianæ Phyſici Ordinarij.
Naturæ Curioſorum Adjuncti Machaonis III.
Meritis,
à
Pietate Generi Ejus,
Perilluſtris ac Excellentiſſimi
DOMINI DN.
JOHAN. CONRADI
Lib. Baron. à Brunn,
Domini in Hammerſtein, Sereniſſimi ac Potentiſſimi Electoris Palatini Conſiliarij Intimi & Archiatri Primarij,
Naturæ Curioſorum Herophili
ſcripta,
atque
Æternitati ſacrata
ab
Academia Cæſareo-Leopoldina Naturæ Curioſorum.

MEMORIA WEPFERIANA.

EJus Viri, Sodales acutiſſimi, anatomen vobis exhibeo, aut exhibere lachrymabundus cogor, cujus obſervationibus anatomicis veſtræ cluent hinc inde Ephemerides, cedro dignæ. WEPFERUM ſi nomino, quin tanto fato veſtra percellantur corda nullus dubito: membrum nempe amputatum eſt, quod egregios (præfiſcini dixerim) Academiæ veſtræ hactenus præſtitit uſus. Mortuus eſt WEPFERUS, eheu! & ad beatas immortalitatis ſedes translatus, cum Diis agit ævum.

Solent, qui vitas celebrium virorum deſcribere ſatagunt, omnia ſtudiosè conquirere, quæcunque ad eorum laudes & encomia quicquam facere poſſunt parentatores, & quidem laudabiliter; ita nempe quâ juſta defunctis perſolvunt, quâ exempla imitanda ſtatuunt; at verò quum piè defunctum ab hoc dicendi genere alieniſſimum fuiſſe recordor, nolo quicquam horum fingere, ſimpliciter & plane ediſſerturus, quicquid memoriæ actorum atque rerum geſtarum occurrit, nullo fuco aut verborum lenocinio, ne injurius ſim in manes æquiſſimos: etenim ut in aliis viris magnis dona egregia ſuſpexit & extulit, ita ſua in ſe, utut maxima, vix agnovit, minus jactavit, omnium minimè exaggeravit; quin potius diſſimulando contexit ipſe, & obſcurari, quam illuſtrari maluit.

Plano autem atque ſimplici ſtylo ſi facta piiſſimè defuncti commemorabo, exemplar enitebit Medici, juxta quod qui compoſuerit vitam, ſtudia atque labores, næ ille fine haud fruſtrabitur ſuo.

Ortus ipſi fuit Scaphuſii, ob hunc ipſum virum celebris, tum alios quoque, quos in Medicina educavit, & deliciis enutrivit Medicos. Editus fuit in lucem Anno MDCXX. die XXIII. Decembris, Parente Viro

Graviſſimo, Reipublicæ Scaphuſianæ Conſiliario ac Senatore Digniſſimo, juxta ac Prudentiſſimo, GEORGIO MICHAELE WEPFERO: Matre ex nobili Stocarorum ſtemmate oriunda. Nolo hic evagari & more parentatorum in laudes viri efferri, vivit enim per ſe poſt funera virtus.

In Lyceo patrio Præceptorem nactus eſt, proſpero utique augurio, Fabritium, quem nunquam citra ſingularis eruditionis, atque in informando dexteritatis encomium nominavit, nominavit autem atque laudavit ſæpiſſime. Vividi atque vegeti ingenii vim & aciem oſtentavit in herba maturè, tantamque indefeſſo ſtudio atque ſedulitate ſuis Præceptoribus comprobavit diligentiam, ut proſpera quæque atque ſalutaria promitterent ſibi atque Parentibus de Filio, ſpemque unà conciperent ampliſſimam. Nec fruſtra, nec vano augurio. Quippe in humanioribus literis inter cæteros ita excelluit, ut rara Laconiſmi dexteritate atque facundia rem deſcribendam acu tetigerit, atque graphicè per omnem vitam nominaverit, unde vim ingenij atque aciem pernoſcunt, quibus de meliore luto finxit præcordia Titan.

Non ſubſtitit in inferioribus ſubſelliis ad altiora natus, ad quæ felici ſidere contendit, labore improbo. Medicinæ ſtudio admotus tantos in hoc fecit brevi progreſſus, ut inter cæteros ceu lenta ſolent inter viburna cupreſſi emicuerit.

Itinera varia Medico perquam neceſſaria ſubiit, peritiam, ſcientiam atque rerum uſum ſectatus per aquas, per ignes, nulli labori pepercit. Sebitios veneratus Argentorati, Baſileæ Bauhinos, Stupanos, Plateros, vah! quanta nomina! In Italia virorum monſtra ſalutavit, Veslingium, Rhodium, cum quo in patriam redux, literarum commercium coluit. Marcus Aurelius Severinus humaniſſime per literas Neapolim invitavit, cum Zwölfero familiariter vixit, atque cum Marchetti Sen. à quibus nunquam non doctior receſſit; ceu ſolent, qui tabernas aromatarias frequentant, aromatum odorem ſpirare. In Italia duos annos ſolidos; octo Argentorati, atque Baſileæ ſtudiis operam navans egit, & contra morem atque genium ſeculi, quo tanquam canes ex Nilo, inſtar fungorum naſcuntur Doctorelli, eruditione vere adolevit. Denique tot ornamentis condecoratus rerumque uſu exercitatus ad ſuos rediit, egregio expenſarum fœnore.

Anno 1647. die 31. Julij, tantorum ſtudiorum atque navatæ operæ brabeum reportavit Baſileâ, atque ſupremos, Promotore Viro Celeberrimo Domino Dr. à BRUN, Praxeos Profeſſore, honores in arte Medica conſecutus eſt meritiſſimo ſuo.

Menſe Novembri die 10. 1647. Poliatri Patriæ provincia à Magiſtratu Inclyto ipſi demandata fuit, tantoque flagravit in intimiora naturæ penetrandi, opemque inde medicam eliciendi ſtudio atque zelo integer-

ſimo

rimo, ut, quod hactenus inſolitum, quin exoſum fuit in patria, cadavera defunctorum in noſocomis diſſecandi privilegium, ipſi benevole conceſſum, ſoſtri loco atque pretio duxerit.

Non concluſerunt neque ceperunt Medici exercitatiſſimi famam Urbis mœnia, anguſtiora meritis; Ad Primates, Magnates, Comites atque Principes Imperii evocatus, ipſorum quoque ſaluti proſpexit, tanto cum ſucceſſu & applauſu, ut brevì nomen WEPFERIANUM inclaruerit in aulis Principum, quibus gratum, & nemini non acceptum fuit, tum herorum tum ſervorum, quibus omnibus eadem dexteritate medebatur atque praxeos felicitate.

Taceo totius Helvetiæ Cantones, urbes, oppida atque vicos, in quibus obvii per plateas turmatim WEPFERUM ſuum Æſculapium & ceu Sotera amplexati ſunt, ſanitatis præſidia ipſum ſolicitantes. Advolarunt undique literæ occupatiſſimo, quas plauſtrum vix caperet, id quod norunt omnes illi, qui familiariter eo uſi fuerunt, ne ullam tamen ſine reſponſione, inter turbas negotiorum reliquit, minus rejecit, id quod religioni duxiſſet, & advolarunt ad ultimum usque vitæ halitum è longinquis quoque regionibus atque peregrinis oris, donec operis filum abrupit !

— *Mors ultima linea rerum.*

Anno MDCLXXV. Medicus à Sereniſſimis Wirtembergiæ Ducibus aſcitus fuit: Eodem tempore à Sereniſſimo Marchione Durlacenſi, nec longe abhinc à Sereniſſimo atque Potentiſſimo Electore Palatino p. m. CAROLO utinam citius! magnis forte ſuperſedere licuiſſet tempeſtatibus belli atque calamitatibus, quibus modo Germania tota ingemeſcit.

Non ſuffecit Medico generis humani ſtudioſiſſimo omnibus undique ſalutaribus profuiſſe conſiliis, Medicos inſuper loci, etiam Chirurgos & Barbitonſores, neminem dedignatus, elegit, erudivit, conſiliis inſtruxit, arcana ſua iis revelavit, quibus cum ipſi non liceret eſſe præſenti, per alios prodeſſe, atque ſanare poſſet ægros; inaudito utique exemplo, ut Medicorum Patrem hunc ſalutare non dubitârint ipſi artis Proceres.

Non ſubticendum eſt hic felix conjugium, quod tanta auſa fortunate juvit; Uxorem ipſi deſtinavit benigniſſimum fatum ex nobili, per Imperium probato ſtemmate Ringiorum à Wildenberg oriundam, piam, probam, quæ IX. liberorum ipſum fecit parentem, ex quibus duo nati, tresque ſuperſunt natæ, non degeneres. Magno fuit ſeni ſolatio, & Scipioni ſenectutis Filius γνήσιος, paterna qui preſſo pede legit veſtigia,

 Affinis,

Affinis, Medicinæ Doctor Clariſſimus pariter atque Chariſſimus meus, cum quo communem hactenus navare operam volupe fuit, & in poſtremum navâſſe juvabit: Non inter poſtrema cœli dona ego quidem reputo, quod mihi Filiam deſtinavit conjugem, piam, probam, emendatiſſimam ex tam claro & inclyto ſtemmate oriundam: Quæ non cum optima hac thori ſocia elargitus es mihi beneficia, indulgentiſſime Pater? In lachrimas fundor, dum grata hæc mecum recolo memoriâ; interim

Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

Vitam ſi ſpectemus, ſingularis plane aliisque exemplo fuit, Philiatris præſertim. Tempora ſomni arctiora, quàm noctis: raro ante undecimam feſſa diurno labore membra quieti tradidit; rarius poſt quartam matutinam ſurrexit: aurora ipſum nunquam in lecto niſi ægrum, quod tamen rarius per Dei gratiam contigit, ſemper ipſe auroram in muſeo vidit; horam diei primam ſupremo Numini, etiam per moleſtiſſima itinera inter turbam negotiorum, reliquas pauperibus & afflictis deſtinavit. Illis Sanctiſſimum Dei nomen ſupplex veneratus holocauſta integritatis obtulit; non ex libris alienis, non ex cerebro hominum & arbitrio natis, ſed ex puriſſimo Dei verbo, fallere neſcio, & ex Sacris Bibliis, quæ quovis auro pretioſiora & chariora nunquam non ſecum, quâ Græca, quâ Latina per itinera vexit, manuque verſavit diurna verſavitque nocturna; nec publice more Phariſæorum, ſed in camera juxta mandatum Evangelij precatus eſt cœleſtem Patrem in abdito, qui videns in abſconditum remuneratus ipſum fuit publicè tot gratiis atque Donis! Reliquum diei Muſis deſtinavit tanto ſtudio, zelo & aſſiduitate, ut otioſum ego quidem nunquam, menſæ autem quaſi affixum, & intentum aut libris aut literis ſemper repererim, id quod juxta mecum teſtabitur Medicorum Scaphuſianorum chorus, quos identidem incitavit, ſuſcepit hoſpitio, ad majora invitavit, ſtudia eorum juvit, & ad perſonas principes curandæ valetudinis ergo promovit, teſtabunturque & ſeris poſt nepotibus ſtupendam τȣ̃ μακαρίτȣ diligentiam loquentur ſcripta cedro digna, qua publica, quibus orbi literario, etiam in diſſitis regionibus dudum inclaruit; qua privata, quibus inſigniſſimis ſcatent repoſitoria, loculi, thecæ, totque eruditionis & experientiæ promptuaria.

Inter tot tantaque negotia nunquam ſatiatus fuit, indagandi & abſtruſa corporis humani rimandi cupiditate, quod cum in cadaveribus humanis non licuit; licuit autem ſæpiſſime, brutorum non aſpernatus eſt, quorum partes nunquam non ſingulari induſtria aſſervatæ, proſtabant, ut ſubciſivas in his ſcrutandis collocaret horas, quin ipſam ſenectutem ſolaretur, nec domi tantum ſed & foris idem factitabat; etenim ſi quando

ſi quando valetudinis curandæ causâ apud perſonas illuſtres divertebat, venatores rariora quævis globulis petebant animalia, pretio atque prece illecti & aſportabant promptiſſimi, lucri certi. Minutiſſima quæque exactiſſime obſervavit, annotavit, & in chartam conjecit memorabilia, quæ frequenter vobiſcum, Sodales! & cum aliis eruditis communicavit, longiori vita digniſſimus. Ita ne momentum quidem temporis prælabi ſivit inutiliter, ejus avariſſimus; quoties expuebat in illos hominum, qui garrulitate temporis pretioſiſſimi jacturam fecerunt, quoties temporis fures illos nominare audivi, Muſarumque peſtes?

Experimentis ita affluens atque docto ratiocinio & librorum lectione quaſi turgeſcens, gregatim oſtium pulſantes ægros nuntioſque literas ex omnibus mundi plagis afferentes, opemque ipſum medicam atque conſilia ſalutaria poſcentes admiſit, tantaque excepit promptitudine, alacritate, comitate & exporrecta fronte, ut omnes ſingulari affectu ferrentur in Virum amabiliſſimum, quos ceu ludendo conſiliis ſingulari promptitudine & ἀκρίβεια exaratis inſtructiſſimos ad ſuos relegavit expectatos & acceptos. Sic ditiſſimorum curam habuit, ut Iro pauperiores non negligeret, mercedem enim ſatis magnam ſe conſecutum credidit, ſi miſeriæ pauperum grato ſubvenire potuit levamine, quos curavit, eleemoſynis cumulavit, prætereuntes in itinere ut reciperent ſæpius monuit: omnes coluit, amavit, neminem deſpexit, affabilis, comis, ſereno ſemper vultu, turbido nunquam fuit, ut ipſum vel Momus amâſſet.

Tantum cibi ac potûs ſumpſit, temperantiæ ſtudioſiſſimus, ut inde reficerentur vires, non opprimerentur, ſumſitque ſelectos, etiam in Principum menſis, amovitque alios, minus ſalubres aut inconvenientes; vinum bibere, niſi lymphatum non memini in paſtu temperanter, extra hunc nunquam; commenſales etiam perſonas illuſtres ſuavi alloquio ſalibuſque mire exhilaravit, hiſtoriarum peritiſſimus; Satur etiam Principum tabulis, quod aliis non liceret, aliorumque bene precatus, ſurrexit, & ad ſua rediit, dum alii longo menſarum ſyrmate adhuc epulabantur, animum pavit ſtudiis.

Nec tamen exactiſſima diæta cavit, quin fragilitatis humanæ ſenſerit incommoda; dyſenteria ſemel; bis febri acuta laboravit; peſte juvenis, ſemper liberatus Dei gratiâ; qui tandem itinerum atque laborum finem fecit morbus, feriaſque imperavit æternas, incepit tunc temporis, quo caſtra metabantur Germani in Ducatu Wirtembergico, Anni ſcilicet MDCIXC. menſe Auguſto, ætatis verò 71. dum febris in caſtris furebat, quæ inſignem militum ſtragem edidit. Evocatus fuit noſter Helvetiæ MACHAON ad Sereniſſimum CAROLUM FRIDERICUM Ducem Wirtembergicum, exercitus Cæſarei Imperatorem, qui ipſe

ægro

ægrotaverat, indeque ad Potentiſſimum Electorem atque Saxonum Heroem JOHANNEM GEORGIUM TERTIUM, conſimili febri extinctum, quem tamen inviſere, propter Ducis Wirtembergici, cui juramento noſter & ſalario obſtrictus erat WEPFERUS, ægrimoniam non licebat; multum nempe ipſi negotij fuit cum infirmitate Sereniſſimi Principis, aliquoties de die ſcalas aliquot centum graduum ſcandebat venerabilis ſenex, deſcendebatque toties; multum quoque ipſi negotij fuit cum militibus febris tyrannide conflictatis, quos levabat conſilio; tandem verò peractis belle rebus ad nos rediit idem amore, ſed valetudine diſpar. Subinde difficilius ſeſe reſpirare ſenſit, præſertim à motu aut contentione quacunque, qua ſæpius paroxiſmus aſthmaticus concitatus fuit, quem non faciliùs, non citiùs ſedavit, quàm quiete, panſis quaſi alis brachiisque repoſitorio impoſitis elatiori. Ah quoties per literas monuit ſeſe quietem optimum experiri remedium & hac ſeſe ægrotare obliviſci?

Ita itineribus valedicere & lampadem aliis tradere cogebatur, nec tamen impediverunt hæc quò minùs Magnatibus æque atque plebeijs inſerviret conſiliis, quæ tanta dexteritate καὶ ἀκρίβεια exaravit quanta ſaniſſimus ſolebat.

Ingraveſcebat inde morbus, ut ſæpe ſæpius noctu è lecto ſe proripere, & elatis alis aërem captare cogeretur; quin cœna largior paroxyſmum tandem concivit, ut vel ad unciam illam menſurare cogeretur. Sub ſterno tempore paroxyſmi conſtrictionem quaſi ſpaſmodicam, cordisque tremorem; eliſo a. per fauces flatu remiſſionem ſenſit, quam relaxationi fibrarum conſtrictarum potius, quàm flatui emiſſo tribuere ſolebat. Pulſus plerumque tardus, interdum inæqualis, ſæpius intermittens fuit. Appetiit egregiè, alvus reſpondit, urina copioſa & naturalis, ſudores quoque matutini de lymphæ motu integro hactenus quidem teſtabantur; friguit tamen facilè, extremis præſertim; caput valebat memoriâ, judicio, ſenſibus tam internis, quàm externis, auditu præſertim. Remedia varia tentavit, ſed caute & prudenter, purgantia deteſtatus eſt; ſanguinem per vitam non miſit, aperientia diuretica in uſum vocavit, quibus cum veſicam affligi animadvertiſſet ſolius gelatinæ C. C. uſui inhæſit tantiſper, dum ſolicita attentione medicamentis ne hilum profici expertus, unicæ diætæ, cujus exactiſſimus obſervator ſemper fuit, ſtuduit, qua tantundem profecit, ut præter ſpem hoſtem etſi non profligavit, penitus tamen ne vitæ arcem occuparet, prohibuerit per unum alterumve annum.

De cauſa tanti tamque pertinacis mali ſæpe diu multumque deliberatum fuit. Impedimentum in præcordiis ſemper ſuſpicatus eſt vir ſagaciſſimus, quod ſanguini moram injiceret rapidius fluenti, idque permanens ſtabile & fixum perſuaſum habuit. Illuviei ſeri in pectore metum

tum

tum diſcuſſit urina copioſa, naturalis, juxta cum ſudoribus matutinis, eoque magis, quia pedes nunquam intumuerant hucuſque. Inde eo inductus eſt, ut cauſam ſenio ad ſcribendam hariolatus ſæpius *oſſificationis aortæ* mentionem fecerit argutus Practicus, indeque obfirmatus fuit in concepta opinione, nullum medicamentum, juxta canonem, fore optimum medicamentum, contentus diætâ; Polypum cordis ſolicitè perlecta hiſtoria atque fato Patini (in Ephemerid. Ann. I. Decur. III.) mente volvebat, ſæpiusque ruminabat; pulſum autem ſuo magis inæqualem in polypo cordis exiſtere frequenti experientia didicit. Suſpicio aquæ ſeu hydropis pericardii, diaſtolen cordis impedientis, altius animo ægrotantis inſedit; omnino autem voluit, atque mandavit, ut poſt obitum in cauſam tam abſconditi mali inquireretur cultro; indignum reputans Medico, hominum commodo invidiſſe, quod vermibus denegari non poſſet.

Sub finem Anni, quo nuper egreſſi ſumus, crevît morbus, creveruntque ſymptomata, pedes intumuerunt, nonniſi erectus reſpirare, cibumque capere potuit, eumque, quamvis appeteret, pauciſſimum, metu paroxyſmi aſthmatici, qui comeſtione quoque concitabatur: urina parcior & pauciſſima fuit, tinctior & craſſa, ut contabeſcentibus partibus ſuperioribus intumeſcerent inferiores, atque frigerent utrinque. Exeunte Januario anni quem agimus, ſitiit, appetitus periit, non niſi erectus reſpirare potuit, lætus tamen uſque atque fide plenus, non niſi cœleſtia meditatus eſt, & de omnibus ſuis piiſſime diſpoſuit; circa octavam noctis 27. Januarij ſeſe in lectum compoſuit, in muſeo inter libros ſtratum, aliisque, ut quieti ſeſe traderent, ſolicitè injunxit. Identidem evigilavit noctu, vocavitque thori ſociam, non ſine aut inſomnii aut nonnulla delirij ſuſpicione; circa quartam matutinam diei 28. Januarij forti paroxyſmo animam poſt exantlatos tantos labores Conditori ſuo inter liberorum & adſtantium preces fide in Chriſtum plenus reddidit Pater pius, probus, optimus, æterna memoria digniſſimus.

Huic quidem ut morem gereremus, poſt obitum quoque Profectoris munere functus eſt Clariſſimus Dn. D. Pfiſter, Medic. atque Chirurg. Doctor peritiſſimus; Ordine ſectionis ſequentia annotavimus: Manus & brachium dextrum œdematoſum; abdomen quoque impreſſa ſervavit digitorum veſtigia: ſanguis diſciſſis arteriis fluidus effluxit. Abdomen pinguedine unciæ craſſitie fuit circumfuſum, etſi habitus corporis morbo multum fuerit diminutus. Aperto eo aqua turbida ℔ij. pondere fluctuabat: Hepatis moles glandularum congerie compacta videbatur. Pars ejus convexa, concava fuit conſpecta, ob compreſſionem ſcilicet, factam à coſtarum notharum limbo, propter perpetuam aſſiduitatem inclinato corpore. Veſicula fellis flava, craſſis tunicis

conſtans, bilem fuſcam continuit ac viſcidam. Lien atro rubeſcens, cum multiplicibus inciſuris. Ventriculus vacuus albicans vitio carere videbatur; Inteſtina hinc inde rutilabant; Renes ſaniſſimi apparuerunt, quamvis de ſiniſtri dolore ſæpius olim conqueſtus fuerit optimus Parens, lapillumquè excluſerit inde progreſſum. Veſica in loco naturali minime mendoſa urinæ multum continuit.

Abhinc ad pectus controverſi ejus quoque penetrantia perluſtravimus. Muſculi pectorales vaſti, toroſi & pingues, fuerunt, iisque ablatis anguſtum pectus videbatur. Sterni cartilagines in oſſeam duritiem diriguerunt, iis diffractis muſculisque intercoſtalibus perforatis aqua limpida ſtatim effluxit. Sublato ſterno pulmones coarctati, liberi tamen innatabant aquæ, nonnihil inflati, ut inſpirando potius, quàm exſpirando videretur exſpirâſſe, ſubtus verſus carinam atro rubentes viſi fuerunt. In quovis latere menſura ſeu ℔iij. aquæ limpidæ fluitârunt; cæterum pleura nitida apparuit. Pericardium craſſum, multâ pinguedine circumfuſum, parum aquæ turbidæ nec ultra ℥ß. continuit. Cor magnum juxta conum intertrigine notatum & rubicundum fuit: Thalamus cordis dexter amplus, floridus, unà cum auricula ſanguine florido copioſo refertus, citra ullum Polypi veſtigium apparuit: ſiniſter itidem omni vitio caruit; cum ſanguine ſincero, fludio paucos grumulos continuit. In baſi cordis juxta arteriam pulmonarem *oſſea ſubſtantia* occurrit ſecanti; aorta pone valvulas ſemilunares oſſea aſperitudine intruſos offendebat digitos, pupugitque prominentia quædam acuta. In progreſſu cartilagineis hemicyclis compoſita, ſi non oſſea penitus, ſaltem indurata, ad divaricationem uſque iliacarum tota quanta reperta fuit. Juxta arterias renales *circulus* plane *oſſeus* unciæ latitudine aortam circumdabat; & quo longius à corde, eò magis oſſea deprehenſa fuit, præſertim juxta iliacas, quæ revulſæ ex femoribus oſſeam duritiem tenuerunt.

Tandem aortam exemptam integumentis liberavimus, àc dextre mundavimus, ad contemplandam illam penitius, quin ad interiora quoque luſtranda incidimus, non citra vim, forfice. Intus nativus ille candor atque lævitas periit, & quamvis non intercepta penitus, ſcabra tamen horrida & ſalebroſa hæc ſanguinis via fuit, variisque inæqualitatibus ac protuberantiis oſſeis difficilis, circa exortum cœliacæ & infra renales tunica interior diſrupta, lacera ac fracida fuit, non citra ruptionis metum, coloriſque obſcuri hinc inde. Utrum vi & evulſione, an eroſione factum fuerit, ambegimus, hæc omnia, ut eo melius elucerent, iconiſmo illuſtrare operæ pretium duximus, in quo

A.A.A.A. Aor-


B
B
B
A
a
a
D
a
a
a
c
A
*
*
a
a
a
a
A
A
a
a
a
a
a
D
D
a
a
c
E
c
a
F
c
b
c
A
c
b
c
c
A
a
C
C
c
C
C
a
c
a
a
a
a

A.A.A.A. *Aortæ inciſa & apertæ tota interior facies conſpicitur.*
** ** *Ejuſdem exortus.*
B.B.B. *Arteriæ caput petentes, ſeu carotidum &c. exortus.*
C.C.C. *Arteriæ iliacæ.*
D.D.D. *Coronariæ arteriæ.*
E. *Arteria cœliaca.*
F. *Arteria renalis ſeu emulgens.*
a.a.a.a.a.a.a.a. *Oſſea ſubſtantia Aortæ per portiones incertæ figuræ & magnitudinis hinc inde conſpicuas.*
b.b.b.b. *Circulus ejuſdem plane oſſeus.*
c.c.c.c. *Tunica interior lacera atque fracida, obſcuri coloris, non citra ruptionis periculum.*

Similem aortæ oſſificationem me olim in ſeptuagenaria majore videre memini, quæ in veſicula fellea tres continuit calculos cubicos, ſed leves; nec tamen eo uſque indurata fuit aorta, ſed tantum circa ejuſdem exortum.

Mira ſunt hominum fata, & exitus ex hac vita; modi diverſiſſimi.

Mille mali ſpecies — — —

Febri dum hic exuritur; tabe iſte conſumitur, ſenio ille conficitur, omnes id agunt, ut moriantur.

Serius aut citius metam properantes ad unam! Non pharmacia impedit, nec chirurgia frangit aut flectit; non diæta remoratur fata, quæ ſi juſſerint, obſequendum eſt, & exeundum ex hac vita: ſtatutum eſt enim, nec terminum ſuum transgredietur homo!

Morbis equidem liberare, mortisque periculum prævertere, quin ex ejus faucibus eripere ægrotantes artis eſt, à divina benignitate hominibus conceſſæ. Quot numerare poſſem teſtes? quot adducere exempla eorum, qui ſponte fatentur ſua, ſeſe quicquid vivunt WEPFERI beneficio & arte vivere, ipſique vitam debere tum hîc, tum alibi, tum Principes, tum plebejos? Et quod plus eſt, Medicos quoque magni nominis nominare poſſem, ſed gratos, qui ingenuè fatentur mecum, *methodo Wepferiana* egregiam ſeſe opem præſtitiſſe ægrotantibus ſuis, & hoc nomine inclaruiſſe tum ruri, tum urbi, & ipſis aulis Principum & Electorum, id quod autographa inter Wepferi manuſcripta aſſervata teſtantur. Neque dubium eſt, quin prudens morbos prævertere queat ſecundum regulas medicas, & prorogare vitam, quam amitteret remediorum inops. Scilicet ſummus rerum moderator, qui deſtinavit finem, deſtinavit quoque media; qui ſanitatem, medicum quoque atque remedia

)( )(3 deſignat.

deſignat. Nec tamen præcavere poteſt homo, quin ſeneſcat, & mutationes ſubeat à Deo naturæ præfixas.

Diu vixit Venerandus WEPFERUS, magna laude æternaque memoriâ digniſſimus, & raram vivendo attigit ſenectutem, quouſque non cuivis ire licet; & quod vixit, eô collineavit: Temperamentum nactus naturæ benignitate ſanguineum cibos, quos ſalubres novit vel in Principum quoque menſa ſelegit; amovitque, quos minus conducibiles judicavit. Vinum niſi lymphatum bibere non memini, nec ſapuit; hoc autem omnibus ſanitatis ſtudioſis commendavit: cibos quos in prandio, quos ferre poſſet pro cœna, ſtomachus optimè pernòvit. Paſtus, dum ſermocinabantur alii, properavit ad ſua, quibus animum pavit eruditionis avidum, in qua plus dulcedinis invenit atque delectationis, quam alii in ſummis hujus mundi voluptatibus. Somno indulſit ſufficienter circiter ſeptenas horas. Manè reddenda reddidit, & excernenda excrevit; aliisque ut hanc regulam ſequantur commendavit. Nunquam vidi triſtem, nunquam turbido vultu, minus turbato animo, ſed conſtantem, fortem, ſemper ſibi ſimilem, ad quælibet paratum, quæ facili negotio peregit, ceu ludere ſolent alii. Suo itaque exemplo alios docuit, quantum valeat diæta ad conſervandam valetudinem! Quos paſſus eſt morbos, peſtem ſcilic. dyſenteriam & febres malignas, non diætæ vitio evenerunt, ſed hauſit ex aëre, communiſſimo fonte, è quo nemo non potare cogitur. Nec tamen cavere potuit, quin ſeneſceret, & ſeneſcendo mutationem inevitabili naturæ lege perſentiſceret.. Induruit Aorta tacitè, clam omnibus, nec niſi obſcura tantæ mutationis, quam nemo divinare, nedum dignoſcere potuiſſet, præbuit indicia, nec motui ſanguinis obſequens uti olim, potius callis & remoris obſeſſa fuit, ſenſim ſine ſenſu augeſcentibus. Quid mirum igitur labefactato ſucci vitalis alveo, ſanguinis atque ſpirituum rivo impedito, labefactatam quoque fuiſſe valetudinem Viri deſideratiſſimi?

Sæpius animo mecum volvebam, dum adhuc eſſet in vivis, ex pertinaci aſſiduitate & contentione qua literis incubuit, propter myopiam ipſi congenitam, vaſa circa præcordia coarctata ſanguinem aut lympham reſorbere & lege circulationis ad vitæ fontem revehere non potuiſſe. Et inventa fuerunt hujus coarctationis luculenta ſigna poſt obitum: limbus ſcilicet coſtarum notharum adeo inſedit hepatis parti convexæ, ut concavam, inverſo naturæ ordine, hanc effecerit, & altius veſtigium impreſſerit illi. Negato itaque humorum refluxu reſtitiſſe, vaſisque excidiſſe ſuis lympham, hydropemque pectoris, aut aliam illuviem effeciſſe, aſthmatis atque dyſpnœæ cauſam experimento Loweriano inductus perſuaſum habui. Obſtitit huic opinioni ipſe Philoſophus noſter experimentalis argumentis haud ficulneis. Urinam enim affatim & po-

& potu copioſiorem profluere regerebat, planè naturalem; ſudores matutinos, quos ſemper ſalutares expertus fuit, intemeratos eſſe pedeſque minimè intumeſcere, quæ de integro lymphæ motu teſtari conſummatâ experientiâ didicit. Et qui poſtea emerſit hydrops, conſectarium poe tius, quàm morbum primarium extitiſſe perſuaſum habuit. Etenim ſub finem Anni MDCVC. urinæ paucæ fuerunt, ſudores ſuppreſſi, pedeſque intumeſcere cœperunt, unde anguſtia præcordiorum atque hydrops, qui ſuſtulit parentem medicorum atque funere merſit acerbo!

De oſſificatione aortæ monſtroſa nemo ex ullis indiciis certus eſſe potuiſſet, etſi hujus mentionem ſæpius fecerit piè defunctus; & ſenii morbum appellavit, quo DEUS ter O.M. ipſum quieti addiceret, quam æquo & grato animo, ante inſtabilis, quieſcere neſcius contra omnium ſpem & exſpectationem pertulit. Nec tamen influxum vitæ impediviſſet, etſi diriguit ceu glaciata nonnullibi, niſi callis & inæqualitatibus obſeſſa impediviſſet ſanguinem profluentem: unde ex quavis commotione, aut animi, aut corporis contentione, accelerato ſanguinis motu, ſtatim tremorem cordis, mox dyſpnœam perſenſit; accumulato nimirum in thalamis cordis atque pulmonibus ſanguine, unde tremebat cor, & colluctabantur organa ſpiritalia àd molem & ſanguinis cumulum digerendum, id quod citius non evenit, quàm imperatâ corpori animoque quiete, & panſis quaſi alis, oſtiis, valviſque præcordiorum apertis ac dilatatis, unde diffluente ſanguinis cumulo cor motum, & ſpiritum ipſe recuperavit; ut ſæpius per literas monuerit, ſeſe ægrotare quieſcendo obliviſci, quietemque ſummum levamen perſentiſcere.

De cordis luctu teſtari potuit rubor, & intertrigo circa ejus conum viſa in anatome, quin ipſa quoque aqua pericardii turbida atque obſcuri coloris reperta eandem loquebatur.

Non mirum eſt friguiſſe ſenem optimum, præſertim extremis manibus pedibuſque. Incuſarent veterum opinioni addicti caloris nativi, humidique primigenij defectum, quo βιολύχνιον defecerit, flammulaque vitalis ſenſim extincta fuerit. Sed hoc ipſo experimento vanitas hujus ſententiæ diſpaleſcit: ſanguis enim eſt, qui calidi nativi, tum humidi primigenii officio fungitur, cujus influentiâ orbatæ partes exteriores frigent & algent, de quo ſæpius conqueſtus fuit optimus Senex. Nec dubito, quin cauſa hæc frequentior mortis in ſenibus exiſtat. Novi Monialem 84. annorum, quæ ſemper bene valuit, & de calore exſuperante olim conqueſta fuit: ab anno & quod excurrit, frigent extrema, etſi caloris exuperantiam ſentiat intus: pulſum inæqualem habet atque tremulum, de dyſpnœa queritur & orthopnœa à motu præſertim, ſenſimque elangueſcit, nec ſupereſt, quam ut aorta ſenio in-

durata

durata conſpiciatur intus. Septuagenariâ majorem in noſtro noſocomio diſſecui, in qua idem phænomenon apparuit.

Sanguinis atque ſpirituum rivis ita obſeſſis, duplici ratione hydrops emergit, partim ſtagnando, dum ſanguis in motu impeditus intra præcordia accumulatur, unde facile exundare lympham, in cavitates depluere, quin partes vicinas intumeſcere & lymphâ ſuffundi experimento anatomico Clariſs. Loweri conficitur. Impedimenta ſanguinis luculenta exſtabant apud piè defunctum. Etenim quo libere in univerſum corpus effundatur ſanguis atque ſpiritus à corde requiritur, ut obſequentes ſint arteriæ, eorum rivi atque canales. Singulis enim cordis pulſationibus arterias dilatari & ampliari, ex vibrationibus earundem colligitur. Hanc autem canalium vitalium dilatationem negavit oſſea eorum durities. Obfuerunt inſuper tubera & inæqualitates ex induratione intus obortæ, ad quas ceu ſcopulos alliſit, nec pleno gurgite effundi potuit ſanguis; unde non potuit non ſtagnare & in motu ſuo impediri.

Altera deinde nati hydropis ratio eſt, quia hæmatoſis non potuit non labefactari, utpote quæ motu ſanguinis potiſſimum perficitur circulari, quo impedito inteſtinus quoque ſufflaminatur aliquatenus, unde loco ſanguinis laudabilis & ſpirituoſi, ſeroſus atque fluidus, minus ſpirituoſus emerſit tam ad alendum, quàm calefaciendum & inſtaurandum corpus inhabilem, nec mirum proin friguiſſe ſenem optimum, debilitatum fuiſſe, partibuſque ſupernis marceſcentibus intumuiſſe inferiores. Talis namque ſanguis fluidus & aquoſus poſt obitum in anatome repertus fuit, qui legibus œconomiæ animalis hydroſtaticis inobediens diffluxit, hinc inde reſedit, tandem hydropem univerſalem intulit, funereque merſit acerbo Parentem optimum. Cujus manibus benè ſit æternùm!

INDEX
OBSERVATIONUM
GENERALIS.

Obſervatio pag.

I. *Contuſio Capitis.* 1
II. *Contuſio Capitis.* 2
III. *Contuſio Capitis.* 4
IV. *Contuſio Capitis funeſta ab alapâ.* 7
V. *Contuſio Capitis.* 8
VI. *Contuſio Capitis cum Læſione Cranii.* 9
VII. *Contuſio Capitis à caſu cum Cranii læſione.* 11
VIII. *Contuſio Capitis funeſta.* 12
IX. *Capitis contuſio ſequente Apoplexiâ lethali.* 13
X. *Commotio Cerebri à percuſſione.* 24
XI. *Vulnus Capitis Sclopeto illatum.* 27
XII. *Capitis Vulnus.* 29
XIII. *Capitis Vulnus.* 31
XIV. *Capitis Vulnus lethale.* 32
XV. *Vulnus Capitis lethale.* 33
XVI. *Vulnus Capitis magnum.* 34
XVII. *Vulnus Capitis cum læſis cranio, meningibus & cerebri ſubſtantiâ.* 35
XVIII. *Vulnus Capitis cum cerebri ſubſtantiâ læſâ.* 37
XIX. *Capitis Vulnus ad cerebrum penetrans.* 38
XX. *Cranii in Syncipite ſinus & cuniculi p. naturales.* 40
XXI. *Cerebrum monſtroſum cum occipitis tumore.* 41

)()()(

Obſerva-

Obſervatio pag.

XXII. *Cerebrum monſtroſum.* 44
XXIII. *Occipitis tumor.* 46
XXIV. *Hydrocephalus.* 49
XXV. *Hydrocephalus.* 50
XXVI. *Hydrocephalus.* 51
XXVII. *Hydrocephalus.* 52
XXVIII. *Hydrocephalus.* 53
XXIX. *Hydrocephalus.* 56
XXX. *Hydrocephalus.* 59
XXXI. *Hydrocephalus.* 60
XXXII. *Colluvies ſeroſa Capitis cum Cephalalgia aliisque ſymptomatibus.* 61
XXXIII. *Caput ſero turgidum cum ſymptomatibus hyſtericis.* 73
XXXIV. *Cephalalgia.* 75
XXXV. *Cephalalgia.* 78
XXXVI. *Cephalalgia vehemens.* 80
XXXVII. *Cephalalgia cum Rheumatiſmo.* 82
XXXVIII. *Capitis dolor cum variis ſymptomatibus.* 84
XXXIX. *Cephalalgia cum ſymptomat. hypochondr.* 85
XL. *Cephalalgia cum inflatione Ventris.* 90
XLI. *Cephalalgia cum aliis ſymptomatibus.* 97
XLII. *Cephalalgia & Hemicrania periodica.* 100
XLIII. *Cephalæa.* 103
XLIV. *Cephalæa.* 106
XLV. *Cephalæa & inveteratus humeri dolor.* 107
XLVI. *Cephalæa, Tubercula ad radicem Linguæ & Dyſpnœa.* 109
XLVII. *Hemicrania externa.* 125
XLVIII. *Hemicrania periodica.* 128
XLIX. *Hemicrania alternatim nunc dextrum, nunc ſiniſtrum latus occupans.* 132
L. *Hemicrania ſæva.* 134
LI. *Hemicrania & illam conſequens* Βαρυηκοΐα *prægreſſo Eſſere Arabum.* 136

Obſerva-

Obſervatio pag.
LII. *Hemicrania cui Parotis ſupervenit.* 140
LIII. *Hemicrania poſt iteratam puncturam ad deponendam Catarrhactam.* 143
LIV. *Hemicrania & Cervicis dolor mirus.* 146
LV. *Hemicrania cum aliis affectibus.* 148
LVI. *Hemicrania cum aliis Symptomatibus.* 150
LVII. *Hemicrania cum Symptomat. hypochondriacis.* 152
LVIII. *Hemicrania cum affectu hypochondriaco.* 158
LIX. *Hemicrania cum ſymptomatibus venereis.* 168
LX. *Hemicr. funeſta cum ſcrophulis, ſubjunctâ Anatome.* 172
LXI. *Capitis Obtuſio.* 184
LXII. *Obtuſio Cerebri.* 196
LXIII. *Perturbatio Cerebri.* 200
LXIV. *Perturbatio Cerebri.* 201
LXV. *Perturbatio Spirituum animalium intra cranium.* 203
LXVI. *Perturbatio Spirituum animalium ſequentibus Epilepſiâ, & Apoplexiâ funeſtâ.* 208
LXVII. *Perturbatio Mentis.* 214
LXVIII. *Perturbatio quædam Vertigini ſimilis.* 217
LXIX. *Vertigo gyroſa per conſenſum cum perturbatione capitis.* 223
LXX. *Vertigo gyroſa & titubans.* 226
LXXI. *Vertigo gyroſa & Arthritis vaga.* 233
LXXII. *Vertigo titubans.* 241
LXXIII. *Vertigo titubans.* 244
LXXIV. *Vertigo titubans.* 249
LXXV. *Vertigo titubans ab Hydrocephalo.* 251
LXXVI. *Vertigo titubans ab Incubo profundo.* 256
LXXVII. *Vertigo titubans cum motibus convulſivis.* 266
LXXVIII. *Vertigo titubans cum aliis ſymptomatibus.* 274
LXXIX. *Vertigo titubans cum variis ſymptomatibus.* 284
LXXX. *Vertigo tenebricoſa.* 303
LXXXI. *Phrenitis à Rhabarbaro.* 314
LXXXII. *Amor inſanus.* 316
LXXXIII. *Erotomania.* 319

Obſervatio pag.
LXXXIV. *Mania.* 324
LXXXV. *Mania.* 327
LXXXVI. *Mania.* 329
LXXXVII. *Melancholia.* 332
LXXXVIII. *Melancholia.* 339
LXXXIX. *Melancholia.* 343
XC. *Melancholia.* 345
XCI. *Melancholia.* 349
XCII. *Conſilium pro Melancholia cum ſuffocatione ab utero.* 351
XCIII. *Vigiliæ nimiæ.* 354
XCIV. *Somnambulæ.* 355
XCV. *Somnolentia.* ibid.
XCVI. *Sopor funeſtus à Colluvie ſeroſa Cerebri.* 359
XCVII. *Suffocatio à fumo Carbonum.* 360
XCVIII. *Memoriæ abolitio.* 363
XCIX. *Memoriæ abolitio.* 381
C *Memoriæ abolitio cum Epilepſia.* 382
CI. *Memoriæ & Locutionis Vitium.* 389
CII. *Memoria abolita ſequente Melancholia.* 396
CIII. *Memoriæ defectus ejusque recidiva præcedente Nephritide cum Podagra & Hemiplegia.* 418
CIV. *Catharri frequentes.* 428
CV. *Catarrhi.* 469
CVI. *Conſilium pro Catarrhis tenuibus.* 471
CVII. *Tremor.* 473
CVIII. *Affectus nervinus Convulſionem aut Pareſin minitans.* 480
CIX. *Convulſio particularis.* 482
CX *Convulſio particularis.* 486
CXI. *Convulſio particularis cum Hæmorrhoidibus cæcis.* 493
CXII. *Convulſio mira.* 495
CXIII. *Convulſiones Infantis recens nati.* 500
CXIV. *Motus convulſivi.* 503
CXV. *Motus convulſivi.* 515

Obſerva-

Obſervatio pag.
CXVI. *Motus convulſivi Lateris dextri.* 528
CXVII. *Motus convulſivi præcedente Hemiplegia & ſequente Aphonia.* 534
CXVIII. *Motus convulſivi cum Clavo hyſterico.* 547
CXIX. *Motus convulſivi hyſterici.* 554
CXX. *Motus convulſivi Epidemici.* 556
CXXI. *Catalepſis.* 558
CXXII. *Catalepſis.* 564
CXXIII. *Catalepſis.* 567
CXXIV. *Catalepſis ſuffocationi ab utero ſimilis.* 570
CXXV. *Catalepſis in Epilepſiam degenerans.* 573
CXXVI. *Catalepſis in Epilepſiam degenerans.* 578
CXXVII. *Epilepſia imminens.* 581
CXXVIII. *Epilepſiæ principium.* 583
CXXIX. *Epilepſia.* 585
CXXX. *Epilepſia cum Mania.* 590
CXXXI. *Epilepſia cum ſymptomatibus hypochondriacis.* 596
CXXXII. *Epilepſia cum Calculo ſeſſili.* 624
CXXXIII. *Epilepſia per Conſenſum.* 626
CXXXIV. *Epilepſia per Conſenſum.* 631
CXXXV. *Epilepſia Hyſterica ſequente Phthiſi.* 632
CXXXVI. *Apoplexiæ prodromi.* 642
CXXXVII. *Apoplexiæ prodromi prægreſſis varii generis Catarrhis.* 646
CXXXVIII. *Apoplexiæ Metus.* 655
CXXXIX. *Apoplexia.* 658
CXL. *Apoplexia.* 663
CXLI. *Apoplexia fortiſſima.* 665
CXLII. *Apoplexia à Caſu.* 670
CXLIII. *Apoplexia cum ſubjuncta Anatome.* 676
CXLIV. *Fatuus Apoplecticus, cultro Anatomico ſubjectus.* 678
CXLV. *Apoplexiæ Reliquiæ.* 684
CXLVI. *Paralyſis Prodromi.* 686
CXLVII. *Paralyſis poſt Luem Veneream.* 689

Obſervatio pag.

CXLVIII. *Paralyſis Oris.* 694
CXLIX. *Oris tortura.* 696
CL. *Oris contorſio à Paralyſi.* 698
CLI. *Loquelæ Impedimentum.* 713
CLII. *Loquelæ peculiare Vitium.* 729
CLIII. *Impotentia brachii dextri.* 737
CLIV. *Impotentia Inceſſûs.* 747
CLV. *Paralyſis fœmorum.* 755
CLVI. *Hemiplegiæ principium.* 757
CLVII. *Hemiplegia.* 759
CLVIII. *Hemiplegia.* 762
CLIX. *Hemiplegia.* 766
CLX. *Hemiplegia.* 771
CLXI. *Hemiplegia.* 773
CLXII. *Hemiplegia.* 775
CLXIII. *Hemiplegia.* 777
CLXIV. *Hemiplegiæ ſpecies mira.* 796
CLXV. *Hemiplegia lateris ſiniſtri cum motu convulſivo poſt Hemicraniam.* 798
CLXVI. *Hemiplegia ſequente Epilepſiâ.* 805
CLXVII. *Hemiplegia poſt Apoplexiam prægreſſâ Hemicraniâ.* 811
CLXVIII. *Hemiplegia cum Loquelæ vitio.* 816
CLXIX. *Hemiplegia prægreſſo Aſthmate.* 818
CLXX. *Hemiplegia ſequente Cachexiâ.* 819
CLXXI. *Fiſtula lachrymalis poſt Anchylopem malè curatam occaſione Odontalgiæ.* 822
CLXXII. *Oculi Fungus.* 826
CLXXIII. *Cancer Oculi dextri exciſus, poſtea recrudeſcens lethalis.* 827
CLXXIV. *Oculi Procidentia.* 843
CLXXV. *Viſum conſervandi modi apud Literatos.* 853
CLXXVI. *Oculos Remedium clarificans.* 855
CLXXVII. *Ulcera tunicæ corneæ cum Ophthalmia & Hemicraniâ.* 857

Obſerva-

Obſervatio Pag.

CLXXVIII. *Viſus imminutio cum Hydropis Principio.* 859
CLXXIX *Viſus Impeditus.* 863
CLXXX. *Gutta ſerena.* 867
CLXXXI. *Gutta ſerena.* 869
CLXXXII. *Gutta ſerena.* 872
CLXXXIII. *Parotis.* 874
CLXXXIV. *Parotis Cancroſa ſeu Scrophulæ cancroſæ poſt Aurem dextram.* 878
CLXXXV. *Cancer auris dextræ.* 879
CLXXXVI. *Tinnitus Aurium.* 881
CLXXXVII. *Auditus difficilis cum Tinnitu.* 887
CLXXXVIII. *Auditus gravis cum Tinnitu.* 890
CLXXXIX. *Obauditio.* 900
CXC. *Obauditio.* 901
CXCI. *Polypus Narium.* 903
CXCII. *Naſi Calculus.* 905
CXCIII. *Hæmorrhagia Narium.* 907
CXCIV. *Hæmorrhagia Narium.* 910
CXCV. *Coryza propè continua.* 916
CXCVI. *Narium Obſtructio.* 917
CXCVII. *Fœtor Narium.* 920
CXCVIII. *Fœtor Narium.* 922
CXCIX. *Ozæna ſeu potius Cruſtæ narium.* 923
CC. *Ozæna.* 927
CCI. *Genarum Abſceſſus.* 929
CCII. *Genæ ſiniſtræ Ulcera fiſtuloſa cum dolore Arthritico.* 935
CCIII. *Scirrhus Cancroſus Genæ dextræ.* 937
CCIV. *Maxillæ inferioris caries cum carne fungoſa Gingivæ.* 938
CCV. *Labii ſuperioris & Naſi ulcus ſerpens.* 942
CCVI. *Tuberculum Labii inferioris.* 942
CCVII. *Gingivæ tumidæ atrorubentes cum Arthritide vaga.* 947
CCVIII. *Linguæ tumor cum folliculo.* 950
CCIX. *Faucium Ulcera.* 951

Obſervatio Pag.
CCX. *Caries Palato imminens à Lue Venerea.* 954
CCXI. *Salivatio mucoſa quandoque aquea faſtidioſa.* 959
CCXII. *Tinea Capitis à Contagio.* 962
CCXIII. *Tumor cum Folliculo Ganglio ſimilis in fronte exciſus.* 965
CCXIV. *Impetigo humida Faciei.* 966
CCXV. *Faciei Impetigo & Vari.* 669
CCXVI. *Gutta roſacea.* 973
CCXVII. *Gutta roſacea cum Impetigine.* 976
CCXVIII. *Ulcera Faciei & Narium venerea.* 877
CCXIX. *Cancer Colli.* 978
CCXX. *Scrophulæ.* 980
CCXXI. *Scrophulæ exciſæ.* 982
CCXXII. *Botium.* 983



JOH.

JOH. JACOBI WEPFERI OBSERVATIONES MEDICO-PRACTICÆ DE AFFECTIBUS CAPITIS.

TOMUS I.

OBSERVATIO I.

Contuſio Capitis.

A*Mpliſſ. D. N. N.* 50. *Annorum, Die* 15. *Aprilis* 1670. circa horam I. pomeridianam poſt prandium truncus quernus ad ℔. *L.* pondo ex alto in Bregma ſiniſtrum prope ſuturam & Verticem cecidit, non tamen pleno impetu; mox humi proſtratus cadebat, non plane omnium ignarus; putabat ſe ſcalæ caput impenſius alliſiſſe: Idem truncus quoque feriebat axillam dextram. Mox datus *pulvis contra caſum ex ʒio diaph. ocul.* ♋ *Rhabarb. mum. ſperm. ceti &c. & vena in brachio ſecta fuit.* Obambulavit. Circa tertiam pomeridianam ſubitò Leipothymia cor-

 reptus

reptus fuit. In prima Leipothymia caſum conſequente non plane omnium immemor erat, at in ſecunda. Screatu ſanguinem è ſummis naribus prolicuit; Aſſumpta evomuit juſcula & medicamenta toto die & ad multam noctem. Poſt mediam noctem juſcula retinuit. Capiti protinus appliciti *ſacculi Cephalici ex Fl. chamom. melilot. roſ. lavend. herb. beton. major. ſalv. ſerpill. &c. in vino cocti*, prius toto capite inuncto *ol. chamom. lil. alb. Lumbric.* Tempora inungebantur *Linim. ſomnif.* & ſcrobiculus cordis *Balſam. ſtomach.* Noctu dormivit. *D. 16. April.* Caput valde doluit, auris ſiniſtra tinniit, dolor verſus hoc tempus vergebat. *Clyſter* injectus fuit, inde dejecit aliquoties. Poſt meridiem dormivit. Nox inquietior, dolor tamen non aderat magnus. *Die 17. Aprilis* conquerebatur fere tantum de dolore temporis ſiniſtri & auris cum tinnitu, dolor tamen fuit tolerabilis. Cibum retinuit. Pereximus *ſaccul. ceph. linim. Balſ. & Pulv. contra caſum*, quem retinuit, quamvis valde nauſeabundum ventriculum erga medicamenta habuerit. *Die 18. Aprilis*, repetebatur *Clyſter*, dolor mitior, ipſeque vegetior. Circa oculum dextrum ſuggillatio viſa: Axilla dextra quoque tumida, quam trabs quoque feriebat. *Die 19. Aprilis*, cutis capillata plane non amplius tumida videbatur, dolor omnis fere evanuit. Noctu dormivit. *D. 20. April.* Obambulavit. Perreximus medicamentis præſcriptis. Vinum nondum bibit. *D. 23. April.* Primùm vinum ſed dilutum conceſſimus. *D. 26. April.* Ipſum ℥j. ℞ *il. Ceph.* purgavimus. Noluit amplius affixus lecto manere: *ſacculos* tamen continuò geſtavit adhuc, quos mire ſibi prodeſſe dicebat: *Pilulæ* probe purgarunt. *Die 29. April.* 1670. in publicum ſanus prodijt.

OBSERVATIO II.

Contuſio Capitis.

M*Atrona quædam* annos nata 33. naturâ melancholica, cui menſtrua parce ſemper fluxerunt, nulla verò hinc retrò annum totum; Hemicraniæ obnoxia quidem, ſed leviori à plaga accepta: *Idibus Novembris* 1684. pertica, mediocriter craſſa, octo novemve pedes longa, nono alte pede cadens, extrema ſui parte craſſiori, hujus matronæ ſinciput, ſiniſtrorſum ad ſagittalis & coronalis concurſum, offendit, unde nec in terram tamen ægra cecidit, nec quicquam in toto corpore mali eſt paſſa aliud, quàm utriuſque maxillæ dentium invicem illiſum vehementem, mentis ſtuporem, cerebri aliquam gravitatem, & dolorem in loco male affecto: Aliquandiu poſt *Chirurgus peritus* accerſitus Capite undique

undique (maxime vero hujus parte dolente) perquam accuratè viſu ac tactu perpenſo nec contuſionem, nec tumorem, nec depreſſionem, nec quicquam aliud p. n. ſeu in partibus mollibus, ſeu in ipſo Cranio advertit, imo nec pulſum febrilem in carpo, nec febris ipſa ulla eſt ſecuta; Nihilominus *vena* cubiti alterius *pertuſa* ſanguinem ad aliquot uncias effluere ſivit. (Atque diebus aliquot poſt elapſis emiſſionis alterius ſanguinis author fuit) & partem dolentem *decocto anodyno*, *leviter diſcutiente & nervali*, fovit, quem fotum ſingula quoque die aliquandiu poſtea repetiit, verùm abſque ullo ægræ levamine.

Alterâ ab accepta plaga die partis cæſæ dolorem (quod ſymptoma ſolum ſupererat) in formicationem inſtar aquæ bullientis ardentem mutatum ægra ſenſit: Quæ ſæpius minus, interdum vero crudeliter hactenus Matronam exercuit, cum aliquo partis affectæ pondere, quibus & tenſionis ingentis à partè affecta ad tempus uſque lævum ſenſus ſeſe adjunxit; nec à plaga infauſta illâ quicquam è nare ſiniſtra, ſecus ac antea ſolita eſt, muci, Matrona emunxit.

Multi multa & alia præter jam dicta remedia præſcripſerunt, ſed omnia incaſſum tentata, quæ rei obſcuritas Medicorum ſententias alias atque alias de parte male affecta, de affectu ipſo, & de medicamentis in uſum vocandis, hactenus elicuit.

Affectûs obſcuritas, ut, à Te, quo poſſum, intenſo ſtudio ſententiam tuam de tanti affectûs natura atque medela petam, me impellit; *Vale meque tui obſervantiſſimum ulterius fove*

Neocomi Helvetiorum, XIII. Cal. April.
MDCLXXXVI.

Tuum Titum Albineum, M. D.

Reſponſum miſi D. II. Maji MDCLXXXVI.

A Graviſſima Contuſione Capitis ſub cranio collectionem quandam manſiſſe ex duratione ſymptomatum diuturna à percuſſione ſyncipitis huc uſque patet: non eſt foris, aliàs tangeretur tumor. Intus non poteſt eſſe ſanguis extravaſatus, quia longe alia ſymptomata imò pridem mortem attuliſſet: Eſt liquor ſimilis gelatinæ intra meninges & anfractus cerebri forte ſtagnans. *Trepano* illam elicere non licet. Jam aliquoties in ſimili caſu abraſis capillis impoſui *Emplaſtrum Veſicatorium* repetitis vicibus, ingentem ſeri copiam extraxit, nullas veſicas excitat, niſi ubi cicatrix aut aliquid calvi in cuti capillata ſit. Imponitur noctu, relinquitur 8. horis aut tota nocte; tum imponitur *folium braſſicæ aut betæ aut aliud ſimile* cui *butyrum* illitum ſit.

Prodeſſent *Fonticuli* in utroque brachio excitati. Naribus trahat *lac cum calida & pauxillo ſacchari mixtum. Purgetur* ſubinde *Pilulis cephalicis.* Quia reliqua fruſtranea, hæc tententur & me rurſus de effectu certiorem faciat. Vale!

Joh. Jacobus Wepfer, M. D.

OBSERVATIO III.

Contuſio Capitis.

PHilippus Gardt. Piſtor Neukircha Cleggoiùs:* Annor. 44. ſtaturæ juſtæ, carnoſus, pallidus, poculis deditus, quandoque etiam ſpiritui vini indulgens: tremulus, quamobrem aliaque ſymptomata vere uſus eſt *medicamentis ex Naſturtio aquatico paratis. Anno* 1684. *die* 3. *Jul.* hora 1. pomeridiana, dum propter narium Hæmorrhagiam Caput pronum tenuerat ab adverſario pugno in oculum ſiniſtrum percuſſus fuit. Adiit mox oppidi Præfectum, ac percuſſorem, non ſine ſtomacho, graviter accuſavit, hinc *Chirurgum* in ſuis ædibus convenit, impoſuit *pulvillum ex ſtuppa confectum & albumine ovi alumine agitato*, additis *aq. roſar. & pauxillo croci imbutum. D.* 4. *Jul.* querebatur de oculi punctione & ardore; nihilominus ut heſternâ veſperâ vinum bibit; continuabatur *Epithema;* obambulavit, quandoque per horulam decubuit. *D.* 5. *Jul.* Quoniam ardor & dolor continuarunt, *ſacculus herbis cephal. & diſcutientib. infarctus ac in vino albo coctus* impoſitus fuit. Vini potum nondum intermiſit. *D.* 6. *Jul.* Nunc ſana mente loquebatur; ſubinde deliravit: in manu ſiniſtra inter pollicem & indicem *vena, quam balneatores Cephalicam vocant, pertuſa fuit:* Veſperi Epilepſia corripiebatur, atque iterum noctu *D.* 8. *Jul.* De Cephalalgia valde querebatur. Mane ipſum convenit *Dominus Sybandt Chirurgus noſtrâs:* deliravit cum furore quodam, floccos legit, lintea attraxit, de decimis, quæ cauſa litis erant, confuſa loquebatur, æſtuavit, largiſſime ſudavit; artus, oculi, maxillæ convellebantur, linguam morſu valde vulneravit. Abradebantur capilli, brachiis imponebantur *Veſicatoria:* nihil poſtulavit, oblatum tamen potum deglutiit, etiam *Aquam diaphoreticam:* nec in hoc rerum ſtatu adſtantes ipſi vinum denegarunt: multum ſanguinis exſpuit. Tota nocte deliravit: ſi circa locum affectum attingebatur, caput amovit idque etiam adhuc paulo ante mortem. *D.* 8. *Jul.* mane collum obriguit, obtutus fixus, neminem agnovit, digitis ad oculos admotis, non nictitavit, nec vel minimum per-

percellebatur: Vellicatus nullum ſenſûs indicium præbuit, artus ſubinde movit, loquebatur incongrua, ſubinde juravit; inclamatus nullum auditûs ſignum præbuit. Paulo ante obitum, ſed imbecillius, exſpuit. Hora 2. pomeridiana mortuus eſt placide.

D. 9. Jul. juſſu Ampliſſimi Magiſtratûs noſtri Caput *cum Domino Sybando, Chirurgo jurato,* præſentibus *Domino Præfecto Joh. Scalichio :* Item *Chriſtiano Bergero Hallov. & Georgio Müllero Chirurgis* & pluribus oppidi civibus aperui. Cute capillata decuſſatim diſſecta, illam ſero turgidam ejuſque porulos ceu gelatinâ infarctos comperimus, & quamvis foris circa oculum ſiniſtrum livida & flava eſſet, nullam tamen notatu dignam ſanguinis extravaſati copiam deprehendimus; Pomum verò oculi ſiniſtri plane integrum erat, nec intra antrum vel minima labes apparuit. Ollâ cranij remotâ, nullum ſanguinem extravaſatum, nec inter duram & tenuem meningem, nec intra cerebri anfractus, nec in ullo ventriculorum, nec intra craſſam meningem & portionem Cranij, quam adverſarius pugno percuſſit, invenimus, nec vel guttula ejus in baſi ſtagnavit. Omnes arteriæ, venæ, ſinus, imprimis vena inſignis in plexu choroideo & arteria ſuper corpore calloſo ſanguine admodum turgebant. Inter tenuem meningem & ſubſtantiam cerebri plurimum lymphæ partim fluidæ, partim gelatinæ ſimilis tranſparuit, plus tamen in ſiniſtro quàm in dextro latere ante & retro. Glandula pinealis foris pallida, intus fuſca fuit & mollis ac ſinuoſa quaſi apparuit. Diſſectis vaſis Cerebri, corpore falciformi & ſubſtantia Cerebri plurimum ſanguinis ichoroſi effluxit & in omnibus vaſis ſanguiferis intra & extra Cranium majoribus quoque ſanguis plane fluidus, nullibi grumoſus occurrit. In ſellâ equinâ aliquid ſuffoſo ſimile apparuit, ſed tantillum, nec quod alicujus momenti eſſet. Ipſa ſubſtantia Cerebri & Cerebelli firmior exiſtebat, ſcil. quaſi elixa eſſe comperiebatur.

Abdomen & Pectus noluimus aperire ob magnum Cadaveris fœtorem & locum anguſtum nec vento ſatis pervium, in quo ſectio peragebatur. Eoque minus lubuit, quia tunc paſſim Febris Hungarica graſſabatur, à qua Piſtorem non immunem fuiſſe firmiter perſuaſi eramus.

Reſolutio.

PErcuſſio cum pugno unico non iterato ictu ſuper oculum Piſtoris ab adverſario irato & robuſto perpetrata, non quidem cauſa erat Lethi, quatenus vel inde extravaſatio ſanguinis intra Cranium aut ibi inflam̃atio fuerit, ſed quatenus excandeſcentiam Piſtoris jam febricitantis vel ſaltem ſanguinem ebullientem habentis, ob lites prægreſſas & procul dubio ob nimiam vini ingurgitationem, auxit; nam poſt meridiem cœlo calido

 Piſtori,

Piſtori, aliàs bibulo, pugnus impactus fuit, atque ipſa hæmorrhagia narium ante percuſſionem evenit, ſcil. ceu effectus ſanguinis fervidioris: recordatio injuriæ illatæ veſperâ illâ & diebus ſequentibus iram magis incendit & fovit eoque magis, quia delirio jam præſente à vino ſibi non temperavit. Non tamen negandum Piſtorem, licet adverſarius ipſum nunquam attigiſſet, ob gulæ vitium Candidatum mortis jam tum fuiſſe, cùm narium hæmorrhagia ſupervenerit; maſſam enim ſanguineam corruptam valde fuiſſe teſtabantur fœtor cadaveris poſt paucas ab obitu horas, ſanguis admodum fluidus nec in grumos concreſcens. Ejus ſigna, dum vixit, non obſcura erant delirium cum ferocia & convulſiones, quamvis nihil inflammati, nihil extravaſati intra Cranium repertum fuerit.

Ampliſſimus Magiſtratus noſter quæſivit ex nobis; Utrum ictus pugno Piſtori ab adverſario robuſto ſuper oculum ſiniſtrum impactus cauſa mortis vera fuit.

Hanc percuſſionem unico ictu pugni ſuper oculum cauſam mortis veram Piſtoris fuiſſe ob ſequentes rationes negavimus & prolixe deduximus. Nam nulli grumi, nec ſanguis extravaſatus à nobis intra Cranium & duram Meningem, illo in loco ubi percuſſus fuit, nec intra utramque Meningem, nec in cerebri ventriculis, nec in baſi reperiebantur: Deinde, nullum inflammationis veſtigium intra Cranium nec in orbita oculi ſiniſtri apparuit. Stagnatio lymphæ intra anfractus Cerebri & ſub tenui meninge ſæpe reperta fuit in Cadaveribus Febri continua defunctorum, fortiter & continuo delirantium ante obitum. Et omnino Febris continua Piſtorem occidit; nam die quarto poſt percuſſionem deliravit; ad huc fortius cum magno æſtu die quinto & Phreneticorum inſtar neminem agnovit, cum furore aliquo deliravit, nihil expetiit, obtruſa tamen potulenta avide inglutiit. Mortem febricitanti acute acceleravit vinum contra Medicorum monita & præcepta exhibitum, ac jam lymphâ ſub Meninge tenui ſtagnante Epilepſiam accerſivit. Non dubitavimus ſedem Febris intra ventres medium & imum fuiſſe ob ſummum fœtorem & ſanguinem poſt obitum plane fluidum ac propterea corruptiſſimum: Procul dubio ſectione illam inveniſſemus, verùm noluimus nos periculo exponere aliorum veſtigiis territi & propriâ experientiâ noſtro damno edocti. Sufficiebat nobis cauſam mortis nullam intra Cranium repertam fuiſſe, ubi aliàs in hujus modi percuſſionibus detineri debebat.

Scaphuſij Die X. Julij. Joh. Jacobus Wepferus, M. D. Phyſicus.
MDCLXXXIV. Joh. Ulricus Syband, Chirurg. Juratus.

OBSER-

OBSERVATIO IV.

Contuſio Capitis Funeſta ab alapâ.

Hiſtoria ab Excellentiſſ. D. Joh. Bardili, Phyſico Calvenſi, D. 21. Octobris communicata.

JOſias Reminger Civis & Pannifex in Gertringen / à Georgio Nonemachero Milite Wûrtembergico, manu in caput circa tempus dextrum uno ictu adeo percuſſus fuit, ut *Joſias* mox & quidem ebrius humi poſtratus ſubitanea morte occubuerit.

Inſpecto cadavere circa muſculum temporalem dextri lateris contuſio ſatis inſignis apparuit, ſecta autem cuti aliquid ſanguinis at in pauca quantitate aderat. Dum Cranium ſerra circumcirca ſolutum removere annitebamur mox ingens ſeri quantitas, vinum exacte redolens, cum copioſo ſanguine effluxit: diſſectis dura piaque meningibus ſanguinem extravaſatum cum ſero copioſe non ſolùm intra anfractus ſtagnantem ſed omnes Ventriculos Cerebri eo impletos reperimus. Ut neceſſariô ſpiritibus animalibus hoc modo ſuppreſſis & quaſi ſuffocatis mors tam inopina & ſubitanea contingere debuerit.

Reliqua viſcera in Medio & Imo Ventribus naturaliter conſtituta erant, præter quod Pulmonum lobus in dextro pectoris latere pleuræ accretus conſpiceretur.

Scholia.

I. Ab unicâ alapâ fortius inflictâ textor iſte mortuus concidit, non tam quod tempore impingebatur, quàm quia in ebrio vaſa ſanguine turgidiſſima rumpebantur & copioſe intra meninges & Ventriculos effundebatur, unde citiſſime totum ſyſtema nervoſum intra Cranium obrutum fuit & repentina mors allata.

II. Serum intra cranium vinum exacte redolens argumento eſt, potulenta parùm immutata è Ventriculo & Inteſtinis ſeu abripi ſeu propelli.

III. Quamvis multùm ſanguinis intra cranium effuſum fuerit, Hæmorrhagia tamen hæc mortem profuſis ſpiritibus non acceleravit, cùm ſæpe in ægris largior fiat, citra vitæ jacturam, ſed mors manifeſte ſecuta compreſſis Cerebro & Cerebello ob magnam ſeri & ſanguinis copiam ſtanantem & intra Cranium coarctatam.

OBSER-

OBSERVATIO V.

Contuſio Capitis.

B*Artholomæus Walther*, *Adoleſcens* 17. Annor. robuſtus & carnoſus, 1688. *D.* 5. *Julij*, ex equo pronus præcipitatus fuit ac Frontem in ſiniſtro latere ad terram ſiccam vehementer alliſit, jacuit inſtar trunci ſine motu & ſenſu: in hoc ſtatu aliquot horis permanſit, ut moriturum crederent: Die ſequente frequenter convellebatur in dextro latere, ſiniſtrum manſit immobile, ut fieri ſolet in Hemiplegia: *D.* 9. *Julij.* Loquelam & Motum ſiniſtri lateris recuperavit, verùm deliravit cum furore ac ſi Phreneticus eſſet. Pars in fronte contuſa valde intumuit, verum *à Sacculis & Emplaſtro à Balneatore ſuaſis*, Tumor evanuit. *Venam quoque ſecuit:* Verùm manſit Delirus, ita tamen ut omnia intelligeret & loqueretur quandoque ſana mente, diceretque aliquid ſe intra Cranium motitare ac ſi Animal vivum intus reperet, motumque hujus deſcendere antrorſum ad Genam, retrorſum ad Occiput; ob ſenſum hujus Motûs ſe cogi, ut nullo in loco permanere poſſit ac neceſſario curſitandum hinc inde ſibi eſſe: ſubinde obvia quæque per feneſtras projecit; Matri verbera minatus eſt: Tandem viſum imminui animadvertebat, ac veluti nebulam Oculis obverſari ajebat. *D.* 27. *Julij Rieteſchingà*, ubi Incola erat & cadebat, *Doneſchingam* cum Matre *ad Dom. Chriſtophorum Simonium* pedes ivit milliaribus fere duobus Germanicis. Illûc perveniens vix ab excurſionibus & actionibus abſurdis & ferocibus coërceri potuit. Illâ veſperâ inciſionem *Chirurgus* fecit in Fronte vix parvi digiti transverſi diſtantiâ à ſutura Coronali, triangularem fortiter adacto cultro, ut ſimul Pericranium diſcinderetur; mox arrepto cutis apice illam cum Pericranio avulſit ſurſumque traxit ac partem ſubcutaneam *filamentis ſiccis* implevit: quodlibet vulneris latus longum erat ℥jß: Baſis ſupera latior ℥j. fuit.

Die 28. *Julij* 1688. mane Cranium *Trepano* perforavit: inter terebrandum, antequam ad interiora pervenerat, aliquoties *Trepanum* retrahere cogebatur ob copioſum emanantem ſanguinem: ſublato oſſe prodiit ſtatim Sanguis niger grumoſus cum ichore & fibris quibuſdam nigris: quam primum effluxit ſanguis iſte, ſtatim ſedatior evaſit, atque inde ſingulas in horas melius habuit; Viſum integre recuperavit. *D.* 4. *Auguſti* 1689. ipſum inviſi *cum Filio meo Med. Doctore;* nullum Symptoma ſupererat: vegetus fuit ac ſi nihil unquam mali paſſus fuiſſet: Foramen Cranij jam fere carne & albicante quodam corpore, ſeu Callo, opplebatur; indidit

indidit illi *filamenta ſicca pauxillo Melle imbuta*; *aliis mere ſiccis* implevit ſubcutaneam diſciſſam & avulſam: tegebat *Emplaſtro Diapalmo ſimili.* Impoſuit inſuper *ſaccul. Cephal. in vino coctum:* Occiput & Frontem inunxit *Ol. Lumbr. roſar. add. pauxill. Ol. Philoſoph.*

Scholia.

I. Tumor Frontis in ſiniſtro latere & partium vicinarum evenit à Sanguine & Lympha extravaſatis & Motu ſuo impeditis ob capillamenta Arteriolarum & exordia Venarum & Lymphaticorum vaſorum rupta ac ab extravaſatis humoribus compreſſa. Idem primis diebus evanuit *à ſacculis Cephalicis in vino coctis*, ut & *ab Emplaſtro & Venæſectione*, dum Liquores ſtagnantes partim attenuati, partim conſumti, & ad inſenſibilem Tranſpirationem diſpoſiti fuerunt, ac ob parciorem victum in tribus diebus extravaſatio non aucta fuit.

II. Affectus ſoporoſus cum Hemiplegia ſiniſtri & Motibus convulſivis dextri lateris, non à ſola Spirituum Animalium perturbatione, aut neſcio, ob quam fibrillarum dislocationem (quæ tamen haud parva erat) ſed quoque propter extravaſationem Humorum trans duram Meningem factam exiſtimo, nam ultra quartam diem prorogabatur, & poſtquam ceſſavit, diu nebula oculis obverſabatur. Humor extravaſatus Affectum ſoporoſum effecit cum Hemiplegia Poros premendo & infarciendo, Spirituumque Motum impediendo potiſſimum in ſiniſtro latere: ob Vellicationem fibrarum nervearum motus convulſivi dextri lateris oborti ſunt.

OBSERVATIO VI.

Contuſio Capitis cum Læſione Cranii.

Molitor in Valle Musbergenſi, Ducatus Würtenbergici 48. *Annorum*; 20 Annis in Matrimonio vivens ſemper conquerebatur de dolore in Hypochondrio dextro, nihilominus in Molendina, quæ ab aſinis nomen habet, & in agro colendo ſtrenue ſemper occupabatur: Tuſſiit quoque dum adhuc ſanus reputabatur. *Anno* 1685.*d.* 12.*Febr.* Dum Veſperi domum properavit, poſt contentiones ab alio Molitore in viâ Securi inverſâ palmi diſtantiâ ſupra oculum dextrum, duorum digitorum diſtantia à Sutura Sagittali percuſſus fuit, non ſecus ac Laniones Boves mactandos ferire ſolent: mox humi cecidit ac Leipothymiâ affectus jacuit; & cùm in campo nulla remedia ad manus eſſent, quidam ex ſociis Faciem ejus perminxit, unde ad mentem rediit: poſtquam vires recuperavit primum ad vicinam, die ſequenti ad propriam Molendinam deportatus fuit: ibi primùm læſum *Dominus David Behm*,

Chirurgus peritus congruè deligavit, cùm vero Vulnus periculoſum deprehendiſſet, rem omnem *Domino Joh. Valent. Moſero U. J. L. Prætori Stuttgardiano* vincinorumque locorum indicavit, quam obrem *Sereniſſ. Ducis Würtembergici Collegium Supremorum Conſiliariorum* ad Vulneris inſpectionem *Excell. D. P. Schikardum Phyſic. Stuttgard. & Dom. Bekerum Chirurg. Præſtantiſſ. & Juratum* ablegarunt *Die* 22. *Febr.* ſcil. d.10. poſt illatum Vulnus. *Dom. Beker* in magna Contuſione hoc exiguum ceu ſubulâ inflictum in Cuti capillata ad Cranium penetrans invenit; Pulſus erat debilis & frequens; urina rubra flammea; ſitiit impenſe: valde tuſſiit: admodum querebatur de dolore pungente & urente circa vulnus, ut & in Oculo & Aure dextra: in ſiniſtro latere Brachium & Femur aliquid Paralytici patiebantur: noctu delirabat & in Somno terrebatur. Circa principium vulnerationis & aliquandiu poſt, ut mihi Læſi uxor prope molendinam *die* 16. *Junij* 1685. tranſeunti retulit, difficulter & non niſi liquida deglutire valuit. Stylo per Vulnus adacto *Dominus Beker* ſtatim non ſolum aſperitatem, ſed inſignem rimam deprehendit, itaque decuſſatim Cutim longe lateque incidit, atque illam à Cranio ſeparavit, in apricum venerunt rimæ plures, quarum una quinque uncias longa erat, inſuper portio Cranii pollicis latitudine depreſſa; ab inciſione ſtatim levamen percepit: *Die* 24. *Febr. Dom. Beker* depreſſum Oſſiculum Scalpro ſubtili & ad exciſionem accommodo ſenſim & abſque ulla querela Ægri circum circa à Cranio ſeparavit, quamvis Malleo ligneo Scalprum ad latera fortius adegerit, exemto Oſſe, Sanguis extravaſatus erupit ſtatim; Os exemtum Unguem Pollicis amplitudine æquavit, Scalprumque Trepani vices explevit: Æger ſtatim multo melius ſe habuit. *D.* 7. *Martij.* Rurſus Ægrum inviſit, quem validiorem reperit; dormivit, appetiit, Pulſum optimum habuit, non tuſſiit amplius: Alvus aperta, ad horas duas extra lectum manere valuit: ulterius deligandum imperavit, ut Capitis Vulnera per Cranium pervia decet. *Die* 15. *Martij*, Vulneratum vegetiorem invenit; ibi ubi fruſtulum oſſeum exemtum fuit, Foramen carne bona implebatur; primùm quidem Caro ſpongioſa erat & Pus per illam tranſudabat, verùm ſenſim Pus imminuebatur & tandem plane evaneſcebat ac Caro calloſa evadebat *beneficio pulveris exſiccantis & Empl. Cephal.* Potus erat *decoct. Hordei cum lign. Viſc. q. & coryl.* Circa finem Aprilis vulnus plane conſolidatum fuit, Vulneratuſque munia conſueta obiit.

Die 26. *Maij* 1685. Vulneratus valde de dolore Hypochondrii dextri & Ventriculi conqueri cœpit: nullius Medici Conſilium expetiit; proprio auſu bibit *Serum lact. caprini:* Uſus etiam eſt *Rad. Cichorii aliis-*

rii aliisque facile parabilibus hinc inde *ab Empiricis* conquiſitis; inordinate ac incurie vixit. Ultimis vitæ diebus nihil niſi potulenta deglutire valuit ſc. *Vinum*, *Lac*, *Juſcula. Die* 11. *Junij* vivere deſiit. *Ex mandato Sereniſſ. Ducis* Cadaver ſolenniter viſitatum fuit: à Scapula dextra ad Femur dextrum usque Cutis ſublivida erat: Abdomen tabidum fuit: foris circa Vulnus nihil indecens viſum: ſublato Cranio ſub rimis & Foramine nullus Ichor, nullum Pus, nihil Sanguinis, nihil inflammatum neque etiam ſub dura Meninge repertum fuit: intra Cerebrum in Ventriculis & extra illud nulla aqua inveniebatur, ipſaque Cerebri ſubſtantia naturaliter conſtituta videbatur. Aperto Pectore Pulmones in utroque latere pertinaciter accreti & dimidius Pulmo ſiniſter ſcirrhoſus & Lapidis inſtar durus deprehendebatur. Inciſo Abdomine ad Menſuras duas aquæ inſtar Seri turbidi emanarunt: omnia Inteſtina Hepati vicina rubra & gangrænoſa conſpiciebantur, ibi quoque includebatur Pus viride, fœdum *ad* ℔*ij*, inficiens ibidem Peritonæum, Muſculos Abdominis & portionem Diaphragmatis; deterſo Pure deprehenſum Pus Hepar ultra ſpithamam ſecundum Longitudinem at *ad* ℥*viij* ſecundum latitudinem, atque etiam ſatis profunde corroſiſſe. Omentum plane Putridum fuit. Quæ quum *Dominus Bekerus* Anatome hac ratione conſtitutâ inveniſſet, Judici ſignificavit, Demortuum neutiquam à Capitis Vulnere mortuum fuiſſe, eoque confidentius quia ipsâ Viduâ teſte de nullâ Capitis moleſtiâ aliove ſymptomate à Cerebro læſo proveniente ab aliquot Septimanis ad ultimum halitum Æger conqueſtus fuit.

OBSERVATIO VII.

Capitis Contuſio à Caſu cum Cranij læſione.

Ruſticus quidam 40. *Annorum ex Eremo Helvetiorum* ex ſupremâ contignatione horrei in aream piſis ſtratam in caput incuriâ ſe præcipitavit; inter cadendum obſtaculis pectus alliſit, unde clavicula fracta, duæ coxæ luxatæ, cutis Capitis capillata in Bregmate ſiniſtro latéque avulſa fuit, & muſculus temporalis ad os jugale uſque denudabatur: plura quoque piſa cuti capillatæ profundè impingebantur. Mox ſtupidus evaſit; inſtar phrenetici deliravit, horrendè convellebatur; difficulter reſpiravit. *A decocto vulnerario cum vino parato* convulſiones & delirium ita augebantur, ut vix à quatuor viris detineri potuerit. *Die* 31. *Octobr. ſeu* 4. *die a caſu* 1681. *Dom. Joh. Chriſtophorus Simonius* l. a. cranium non procul à Sutura coronali in Bregmate ſiniſtro

 perfo-

perforavit: exempto oſſe protinus Sanguis nigerrimus cum ichore erupit, furor & convulſiones remiſerunt: per dies ſex deliravit adhuc, ſed ſuaviter: poſteà integrè ad mentem rediit. *Die* 21. *Novembr.* optimè habuit, niſi quod à Somno recenter expergefactus locorum hominumque ignarus per momenta eſſet: foramen carne clauſum erat. Congruâ deligatione & diætâ egregiè convaluit.

Anno, hunc præcedente, *Prætor in pago Bellen* huic vicino ab equo delapſus caput vehementer humo gelido impegit: ſequebatur ingens cephalalgia, hinc ſtupor & quædam dormiendi neceſſitas: poſt aliquot dies *cum Dom. Simonio Doneſchingâ* vocatus, Cranij perforationem neceſſariam demonſtravimus: detonſis capillis omnique apparatu ad operationem perficiendam diſpoſito; adſtantes inſtrumentis potiſſimùm territi, noluerunt illam adminiſtrari in ſene ſexagenario majore, unde poſt paucos dies Apoplecticus mortuus eſt. Ejus exemplo cautiores ſuperiores facti alij hanc non renuêrunt.

OBSERVATIO VIII.

Contuſio Capitis Funeſta.

N. *N. Blæſſing è Pago Langenbach Sylvæ Martiæ* 25. *Annorum* ſtaturæ mediocris, robuſtus & toroſus, 1684. *d.* 25. *Novembr.* dum Lapidem molarem dedolavit, ex contignatione non admodum altâ ſupinus cecidit, ac poſt Aurem dextram Occiput angulo Trabis tranſverſim humi jacenti graviter alliſit, ut Leipothymiâ affectus jacuerit, donec Facies *frigidâ* conſpergebatur: Senſus recuperans querebatur ſolum modo de dolore Occipitis ibi, ubi illud fortiter Trabis angulo impegit. *Chirurgus* abraſis Capillis nullum Tumorem, nullam Cranij depreſſionem tetigit, nec Cutis vulnerata erat, quia angulus Trabis obtuſus fuerat: Doloris ſpatium pulpâ Pollicis tegi poterat; ab attactu exacerbabatur: ſtatim *Chirurgus Venam ſecuit.* Locum affectum circum quaque inunxit *Oleo defenſivo*, impoſuit *Sacculos Cephalicos in aqua & vino coctos:* inquiſivit in Cranij fiſſuram, juſſit illum mordere lintea multiplicata etiam corpora duriora, quod ſine moleſtia etiam fortiſſimo Morſu præſtitit; Dentes inſtrumento percuſſit, quod ad explorandam Fiſſuram facere ſolent *Chirurgi*, ajuntque edi ſonum inſtar vaſis fictilis, fiſſi aut rimoſi. Nunc obambulavit, nunc Scamno in Hypocauſto incubuit; noctu lectum petiit: Decubitus non erat altus, ſed humilis: nunquam vomuit: Sanguinem per Os exſpuit: Erecto corpore Caput inter obambulandum dextrorſum inclinabat cum leviculis indiciis Vertiginis titubantis: Auris dextra Tinnitum

nitum ſed exiguum ſubinde prodidit: Vidit accurate, ſed fixo obtutu objecta aſpiciebat; loquebatur ſine ullo impedimento, ſed non multùm, cùm aliàs non loquax eſſet. Parum dormivit: nunquam deliravit: parum comedit, nunquam ſitiit. Cùm dolor circa locum affectum non remitteret, *Chirurgus* impoſuit *Emplaſtr. contra Fracturam*, quod tenſionem quandam excitavit, quamvis non valde glutinoſum & tenax eſſet, ſed ſimile *Emplaſtro Fabritij Hildani* in Fracturis conſueto. Cùm nec in principio, nec in progreſſu Fiſſuræ Cranij aut Sanguinis intra Cranium indicia *Chirurgus* inveniret, *Trepani* uſum noluit audere, cujus adhibendi modum aliàs optimè callebat, & non ſemel Cranij perforationem felici cum ſucceſſu perfecit; perrexit *Sacculis Cephalicis*, quibus non ſemel etiam in gravioribus Capitis Contuſionibus ſanguinem extravaſatum diſſipavit, etiam in illis, quibus Sanguis per Aures, Os & Nares effluxerat. In hoc Valetudinis ſtatu permanſit *ad* 28. *Novembr.* Circa horam *6.* Veſpertinam omnibus ſenſibus & Motu integris reſpiravit cum aliquo ſtertore, ſine Dyſpnœa, ac ſi Bronchia Pulmonum vel Muco vel Sanguine grumóſo infarcta eſſent. Ante 8. Veſper. ſubitò omnes Senſus & Motum amiſit ac poſt horæ quadrantem vivere deſiit. *Die* 24. *Novembr.* 1684. *Chirurgus* primùm Cranium cute capillatâ denudavit, ſtatim in venit Sedem perviam Oſſi Lambdoideo impreſſam in dextro latere: Cranio ablato duas Fiſſuras longas hiantes invenit, unam obliquam ſurſùm verſus Verticem, alteram fere tranſverſam verſus Os Temporis exporrectam: intra duram & tenuem Meningem circa Cerebellum ad Oſtium magnum Spinalis Medullæ & circa Cerebrum ad Frontem uſque copioſum Sanguinem grumoſum, nigrum & multùm aquæ invenit ſolummodo in latere dextro; nihil horum nec in ſiniſtro latere nec in Ventriculis Cerebri.

OBSERVATIO IX.

Capitis Contuſio ſequente Apoplexiâ Lethali.

ILluſtriſſimus ac Excellentiſſimus quidam S. R. I. Comes 1681. Vere jam graviter cruciabatur ſpaſmo in ſuris, invadebat poſtea quoque femora & carpos ac digitos manuum. Circa medium æſtatis doluit Cervix indeque caput ad latus trahebatur. Bibit æſtu flagrante ſubinde *hauſtum acidularum*: tunc temporis *Engâ Wolfachium* uno die concitatiſſimo curſu contendit, unde catharrus auctus multumque expuit. Propter cervicis dolorem inungebatur *Oleo Laurino &c.* Collo circumponebatur *Emplaſtr. de Melilot.* jam tum animadvertit viſum nebulâ obſuſcari,

obfuſcari. Diu cibus non ſapuit, quæcumque comedebat, videbantur ligni inſtar, inſipida eſſe. Ob ſpaſmum abiit *Thermas ſulphureas in Marchionatu Badenſi*, illis ſub finem Auguſti uſus eſt ad 19. Septembr. 3. circiter ſeptimanis: ad ſummum inſidebat tribus horis, poſt egreſſum non ſudavit: excoriationem inhibuit ablutione *ſpiritûs cujuſdam inflammabilis*, quin etiam aëri frigido ſe credidit. Dum *Thermis* utebatur, vomere cœpit. Vomitus tollebatur *Emetico;* rediit autem poſt dies 8, atque Jejuno ſtomacho & poſt paſtum ejecit nunc mucoſa, nunc ſpumam aqueam, nunc bilioſa, ſæpe cibum poſt paſtum. Appetitus ſimul proſtratus erat: ex cibis nullum guſtum diu habuit, omnes quaſi lignei videbantur: reparabatur Appetitus *Spir. Eſurin. Croll.* & vomitus coërcebatur ℞. *corall. Fabr. cum ſp.* ⊖ *parata.* Poſt vomitus ſubinde obfuſcabatur viſus & nonnumquam objecta dupla apparebant; Propter viſûs hallucinationem per aliquot dies nullas literas exarare valuit. In loquelâ ſæpe obſervavit quoddam impedimentum, ut verba quædam & literas *R.* ſc. pronunciare nequiêrit. Somnolentia jam diu quoque moleſta erat, adeo ut ſæpe menſæ indormiſceret, dormivit cum ſtertore quodam ſonoro & cum magna difficultate. Laſſitudinem etiam quandam & debilitatem ſenſit, unde ingreſſus languidus. Quoties oſcitavit, loquelæ vitium augebatur, ita ut vix paucula verba aliquandiu proferre & non niſi cum labore poſſet. Vomitus aliquandiu ructus præcedebant. Salivavit, dum vomitus, viſûs vitium & ſomnolentia durabant, diu & multum. A longo tempore multum minxit: urina ſemper pallida & tenuis fuit. Ob vomitum & inappetentiam habitus valde emaciabatur, pallebat & vires languebant: nihilominus itinera fecit & quodam animi pathemate valde ſemet excruciavit. Pulſus plerumque frequens & celer.

Die 11. *Octobr.* 1681. *Wolfachio Haslachium* ivit ubi ipſum veſperi conveni: cum difficultate loquebatur & ſimul ac ſi nares obſtructæ eſſent: querebatur de viſu duplici & nebula oculis obverſante. Vomuit ante cœnam. Cœnavit parum, noctu multum dormivit. *Die* 12. *Octobr.* contra meum & aliorum monita *Argentoratum* properavit, illucque noctu pertigit laſſus & cibum faſtidiens. Ante meridiem quater in itinere vomuit primum aquea, ſpumoſa, viſcida; poſtea bilioſa: ultima vice demum *Chiocolatam.* Emenſo milliari cum dimidio *Offenburgi* ante prandium dormivit ſuper ſcamno cum ſtertore: pranſus eſt ova, cydonia cocta: carnes faſtidivit. Rhedâ vectus poſt meridiem fere continuo dormivit. *Argentorati* laſſus valde parum comedit: tota nocte dormivit. *Die* 13. *Octobr.* mane inter colloquenduum mucoſa magno nixu vomuit; poſt horam comedit juſculum & in primo cochl.

gr:

gr. iij. ol. nuc moſch. expr. ſumſit, quod poſt quadrantem horæ magno nixu evomuit. Inter vomendum obſervavi plures & vehementes impulſus à Ventriculo & Diaphragmate fieri, antequam liquor aliquis ſequebatur, unde facies rubore perfundebatur & lachrymæ exprimebantur, quod & vacuo ventriculo vomentibus aliàs evenit. In publicum prodiit Rhedâ vectus atque Illuſtres perſonas inviſit. Pranſus eſt parum & non niſi ova ſorbilia cum cydon. coct. faſtidivit carnes. Poſt meridiem Rhedâ ad vicinas ædes vehebatur, *conſpectaturus Regis trium-phantem introitum.* Poſt 4. Veſpertinam è ſcala per plures gradus præceps ruit caputque valde alliſit: ſublatus, fuit gravi leipothymiâ affectus, arctè dentibus conſtrictis, reliquis artubus flaccidis: in hypocauſtum delato ei dentes diducebantur: infundebatur *aqua cordialis officinar.* naribus inungebatur *Balſam. apopl.* Unde rurſus incaluit de dolore totius corporis queſtus. Cauſa caſûs credebatur vertigo titubans, de qua ſæpius imprimis hoc mane querebatur & pedum imbecillitas.

Ad Illuſtriſſimum Dominum veniens inveni pulſum freq. celer. reſpirationem æqualem: quoties corpus erigebatur de magno dolore querebatur; dorſi attactum non pertulit: auris ſiniſtra à caſu excoriata erat in medio: caſu avulſa fuit margarita, quam in lobo ejus geſtavit. *Cum Excell. D. D. Hamerero & Exc. D. D. Möglino* deliberavi, quid agendum eſſet? concluſimus ſtatim *Clyſter. purgantem* injiciendum: *Venæſectionem* non tutam judicavimus, quum adeſſent ſigna ſeri intra cranium extravaſati, ſc. ſomnolentia, vertigo titubans, viſûs hallucinatio & loquelæ vitium, quod non totum aſcribere potuimus ulcuſculo linguæ, quia hoc exiguum erat: nec tonſillarum nec uvulæ tumori, quum nullus talis hoc mane appareret: ſuaſimus etiam *aquam anti Epilepticam & anti Apopl. Clyſterem* fere duabus horis retinuit, interea moleſtiæ indicia plurima edidit, nam *Clyſteres* ſemper abhorruit: manus & pedes movit ſemetque ſuâ ſponte erexit: ſemel atque iterum ad vomitum ſtimulabatur, nihil tamen ejicere valuit. Poſtea alvum aliquoties exoneravit, excrementa ſummopere fœtebant. Dum conſpurcatus jacuit valde inquietus fuit, nec verbis ſe expedire potuit, licet non diu ante excretionem de dolore queſtus, unum atque alterum verbum proferre & mihi animi ſenſum explicare valuerit. Circa 6. Veſpert. ſolito more profunde cum ſtertore dormivit. Inſtar trunci jacuit, nihilque amplius ſentire videbatur. Statim *veſicatoria brachiis & pedibus utrinque applicanda* ſuaſi: ſubinde *aq. Cephal.* exhibui. Continuavit ſomnum, nullos artus movit: *aq. Cephal.* quandoque deglutiit, ſubinde dentes conſtrinxit. Poſt octavam noctem *ex conſilio D. D. Hammereri cucurbitas magnas cum ſcarificatione* dorſo affixi-

aſſiximus; *vulnuſcula* eluebantur ⊖ & ✛ verum nec ex compreſſis digitis ullum Senſûs integri indicium præbuit; ut nec *à frictione forti*, adeo ut de fortiſſimâ Apoplexiâ non amplius dubitare potuerimus. Applicuimus Capiti *columbam vivam per medium ſectam: ſacculos Cephalicos in vino coctos.* Circa ij. noctis *Regis Chriſtianiſſ. Juſſu Illuſtriſſimum Dominum Comitem inviſit D. Petit Archiater Regius;* explicuimus ipſi morbum & quæ illum præceſſerant, ac ultrò faſſi ſumus nos *V. S.* ſtudio omiſiſſe ob ſymptomata Apoplexiam pridem minitantia & ob motus convulſivos jam gliſcentes, quibus etiam aliâs obnoxius á puero fuerit. Ille vires oppreſſas non diſſipatas cauſatus eſt, quamvis à longo tempore parum comederit, aſſumta evomuerit & valde emaciatus eſſet: *V. S.* ceu ſarcinâ levatam naturam cauſam Apoplexiæ propulſam iri dicebat. Addit *purgantia cum vomitoriis mixta* exhibenda, ut per alvum & vomitum ceu vias regias humores peccantes propellerentur: ſuaſit igitur *Decoct. ſenn. cui add. vin. Emet.* ℥iij: *ſyr. roſ. ſ.* ℥j. *conf. de Hyacinth. inc.* ʒß. ſi poſt duas horas nihil agat, dandas ℥iij. *Vini Emet.* eſſe ſolùm. *Pro potu ordinario* dandum *decoct. fol. ſenn ſ.* Ut fluor alvi continuetur. Interea ſæpe juſculis refocillandum eſſe. Statim *ad* ℔j. *imo ad* ℥*xvj ſanguinis ex brachio dextro* emiſit, nec ulterius emittere ceſſaſſet, niſi pulſus in oppoſito brachio minui cœpiſſet. *De Pot. purg.* vix 2. vel 3. cochl. infundere potuimus, nam diu in faucibus hærens liquor & per laryngem hiantem in aſperam arteriam illabens ſuffocationem intentavit. Circa 2. matut. terribili Epilepſia dextri lateris afficiebatur aliquandiu, manente ſiniſtro latere paralytico. Poſt paroxyſmum diu nullus pulſus inveniri potuit: redeunte pulſu rurſus cum ſtertore aliàs conſueto laborioſè reſpiravit: unum alterumve cochl. *aq. Cephal.* deglutiit: per alvum iterato fæces fœdas egeſſit: Continuavit Reſpiratio & pulſus varius erat ad 5. matut. brevique moriturus videbatur. Oculi continuo convulſi hinc inde torquebantur fere ad ultimum halitum. *Die* 14. *Octobr.* mane poſt quintam rurſus quinquies terribiliter Epilepſia dext. lateris ſuccutiebatur. Circa 9. extrema frigida: ſudore per totum corpus jam plurimis horis manante, ſuperne calido inferne frigido. Oculi obtenebrabantur & manifeſto cornea oculi dextri corrugabatur, ac ſi portio humoris aquei effluxiſſet, quamvis cœtera oculus integer eſſet, ſubinde rurſus caput motu convulſivo ad latus torquebatur, aliquando axillas ſurſum ſuſtulit. Ante 12. antimeridianam mortuus eſt ſc. circa Viceſimam à Caſu facto horam. Poſt mortem nihil ſanguinis ex ore, narib. aut ore emanavit. NB. Æſtate prægreſſa ſæpe valde ſitiit, hac de cauſa magnos hauſtus *decoct. Rad. Chin* ingeſſit.

Poſt

Poſt 10. noctis cadaver aperuimus. Inciſo decuſſatim abdomine multum pinguedinis maxime in ſumine adhuc occurrit. Aperto abdomine ſtatim eruperunt inteſtina tenuia flatibus diſtenta & pellucida: admoto lumine & ex adverſo illis conſpectis nulla veſtigia glandularum inteſtinalium ullibi neque circa finem Ilei obſervare valui: Colon plenum erat ubique excrementis: in recto detinebantur ſcibala, licet ab aliquot diebus parum comederit & aſſumta fere evomuerit; quamvis *à Clyſtere* veſperâ prægreſſâ injecto magnâ copiâ fœces fœditiſſimæ iteratò eductæ fuerint. In Inguine dextro, ubi pridem herniam paſſus eſt, Colon pertinaciter uſque ad regionem renis cum portione Ilei accrevit. Omentum pingue erat adhuc; pinguedo tamen fuſca nec tam flava ut ſuminis fuerat, videbaturque multis glandulis præditum: in inguine dextro per filamenta latiuſcula, in ſiniſtro per graciliora quoque accrevit. Ventriculus etiam flatibus aliquantulum diſtentus erat, ſed non ut inteſtina tenſus, nec valde amplus fuit: cum portione gulæ & duodeno illum exemi: Gula ſatis craſſa erat, nervea ſulcis rectis prædita, extremitate ſua in Ventriculum prominula: Ventriculus albicans foris fuit, vaſis in ſummitate à ſtomacho ad pylorum ſanguine atro plenis, ut & ad latera in parte ſiniſtra fundum verſus: ejus tunicæ pertenues & non multum craſſiores erant inteſtinis etiam tenuibus, adeo ut fibræ probe obliteratæ eſſent: continuit adhuc fruſtula cydon. coctor. quæ comedit in prandio ante caſum & liquorem turbidum, in quo craſſamenta pultacea quædam ſubſidebant: deterſis contentis anfractus penitus obliterati erant: ſuperficies oblita erat muco tenui pellucido, nulla veſtigia ulceris, inflamationis aliûsve rei p. n. apparuerunt. Pylorus non conſtrictus, ſed laxus & flaccidus ac tenuior ſolito erat. Inteſtinum Duodenum amplius debito, rubicundius cum nigrore quodam, ita tamen ut nec inflammatum nec gangrænoſum reputare potuerimus, quo abſciſſo emanavit ſubſtantia pultacea fluida, ſubfuſca. Pancreas amplum fuit, prope Inteſtinum portio ejus erat dura & prope cartilaginea, in poſticâ parte mollior albicans: ejus ductus conſpicuus, non procul ab inſertione. Meſenterium pingue, in quo paſſim quoque corpuſcula duriuſcula tangebantur. Epar quidem molle fuit, ſed prorſus pallidum. Veſicula bilaria fuit ampla, ſed non valde à bile diſtenta, quaſi paulo pluſquam ſemiplena: illâ preſsâ extillavit bilis copioſe, fluida, obſcurè flaveſcens. Lien pallidior fuit cum rubore aliquo, mollis mediocris magnitudinis. Renes mire parvi erant & graciles, minores & graciliores pueri 9. annor. Tunica adipoſa facile abſceſſit: in utroque aliquot tubercula dura piſo majora prominula in ſuperficie tangebantur, unum ex his magnitudine acini uvæ jam hydatis erat, tunicâ craſſâ veſtitâ, ex qua ſauciata prodiit ſerum flavum: reliqua in abſceſſum cum folliculo degeneratura videbantur: Renes ſuccenturiati duri erant. Pelvis & ureteres utrinque ampli. Veſica

parva erat & contracta; quamvis aliàs unica vice ſæpe multum eminxerit. Diaphragmate undique ſeparato ne minimum quidem ſanguinis extravaſati in cavo pectoris invenimus. Pulmones in dextro latere molles albicantiores per pauca filamenta laxè pleuræ, in ſin. latere rubicundiores, molles tamen, ſed non ut in dext. latere, etiam per filamenta gracilia plura, ſuperne immediate aliquantulum pleuræ adhærebant & quidem illo in loco pertinaciter ſatis. Cor plane flaccidum fuit, pingue: in Ventriculis & in vaſis majoribus paucus admodum ſanguis & in auriculis prope nullus detinebatur. In Ventriculo utroque invenimus polypos, majorem in ſiniſtro quam in dextro, tenaciſſimos, planos albos, ſingulis adhæſit grumulus rubicundus in ambobus ventriculis.

Aorta præter ſolitum erat ampliſſima. Omnibus contentis pectoris ſublatis vidimus pleuram à contuſione valde ſuffuſam in ſiniſtro latere ibique coſtam tertiam ſuperne numerando, non procul à ſpina fractam, cujus fruſtulum prominuit & pulpam digitorum attrectatam pupugit. Sublatâ cuti capillatâ capitis nullibi veſtigium contuſionis, ſuggillatæ multò minus ſedis, fiſſuræ aut rimæ vidimus: ſummitas oſſium frontis & portio ſyncipitis anterius inæqualis monticuloſa & prope gummoſa erat, pericranio tamen adhuc tecta & cœteris oſſibus concolor paulò tamen albicantior: diſſecto cranio dum anterius cranium auferre voluimus, os frontis citra magnam vim, ceu friabilius facile in plura fruſtula atterebatur, & in ſuperciliis & circa radicem naris amplæ cavernæ vacuæ intra duplicaturam tabellarum cranij in conſpectum venerunt. Auferendo ollam comperimus duram meningem tenaciſſime cranio accretam, ut vix illam, quamvis craſſa ac tenaciſſima eſſet, citra lacerationem avellere potuerimus. In ſiniſtro latere è lacerâ durâ matre, plurimum Sanguinis aquæ loturæ carnium ſimilis etiam grumoſi confertim erupit: amplius illâ ſeparatâ plurimum ſanguinis inter meninges intra anfractus, ſuper corpore calloſo, in Ventriculo ſiniſtro, tertio & quarto etiam in baſi offendimus, minus in dext. Ventriculo: In latere ſiniſt. Subſtantia cerebri mollior & pultacea quaſi nobis videbatur. Superficies Ventriculi aſperior, muco oblita copioſo quoque fuerat. Nervi optici albi duriuſculi erant: nihilque p. n. circa illos foris conſpiciebatur. Sublato cerebro cum cerebello multùm aquæ flavæ ex fiſtula ſpinalis medullæ erupit. In baſi cranij poſt os petroſum ſiniſtrum fiſſuram quandam reperimus & cranium percuſſum ſtrepitum edidit, qualem fictilia rimoſa inſtrumento percuſſa edere ſolent: rubebat illa, nec detergi potuit: in parte dextra oppoſita ſimilis ſeu fiſſura ſeu ſutura, ſed nec tam longa nec rubra. Anne forte ſutura hiantior?

Scholia.

Scholia.

I.

PInguedo abdominis flava ſatis copioſa, ut & omenti, meſenterij, Cordis &c. Item mollities hepatis (licet pallidi, forſan ob nimiam evacuationem V. S. inappetentiam, Vomitus, potum aquæ nimium) Lien, naturalis & laudabilis pulmonum conſtitutio vitam *Illuſtriſſimo Domino* prorogari naturaliter potuiſſe à Medico prudenti indicio erant, niſi caſus vitæ filum abrupiſſet.

II.

Vomitus quotidiani Jejuno Ventriculo & ſtatim ab aſſumpto cibo non videntur cauſa fuiſſe vel inflammatio aliqua vel ulcus vel excoriatio, cùm nihil horum ullibi in toto Ventriculo nec circa pylorum apparuerit; nec humor aliquis p. n. cùm nihil niſi chyloſa & noviter aſſumta continuerit, quæ nulla irritandi vi prædita erant, quæ alicujus momenti fuerit: licet bis mane ante caſum vomuerit & poſt caſum ad vomitum ſtimulatus fuerit, niſi capitis gravi læſioni hunc conatum adſcribere velimus. Credibile hunc motum Ventriculi inverſum adſcribendum membranæ nerveæ admodum ſenſitivæ, & cuique injuriæ expoſitæ, quia Ventriculus pertenuis, quia ejus anfractus plane obliterati, quia denique ſublatis contentis pertenui muco pellucido oblinebatur. An durities pancreatis prope inſertionem ductûs duodeno adhærens ad vomitum anſam dederit? dubium eſt quia durities hæc non nuper & *in Thermis* nata videtur: ſuſpicio tamen eſt, illam concurriſſe, quia duodenum amplius & rubicundius et pylorus plane laxus & patulus fuit, quia quoque poſt multos nixus mane imprimis & in itinere multa bilioſa evomuit. Denudationi membranæ nerveæ anſam dediſſe videntur præter *Vomitoria* plura pridem aſſumpta & quidem ultimum *in Thermis*, quod erat ♀ *Emet. gr. iij.* nam ab illo tempore vomitus continuavit. Forte ob nimios iſtos et frequentes vomitus anfractus obliterati cum fibris fuerunt & aliquomodo fibræ nerveæ enervatæ, ut ſe ventriculus non rite & non niſi irritatus circa cibos ſe ſtringeret. Quamvis Ventriculus ita enervatus eſſet (ut teſtabantur non ſolùm anfractuum, ſed etiam fibrarum rectarum & circularium obliteratio quædam, ob quam foris vix apparebant, ſed etiam Ventriculi major diſtenſio, quàm contenta erant, licet non tam tenſus eſſet ac Inteſtina, quæ à flatibus retentis & arcte concluſis diſtenſa apparuerunt pellucida) nihilominus mane jejuno ſtomacho & à prandio plerumque rarius poſt cœnam, magno & ſæpe iterato nixu plerunque primum aquea & ſpumoſa, poſtea mucoſa, hinc bilioſa & plerunque tandem aſſumpta evomuit, ſæpe tantâ vehementiâ, ut facies inde ru-

ruberet & ſudaret à vehementiſſimis impulſibus diaphragmatis, ſuccuſſo valide Ventriculo in quolibet vomendi conatu. Succeſſit primum aqua & mucus conſtricto Ventriculo circa ſtomachum: motu periſtaltico continuato ſucceſſit non ſemel prius bilis quàm aſſumta, imo plerumque poſt prægreſſos vomitus bilioſos, tandem ſupervenit aſſumtorum ejectio, ac ſi circa ſtomachum fibræ contractæ aquam, mucum, poſtea bilem exprimerent: at mirum cibum ad ultimum, ut pridie ante caſum *Chiocolatam* in Ventriculo perſtitiſſe: imo in cadavere aliquid hujus cœteris contentis Vertriculi permixtum apparebat: neque enim in Ventriculo thecæ erant, in quibus abſcondi potuiſſet, nec inter anfractus delituit, qui nulli videbantur. Ob frequentes vomitus veſicula bilaria ſemiplena erat ejuſque bilis ferocior, forte *à Thermarum inſeſſu.* Ventriculus aliquantulum & Inteſtina pleniſſime diſtendebantur à flatibus, à fermentatione poſt mortem factâ & amiſſâ propulſandi vi atque mature emortuâ inteſtinorum facultate.

III.

Copia fœcum in Recto & Colo *poſt Clyſterem* iteratis vicibus efficacem, multiſque eductis hiſce ſuperſtes indicio eſt, fœces ab aliquot diebus coacervari, nec omnes excerni, quamvis quotidie alvus officium faciat; nam antea quotidie beneficio hoc gaudebat, licet parum comederit & quotidie vomuerit, plerumque cibum quoque, ut mane ante caſum etiam juſculum, cui panis intritus erat, totum.

IV.

Mirum *Illuſtriſſimum Dominum* jam ultra biennium copioſiſſime ſemper minxiſſe, ſi ſeri ſegregatio fit in parte extima renum ſecundum *Bellinum & Malpighium*, cum utriuſque ſuperficiem occuparint tubercula dura, profunde infixa; cùm etiam Renes mole ſua admodum parvi & graciles fuerint: Credendum id factum fuiſſe propter canaliculorum laxitatem nimiam in carunculis papillaribus idque citra aliquam fermentationem tum ob exilitatem Renum, tum ob cruditatem urinæ: Certe pelves & uretheres admodum ampli erant, quamvis nullum unquam Calculum excreverit.

V.

Reſpiratio cum ſtertore poſt caſum ſtatim in principio Apoplexiæ, quamvis nullus cruor in cavo pectoris, & pulmones molles erant. An id factum fuerit propter pulmonum accretionem, ob quam mucus minus prompte ejici potuerit? nam ante caſum jam diu inter dormiendum ſtertuit: forte etiam concurente narium obſtructione. Deinde ultra duas horas ante obitum minus ſtertor audiebatur & placide reſpiravit ac ſine magno ſtertore obijt. Denique dum Apoplexiâ jam

tactus

tactus erat, ſæpe diu ob lenem reſpirationem videbatur plane intercepta, quamvis manu ori admota, ipſum reſpirare animadverterim; mox tamen magno cum nixu & ſtertore inſpiravit, ac ſi in leni illâ aër non ſufficiens attractus fuiſſet.

VI.

Cephaleæ pridem graviſſimæ perpeſſæ cauſa videtur fuiſſe accretio duræ meningis pertinaciſſima cum cranio undiquaque, ob quam ſanguinis motus per duram meningem impediebatur & ſerum virulentum ſtagnare potuit; quàm virulentum id fuerit, patuit ex oſſis frontis & bregmatis inæqualitate & tuberibus, ut & ex friabilitate oſſis frontis.

VII.

Apoplexiæ cauſam fuiſſe ſanguinem extravaſatum cum copioſo ſero nimium quàm manifeſtum fuit: quia ſiniſtro lateri incubuit eaque portio cerebri imprimis ſpirituum animalium influxu magis defraudata fuit, quam dextrum, propterea latus ſiniſtrum paralyticum etiam erat: ſanguinem extravaſatum Cerebrum compreſſiſſe, hinc patet, quia diſciſſâ durâ meninge multum cruoris ſeroſi cum impetu proſiliit, & nihilominus multum intra anfractus in ventriculis & baſi reſtabat. Sanguis tamen non ſtatim poſt caſum Apoplexiam effecit, ſed tum demum poſtquam ad illam quantitatem pervenerit, quæ compreſſioni ſufficeret; unde poſtquam refocillatus internis & externis ac leipothymia ſublata fuit, loqui poterat, adſtantes agnovit, de dolore querebatur, manus & pedes movit, ſemet ſua ſponte erexit, ac ſenſus & motus fere duabus horis ſupererant. Apoplexia fortiſſima erat, quia compreſſis digitis fortiter nullum ſignum ſenſùs dedit, ut nec *à ſcarificatione & ⊖ & ✚* vulneribus illitus: plerumque nihil deglutire potuit, diu liquores in faucibus ſtagnarunt, quandoque laryngi illapſi ſuffocationem intentarunt, imprimis circa medium noctis: inſtar trunci erectus manſit, ut & decubuus. Convellebatur in dextro latere imprimis *poſt V. S.* terribiliter, quia in dextro latere cerebri portio illa minus læſa erat & adhuc ſpiritus animales ſupererant, ob quos meninges irritamen percipere potuerunt, à ſanguine extravaſato & jam fermentante factum: fermentationis ſignum erant ſudor univerſalis, rubor & ardor faciei. Ob eandem cauſam toto illo tempore, quo Apoplexia duravit, oculi convellebantur, cùm ad motum muſculorum oculi pauci ſpiritus in nervis oculorum motoriis ad hunc motum efficiendum ſuffecerint: imo inſtante morte ſpiritibus aliquibus adhuc cerebrum inſtructum naturæ agonizanti ſuccurſurum capitis motum inſtituit effecitque, ut axillæ paulo ante expirationem ſurſum traherentur. Arteria à caſu rupta fuiſſe videtur in baſi prope os petroſum, ubi ſutura hiantior & vas aliquod ibi lacerum videbatur, vereque *Illuſtriſſi-*

mum Dominum Infortunium Hippocr. obruit, nam in tota peripheria Cranij detractâ cuti capillatâ nihil contuſi, nihil rupti, nihil fracti occurit: forſan in occipite proceſſum mammillarem ſiniſtrum graviter alliſit, nam margarita ab aure pendula avulſa & media auricula excoriata aliquantulum fuit, nullo vitio in temporibus apparente. *Venæſectio* nihil opis tulit imo mortem acceleravit, nam aliàs magna penuria ſanguinis aderat, ut ex Anatome & rationibus *Medico Pariſienſi* demonſtratis patet; & illâ largiſſimâ *V. S.* quod ſupererat ſpirituum, male exhauſtum fuit, atque ita ſarcinâ non levatus ſed mole cerebri orba oppreſſus miſere fuit. Nec *Vomitorium* prodeſſe potuiſſet, cùm ob cerebri ſuccuſſionem vaſis laceris hæmorrhagiam iſtam auxiſſet. Præſtitiſſet *Trepanizatio*, verum nobis locus ubi ſtagnaret ſanguis ignotus erat, cùm nullibi ſedes contuſionis apparuerit, & ſubita & virium & actionum anmalium proſtratio & abolitio adfuerint, nullaque ſpes evaſionis appareret.

VIII.

Vertigo, ſomnolentia nimia, viſûs hallucinatio & loquela impedita ante caſum adſcribi poſſunt ſanguini nimis ſeroſo cerebrum nimium irriganti, nam *Badæ Marchionatus Menſ. Aug.* ſanguis *V. S.* detractus copioſum ſerum comitem habuit & denſa pelle operiebatur, ac poſt caſum ſanguis *V. S.* emiſſus nihil vere niſi aqua & mucus erat & vix tertia pars erat, quæ coagulabatur & non ſolùm pelle ſed etiam muco tegebatur fœtido. Cerebro profundius impingebatur ſerum à vomitibus violentis ultra ȝ. ſeptimanis durantibus. Poſt obitum multum ſeri circa oſtium Cranij magnum ſtagnavit & reflexo corpore ex canali ſpinalis medullæ effluebat: ſuperficies ventriculi ſiniſtri inæqualis multo muco operiebatur ac ſanguis extravaſatus valde ichoroſus fuit.

IX.

Oculus dexter ante obitum plane corrugabatur, forte ſpiritibus & ſanguine privatus ob largiſſimam hæmorrhagiam: nam hæc corrugatio vel in centeſimo non obſervatur. Paucis ante diebus *in Milvo Doneſchingæ* id obſervavi poſt largam hæmorrhagiam & diuturna tormenta: nam vivo Ventriculum exemi cum portione Inteſtini ac pluribus horis ſupervixit.

X.

Quamvis multum ſanguinis copioſo ſero diluti intra cranium contineretur, nihil tamen poſt caſum, dum vivebat, & pluribus horis poſt mortem vel ex ore vel ex narib. vel ex aurib. emanavit, quia in hac gravi capitis alliſione dura meninx ubique integra perſtitit, ac ut in ſanis alias humores intra cranium coërcuit adhuc.

XI. Spaſ-

XI.

Spaſmum *Thermæ* ſuſtulerunt, quia ſerum circa nervos hærens atque ad contractiones has ſollicitans diſcutierunt ad tempus: procul dubio tamen affectus rediiſſet hyeme, niſi aliis medicamentis cautum fuiſſet, nam nimium in maſſa ſanguinea ſerum redundavit & quidem non bonæ notæ, nam plures glandulæ induratæ comparuerunt in Meſenterio, Pancreate, renibus ſuccenturiatis, imo Renibus ipſis.

NB. NB.

Binas alias OBSERVATIONES huic fere analogas, ſed proſperioris eventûs ſubjungere, non è re fore conſtitui.

D*ominus Völter, Domûs Würtembergicæ Chirurgus præſtantiſſimus, D.* 13. *Nov. mihi Beblingæ narravit*, quondam Ruſticum ante paucos annos ex caſu ab alto in caput præcipitatum aliquandiu ſine ſenſu & motu jacuiſſe: quandoque per brevia intervalla eas actiones rediiſſe, mox tamen rurſus utramque amiſiſſe: dum illas recuperavit, poſt alterutram aurem digitis caput perfricuiſſe, unde conjecit, ibi ſanguinem extravaſatum deliteſcere, unde, quamvis nullam ſedem nihilque contuſi obſervarit, nihilominus *Trepanizationem* tentavit, perforato cranio dura meninx integra erat, at per illam tranſparuit ſanguis, itaque illam *lancettâ* perforavit, prodiit ſtatim cum impetu ſanguis & poſtea per plures dies ichor ac pus, tandem integre convaluit, atque in hunc uſque diem ſanus vivit.

J*Oh. Petrus Hänſeler, Adoleſcens* 15. *annor. Die* 21. *Octobris* 1681. *à* Vecte ligneo, organi ſpiralis, cujus beneficio frumentum aliæque res in altum ducuntur, percuſſus fuit in ſincipite dextro, ut humi proſterneretur. In loco percuſſo obſervatum fuit vulnus vix unciæ longitudine: Puer ſtatim in ſoporem incidit, manus tamen & brachia movit & excitatus loquebatur ſana. *Die* 22. *Octobr. Huſsâ prope Hüffingam* delatus fuit *Doneſchingam ad D. Chriſtophor. Simonium Chirurgum expertum*, qui protinus invenit fiſſuram à ſutura lamboidea ad Coronalem, & aliam deorſum verſus tempus deſcendentem, cujus finem inquirere nequiit: fiſſura verſus anteriora hiabat, ut facile dorſum cultri admitteret: occurrebant quoque fragmenta cranij minuta partim ſeparata, partim ei adhuc adhærentia: ſemel tantum vomuit. *Die* 23. *Octobris*, Primum in anteriore parte ſincipitis cranium *Trepano* perforavit: ex foramine prodiit ſanguis grumoſus copioſe: dormiendi neceſſitas imminue-

minuebatur, paulo poſt rurſus *Trepano* cranium perforavit, in parte magis poſtica, unde ſopor evanuit. Primis 8. dieb. appetitus erat proſtratus. Capitis dextra pars valde intumuit, ut oculos aperire nequiret: cujus gratia cum levamine *Sacculos Cephalicos* impoſuit; indies melius ſe habuit. *Die* 18. *Nov.* ipſum *cum Dom. Simonio* inviſi. Vulnus adhuc apertum erat: oſtia *Trepano* facta clauſa erant carne: prope anterius foramen, detento ſpiritu ac conſtricto naſo pus copioſum, etiam erecto capite extrudere valuit, quod, an ex oſtio, an ex fiſſurâ, prodierit? dubium erat, credibilius tamen ex fiſſurâ, quia è diverſis locis emerſit: Clare inde patuit aërem ad Cranium penetrare. Vidi etiam manifeſte meningum pulſum poſt hunc exprimendi conatum. *Die* 19. *Novembr.* vulnus plurimum puris fundit ſimulque caro fungoſa excreſcebat, cui *Alumen uſtum* inſperſit. Veſperi fragmentum oblongum ſed gracile extraxit, invenit quoque inſigne fruſtum cranij vacillans: exemto hoc fragmento *die* 20. *Novembr.* parum puris exprimere valuit etiam retento ſpiritu & naſo conſtricto: caro luxurians quoque ſubſidit. *Die* 22. *Novembr.* retento ſpiritu vix guttula puris exprimebatur: caro non amplius luxuriat. Exeunte anno perfecte ſanatus convaluit.

OBSERVATIO X.

Commotio Cerebri à Percuſſione.

ANna Rietmännin Ancilla 26. *Annor.* circiter, ſana aliâs & robuſta. *Die* 20. *Maij* 1694. Baculo percuſſa fuit ſuper Syncipite. A prima percuſſione ita perturbata fuit, ut omnium poſtea factorum ignara eſſet, nihilominus ulterius feriebatur Baculo. Poſt Percuſſionem aliquot diebus aſſumpta evomuit, ad Vomitum ſtimulabatur quoque vacuo Ventriculo: vertigine diu afficiebatur: Aures tinniebant: Viſûs nullam labem unquam patiebatur. *Chirurgus* vocatus invenit Sanguinem de Capite manantem vicinumque Thoracem madefacientem: detonſis Capillis occurrit Vulnus in cute capillata Bregmatis oblongum, quod apice Digiti tegi potuit: Stylo non potuit ad Os Cranij pertingere: Vulnus texit *Emplaſtro citrino*: Caput inunxit *Ol. Roſar. Lumbr. &c.* ſuper impoſuit *Empl. de Beton. & ſacculos Cephalicos.* In Humero ſiniſtro & Brachio à percuſſione occurrerunt ſuggilata. *Die* 21. *&* 22. deligabatur extra lectum: inter deligandum expalluit, querebatur de dolore nunc in hac nunc in alia parte Capitis, Vertigine: mordere potuit corpora dura Dentibus ſubjecta ſine doloris exacerbatione.

D. D.

D. D. Stokarus illam convenit Die tertio: poſt deligationem ſtatim reponenda fuit in lectum ob debilitatem. Hinc aliquoties in lecto deligabatur. Vulnus conſolidabatur intra dies 12. *inditis filamentis ſiccis;* illo clauſo nihil p. n. in vulnere & prope illud, nulla inflatio, nulla excreſcentia apparuit. *D.* 19. *Junij* 1694. Digiti diſtantiâ ſeu uncia una à Vulnere Tumor apparuit, cujus attactum non toleravit, quem tamen pertulit Cicatrix eique propior pars. *Chirurgus* Illam inviſit 6. Septimanas, *D. D. Stokarus* circiter duas. Toto hoc tempore conquerebatur de Dolore Capitis, Vertigine, Tinnitu Aurium, Debilitate, Vomitu, de quo Domeſtici quoque teſtimonium præbuerunt, Cardialgiâ quadam, Terrore in ſomno. *D. D. Stokarus* ſuaſit *mixturam contra Caſum, Pulveres abſorbentes & Anti-ſpaſmodicos, decoct. Traumaticum:* propter Cardialgiam *Pulverem abſtergentem*, *Balſ. Cephal. Empl. de Beton. cum Ol. deſt. Cephal. &c.* Conquerebatur diu de Æſtubus ad Caput aſcendentibus; Sugillata in Axilla & Brachio ſiniſtro dolorifica non ante *D.* 14. mitigabantur, quæ tumida & atrorubeſcentia erant. *D.* 24. *Junij* 1694. quo me convenit, *cum D. D. Stokaro & D. D. Pfiſtero*, invenimus in Bregmate ſiniſtro Tumorem prope ſagittalem ſuturam, in dextro Bregmate depreſſionem: Tumor attactum non toleravit: querebatur adhuc de dolore Capitis, Vertigine, Tinnitu Aurium, Somno inquieto & Terroris pleno: ſuaſa denuo fuit *Capillorum abraſio & Emplaſtrum de Betonica cum Ol. d. lavend. ſuccin.* Cùm ab his nullum levamen ſenſiſſet, *ſectionem* neceſſariam duximus: Hæc inſtituta fuit *D.* 6. *Jul.* 1694. *à D. D. Pfiſtero* Vulnere oblongo facto, ob debilitatem abraſo jam Pericranio, tranſverſam ſectionem non licuit. In ipſa ſectione Cutis capillata multo craſſior deprehenſa fuit: Die octavo poſt ſectionem oblongam transverſa facta fuit: ſequentibus diebus intra illam ſanguis grumoſus alicubi apparuit: Cutis quoque capillata verſus Occiput Oedematoſa evaſit. Poſt aliquot dies Symptomata aliquantulum mitiora evaſerunt, non tamen penitus ceſſarunt; Unde *D.* 21. *Jul.* 1694. *Trepanatio* inſtituta fuit: *Circa* 27. *Jul.* ex Foramine *Trepano* facta Caro pallida quaſi fungoſa pullulavit, quæ congruis remediis ſublata fuit: poſtea illud & Vulnus ſenſim occludebantur. Cicatrix diu admodum ſenſibilis manſit, nec illa nec Caput attactum tulerunt. De Vertigine non multum querebatur, Somnus minus quietus eſt. *Medio Menſis Octobris* me rurſus convenit, Vulnus occluſum eſt, Cicatrix exquiſito ſenſu prædita, Vertigo & Aurium Tinnitus remiſerunt: melius & placidius dormit; non amplius terretur in ſomno ut pridem: Appetitus melior eſt: Nullum vinum bibit: munere ſuo fungitur. Carnoſa & bene colorata eſt.

Semper ſuſpectæ ſunt Capitis Contuſiones ſecundum Celſum.

Die 20. *Novembr.* 1694. *ex Juſſu Senatûs Fori Judicialis* me convenerunt *Dominus N. N.* & *Dominus N. N.* ambo hujus Fori Aſſeſſores *cum Scriba N. N.* petieruntque ut *Ego, D. D. Stokarus, D. D. Pfiſterus* hujus Senatûs nomine bonâ Fide judicemus, qualia damna Percuſſio Capitis Ancillæ huic *à M. M.* illata ? An & quomodo *à Chirurgo* & poſtea *D. D. Stokaro*, & poſtmodum *à D. D. Pfiſtero* tractata fuerit ? Quid in poſterum timendum & ſperandum ſit ?

Reſolutio.

Caput graviter læſum & Cerebrum valde commotum à percuſſione Baculo facta in Sincipite teſtantur Symptomata; Ignorantia omnium poſt primam Percuſſionem factam, cujus rei fidem præter Percuſſæ effatum, adſtantes facere poterunt, Vertigo, Tinnitus Aurium, Vomitus tam aſſumptorum tam jejuno Stomacho, cujûs quoque conſcij erunt Domeſtici, Debilitas inter deligandum, in qua expalluit, ut poſtea in lecto deligatio peragenda fuerit, quamvis Vulnus Capitis exiguum fuerit, & ſi poſt primas deligationes Sanguis ſubſtiterit, Somni breves & interrupti diu cum Terroribus, Cardialgia quædam, Æſtus ad Caput adſcendentes. Pleraque hæc Symptomata continuarunt, licet *à Chirurgo* legitima adhibita ac multa utilia & efficacia remedia *à D. D. Stokaro* ſuaſa fuerint. *D.* 29. *Jun.* 1694. qui erat quadrageſimus dies à Percuſſione factâ, præter hæc Symptomata remanentia, tetigimus Tumorem concolorem in Bregmate ſiniſtro prope ſuturam Sagittalem attactu dolentem. Jam tunc de inciſione facienda cogitavimus, verum maluimus adhuc mitius rem aggredi, abraſisque Capillis denuo *Emplaſtrum efficax* ſuaſimus; Cùm verò & hoc nihil præſtitiſſet, ac ſolita Symptomata perſeverarent, *die* 6. *Jul.* ſeu quadrageſimo ſexto à Percuſſione die, *Dominus D. Pfiſter* Inciſionem fecit in Syncipite ſiniſtro ad Longitudinem unciarum quinque & Pericranium ab oſſe cultello ſeparavit; ob debilitatem Sectionem tranſverſam aliâs neceſſariam tentare non auſi fuimus, quæ demum diebus octo circiter elapſis peragebatur. Poſt aliquot dies ab inciſione deprehenſus fuit ſanguis grumoſus niger intra cutim incluſus: in ipſâ Sectione Cutis multo craſſior erat debito & verſus occiput œdematoſa, qualis aliâs poſt contuſiones redditur. Quum neque poſt Inciſiones Symptomata ceſſarent, *D.* 21. *Jul. Trepanatio*, ſc. 62. die poſt Percuſſionem peracta fuit. Poſt aliquot dies à peracta hac Operatione, ex Foramine pullulavit Caro pallida Fungum minitans; verum breve congruis adhibitis ſubſidit & cùm omnia Symptomata miteſcerent, Foramen clauſum & Vulnus con-

conſolidatum fuit, manente Cicatrice ſemper exquiſito ſenſu prædita. Percuſſionem non ſuſpensâ manu factam fuiſſe, indicabant ſuggillata Brachii & Axillæ ſiniſtræ tumida & atrorubentia. Percuſſam Symptomata ſimulaſſe, veroſimile plane non eſt, nam nec primam Inciſionem nec Pericranij ab oſſe aliâs valde dolorificam abraſionem cultello perficiendam, multò minus ſecundam admiſiſſet, nec forte ipſam *Trepanationem*, licèt non dolorificam at nomine terribilem conceſſiſſet.

An hæc percuſſa non ſit moleſtias perſenſura in poſterum ipſamque in lucrando Pane impeditura? certò pronunciare non poſſumus: Certum tamen eſt, graves Contuſiones Capitis plerumque moleſta ſui monumenta poſt ſe relinquere; meliora tamen ſperamus eoque magis, quia ſectioni & perforationi Cranii nihil ſiniſtri ſupervenit, quod ipſum tamen dextræ quoque curationi tribuendum eſt.

Id bonâ fide teſtamur

Scaphuſij Die XXI. Nov. MDCXCIV.

Joh. Jacobus Wepferus, M. D. Phyſic.
Alexander Stokarus, M. D.
Alexander Pfiſterus, M. & Chir. D.

OBSERVATIO XI.

Vulnus Capitis Sclopeto illatum.

DOm. *Philippus Albertus N. N.* ſtaturæ brevis, robuſtus, carnoſus Annor. 24. ſanus antidhac. *Anno* 1684. *d. Mart. poſt Pentecoſten*, à ſocio itineris, dum humi ob Colicam decumbebat, prope Sylvam quandam Sclopeti manuarij globulo trajectus fuit, ſub angulo Maxillæ inferioris dextræ paulò infra lobum Auriculæ: tranſiit ſupra Cœlum Palati, ſub radice Naſi per orbitam Oculi ſiniſtri, palpebram ſuperiorem & portionem oſſis Frontis ſupra Angulum minorem oculi ſiniſtri. Globulus ex orbitâ Oculum ſiniſtrum extruſit, ut extra Orbitam penderet, ac Corneam dilaceravit; inſuper fruſtulum oſſis Frontis ſuſtulit unciæ diſtantiâ ab Angulo minore, anteriora verſus. Vulneratus ad dimidiam horam jacuit, Vulnus Frontis ſtrophiolo obturavit, viribus utcunque reparatis ægre ad Pagum vicinum pervenit: Sanguis non ſolùm ex vulneribus emanavit, ſed etiam ex Naribus, & Ore. Sequentibus diebus Sanguinem poſt aliquem impulſum ejecit. Nunquam Pus ex Naribus & Ore emanavit, nullas convulſiones paſſus eſt; bis vel ter in Leipothymiam cecidit, dum deligabatur Manibus Pedibuſque tremuit magis ob timorem, quàm ob aliquam irritationem. Semper deglutire potuit; primùm nec maſticare nec os aperire

rire valuit. Appetiit, ſitiit, primùm bibit *Aquam cum pulvere Pyrio;* tandem Cereviſiam. Totus dexter Oculus & partes vicinæ ſugillatæ erant; Suggillatio duravit aliquot diebus. Quia Alvus quotidie aperta erat, nec æſtuabat, *purgantia & Venæſectio* intermittebantur. Primum deligabatur *à Balneatore*, poſtea per 9. dies *à Chirurgo;* tandem *Curæ Domini Johannis Adami Braunij Chirurgi Sereniſſimi & Potentiſſimi Electoris Palatini* traditus fuit. Ad tria vulnera attendit: ad ſupremum ſcilicet: ad medium, in orbita oculi ſiniſtri, ubi Oculus extra orbitam pependit, ut Muſculi cum Glandulis & Pinguedine conſpicui eſſent: ad inferius in Maxillæ dextræ Angulo. Supremum jam Pus album, craſſum, & laudabile ſed copioſum ſuppeditavit: ibi Pus cuniculum effecit ſupra Palpebram ſiniſtram, verſus Angulum majorem, quem incidit ultra unciam, ad coaleſcentiam mature tendebat, quamvis multa adhuc fragmenta & ſpicula oſſis Frontis ſupereſſent; primùm huic Vuleri indidit *Digeſtivum* cui *Oleum Hyperici multiplicis infuſionis* admiſcuit: ne intempeſtive Vulnus coaleſceret, *turundas* Vulnus dilatantes ſæpius indidit; carnem luxuriantem nunc conſumſit *Alumine uſto* ſolo, nunc *cum Lapide Calaminari, oſteocolla aliiſque* permixto vel inſperſo vel *cum filamentis ſiccis* impoſito; tandem *ſolis filamentis* aliquot oſſium fragmentis extractis tum hoc Vulnus tum ſinum conſolidavit. In curatione medij Vulneris fere ſolis *filamentis ſiccis* uſus eſt, ac operam dedit ut pomum Oculi blande in Orbitam recederet, quod præſtitit *Emplaſtro de Lythargyrio* Oculo jam filamentis operto & *pulvillis Lacte virginis imbutis* calide impoſitis: Vulnus hoc quoque Pus album craſſum ſtillavit ſed non tam copioſum: cùm oculus intra orbitam repoſitus eſſet, apparuit ſquamma craſſa, quâ amputatâ forfice Vulnus poſtea brevi coaluit. Infernum Vulnus plurimum Puris albi flavi continuo fudit, ut induſium longe lateque macularet ſuperius; aliquot fragmenta oſſium extruſit, vi apertum tenendum erat; indidit illi nunc *digeſtivum cum Oleo Hyperici*, nunc *cum pulveribus ſiccantibus;* quando ſolum *Alumen uſtum* adhibuit tegit *Emplaſtr. de Lytharg. aut. ſtictic.* diu ſuper impoſitis *pulvillis Lacte Virginis imbutis*, quod paravit *ex Lithargyr. Alum. Nitro in aceto & aqua coctis addita Camphora.* Hoc Vulnus octodecim Septimanis apertum ſervavit. Uſus quoque eſt *Gargariſmo ex Vulnerarijs parato.* Toto Morbi tempore comedere & bibere potuit.

Menſe Martij 1685. *Ipſum Heidelbergæ vidi cœtera ſanum & incolumem.*

OBSER-

OBSERVATIO XII.

Capitis Vulnus.

C*Onrad Mejer* 19. Annorum ſtaturâ oblongus: *D.* 21. *Decem.* 1672. forcipe ferreo, à Fabro Ferrario Socio ictus fuit, ut altera pars manubrij forcipis digitum parvum craſſa hæſerit ad marginem muſculi temporalis in Syncipite dextro palmi diſtantiâ à ſuturâ ſagittali, non procul ab angulo frontis. Non incidit in Leipothymiam, ipſe forcipem vulneri inhærentem extraxit: Non ultra ℥iiij. ſanguinis profudit: inſperſus fuit *pulv. ſtipticus* à ſuo magiſtro. *Chirurgus* remoto poſtero die ſanguine concreto vulnus invenit parvum vix pennam admittens: indidit *turundam brevem cum digeſtivo*, tegit *cum Emplaſtro Diapalmæ. Die* 4. Pus album cruore mixtum copioſius, quam facies externa vulneris pollicebatur, emanavit; unde conjecit vulnus ſinum habere, quem deorſum ſub muſculo temporali ultra duas uncias tendere reperiit ſtilo: ſtilum lubenter admiſit. Per 10. dies eodem modo deligavit. Poſtea invenit ſtilum non amplius tam profunde intrudi poſſe. NB. Primis quatuor diebus omnia aſſumta evomuit: Caput non valde doluit & quidem tantum circa frontem: aures non tinniebant. NB. Ante vulneris inflictionem aliâs crebro vomuit ex cibis quos Ventriculus averſabatur: ſemper naturalitèr dormire potuit. Quando vomuit, pus ex ore copioſum, ex naribus paucum ſimul excrevit: NB. ante 14. dies adhuc poſt vomitum matutinum pus ex ore egeſſit. Interea perrexit deligatione conſuetâ: quia vero ſemper pus copioſius, quàm decebat, vulnus fundebat, ulcus dilatavit *turundâ ex gentianâ*, unde ampliatum fuerat, ut digitum parvum admitteret. Stilo hactenus nullum os nudum reperiit. Tempus nunquam notabiliter intumuit: tumorem *ſacculis cephalicis* ſine labore ſedare valuit: Poſtea amplificato ſinui *indidit digeſtivum, cui tertiam partem Ægyptiac. admiſcuit*, quod egregie ſinum mundavit nullumque Symptoma excitavit. Ad labores fabriles ſine impedimento rediit. Hinc ulcus conſolidare conabatur, coaluit, ut vix ſtilum admiſerit, parumque puris effluxit. Impedito puris effluxu vel ſuppreſſo quaſi palpebra oculi dextri intumuit: Tumor autem erat concolor ſimulque parotis ſuborta eſt. Tumor & parotis evanuerunt *à ſacculis Cephalicis impoſitis;* Dum hæc fiebant, vomuit, ſed nullum pus excrevit. *A ſacculis* pus allectum denuo fuit & copioſe ex ulcere emanavit. *Menſ. Februar.* 1673. acceſſit *Chirurgus Schonovienſis;* qui ſuaſit *Cauterium potentiale ex* 🜔 🜕 *O uſt.* unde dimidium cranium dextr. valde intumuit: illo remoto mitigabatur eroſio *ab ol-*

ab ol. roſar. poſt ſe reliquit ulcus amplum. Poſtea invenit Cranium denudatum. *Chirurgus* putavit ſe intra cranium in cavum capitis penetrare, nam ultra duritiem oſſis obliquè introrſum ſtylus vergebat. Perrexit *digeſtiv. turund. & Emplaſt. Chirurgus ad* 14. *April.* 1673. quo ipſum vidi. Pus ſemper copioſe effudit, ſi ſubſtitit ſequenti die, copioſius edidit. Pus ſemper bonum. Vomuit ſingulis 8. aut 10. diebus, quem ſopivit *aquâ Menthæ cum Syrupo violarum.* Stylo exploravi ſinum, deſcendebat ultra uncias duas ſine ullo obſtaculo oblique deorſum & introrſum ac ſi ſutura ſquammoſa oſſis temporum perrupta fuiſſet, ut ſtylus introrſum tenderet. Nullam duritiem inveni: in fine attigi membranoſi quidpiam, quo attacto dolorem paſſus eſt. Preſſo muſculo temporali aut cute capillata nihilo plus puris emanavit ſeu prodiit ex ulcere. Æger non dolet Capite, aures non tinniunt, nullam vertiginem patitur, diſtincte videt, dormit, edit. Ad unciæ ſemis longitudinem cutim capillatam incidi, ut ad fiſſuram perveniatur. Indatur *Mell. roſar. cum rad. Ir. Flor. ariſtoloch. rot. ver. &c.* Tegatur *Emplaſt. Diapalm.*

Ipſum St. Blaſſii Die 18. *Septembr.* 1673. *rurſus vidi*, vulnus plane conſolidatum fuit. Ante tres circiter menſes Caput valde ſubinde doluit, quandoque adhuc vomuit. Glandula inſtar ſcrophulæ poſt aurem dolore vigente intumuit: eo ceſſante detumuit. Adhuc ſcrophula fabæ magnitudine ibi tangitur, ſub cuti mobilis. Nunc ne minimum dolorem patitur: nullus tumor tangitur. Appetit, mandere poteſt. Optime nunc habet. *Conrad Mejer nunc* 21. *Annum agens me convenit St. Blaſij* 1674. *d.* 24. *Martij* Vulnus ſupra Tempus dextrum coaluit æſtate, coalitum manſit 3. *menſib.* ſemper indolens. *Autumno* 1673. *declinante Menſe Octobris* recruduit, *Lachrymam abjetis* indidit: apertum manſit 14. *diebus:* poſtea iterum conſolidatum fuit: nullum amplius dolorem paſſus eſt. *Die.* 3. *Febr.* 1674. in Brachio ſiniſtro ab Olecrano ad humerum ſenſit formicationis ſenſum diu noctuque per biduum *Die* 5. *Febr.* noctu ter ab Humero ad cubitum ſenſit frigus ceu gelu ad cubitum; mox ſupervenit convulſio oris & Malæ ſiniſtri lateris. *Die* 6. *Febr.* idem quater noctu evenit, duravit per 3. vel 4. Pat. Noſt. Poſtea noctu diuque crebro invaluit ſæpeque per aliquot horas inducias conceſſit. Præſente motu convulſivo multum ſalivabat. Obſervavit à Frigore ſymptoma hoc auctum fuiſſe. *D.* 16. *Febr.* tam crebro invaſit, ut diu noctuque nullam quietem conceſſerit ſæpeque inter edendum impediverit, Caput quoque ad ſiniſtrum latus traxit: in muſculo maſtoideo videbatur motus aliquis tremulus ſeu ſubſultorius. Poſtea inungebatur *Oleo quodam ab Empirico conceſſo* pennâ per totum

Brachium

Brachium ſiniſtrum, Collum &c. etiam intus præbuit: Per Brachium videbantur mures decurrere ab inunctione, item caput antrorſum & retrorſum ſuccutiebatur: Convulſio oris remiſit: Convulſiones à ſcamno ſubtus fornacem ipſum præcipitarunt. Duravit hæc ſuccuſſio à ſummo Mane ad Meridiem: ſemper mente conſtitit: poſt hanc ſuccuſſionem laſſitudo ſpontanea ſupervenit. Obſervavit à labore ſe paroxyſmum declinare potuiſſe: poſt hanc ſuccuſſionem nullum amplius paroxyſmum ſenſit: ſemper tamen adhuc ſenſus frigoris & leviculæ formicationis ſupereſt, quem excutit labore fabrili ferrario. Suaſi *Pulverem rad. Valerian.* per aliquot ſeptimanas utendum. *Autumno Menſ. Octobris* referebat ſe hucuſque à paroxyſmis immunem & optime valentem fuiſſe.

OBSERVATIO XIII.

Capitis Vulnus.

JOhan. *Andreas Rhym. Textor* 55. circiter annorum ſtaturæ mediocris ab alio ſene rutabulo ſcindente 1684. *die* 9. *Aprilis* Veſperâ ſerâ poſt Pocula percuſſus fuit in fronte; Vulnus obliquum illatum fuit à medio ſupercilio ſiniſtro ad mediam frontem. Veſperi vulnus negligebatur: die ſequente *D. Zachmann Chirurgus peritus & Cubicularius Sereniſſimi Marchionis Badâ Durlaccenſ. in pago Hasfeld prope Durlachium* ipſum inviſit: Invenit vulnus penetraſſe in cavitatem frontis ſupra naſum & oculum inſculptam: vidit fornicem orbitæ oculi ſiniſtri ibique foramen pertuſum: ſtylo per Narem ſiniſtram ad palati cœlum pertigit. Sanguis per Naſum & os prodiit. Indidit primum *crepitum lupi*: poſtea ſolum modo *filamenta ſicca bene contorta*, illiſque vulnus implevit ad diem 4. uſque; cùm non omnia filamenta aliquando educerentur, vulnus mirè fœtere cœpit, unde oborta fuit ſuſpicio gangrænæ alicujus: vacillavit quoque portio oſſis verſus naſum. Itaque *Dominus Zachmann filamenta fortiter contorta filo alligata & Spir. Vin. rectificato imbuta* intruſit, inde fœtor remiſit. Progreſſu temporis obſervavit oſſa in vulneris fundo primùm vaſis ſanguiferis tenerrimis decorari, non diu poſt veluti velo quodam ſericeo obtegi; tandem cavitas implebatur carne firma, non ſpongioſa, os vacillans quoque firmabatur, ægerque bene ſe habuit. *Die* 24. *Maij* 1684. *cum Excellentiſſ. D. D. Scherpfio & Dom. Zachmanno* ipſum inviſi: Vulnus erat anguſtum: parum materiæ filamentis adhæſit: Stylo intruſo obliquè verſus Naſum uſque ad palati finem penetrare valui: tum hac vice, tum aliis vicibus obſervatum fuit pus ad fauces magis quàm ad narem ſin. penetraſſe.

netraſſe. In Naſo & faucibus nihil p. n. vidi. Nunc *turundulis ex filamentis* allinit *parum de Linim. ex melle roſar. & maſtich. D. Zachmann* putat brevi ſe vulnus conſolidaturum, cùm puri ſuperſtiti facilis exitus per fauces pateat. Non dolet, niſi aliquantulum poſt deligationem, brevi iterum ceſſat; dolor potiſſimum inſtar Hemicraniæ affligit. Quamvis plurima oſſa denudata fuerint ſc. oſſa ſuperiora orbitæ, etiam unguis, tota caverna ſupra oculos: tamen denudata operiebantur brevi: nec multum puris exſtillavit ut in Domino de N. N. attactum etiam ſemper melius pertulit, nec dolores tam diu durarunt poſt deligationem. *Anno 1685. Menſ. Maij, D. Zachmann retulit Textorem brevi in integrum reſtitutum hucuſque optime valere.*

OBSERVATIO XIV.

Capitis Vulnus Lethale

ex communicatione Excell. D. D. Brunneri.

Die 19. *Novembr.* 1683. *inviſi virum Joh. Jacob Geigerum* von Schlatt am Randen, Capite graviter vulneratum, qui ab initio belle ſe habere videbatur, delirare cœpit nocte antequam acceſſeram: Offendi hunc cum ſtertore reſpirantem, aphonum, Hemiplecticum, miſere in lecto proſtratum ceu fortiſſimâ Apoplexiâ tactum. Modo inquiſivi in vulnus, quod ruditer erat obvelatum, non niſi *ſimplici Emplaſtro* tectum, vulnus ſincipitis latus dextrum tenebat. Labia vulneris jam coaleſcere occeperunt, ut vix digiti apicem admiſiſſent: quod, dum ſpeculor, *odorem Olei Juniperi ſpirantem* percepi naribus, quod *Chirurgus* adſtans inſtillaſſe in vulnus guttatim dixerat. Cranium & ipſæ Meninges pertuſæ, medulloſam inſuper ſubſtantiam Cerebri graviter vulneratam facile videre fuit. Inde fragmentum Cranij acutum ex incuriâ relictum in vulnere protraxi; idem Clinicorum quendam pridie ante feciſſe *magno Barbitonſoris opprobrio* dixerant. Vulnus abhinc leniter mundavi, *linteaminibus ſiccis* implevi & *Emplaſt.* quod ad manus erat, obtegi & *ſacculum ex Cephalicis conflatum, vino calido maceratum* applicui. Nec quicquam haurire aut aſſumere potuit animam agere viſus. Diſceſſi, noctu quod prædixi ſatis ceſſit. Hujus Anatomen jam conceſſam negotiorum Cumulus prohibuit.

An Vulnus hoc ſimpliciter & per ſe Lethale fuerit?

Negatur. Nam I. Vulnus non ab incumbente, ſed à ſuccubuo illatum fuit, unde vires in percutiendo aliquomodo impeditæ erant, nec pleno

pleno impetu ipſum percutere valuit. II. Primis diebus belle ſe habere videbatur. III. Negligentiſſime deligatus fuit, imo ineptiſſime, nam ex Vulnere *Barbitonſor* non exemit fragmenta oſſium : *die* 5. unus ex Clinicis cum Barbitonſoris opprobio unum, & *die* 6. *D. D. Brunnerus* alterum acutum eduxit. *Nudum Emplaſtrum* impoſuit: ſivit vulnus ineptiſſime coaleſcere: cum detrimento inſtillavit *oleum juniperi*. Unde neceſſariò ſupervenit Die 6. Apoplexia funeſta. Nam aphonos factus fuit, deglutire nequiit, reſpiravit cum ſtertore, ſenſus & motum amiſit. Periculoſa capitis Vulnera læſo Cerebro ſectione & contuſione illata curata fuerunt ab artis peritis. *Ante Annum Doneſchingæ quidam vecte percuſſus. Nicolaus Sanke Scherzingæ ſecuri ad ſubſtantiam medulloſam vulneratus &c. omnes rite convaluerunt & adhuc vivunt; ſcil. adhuc* 1690. *de his vide alibi.* Vulnus ſyncipiti inflictum minus periculoſum eſt, quàm temporibus, Vertici aut Occipiti illatum.

Paulus Zacchias Quæſt. Med. legal. L. 5. *Tit.* 2. *Q.* 2. §. 23. *Cerebri Vulnus niſi ad baſin penetret non ſemper & de neceſſitate occidit. Sec. Gal. in Comm. Aph.* 18. *ſ.* 6. *Celſus. L.* 5. *C.* 26. *Fallopius de Vuln. C.* 6. *Evadunt non ſolum leviter Cerebro vulnerato, ſed etiam qui aliquam Cerebri ſubſtantiam amiſerunt. Ref. Ib. Gal. Schenk l.* 1. *de Cerebro.*

Scaphuſij die 2. *Decembris MDCLXXXIII.*

Joh. Jacobus Wepfer, M. D.

OBSERVATIO XV.

Vulnus Capitis Lethale.

VEnator quidam in Pago Sandthauſen prope Heidelbergam, Anno 1683. tempore Autumnali Sclopeti extremum manu tenens, imprudenterque ligulam pede attingens, exploſo Sclopeto ſibimet duos globulos plumbeos per Maxillam inferiorem dextram orbitamque oculi ejusdem lateris & os Syncipitis ſiniſtri prope ſuturam Lambdoideam trajecit: Oculus ſiniſter ex Orbita pellebatur. Omnes ſenſus integri manebant, cum omnium Artuum motû ad finem diei quarti uſque : tum cantare circa Veſperam cœpit. Unâ atque alterâ horâ ante Mortem ob Paralyſin quandam Linguæ verba effari nequiit, annuendo tamen ſe adſtantium acclamationes & conſolationes intelligere ſignificavit; Brachia præ dolore hinc inde jactavit, paucis momentis ante obitum convulſiones in Brachiis & Manibus ſed breves & interruptæ obſervabantur, noctu deliravit; die quinto mortuus eſt. Dum vixit ex vulneris oſtio in maxilla inferiore, ubi globuli introiverunt, continuò

copioſe

copioſe ichor exſtillavit. Poſt obitum ſublatâ olla Calvariæ in Cerebro inventus fuit ſive hiatus ſive ſinus à Syncipite ad baſin ſuper orbitâ oculi ſiniſtri conſpicuus: ad latera illius intra anfractus ſimilis Ichor detinebatur, illi, qui ex Vulneris parte inferiore exſtillavit. Deligavit illum *Dominus Dolæus Chirurgus præſtans & peritus, Frater Excell. D. D. Dolæi Archiatri Caſſelenſis, præſente Clariſſ. D. D. Steigero Med. Aulico Heidelberg. uti narravit mihi D. Dolæus Heydelbergæ die* 20. *Febr.* 1685.

OBSERVATIO XVI.

Vulnus Capitis magnum.

M*Ichael* Götz *in pago Sumpforen, prope Fürſtenberg: Annorum* 27. ſtaturæ juſtæ, carnoſus & robuſtus *die* 24. *Maij*, 1683. inter pocula poſt meridiem acinace in ſiniſtro bregmate vulneratus fuit obliquè; uno ictu excidit portionem cutis capillatæ, oſſis ſyncipitis & frontis, meningum ipſiuſque cerebri: ſtatim ex ſellâ decidit, multum Sanguinis profudit, expalluit, valdèque debilitatus fuit. *Sanguinem ſiſterunt, neſcio quo faſcino. Duo balneatores* primis quatuor diebus vulnus imperitè deligarunt, cerebrum quidem tegebant *filamentis ſiccis*, at portionem cranij à cute capillatâ pendulam reduxerunt, vulnus hoc operculo obtexerunt & *Emplaſtro quodam piceo* firmarunt, ut cum cute capillatâ & cranio uniretur: verùm inde dolores ingentes perpeſſus eſt cum continuis vigiliis. *Die* 25. *Maij*, brevibus intervallis bis Epilepſiâ correptus, oſque ſpumâ impletum fuit: à paroxyſmo liber ad mentem rediit, ſed omnium in paroxyſmo peractorum ignarus: dolores & vigiliæ continuarunt ad diem quintum ab illato vulnere. Caput ſupra modum intumuit, Sanies aquea ſubcruenta largiſſimè ex vulnere emanavit, atque etiam per faciem decurrit; brachium doluit, ſimulque ſtupore in cute cum motûs impotentia afficiebatur: oculi turbabantur. *Balneatores* hactenus ægro vinum conceſſerunt, quia vulnus immedicabile ſtatuebant. *Die* 29. *Maij. Dom. Joh. Chriſtophorus Simonius Tübingenſis, Illuſtriſſimi Domini Franciſci Caroli Comitis de Fürſtenberg Chirurgus, artis peritiſſimus* vocatus, capillos ſtatim detondit & capiti tumido *ſacculos herbis Cephalicis infarctos atque in vino rubro coctos* impoſuit; vinum protinus negavit.

Die 30. *Maij*, fruſtulum cranij adhuc à cute capillatâ & meningibus pendens amputavit, aliquot feſtucas oſſeas blandè ex vulnere ſuſtulit, vulnus *ſiccis* deligavit, unde dolor remiſit totâque ſubſequente nocte ſuaviter dormivit, ſequentibus diebus cerebro denudato

to *linteola melle roſaceo calefacto imbuta* impoſuit; totum vulnus *Empl. diapalma* texit, *ſacculis ſupra dictis in vino coctis, fortiter liquore expreſſo*, totum caput fovit, ægrum in loco tranquillo & tenebricoſo detinuit ac victum tenuem imperavit. Aliquandiu ex vulnere cerebri ſpuma quædam ſubtilis pullulavit cum filamentis quibuſdam & quaſi lacineis membraneis, & quoties deligabatur aures tinnierunt. Continuato hoc deligandi modo, non diu poſt pus laudabile apparuit, brachij dolor & impotentia auriumque tinnitus remiſerunt: è cerebro primùm emerſerunt granula quædam carnea rubicundiſſima, lente minora, quæ tandem in membranam carneam coaluerunt; cerebro hac membranâ obvelato, ſolummodo *filamenta ſicca* impoſuit ac vulnus *Empl. diapalm.* obtexit. *D. 6. Julij* 1683. *Ægrum Doneſchingæ vidi*, quorſum pedes à *Sumpforen* venit, itinere milliaris Germanici ſine moleſtiâ confecto: cerebrum totum membranâ carneâ craſsâ tectum erat, pulchrè cerebri diaſtole & ſyſtole pulſui in carpo correſpondentes conſpiciebantur: pus optimum extrudebatur, patuitque hoc motu pus aliosque humores è profundioribus partibus intra cranium ſurſum pelli oſtio ſeu caſu ſeu arte facto: in ambitu vulneris, quod adhuc amplum erat renaſcebatur cutis: Juxta ſuturam ſagittalem verticem verſus adhuc ab attactu doluit. Vidi tunc quoque fruſtum cranij exciſi, quod uncias tres longum & uncias duas latum erat, duæ ejus portiones ad os ſyncipitis & una ad frontem pertinuit: ſuturæ coronalis partes manifeſtè diſtinguebantur. Veſperi domum rediens vino ſe ingurgitavit, & poſteà non procul à pago plauſtrum fœno onuſtum & incuriâ ſervi ſubrutum non ſine ſtomacho aliis in erigendo adſtitit. *Die 7. Julij* ipſum *cum Dom. Simonio* conveni, facies rubebat, manus calebant, pulſus frequentior erat: in vulnere pars cranio vicina atrorubeſcens, in medio membrana carnea pallidior, altior & fungoſior fuit: pure quoque minùs laudabili abundavit: victu tenuiore & refrigerante deligatione ſicca & quiete vulnus clauſum fuit. *Die 9. Dec.* 1683. *Doneſchingæ à Dom. Simonio intellexi, illum optimè valere & conſueto more rurſus genio indulgere.*

OBSERVATIO XVII.

Vulnus Capitis cum Læſis Cranio, meningibus & Cerebri ſubſtantiâ.

NIcolaus Sanke, *Ruſticus Pagi Scherzingenſis prope Schembergam*, 40. Annorum, ſtaturæ mediocris, robuſtus, circa crepuſculum in *Principio Julij* 1680. ſecuri majore, quâ arbores cæduntur, in

Bregma ſiniſtrum percuſſus fuit: ferrum penetravit Cranium & meninges, vulneratâ quoque cerebri ſubſtantiâ aliquo uſque. Hoſtis poſtquam ſe errâſſe, nec inimicum eſſe, cui inſidias ſtruxit, intellexit, ipſum in domum ſuam, inſciis domeſticis detulit, poſt menſam locavit, ac tota nocte in ſuo ſanguine jacentem reliquit; repertus manè à domeſticis perterritis levicule deligabatur. Vocatus *D. Joh. Eba Chirurgus Schembergenſis* duo fragmenta oſſea extraxit ac ex præſcripto artis tractavit: primo die ſemel vomuit, poſtea non amplius: primum quoque loqui, ſed cum difficultate quadam & autorem prodere valuit, tandem ferè *per d.* 14. obmutuit, & non niſi monoſyllaba quædam affirmantia aut negantia pronunciavit, mente ſemper conſtitit: brachium dextrum paralyticum factum fuit, pes nunquam, ſurgebat è lecto & incedebat. *D.* 5. *Sept.* 1680. ſc. nonâ poſt inflictum vulnus, ipſemet me in ædibus *R. D. Michaelis Rebholzij Parochi* hujus Pagi convenit: non valdè emaciatus erat, paulo pallidior: vulnus unciâ longius erat, pulſum meningis duræ accuratè videre potui; in ejus medio patuit foramen lentis capax, inclinato capite tuſſiendo ex vulnere primò plus quam unciam puris ichoroſi cum grumulis expulit, majore vi adhibita tuſſiendo prodiit pus ſubcruentum, ſpumoſum, æquale & quaſi pultaceum ad unciam dimidiam: ſingulo manè pus hac ratione extrudere cogitur, quod ſi negligat, caput gravatur, ſtupidum & vertiginoſum fit. Vulnere indit *filamenta ſicca*, tegit *Emplaſtro palmeo*, caput contra aëris injurias *capitio pelliceo* munit: obambulat: cuivis aëri ſe credit: brachium movet & digitos omnes, quamvis pollex & indices ſtupidi ſint: inter loquendum ſubindè impegit & quaſi balbutiebat. *Menſe Martio* 1681. in agro vertigine correptus fuit, igitur paroxyſmum epilepticum prævidens in genua decubuit & citra caſum vel in faciem vel ad latera genubus incumbens, paroxyſmum brevem ſuſtinuit, ſurgens diu loqui nequiit, multum ſalivæ ex ore fluxit, ſtatimque omnibus ſenſibus valuit. *M. Mart.* 1682. in unâ nocte quinque inſultus epilepticos paſſus eſt: ab illo tempore, quoties paroxyſmum imminere prævidet, etiam nocte ſurgit, fumumque tabaci haurit, atque hâc ratione illum evitavit *ad diem* 2. *Decembr.* 1683. quo tempore illum optimè valere *D. Parochus Weledingæ dixit, dum apud Perilluſtrem Dom. Baronem de Freyberg eram.* Vulnus ultra annum apertum manſit. *Me convenit Menſ. Junij & Septembr.* 1682. vidi tunc cicatricem ſiccam, profundam, articulum indicis facilè admittentem, circa labia & in fundo pilis hirſutam: ajebat tertio vel quarto menſe rurſus madeſcere & ſua ſponte rurſus ſiccari: attactum ſine moleſtia pertulit: in fundo nec pulſum vidi, nec apice digiti percepi: Ipſe & alij referebant ipſum duriſſimos perferre labores, arando, fodiendo, metendo, fœnum ſecando;

nihil

nihil ſe ratione vulneris pati, niſi quod quandoque in ſomno terreatur, ut artus ſuccutiantur; coryzâ manante, caput dolere, illâ ceſſante, ſe undique levatum experiri. Obſervavi pollicem & indicem nondum robur priſtinum recuperaſſe, nam corpuſcula minuta ex. gr. filum contortum apprehendere nequiit, at craſſiora, ut bidentem, arctiſſimè ſtringebat manu dextrâ, ut nec robuſtior ex manibus extorſiſſet. Non raro ſe inebriavit, homo aliàs ebrioſus, ſine ullo impedimento; non ita pridem ſp. vini libram ebibit abſque damno, niſi quod laſſitudine ſequente die afficeretur, quæ tamen ſuâ ſponte deſiit.

OBSERVATIO XVIII.

Vulnus Capitis cum Cerebri ſubſtantiâ læſa.

ANdreas *Uz Breitenfeldenſis, vallis Wüttachianæ*, Juvenis 20. annorum, ſtaturâ brevis, at robuſtus *die* 14. *Auguſt.* 1672. veſperi cæſim vulneratur in ſyncipite ſiniſtro: vulnus palmâ longius à ſuturâ ſagittali ad tempus ſiniſtrum pertingens & cranium ac duram meningem penetrans erat. Cutis capillatæ labia primùm ad tres digitos hiabant; fiſſura verò Cranij propè ſuturam cultri dorſum admiſiſſet, verſus tempus deſcendens anguſtior magis evaſit vixque conſpicua. *Ad. Dom. Simonem Schmidt Illuſtriſſimi Domini Joh. Ludovici Comitis de Sulz Chirurgum Aulicum, artis peritiſſimum* delatus, manus pedeſque adhuc movit, at planè obmutuit. *Die* 15. *Aug.* totum dextrum latus paralyſi affectum animadvertit. Ex fiſſurâ cranij cerebrum propullulare cœpit & ampliùs diebus ſequentibus: ad diem octavum uſque ab inflicto vulnere, pulſabat: huic excreſcentiæ feliciter occurrit *pulvere Fabr. Hild. quo contra fungos cerebri utitur*, cujus beneficio ſupprimebatur penitus. Ad diem ſextum vomuit: ſingultiit diebus quatuordecim, totidem alvus pertinaciter occludebatur, quamvis *tres clyſteres acres* injecerit, ſæpiùs *Suppoſitoria* indiderit, ac *laxantia* propinarit. Vulnus *methodo Fabr. Hild.* diligentiſſimè tractavit. *Die* 24. *Aug.* mutus & ſurdus adhuc erat; pus è vulnere nimis aqueum profluit, itaque ad latus fiſſuræ cranium *Trepano Fabr. ab Aquap.* perforare conatus eſt: dum *Trepano* cranium commovet, ex fiſſurâ primùm plurimum Seri, poſteà aliquid puris, tandem aqua loturæ carnium ſimilis proſiliit. *Die* 26. *Aug.* loquebatur, ſed blæſorum more. *Die* 28. *Aug.* denuò compreſſo juxta fiſſuram magis patulam cranio, prodiit pus inſtar lactis album: *die* 29. *Augſt.* adhuc conquerebatur de capitis dolore ſatis vehementi: *die* 2. *Sept.* diſtinctè loquebatur. *die* 7. *Sept.* ipſum inviſi: Vul-

nus pus laudabile fudit, parum tamen aquoſius prope fiſſuram: nullum nec cerebri, nec fungi veſtigium ſupererat: pulſatio anteà admodum conſpicua, evanuit: omnibus ſenſibus valuit: ſolus ſine fulcro obambulavit per hypocauſtum: brachium dextrum adhuc paralyticum & ſtupidum erat, ita tamen, ut humerum rurſus attolere valuerit: nullibi doluit: omnes actiones naturales & vitales probè obiit: appetiit egregiè: aſſumta toleravit, alvus officium fecit; benè dormivit: & indies robuſtior evaſit. Utrique brachio & femori *Veſicatoria* cum Juvamine nuper applicuit: in dextro latere longè tardiùs & non niſi poſt 24. horas veſicas excitarunt: multò citius in ſiniſtro, *die* 17. *Oct.* 1672. *D. Chirurgus* ad me ſcripſit in loco, ubi cranium perforavit, carnem luxuriantem & pulſantem ſuccreviſſe, vulneris conſolidationem impedientem, quâ ſublatâ demum illud conſolidarit, ut brevi integram valetudinem ſperaret. Tunc temporis brachium & digitos movere potuit rurſus. *Menſe Decembr.* 1672. Patrem in areâ frumenta flagellando adjuvit, ac ſi nihil unquam ſiniſtri perpeſſus fuiſſet. *Vivit adhuc benè* 1684.

OBSERVATIO XIX.

Capitis Vulnus ad Cerebrum penetrans

B*Althaſer Brem Oſtheimenſis in principatu Oettingenſi*; Juvenis robuſtus 27. annorum, *die* 24. *Junij* 1682. *ex nundinis Nördlinganis*, non procul ab urbe ebrius ob lites in viâ obortas, bipenni in tempore dextro prope angulum minorem oculi vulneratus fuit: vulnus inflictum pertigit fere ad aurem uſque, ac deprehenſum fuit os temporum perforatum fuiſſe, ut apicem parvi digiti admiſiſſet. Vulneratus *ad pagum Groſſelfingen* dimidio milliari à loco pugnæ diſtantem, properavit ac ſanguinem ſuperſtitione quadam ſiſtere curavit indeque *ad pagum Allerheim*, prope per milliare Germanicum, pedes ivit atque ibidem in hoſpitio rurſus bibit. *Die* 25. *Junij*, Mane in ædibus Domini ſui vulnus frigidâ eluere voluit; monitus à lotione deſtitit; interea vulnus parvi pendens vix perſuaderi potuit, ut *Chirurgi ope* uſus fuiſſet: tandem adiit *Balneatorem*, qui vulnus *ſimplici Emplaſtro* operiit. Jactabat ſe graviora vulnera dum per ſex annos militiam ſequebatur, ſine damno perpeſſum fuiſſe, nec tantillum ſibi obfuturum. *Die* 26. *Junij*, conquerebatur de dolore Cervicis, dorſi & lumborum; quamprimum partes iſtæ leviculè linteo fricabantur, ajebat ſe melius habere. *Die* 27. *Junij Oſthemium* adiit ac paternas ædes repetiit. *Die* 28. *Junij*, Magis

deli-

delirabat ac ſitus corporis abſurdos ſuſcepit, ſine convulſionibus; quamprimum enim ſpina levicule rurſus perfricabatur, quietus jacuit beneque compoſitis artubus. Nunquam vomuit: nemo adſtantium mortem timuit, cùm ſemper vegetus admodum appareret. Quotidie vulnus *à peritiore Balneatore* deligabatur: Vulnus nullum pus hucuſque fudit. *Die* 29. *Junij* mane tribus horis placidiſſime dormire videbatur, verùm his elapſis non amplius evigilavit & reſpirare deſiit.

Die 30. *Jun. Exc. D. D. Amadeus Megerlin Sereniſſimi Principis ac Domini Alberti, Principis Oettingenſis Archiater cum Chirurgo Caput aperuit:* dum Olla Cranij aufferebatur, multum cruoris nigri, fœtidi & fluidi in dextro latere emanavit: illâ ablatâ deprehenſum fuit cuſpidem Bipennis per meninges in ſubſtantiam Cerebri penetraſſe: meninges erant mucoſæ & ſubſtantia Cerebri circa vulnus flaccida & fuſca: neque in Ventriculis neque in occipite grumos ſanguineos aut alium humorem peregrinum invenerunt, quamvis præcipue de dolore Cervicis ad Lumbos uſque diffuſo vivus adhuc conqueſtus fuiſſet. Poſt obitum Caput, Truncus, Scrotum & Artus valde intumuerunt.

Ex Communicatione Excell. DD. Megerlini Oettingæ Die 1. Jul. 1682.

Scholia.

I.

GRaviſſimo huic vulneri per os temporis, meninges in ſubſtantiam Cerebri penetranti nulli Capitis dolores, nullæ convulſiones & diu nullus ſopor ſupervenit, quamvis intra Cranium cruor cum ichore putrido jamque fœtente fluctuaret, quia per vulnus ichori aliquis exitus patuit. Ob eandem cauſam pedes aliquot milliaria Germanica confecit, vulnus ſprevit atque neglexit, cùm in reliquo Cerebro ſufficientes ſpiritus animales conficerentur, liberque aditus in nervos pateret.

II.

Delirare cœpit jam die tertio, quia non ſolùm cruor, ſed etiam ſubſtantia Cerebri cum Meningibus corrumpi inceperunt: die quinto incrementa ſûmſit Delirium, quod ex abſurdo ſitu patuit & falſa perſuaſione dolorem Cervicis, Dorſi & Lumborum ſolâ frictione, etiam blandiſſimâ, demulceri & evaneſcere; quamvis forte negari non debeat illum vere doluiſſe, ichore tenuiore per oſtium ſacrum in fiſtulam medullæ ſpinali dicatam illabente, qui, ceu humor peregrinus, moleſtiam peperit etiam quantitate paucus: nihil enim cruoris in Occipite repertum fuit.

III. So-

III.

Sopor profundus die ſexto ſupervenit, quia portiones tenuiores ichoris corrupti per laceram Cerebri ſubſtantiam ſe profundius & uſque ad medullam intimiorem immerſerunt, ſubſequente horâ tertiâ finitâ Appoplexiâ & Morte.

IV.

Forte ſervari potuiſſet, ſi cruori liberalior exitus paratus & vulnus curioſius deligatum *à Chirurgo perito* fuiſſet: *ſic Romæ* 1646. *Menſ. Dec. vidi ab Excell. D. Nicolao Larche Lotharingo os temporis fractum Terebrâ perforatum ſanguinique effluvium conciliatum fuiſſe: cavebatur ſtudiosè, ne aër frigidus ad Cerebrum penetraret, ac linteolum ſericeum intrudebatur ſiccum aliudque pauxillo melle roſaceo illitum, tegebaturque Emplaſtro de betonica, ſimulque imperabatur victûs ratio tenuiſſima: quibus diligenter obſervatis Æger convaluit.*

V.

Poſt obitum collum, truncus, artus & ſcrotum admodum intumuerunt, ut in ſuffocatis & ſtrangulatis fieri ſolet, ſanguine copioſo in vaſis fermentante ac in ſpatia ſubcutanea muſculorum aliaque partium mollium effuſo.

OBSERVATIO XX.

Cranij in Syncipite ſinus & cuniculi p. naturales.

Vir *quidam* 40. *annorum* 1689. *menſe Novembr.* verticem vehementer ad trabem alliſit, unde per dies 14. ibi dolorem percepit, poſtea remiſit. *Anno* 1690. menſe eodem ſc. circa tempus alliſionis doluit eo ipſo in loco, duravit *ad Feſtum Nativit. S. N.* nunc tumor obortus eſt latitudine palmæ; à vertice ſecundum longitudinem ſe extendit ad oculum ſiniſtrum, occupat capitis latus ſiniſtrum à vertice uſque ad oculum: attactu apparebat tumor plenus pure aut ſanguine; ſed corroſivo aperto tumore nihil horum effluxit: invenit ſinum aliquot unciarum & ab oculo ſiniſtro dimidiæ ſpithamæ longitudine cum ſtylo ſine ullo dolore: ductus non tendunt rectà introrſum, ſed oblique. Tumor in quibuſdam locis eſt durus, alibi mollis, videturque cranium tribus in locis hiare: *Dom. Maximilianus Haizelmann Chirurgus St. Blaſian.* putat ſub cute meros ſinus eſſe. Æger de nullo dolore queritur, at timet tumorem ad ſiniſtrum oculum deſcenſurum, & putat ſe jam percipere, quod tumor illuc vergat, nam nebula

nebula oculis obverſabatur; verùm *ab Emplaſtro emolliente* tumoris causâ impoſito nebula evanuit, unde de nullâ re amplius queritur. *Die* 24. *Febr.* 1691. *quærit Chirurgus, quid porrò agendum ſit?*

Reſponſio.

SI hiatus in cranio tribus in locis hiet, miror in ſinubus & cuniculis ſub cute aperto tumore nihil ichoris effluxiſſe, licet nullum pus nullusque ſanguis prodiiſſet, certè ob cranium denudatum ichor aliquis emanare debuiſſet: quoniam nebula oculis obverſata eſt, innuit neceſſariò humorem latuiſſe. Quia doloris omnis expers eſt, externam cranij laminam fiſſam credo, eoque magis quia alia ſymptomata abſunt; licet viſum recuperarit, verendum tamen illum non tutum à recidivâ fore. Ubi cranium aſperum eſt, niſi ſit ſutura, illud radendum foret, & ut ad illud perveniatur, neceſſaria eſſet ſectio, factâ hàc ſecundum longitudinem vulnus apertum ſervandum *filamentis ſiccis*, os radendum, donec ſanguis exſudet. Cranio nihil pinguis imponat, ſed ſolum *filamenta ſicca*, donec cute tegatur aut carne, tum vulnus *Emplaſtro Diapalm. aut de Betonica claudendum.*

Dom. Maximilian. à vertice ad frontem tribus vicibus, cutim capillatam incidit, in frontis parte ſiniſtra invenit pus coctum, quod ex vulnere poſtea prodiit cum ichoroſo tandem: os carioſum nullum adhuc invenit; ceſſantibus doloribus & tumore curationem ulteriorem ſubterfugit, nihilque de illo amplius audivit *ad* 30. *April.* 1691.

OBSERVATIO XXI.

Cerebrum Monſtroſum cum Occipitis Tumore.

ANno 1669. *die* 17. *Decembr.* dum *Bernovij ad Rhenum prope Waldshutam* eram *apud Nobiliſſ. Dominum de Roll*, Veſperi ad me delata fuit puella recens nata *ſc.* 11. *Decembr. Filiola Maria nomine Johannis Kalten Sartoris* pauperculi è *Pago* Leibſtetten, qui *ad Nobilliſſ. Dnum.* ſpectat. Infanti iſti ex Occipite pendebat Tumor tranſverſim palmo longior, latior dimidio palmo & fere ejuſdem craſſitiei; mollis, jam atrorubeſcens: in recentiſſime nato & aliquandiu poſt rubicundus erat: tegebatur cute capillatâ ultra dimidiam partem; reliqua pars membranâ tenui: Attactù mollis fuit. In partû maximam moleſtiam peperit Tumor iſte Matri primiparæ: nam, ut *Obſtetrix* narravit primum prodiit; quo autem facilius pareret, illa digitis Tumorem preſſit inque latera torſit, ac quantum valuit, extra ſinum pudoris foràs illum proJicuit, ſubſequente mox Capite & reliquo corpuſculo: qui durior at-

 tactus

tactus forte cauſa fuit, quamobrem Tumor ſanguine magis ſuffuſus fuerit. Secundinam demum poſt horam edidit. Quam primum Infans in lucem prodiit, convellebatur aliquandiu: Poſtmodum vagiit aliquantulum, ſed non ſonora voce; Id quod poſtea iterum ſubinde fiebat. Sugere non potuit, at digito in oſculum intruſo juxta digitum lac inſtillabat Mater, quod deglutiebat: Pultem ſubinde quoque indebant, ſed illam deglutiiſſe non animadvertebant. Vitam *ab* 11. *Dec.* 1669. *ad* 17. *Dec.* ita toleravit, noctu ante 12. horam mortua eſt. Quidam abſciſſionem Tumoris ſuadebant; & ut ego id facerem, petebant, verùm quum Baſis lata Tumorque ſanguine plenus & diſtentus eſſet, nunquam id licuiſſe dicebam, multò minus nunc, cùm Tumoris ſuperficies jam Sphacelo affecta nigreſceret ac cadaveroſum fœtorem ſpiraret.

Denudato Cranio & ablatâ cutè capillatâ ad Tumorem uſque, obſervavi tumorem hunc oſſi Lambdoideo undique adhæreſcere, ac è foramine ibi facto aliquid ex Capitis cavo in Tumorem abire: itaque in ſuperna Tumoris parte cutim capillatam illum obvolventem ſenſim ſeparavi, cum aliâ membranâ Tumorem obtegente, mox occurrit maxime in ſiniſtrâ parte ſubſtantia Cerebri in gyros & ſpiras voluta, adeo ut facile intellexerim membranam Tumoris interioris duram matrem exiſtere, ſpiræ & gyri iſti Cerebri tegebantur piâ matre, Vaſis & ramulis ſanguiferis decorati: Idem quoque in dextra Tumoris parte conſpicui erant, ſed minori quantitate, portione ſeu mole: in dextrâ autem parte ſinus ampliores erant, ut & in medio ſupernæ partis Tumoris ſanguine pleni, nucem Juglandem admittens: in quorum ſinuum uno in dextra parte inveni glandulam Pineali ſimilem multis fibris uni ex amplioribus ſinubus adhærenti. In dextra Tumoris parte interior dura membrana robuſtior erat quoque multis fibris nervoſis internam ejus ſuperficiem perreptantibus, ac ſi majore vi ſanguinem & retineret & propellere deberet, inſtar Aneuriſmatis.

Perluſtrato ita Tumore, illum abſcidi: in oſſe Lambdoideo foramen magis anguloſum quàm exacte rotundum inveni, quod quadrante thaleri vix tegi potuiſſet. Cerebri ſubſtantia intra Tumorem contenta, mole fere ovum gallinaceum æquabat: Cœtera contenta erant ſanguis & illa Glandula. Subſtantiæ cerebralis portio quædam erat teres, oblonga, craſſitie & longitudine parvi digiti: ut primum inteſtinulum putarim; hæc maximam partem in dextrâ Tumoris parte hærebat. Conſiſtentia plane erat ſimilis Cerebro. Ex foramine oſſis Lambdoidei emanavit aqua flava & quoque ſubcruenta. Occiput depreſſum erat, & primum nullum Cerebellum intus latitare ſuſpicabar, ac Cerebellum dixiſſem ſubſtantiam medulloſam in Tumore reconditam, niſi gyri aliud ſuaſiſſent, qui inſignes & majores quam in adultis videntur.

His

His perluſtratis Cranium penitus abſtuli: omnia intus plena Cerebro erant, ut aliàs videtur: aderat corpus Falciforme, ſinus tertius & ſinus laterales conſpiciebantur: Cerebrum legitime dividebatur ad corpus uſque calloſum: dextra Cerebri pars integra erat cum ſuo Ventriculo. Siniſtra quoque integra ad partem poſticam uſque. A parte ejus poſtica emergebat ſubſtantia illa medulloſa, quæ in Tumore abſcondita erat ac cum illâ continua fuit: Ventriculus ſiniſter erat ampliſſimus, cujus pars cum Cerebri ſubſtantia in Tumorem pergebat. Madebat adhuc ſero ſubflavo & adſperſa erat ejus ſuperficies cruore, quo abſterſo, conſpicua erant Vaſa Capillaria. Plexum Choroideum non vidi in his Ventriculis: in Tumore autem membranam vaſis conſperſam reperij, quam prima vice Corpus falciforme putavi, cui quoque glandula illa Tumoris adhæſit. Inclinato Cerebro vidi paria Nervorum, imprimis autem par vagum inſigne, nec in cœteris Nervis defectus erat: Occurrit quoque cum Infundibulo Glandula Pituitaria inſignis pallide rubeſcens; Item Arteriæ Baſin perreptantes. Remoto Cerebro Cerebellum in dextro latere integrum vidi cum ſuis lamellis: in ſiniſtro latere valde compreſſum & cum Subſtantia Cerebri per foramen elabente confuſum, adeo ut lamellas diſcernere nequierim. Medulla ſpinalis aderat. Sinum quartum non rite formatum videre potui. In imò Ventre Ventriculus erat contractus. Ileon flavum ut & Rectum, ambo flatibus diſtenta: Colon gracile plane contractum. Hepar, Renes, Lien rite ſe habebant. Uterus fere Avellanæ magnæ ſubruber: Teſticuli reſpective magni rubri. Cuticula in artubus abſcedebat. Totum dorſum lividum erat ut in Apoplecticis. Artus atrorubeſcentes. Fœtebat. Pridie ante obitum Balneo immergebant Infantem. Dum Mater utero gerebat, ſana erat, ſed Ventrem valde tumidum habebat, ut gemelliparam fore dicerent. Nec Lochia immoderata erant, nec aqua abundavit. Infans ſatis carnoſus erat, licet nihil, dum lucem vidit, comederit & parciſſime biberit. A partu ſtatim Matri Lac defecit; forte ex mœrore. Dum ſecui aderat *R. Dom. Joh. Walther Bodmiger Lucernas Capellanus. Vid. Smetij Miſcell. p.* 579. *Simile huic Monſtrum Proſtenſe apud Thom. Barthol Hiſt. Anat. Cent. I. Hiſt.* 55. *p.* 94. *&* 55. *p.* 95. *Cent.* 2. *Hiſt.* 44. *p.* 240. *In Hetru ria Ruſtico in Occipite burſa carnoſa capax enata. Cent.* 3. *Hiſt.* 7. *p.* 10. *Puellus ſine Cranio, Caput inverſum ſine Collo: Oculi in poſtica parte. Infra oculos cruenta carnis portio ſanguinem ſtillans. Cent.* 4. *Hiſt.* 83. *p.* 402. *Uni ex Trimellis Occipiti carnea maſſa mitræ inſtar inſternebatur. Cent.* 6. *Hiſtor.* 49. *Monſtri Tricipitis Vatidici ſiniſtro Occipiti adnata erat maſſa carnea rotunda & dura. Monſtrum Stettinenſe Schenck. p* 15. *Fabritius Hildanus Scretæ p.* 512. *c.* 6. *obſ.* 17. 18. *Vide Horſt. Conſil. & Epiſt L.* 1. §. 6. *p.* 418.

 OBSER-

OBSERVATIO XXII.

Cerebrum Monſtroſum.

Ab Excellentiſſimo D. D. Joh, Caſparo Härlino Archiatro & Conſiliario Würtembergico Stuttgardiâ. D. 13. Sept. 1682. Hiſtoria communicata & miſſa.

OBſervatio cùm haud ita pridem rara mihi obvenerit, ejuſdem Te, *vir Excellentiſſime*, utpote rariorum avidiſſimum participem quoque reddere volui. *Ruſtica* 24. *Annorum Alexandri* Pfeilers *uxor* in Pago *Stetten* habitantis, boni habitus, naturaque ſana, ſecunda vice gravida. *Nundinas Schorndorffenſes ante* 13. *Septimanas viſitans*, *Mendicorum monſtroſorum agmen*, prope portas, more peſſimo, *congregatum obſervavit*, quorum unus ob monſtroſam præ reliquis ſtaturam maximum ipſi quum incuſſiſſet terrorem, averſis oculis, comitibus indicavit, mali quid ipſi contigerit, addens quàm maxime metuere, ut labem contrahat Embryo. Domum redux bene ſe habuit ut antea, per 14. dies, poſtea verò dolorem gravativum inſimulque urentem in dextro Lumbo uſque ad Dorſum ſeſe extendentem, ſenſit, valde moleſtum, adeo ut ſæpius incedere præ illo non potuerit. Dolor hic in dies increſcens maximus fuit inſtante partu. Motum Embryonis debitum in principio ſatiſque validum, poſtea imbecilliorem tandemque in ultimis diebus prope nullum obſervavit Mater.

Die 31. *Auguſti* 1682. Mane circa Trigeſimam à conceptione ſeptimanam, præmiſſa non ſine difficultate magna, Aquâ copioſiſſimâ, enixa eſt Filiolum mortuum non minus interne quàm externè maxime monſtroſum. Partum inſecutæ ſunt Secundinæ, at maximam partem corruptæ, ſubputridæ ac nigricantes.

Die 1. *Septembr.* 1682. *Præſentibus Rev. Domino Weiſmanno Speciali ſeu Super Intendente in Waiblingen*, *Parocho & Prætore loci*, *inſpectione juſſu Sereniſſimæ Noſtræ*, cujus Pagus eſt, ſuſcepta, ſequentia obſervavi. Habitus Corporis, Brachia atque Pedes ætati erant convenientes ac naturales, in quibus nihil, vel ratione formæ vel ratione coloris deſiderari potuiſſet. Caput autem quàm maximè fuit deforme, facieſque licet Os, Labia, genæ, Naſus, Oculi atque Aures debitè formatæ, aſpectu tamen monſtroſa apparuerunt ob Colli defectum, Mentique cum Pectore immediatam concretionem. Deformitatem auxit Os frontis, quod vix digiti latitudinem altitudine æquans, Cute, uſque ad Aures nonnihil capillata ſicque ſemicirculum formante, obducebatur.

ducebatur. Extrema cutis hujus capillatæ excipiebat Membrana craſſa duraque, Cerebrum in ſe continens, quod ſuperius quatuor digitos latum verſus inferiora ita accuminabatur, ut pennam majorem denſitate non ſuperarit, prope extremitatem Cerebrum deprehendi bifidum, inque duos ramos diſtinctum, quorum alter Vertebris dorſi, nullas enim Colli inveni, ſe inſinuans, ſpinalem Medullam conſtituit: alter verò facto à Naturâ foramine per vertebras, uſque ad Pectus penetrante in ejuſdem latere ſiniſtro ſuper Pulmonem in Nucis Juglandis mediocris magnitudinem excrevit, ejuſdem plane formæ & conſiſtentiæ cum Cerebro exterius animadverſo. Cerebellum nullum adfuit, veluti nec Cranium nec Occiput.

Miſſo Capite, Medium Infimumque Ventrem aperturus, inciſione per univerſum corpus cruciatim factâ deprehendi quaquaverſum ſub cute latitantes glandulas (quarum majores ad lentis majoris magnitudinem adſcendebant) prope mentum ac Pectus præſertim copioſiſſimas atque ad denſitatem Pollicis cumulatas.

Diſſecta Cute & Peritonæo, inveni Hepar, coloris atque conſiſtentiæ quidem naturalis at Stupendæ magnitudinis, per totius Abdominis circumferentiam ac ubique ad extremitatem hujus ſeſe extendens, ſicque Ventriculum atque Inteſtina penitus occultans, ut nec veſtigia horum apparuerint. Veſicula fellea longitudine ac latitudine nucleo Dactyli haud diſſimilis, Bile ſubviridi plena extitit.

Remoto Hepate mediante membranâ etiam Coſtis ſpuriis ſyniſtri lateris annexo Ventriculus, Pancreas, Renes, Veſica atque Inteſtina debitè formata apparuerunt, excepto Inteſtino Ileo, quod ſummo cum ſtupore in Pectoris Cavo ejuſque latere dextro, peculiari membrana incluſum deprehendi, cohærens cum reliquis Inteſtinis mediante peculiari foramine per Diaphragma infra Oeſophagi exitum facto, ita ut trahi retrahique potuerint Inteſtina Verſus medium infimumque Ventrem.

Reſerato pectore Serum flavum copioſe primum effluxit, Sternoque remoto miranda ac inaudita partium dislocatio apparuit, in latere putà dextro Inteſtinum Ileum, membranâ incluſum peculiari, in ſiniſtro Cerebri pars, in medio vero Cor optime formatum, Pericardio, ſero flavo abundanti cinctum. Pulmonis Lobus dexter admodum parvus in medio Pectoris; Siniſter verò major ac naturalis, infra Cerebri portionem recubuit, optimi uterque coloris. Hæc ſunt, quæ per temporis anguſtiam obſervare licuit. Maluiſſem ſanè unum alterumve diem cum rariſſimo hoc Naturæ monſtro, quàm ſaltem horulam conſumere &c. *Vale.*

 OBSER-

OBSERVATIO XXIII.

Occipitis Tumor.

JOh. Ulrici Hagen uxor in Pago Felben prope Frawenfeldam in Turgovia d. 15. Decembr. 1687. primipara enixa eſt Fœtum geſtantem in Cervice Tumorem pomi mediocris magnitudine. *D.* 17. *Decembr.* Infans delatus fuit *ad Dominum Caſparum Myllerum Chirurgum Peritum Frawenfeldam:* vidit tumorem pendulum ſimilem fruſto Inteſtini aut Ventriculi emergentis ex Abdomine Jumenti Vulnere ibi poſt mactationem facto, exornatum vaſis ſanguiferis, attactum mollem & ſemivacuum, quando ejulavit aut quando Nares compreſſit *Dominus Myller*, inflabatur: Baſis eſt craſſior pollice. Cauſam imputant parentes aliique domeſtici Matris gravidæ imaginationi: nam ſedecim ſeptimanis ante partum venit caſu in Aream parentum ubi duæ vaccæ ob tormenta, quæ Darmwinde ſeu dolores à flatibus vocant, mactatæ jacebant, ex quarum Abdominis Vulnere proruperunt Ventriculi, quibus ab inſcia harum rerum conſpectis valde perterrita fuit, ac manum Cervici admovit ac illam unguibus perfricuit: aliûs occaſionis, quæ anſam huic Tumori dare potuerit, Mater non recordatur.

D. 8. *Januarij* 1688. Puellam hanc *cum Domino Caſparo Myllero* vidi *in Felben:* Tumor erat Ovo anſerino major, rotundus aliquantulum compreſſus, rugoſus obſcure rubeſcens; pendebat ab oſſe medio Lambdoideo, pertingens fere ad Nucham; Baſis amplior quadrante dahleri: in latere ejus dextro & in ſiniſtro tetigi aliquid concreti, ſed quod molle erat, ac ſi duæ portiones Cerebri eſſent: videbatur in Baſi eſſe foramen intra Cranium pervium, quod tamen fortiore attrectatione explorare nolui, nam inter explorandum videtur minus reſpirare. Comedit ſuam pulticulam & ſugit: vagiit in cunabulum repoſita ſed ſubmiſsâ voce: dormit: quieta eſt: alvum rite ſolvit & mingit: detractis faſcijs manus & pedes ac Caput movet, quam ob Cauſam in hoc Tumore Cerebellum deliteſcere non credidi, ſed duas portiones Cerebri *ut in Infante Berovienſi.*

D. 14. *Aug.* 1688. *Dominus Caſpar Myller* narravit Infantem hunc ejulare non poſſe: nunc Tumorem æquare prope duos pugnos & majorem apparere Lunâ plenâ quam vacuâ: comedere & bibere.

D. 18. *Januarij* 1689. Totus habitus incrementa ſumit, Caput tamen magis reſpectu reliqui corporis: à Tumore ad Frontem Cranium hiat, ut duobus digitis tranſverſis diſtent à ſe oſſa Cranij in ſutura ſcilicet Sagittali, cutis ibi mollis & flaccida, prout etiam Tumoris eſt.

Infans

Infans pertinaciter oculos ſurſum ſublatos tenet: Continuò ſalivat: non creditur audire: ad nullam rem attendit ſive illam alloquantur ſive aliud coram ea agatur, quo excitaretur.

Joh. Ulrici Haaken in Felben filia Dorothea 2. annor. & unius Menſis à Tumore Occipitis à primis unguiculis connato adhuc ſuperſtes eſt. *Die* 19. *Januarij* 1690. Illam denuo vidi. Eſt carnoſa & bene colorata: ob tuſſim jam ab aliquot ſeptimanis emaciatur. Tumor in occipite per tranſverſum longus eſt ſcilicet à latere dextro ad ſiniſtrum palmæ unius ac dimidiæ, ab Occipite ad Nucham palmæ unius, craſſus etiam palmæ unius: ſuperne in medio inſtar Natium aliquo uſque eſt diviſus: Baſis eſt ampla; filum circum ductum & poſtea extenſum ſuperavit palmam cum dimidia: eſt concolor, mobilis, mollis: dum manu illum traxi, quaquaverſum movi, preſſi etiam ac color Faciei inde non mutabatur. Patitur Capillos in cincinnos plecti: ſi fortiuſcule tractatur, nulla præbet doloris indicia: Baſis adhæret Oſſi occipitis in parte inferiore, non tamen commercium habere videtur cum oſtio Calvariæ in occipite, ex quo medulla prodit, quamvis intra muſculos Cervicis Caput erectum tenentes portio Baſis tangatur. Maximam partem decumbit: extra lectum, ſi edormierit, ſtat & Zonâ coriaceâ cincta ſupra ſcamnum ab uno latere ad alterum ſe movet; brachiis utitur, manibus panem aliaque apprehendit, ſatis firmè tenet, ori admovet, ſi ſapiunt. In lecto oculi ſubinde pervertuntur ipſi, ut ſolum album videatur, & Brachia torquentur; mente ægrotare confirmant, quia nulliûs rei curam gerere ſolet, ad nullam rem prope attendit, quandoque Aviæ & Matris etiam felis domeſticæ actiones reſpicere videtur: conatur loqui voce inconditâ atque inarticulatâ: quando famelica eſt, hanc vocem edit citra tamen ejulatûs aut lachrymarum profuſionem, quæ quoque auditur, ſi aliquid ipſi moleſtum eſt: Videt & quandoque non audire putarunt, quia incuria erat, nunc certis indiciis audire campanarum ſonitum obſervarunt: in lecto decubitus eſt humilis: reſpirat facile. Feſſa Caput ad alterutrum latus inclinat, aliàs erectum tenet. Niſi alligetur, aut firmiter teneretur, facile prona caderet. Mater ipſam lactavit ultra annum cum dimidio: nunc veſcitur pulticulis avenaceis potiſſimum, quandoque de rapis coctis; in Autumno præterito unum alterumve acinum Uvæ deguſtavit: alios cibos intruſos exſpuit, etiam lac acidum, poma, pyra, ceraſa, carnes: famelica rodit panem: pluribus diebus non bibit, aquam cochleatim infuſam explodit. Fœces alvinas & urinam in lectum emittit, munditiei plane incuria. Inciſores, Caninos & utrinque duos molares dentes habet. Manicâ pelliceâ in facie hodie titillata, ſubriſit.

Anno 1693. *die* 29. *Maij* ſextum ætatis ſuæ annum agens, mane circa horam 9, quum antea ſana videbatur, vehementibus motibus convulſivis

vulſivis corripiebatur toto corpore, excepto pede ſiniſtro, qui paralyticus ac inſtar gelu frigidus immobilis erat, reliqui artus per 4. horas mire motibus convulſivis torquebantur, ac his remittentibus circa tertiam Veſpertinam placidâ morte miſeram ſuam vitam finiit. Ante ſex menſes ſimiles motus convulſivos ſed non tam diu durantes experta eſt, ab hoc tempore pedem ſiniſtrum Paralyticorum more trahere obſervarunt: dum vixerat noctu inter dormiendum convulſiones in ipſa animadverterunt Parentes. Quandoque etiam totas noctes inſomnes tranſegit, tunc plerunque ſtentoreis ſuis clamoribus dimidium pene Pagum magnâ Vicinorum moleſtiâ implevit ac ſimul magnâ vehementiâ Caput quaquaverſum ab uno latere ad alterum jectigavit, interdum etiam naſum alerutrâ manu traxit, ac ſi hunc ex Capite evellere voluerit: nunquam illachrymabatur, etiamſi ex mensâ aut ſcamno humi præcipitabatur aut flagris cædebatur, nec unquam ullum alicujus inde percepti doloris ſignum præbuit. Ex quo ablactabatur, nihil liquidi ſive vinum ſive aquam, aut Lac aut Juſcula ulla aſſumſit, cochleari talia ori indita exſpuebat illicò: ſolummodo pultibus avenaceis, hordeaceis, pomis ac pyris in fornace arefactis & elixis veſcebatur, cœteros omnes averſabatur cibos etiam olera, fructus recentes ſive crudos ſive coctos, niſi ſumme famelica panem rodebat & comedebat. Ab morbis Epidemice graſſantibus non immunis erat, ante annum Dyſenteriam & præterita Hyeme febrim catarrhalem ſuſtinuit.

Dominus Caſparus Myller, Chirurgus Frauenfeldæ præſtantiſſimus, Veſperi Tumorem longe majorem abſcindebat, effluxit aqua clara ſubflava, repoſito autem Tumore per noctem nihil amplius ex hoc effluxit. Mane cutim capillatam removebat: ibi ubi Tumor adnatus erat, Oſtium in oſſe Lambdoideo invenit Bazij vel aſſis duplicis magnitud. exacte rotundum ac ſi tornatum eſſet, oppletum carne tenaciſſima, hæc foris Cranio intimius adhæſit ac arctiſſime cum durâ Meninge uniebatur, foramen ſtylum pennæ anſerinæ craſſitie admittens in medio carnis hujus reperit, ſtylum ſine ullo obſtaculo ad Frontem uſque adigere potuit; quàm amplum hoc oſtium erat, ibi Cranium exoſſe exſtitit. Cranio circumcirca Serrâ diſſecto, & ablato, Cerebro omnia impleta erant: anfractus integri conſpiciebantur, licet Ventriculi imprimis laterales valde diſtenti erant, qui aquam inſtar loturæ carnium continuerunt ac hujus ultra libram j. emanavit.

Die 31. *Maji* 1693. Tumorem abſciſſum, Cerebrum, cum Cerebello ac portione Meningum ulterius examinanda *Frauenfeldâ* mihi miſit.

Tumor in ambitu Capillis nigris præditus in medio calvus. Cutis erat calloſa tenaciſſima, cum panniculo carnoſo aliiſque membranis in unum quaſi compactis, alicubi fere parvi digiti craſſitie. Intus tres

majores

majores habuit cavitates, una ampla nucis juglandis capax, aliæ minores, foris verſus Cranium patulæ, intus læves, albæ: duæ minores etiam patulæ intus læves albæ: inter ſinus hoſce mediæ erant fibræ craſſæ, tenaciſſimæ & duræ. Ex uno ſinu in alterum nullum tranſitum inveni. Intra Tumorem hinc inde aliæ cavernulæ erant, ſed minores clauſæ non patentes verſus Cranium, ſimiles intus prioribus. Tota ſtrues Tumoris corpus ex fibris illiſque tenacibus intertextum erat.

Corpus Falciforme pro ætatis ratione craſſum, tenax, magnum, ſimiles etiam ſinus laterales & reliquiæ duræ Matris. Cerebri moles vaſtiſſima erat, ipſius conſiſtentia firma, anfractuoſa: Ventriculi laterales ampliſſimi imprimis dexter. In ſuperficie vaſa ſanguifera plura conſpicua. Plexus Choroideus craſſus, vaſis diſtentus: in ſiniſtro ventriculo adhæſit corpus phaſeoli magnitudine atro rubeſcens fere ex vaſis & fibris contextum. Glandula pinealis rubra, mollis, carens aliquâ aſperitate etiam compreſſa, tenax tamen erat. Crura medulloſa ex Cerebro & Cerebello firma & quaſi duriora ac compactiora, non tamen minora erant ſolitò, licet Cerebellum flaccidum valde eſſet.

Hæc ſunt, quæ in tranſmiſſis, quantùm negotia permittebant, mihi obſervare licuit.

OBSERVATIO XXIV.

Hydrocephalus.

Militis cujuſdam Uxor è vicinia 1649. circa principium anni ad Noſodochium noſtrum pertulit Puellum quinque circiter annorum vaſtiſſimo capite præditum, quod cujusvis Capitonis caput mole ſuperaſſet; faſtigiatum erat, in ſyncipite & occipite molle, impreſſis digitis aliquid ſub cute capillatâ retroceſſit & fluctuavit; ad latera ſyncipitis, in decliviore parte occipitis & in fronte aliquid oſſei tangebatur. Facies fuit ſublivida & tumida, oculi prominuli, conniventes. Edit, bibit, ſubmiſſam quandoque vocem edidit. Mediocriter carnoſus fuit & ritè conformatus. Artus ſed pigrè movit, ceu ſemper ſomnolentus. Fœmina hæc ſectionem Capitis importunè urſit & cùm illam ceu ſummè periculoſam diſſuaſiſſem indignabunda abiit: Audivi poſteà *Chirurgum* quendam hanc auſam fuiſſe inſeliciter, nam paulo poſt Puellum vivere deſiiſſe.

OBSERVATIO XXV.

Hydrocephalus.

T. *D. Filiolus* natus *die* 14. *Auguſt.* 1666. ſtatim vitæ primordio vegetus erat, habitus incrementa ſumſit, color faciei vividus. Circa 16. ſeptimanam ætatis Mater, dum ipſum ſuſtulit, ac manu occiput ſuſtentavit, illud mollius debito territa animadvertit: ab illo tempore capitis moles valdè augebatur, nihilominus in cunis caput verſare & extra illas ulnis geſtatus erectum tenuit. Cùm jam ſemeſtris eſſet, moles infantile caput duplò ſuperavit: ſi caput in cunis de latere in latus mater movit, ploravit; erectum vero vel per momentum detinere non amplius valuit; inſtar maſſæ plumbeæ antrorſum vel retrorſum cadebat, rarò ad latus caput nutabat. Inviſi ipſum aliquoties *cum Exc. D. D. Emanuele Hurtero p. m.* ſynciput ad frontem & occiput exoſſe & molle amplo ſpatio tetigimus, & comperimus oſſa ſuturis conjuncta latiſſime à ſua compage ſeceſſiſſe: nobis videntibus comedit avidè pulticulam, & quando cacabus ipſo nondum ſaturo occultabatur torvè matrem intuebatur, & ſi aliquantum in ſuggerenda pulticula cunctabatur ploravit; quod quoque fiebat, ſi fortè cæteris liberis cunis adſtantibus aliquid de pulticulâ dederat. Habitus corporis erat obæſus: caro artuum firma: acutè vidit & audivit, artus movit: mammis admotus fortiter ſuxit: benè dormivit: fœces alvinas etiam minùs induratas plerumque cum nixu valido egeſſit. Circa ſeptimum ætatis menſem bis totum latus ſiniſtrum rubore quodam tingebatur per horæ quadrantem; rubor in livorem mutabatur, brachium & pes ſiniſter, item digiti manus & pedis intumuerunt & ſplenduerunt, ceu aqua ſuffuſi: non diu poſt color iſte p. n. & tumor ſua ſponte evanuerunt, nec intelligere potuimus, aliquid hemiplectici concurriſſe unquam. Sæpiùs è Capite, ut Pater loquebatur, cum impetu aqua copioſe ad fauces depluit, quam ad ſuffocationem evitandam ſtrenuè deglutiit: nihilominus benè edit, ſolito more ſuxit & dormivit. *Circa finem Junij* 1667. rurſus cum impetu multum aquæ ad fauces ruit & copiosè ex ore emanavit, unde diebus quatuor ſubſequentibus non ampliùs comedere potuit; illis præteritis ſolito more edit & bibit. Biduo ante mortem appetitus evanuit; maculæ rubræ in toto habitû eruperunt, difficillimè alvum ſolvit, ſubinde convellebatur quod toto morbi decurſu nunquam fiebat, nec unquam valdè ſoporoſus erat: paulo ante obitum ter quaterve humor ſubcruentus ex ore emanavit. Mortuus *circa medium Jul.* 1667. Capitis apertionem nec precibus nec pretio obtinere potuimus.

OBSER-

OBSERVATIO XXVI.

Hydrocephalus.

S.*B. Uxor* 38. Annorum, ſtaturæ juſtæ, carnoſa, benè colorata, temperanter vivens: aliquot annis in matrimonio ſterili vixit: poſteà concepit quidem, ſed ter abortiit, ſemel poſt caſum per ſcalam & iterum citra cauſam externam: in abortibus ſexus non potuerat agnoſci. *Anno* 1678. circa finem iterum concepit: quintâ à conceptione ſeptimanâ menſes tribus diebus manarunt & rurſus circa decimam ſeptimanam diebus tribus; Sanguis erat benè coloratus. Reliquo geſtationis tempore ſalubriter vixit: mammæ turgebant lacte: fœtus ſe ritè movit ad ultimum menſem, aliquandiu motum ejus minus & obſcurius ſenſit, abdomen magis quaſi pendulum ipſi videbatur & magis deorſum vergebat: diu quidem ante partum lapſa eſt, caſum tamen levem dixit & hanc ob cauſam non magni fecit. Tribus ſeptimanis ante ſtatum pariundi terminum, citra ullam cauſam externam, aqua copioſè ex ſinu pudoris erupit, horis duabus manavit. *Die* 10. *Sept.* 1679. fluxus iſte continuavit: *die* 11. *Sept.* loturæ carnium ſimilis erat, *ut* & 12. *Sept. hora* 9. *mat. die* 13. *Sept.* poſt paucos nec validos nixus fœtum mortuum cum ſecundinis vacuis illi mediante funiculo umbilicali adhuc conjunctis peperit: tùm ante tùm poſt partum pauca aqua effluxit. Caput fœtûs admodum moſtroſum apparuit, nam cutis capillata ab occipite medio avulſa & inverſa erat, totamque faciem ita obvelabat, ut nec frons, nec oculi, nec naſus, nec os, nec mentum viderentur: oſſa frontis, ſyncipitis, temporum & lambdoideum hiabant admodum & attactu vacillabant: frontis, ſyncipitis ſiniſtrum & lamdoideum perioſtio, temporum muſculis tegebantur: os ſyncipitis dextrum à perioſteo denudatum & totum à dura meninge ſeparatum fuit, ut ſine vi extrahi potuerit. Dura meninx, utcunque oſſa admodum hiarent, nihil ominus alicubi adhuc, præcipuè circa ſuturas cranij quibuſdam oſſibus adhærebat, alibi verò planè libera erat, aut facilè ab oſſibus ſecedebat: amplitudine totam capitis molem æquavit, craſſior, denſior & tenacior ſolitò, nihilominus alicubi lacera; levis foris & intùs. Inter utramque meningem ſpatium adhuc ampliſſimum invenimus; quamvis nulla ampliùs aqua occurrerit. Tenuis meninx quoque craſſior ſolito fuit, imprimis cerebrum veſtiens. Cerebri anfractus minores obliterati, majores aliquo modo adhuc conſpicui fuerunt: ſublato corpore falciformi calloſum in conſpectum venit, cujus ſuperficiem perreptarunt vaſa ſanguine impleta: ipſa cerebri ſubſtantia flaccida, pulti craſſiori ſimilis & ſubrubra fuit, cerebellum adhuc flaccidius: ob utriuſque mollitiem & conſiſtenti-

ſiſtentiam propè pultaceam; obſcurè nec ſatis diſtinctè videri poterant illa, quæ aliàs *in Theatris Anatomicis* demonſtrari ſolent: nervi tamen optici, oculos moventes, proceſſus mammillares & reliqua nervorum paria, infundibulum & arteriæ Carotides juxta ſellam equinam emergentes, ramoſque quaquaverſum ſpargentes, clarè conſpiciebantur. Dura meninx cum tenui mediantibus fibrillis oblongis alicubi p. n. connectebatur. Cutis capillata cranium reſpiciens granulata & glanduloſa erat: granula hæc erant maximam partem ſubflava, quædam ſubrubra: in ampliſſimum ſpatium ſine vi expandi poterat: illâ in priſtinum ſtatum reductâ frons, oculi, naſus, tota denique facies bene conformata videbatur: nec in reliquo corpore menda fuit, niſi quod fœtus macilentus eſſet. Fœtum hunc hydrocephalicum fuiſſe *cum Excell. D. D. Emanuele ejuſque Filio D. D. Melchiore Hurteris* facilè conjicere potui ex duræ meningis & cutis capillatæ amplitudine; Aquam verò diffluxiſſe & cum ſecundinarum aquâ emanaſſe ex lacerâ meninge durâ, imprimis verò cute capillatâ apparebat.

OBSERVATIO XXVII.

Hydrocephalus.

Ex communicatione Rev. Dom. M. Joh. Georgij Mülleri, Parochi in Stetten Vallis Rhambanæ, Ducatus Würtemb.

CAtharina Schneiderin peperit filiam 1667. die 18. Octobr. Johannam ſanam & vegetam, nihilque vitioſi circa caput habentem. Circa octavam ætatis ſeptimanam ſenſim caput augeri obſervatum fuit ad tertium menſem ætatis: ultimis tribus vitæ ſeptimanis majora incrementa idque celerrimè ſumſit atque in ſtupendam molem excrevit; manſit rotundum, non faſtigiatum candidum, depile, molle attactu inſtar maſſæ pultaceæ; frons mirè protuberabat, adeò ut oculos obtegeret; illâ in altum ſublatâ oculi ſani & nitidi videbantur; facies reliqua benè conformata, pulchra & plena; reliquus habitus corporis obœſus. Edebat, ſugebat, reſpiravit ſanæ inſtar: quando ex cunis tollebatur ploravit, manus pedeſque movit; in cunis quieta jacuit. Quidam affectum à veneficio enatum putabant, quod *Excell. D. Adam Caliſius Phil. & Med. Doct. & Phyſicus tunc Eslinganus Celeberrimus negavit in literis ad Rev. Dom. Müllerum die 8. April. 1688 datis* & Hydrocephalum appellavit, malum aliquoties à ſe viſum addens: curam dubiam & periculoſam in tenera hac ætate, cùm cauſa non niſi *trepanizatione* auferenda eſſet. Ultimo vitæ quadrante continuò in cunis decubuam reliquerunt, ob ingens capitis pondus; quam primum enim erigebatur,

gebatur, ploravit: à longo decubitu excoriabatur in dorſo, nihil ominus ſemper quieta manſit, niſi fortè movebatur, aut in alias cunas reponebatur. Aliàs *apertionem in occipite* ſuaſit, quâ factâ ſenſim emittebatur, nimirum vulnus *turundâ* obturabatur, & ſolum ſingulis horis ſemel ipſi exitus concedebatur; intra horas 24. omnis aqua educta fuit: illâ ſublatâ tumor ſubſidit & cutis inſtar burſæ vacuæ complicabatur & corrugabatur; ſupervenerunt Convulſiones, quæ infantem cætera ſanum & obæſum enecarunt *die* 18. *Jul.* 1688. *Chirurgus* nullum Cerebrum intra Cranium ſe reperiſſe narravit. Renes multa pinguedine operiebantur.

OBSERVATIO XXVIII.

Hydrocephalus.

M. *T. Uxor B. D.* ſtaturæ mediocris, ſana, benè colorata, primâ vice 1673. gravida, toto geſtationis tempore crebro diarrhœam perpeſſa eſt, fœtum ſtato tempore peperit, cui ambo tempora admodum & p. n. protuberabant, tertiâ vitæ ſeptimanâ ob fluxum ventris mortuus eſt infans. Poſt trigeſimam ſeptimam ſeptimanam à primo partu rurſus concepit, ſtatim carnes & piſces æque faſtidiit ultra dimidium geſtationis tempus, & omninò parum comedit, at ſiticuloſa erat, bibit vinum merum minùs generoſum, nunquam tamen jejuno ſtomacho. Fluor albus ſtatim poſt conceptionem permoleſtus fuit. Embryonis motum demum poſt ſeptimanam 22. percepit, ut ob hanc cauſam anxia Conſilium ab obſtetrice petierit; poſteà inquietiùs multò ſe movit, quam primus fœtus & pridie ante partum ejus motum validum percepit, ab ipſo die partûs plane nullum ampliùs ſenſit. Aliquot ſeptimanis ante partum in Epigaſtrio ſiniſtro moles gravior erat, quàm in dextro, adeò ut ſemper in latus hoc inclinare cogeretur; reſpiratio tàm difficilis erat, ut prope erecta dormierit: foras lectum nec diu ſtare nec diu ſedere potuit; quin etiam pedes & tandem etiam labia pudendi valde intumuerunt. Non recordabatur, ſe à toto geſtationis tempore ab ulla re territam fuiſſe, nec quicquam unquam impenſiùs expetiiſſe. *An.* 1675. *die* 14. *Decembr.* manè abſolutâ quadraginta ſeptimanarum periodo ſtimulos ad pariendum percepit, poſt meridiem increbuerunt: Veſperi horis tribus nixus vehementiſſimi erant, quamvis nullum fœtûs motum hodiè perceperit: prodiit tandem fœtus natibus, tandemque reliquum corpus ad collum uſque: Caput diu in utero perſtitit; poſt multos & validiſſimos conatus tandem fœtum totum eumque mortuum enixa eſt. Erat maſculus aſpectu monſtroſus & horrendus: Caput enim virili multò majus

erat & in dorſo gibbus prominuit. Circa 5. Veſp. vocatus fœtum hunc cum *D. T. Chirurgo* diligentiâ quâ potui & licuit perluſtravi. Frons, tempora & occiput admodum protuberabant, ſynciput in faſtigium monſtroſum attollebatur; facies reliqua benè conformata & parva erat: omnes ſuturæ plurimùm hiabant: In dextro latere ſub cutè frontis & bregmatis & alibi, ubi ſuturarum hiatus erant, humorem tactû ſenſi fluctuantem: in ſiniſtro latere cutis arctiùs oſſibus adhærebat. Totum caput depile & albicans fuit; bregma tamen dextrum & ſpatium ſuturarum hiantium magis liveſcebant. Incisâ cutè in ſyncipite dextro proſiliit aqua loturæ carnium ſimilis, copioſa, omnis fœtoris expers; inclinato capitè ampliùs ſc. ad libras tres circiter emanavit. Ampliato vulnere cutè in dextro latere ad nucham, frontem & aurem dextram ſeparatâ os ſyncipitis & frontis prorſus non ſolùm à cutè, ſed etiam pericranio denudata erant, & imprimis os ſyncipitis ab oſſe temporis avulſum, inferiùs pertenue & pectini ſimile dentibus latis in acumen deſinentibus prominuit; intùs duræ meningi, naturali craſſiori arctiſſimè adhærebant, exceptô illô locô, ubi os ſyncipitis quaſi pectinatum protuberavit. Durâ matre ad latus dextrum corporis falciformis à fronte ad ſinum lateralem & in medio ad aurem concisâ ac cum oſſibus reclinatâ, cerebrum occurrit burſæ ampliſſimæ inſtar propemodum vacuæ, & quaſi rugoſum; inundabatur hinc inde adhuc aquâ loturæ carnium ſimili, quâ detersâ ſuperficiem ipſius vidi penitùs ferè anfractibus deſtitutam; anfractuum locum perreptarunt vaſa ſanguifera, capillaria copioſiſſima. Spatium inter duram & tenuem meningem in hoc dextro latere ampliſſimum erat. Cerebro ad interiora ventriculi dextri inciſo illum capaciſſimum inveni, adeò ut facilè duos pugnos viriles admiſiſſet; quaqua verſum enim cavitas ejus ab aqua expandebatur: Fornix & paries ejus verſus tempus dextrum craſſitie parvi digiti multò minor fuit: continebat adhuc multum aquæ ſubcruentæ, & quamvis ſubſtantia cerebri foris & intùs madefacta fuerit ab aquâ iſtâ, nihilominùs tamen denſior, firmior & tenacior erat, quàm aliàs in hac ætate, imò in adultioribus obſervatur: ſpeculum pellucidum quoque compactius & robuſtius ſolito erat, nec facilè rumpebatur ac ſi cum firmitudine membranæ certaret. Plexus Choroideus in glomerem contractus erat quaſi, poſticam partem totus occupavit, præditus copioſiſſimis & amplis vaſis ſanguine nigro turgidis; ex ipſo pendebant aliquot corpuſcula atro-rubentia, quorum tria papillas referebant, tria longitudine articuli primi parvi digiti erant, ſed graciliora & in apicem acutum deſinebant, illis preſſis aqua ſubcruenta exſtillavit; alia inſuper minora corpuſcula ipſi intexta erant. Præter hiatum naturalem hujus ventriculi circa crus medulloſum in dextro latere poſteriora verſus hujus ventriculi paries lacerus fuit, foramenque habuit apicem digiti admittens, quod recens & à difficili partu factum

facilè

facilè cognovi, quia ejus labia prorſus albicantia & inæqualia erant, prorſuſque illis ſimilia, quæ feci, dum parietem ventriculi hujus alibi perrupi. Tota interna ſuperficies levis, ſubpallida & firma fuit, ac ſi membranâ denſiore veſtita atque contra aquæ hujus acrimoniam aliamve noxam ſingulariter à providâ naturâ munita fuiſſet. In ſiniſtro latere incisâ cutè nulla aqua inter illam & oſſa occurrebat, nec ab oſſibus abſcedebat, verùm in amplo quoque ſpatio inter utramque meningem plurimùm aquæ ſubcruentæ ſtagnavit, minus tamen, quàm in dextro latere, ſive ſubtus corpus falciforme dextrorſum capite reclinato jam effluxerit, ſive quod nunquam tantâ copiâ hîc redundarit, quod probabile mihi propterea videbatur, quia quoque ſpatium anguſtius erat, quàm in dextro latere. Cerebri ſuperficies quoque ferè anfractibus deſtituebatur, rugoſa tamen quoque inſtar burſæ ſemivacuæ: ejus ſuperficiem perreptabant vaſa plurima & magis ſanguine turgentia, quàm aliàs videtur. Corpore falciformi ſeparato & retrorſum flexo, corpus calloſum integrum, candidum & ſolito tenacius reperi. Aperto anterius ventriculo hoc à vulnere occiput verſus diducto multum ſanguinolentæ aquæ, prorſus non fœtidæ ſupererat, nullo vel minimo granulo occurrente: ejus parietes medulloſi graciles admodum, nequaquam parvi digiti craſſitiem æquantes, erant: ſpatium cavitatis illius amplum fuit, anguſtius tamen dextri ventriculi, prout etiam minùs aquæ continuit, quamvis plurimum quoque illius ad dextrum ventriculum reclinato capite perveniſſe ſuſpicatus ſim, quia parietes ejus æquè graciles & rugoſi erant. Interna ejus ſuperficies ubique lævis & omnis aſperitatis expers fuit & albidior, quàm dextri: nullibi ipſum lacerum invenire potui. A cruribus plexus choroidei in parte poſticâ quoque pendebant corpora atrorubentia papillaria nec pauciora nec minora, quàm partis dextræ, vaſaque ejus ſanguine turgidiſſima, ut glans pinealis his ferè obvolveretur. In ventriculo tertio eadem aqua ſubcruenta ſtagnavit abſque grumis. Circa glandulam pituitariam admodum conſpicua fuerunt; ipſa verò & infundibulum à naturali conformatione & magnitudine non receſſiſſe videbantur. Crura medulloſa & nervorum paria ex cerebro emergentia, imprimis opticum elegantia & naturalibus conformia vidi. Cerebellum in ſuo antro delituit, atque ab aquæ hujus illuvie immune ſervabatur ſepimenti à dura matre interpoſiti beneficio, flaccidius ut aliàs cerebro. Spina dorſi ab ultimâ vertebrâ cervicis ad os ſacrum uſque manifeſtè duplex erat, interſtitio pluſquàm pollicari exiſtente: pars intermedia dura & oſſea fuit & vertebræ utrinque prominuerunt. Lumbares vertebræ in gibbum attollebantur, ibique cutis multo ſanguine, fortè ob difficilem partum, ſuffuſa erat. Incisâ cutè circa primam vertebram lumbarem, ſub illâ inveni ſubſtantiam medullarem, cerebro ſimilem, ſed friabilem & ſubflavam, juglandis nucis magnitudine: illâ ex cavernulâ

ſuâ

ſuâ exemptâ nullum foramen viamve ad ſpinalem medullam pertingentem reperire potui. An per utramque ſpinam ſeorſim medulla deſcenderit, per patris moroſitatem indagare nequii. Aperto abdomine parùm aquæ limpidiſſimæ effluxit: Hepar erat magnum: ventriculus contractior continuit parum muci ſubcruenti: Inteſtina craſſa plena erant fœcibus nigris tenaciſſimis: Lien pro ætatis ratione major: in Meſenterio glandulæ ciceris & lentis magnitudine ſubflavæ p. n. occurrebant: renes ex pluribus glandulis, vitulinorum inſtar compoſiti videbantur: Teſticuli ambo intra abdomen in pelvi delituerunt. In Thorace nihil p. n. reperi. Cæterùm fœtus carnoſus, obæſulus & in omnibus artubus benè conformatus fuit. Imi pedes ſurrecti & parùm reflexi erant, qui tamen facile ligaturâ ad legitimam formam perduci potuiſſent. In funiculo umbilicali nihil morboſi viſum fuit. Omnes digiti unguibus dotati erant.

OBSERVATIO XXIX.

Hydrocephalus.

HEinrici Schlatteri Beringenſis Filia nata *die* 24. *Febr.* 1678. poſtquam in lucem edita fuit, caput benè conformatum ab àſtantibus videbatur, nec ullum vitium animadvertebatur, niſi quod ſolummodo album oculorum conſpiceretur, iride & pupillâ ſub palpebrâ inferiore occultâ, quæ tamen hàc depreſsâ in conſpectum veniebant: in dorſo ad dextrum latus vertebrarum & lumbarium ſuperiorum macula livida, ſplendeſcens, uncias circiter quinque longa & tres lata apparuit; indies ſenſim in altum tollebatur, ſed nunquam ultra craſſitiem parvi digiti; tam ſplendida tandem evaſit, ut mater teſtata ſit, ſe in illa imaginem faciei & veſtium ſuarum, ceu in ſpeculo videre potuiſſe. Pes dexter ſemper à nativitate immobilis manſit. Circa ætatis diem decimum, cum aqua per cutim, ceu tenerrimam membranulam tranſpareret, *Chirurgus quidam* vulnuſculum inflixit, aqua limpidiſſima proſiliit, ac ſi illam emingeret: vulnuſculum brevi coaluit, quod mater diebus inſequentibus ſexies adhuc ungue laceravit, qualibet vice hujus aquæ unciis tribus erumpentibus: emiſsâ aquâ cavitas profunda & caro cruda per cuticulam tranſparuit: ſecedente cuticulâ reſtitit ulcus, quod tamen *à Chirurgo* brevi conſolidatum fuit. Quam primum ulcus cicatrice clauſum fuit & maculà evanuit, primo ſynciput dextrum, deinde ſiniſtrum in faſtigium attolli cœpit, ac Hydrocephalus jam vaſtâ mole apparuit; quod circiter quartâ ætatis ſeptimanâ contigit. Intereà ſemper edit, ſuxit, alvi fœces & urinam ritè excrevit; Verum habitus corporis antea plenior ſenſim conſumebatur.

Anno

Anno 1678. *die* 1. *Maj. Beringæ dimidio milliari ab Urbe noſtrâ diſtanti Puellam hanc vidi:* Caput vaſtiſſimum pro ætatis & reliqui habitûs ratione erat, altius & latius tribus palmis; ſynciput utrinque mirè faſtigiatum & in duos quaſi colles diviſum, intermedia convalle, forſan corpore falciformi impediente planum aſcenſum, ne plana fieret ſuperficies, ſecus ac in aliis obſervaveram: oſſa temporum admodum protuberabant; frontis verò & Lamdoideum depreſſa erant: oſſa ſyncipitis ultra duos palmos à ſe invicem & temporum à ſyncipitis oſſibus palmum unum diſtabant, à quibus quoque Lamdoideum avulſum tangebatur. Caput totum attactû molle erat, exceptis illis locis, ubi oſſa ſyncipitis cuti accreverant, ac manifeſtè fluctuatio aquæ percipiebatur: mediocriter tepebat, alicubi frigidum erat: vaſa ſanguifera in temporibus & ſyncipite ſanguine diſtenta admodum conſpicuè rutilabant. Brachia & pedem ſiniſtrum movit; totus pes dexter hucuſque immobilis perſtitit & ſiniſtro longior apparuit, quamvis nullum luxationis veſtigium invenire potuerim. Vertebra prima dorſi plus quàm decuit, protuberavit: ubi macula fuit, cutis depreſſior & cicatrix rubicundior remanſit: Famelica & ſiticuloſa mire linguam fibravit & labia lambit: ut ſugeret, neceſſum ſemper fuit, ut mater lac è mammis emulgeret & in os infantis ſtillaret, ſecus ſi fiebat, nec papillas rectè apprehendit, nec ſuxit: inſtillatum Lac avidè inglutiit & me vidente fortiter ſuxit: pulticulam quoque promtè comedit. Mater ajebat admodum ſiticuloſam eſſe & nycthemeri intervallo ad uncias novem aquæ præter lac bibere; nam ob lactis defectum aliquem ex mœrore neceſſariò aquam propinare cogebantur hactenus: dum illam contemplabar aliquoties vagiit, brachia & oculos movit, quorum tamen album tantùm videbam, quia depreſſiores erant ac irides cum pupillis ſub palpebrâ inferiore abſcondebantur, levi tamen operâ in apricum educi poterant. Excrementa alvi & veſicæ ritè hucuſque emiſit: diaphragma naturaliter movebatur. Hypogaſtrium inæqualiter ſubindè intumuit brevique ſubſidit: illis præſentibus protuberantiis vagiit, ac ſi à flatibus retentis & inteſtinis tumentibus tormina pateretur. Mirè illam lacte, imprimis materno delectari facilè ex mirâ linguæ fibratione & oris lambitione conjicere potui, quæ alacrius peragebantur, quam poſt aquam ori inſtillatam: Inter comedendum & ſugendum illam quandoque aliquid convulſivi pati tùm Mater tùm egomet obſervavi; nam ſubindè in deglutitione impediebatur, & ab hâc actione ceſſabat. Illam audire nullo indicio comperire potui: verum tactum ubique integrum fuiſſe clarè patuit. Cutis capitis non prorſus depilis fuit: capilli erant fuſci: habitus corporis macilentus erat, ſed non ut in hecticis & tabidis prorſus conſumptus & rugoſus: *die* 15. *Maj.* 1678. placidè expiravit. Cùm peregrè abeſſem, *Dom. D. Joh. Conrad Brunnerus,*

rus, Gener meus, Anatomicus ſolertiſſimus, præſente Excell. Dom.D. Henrico Screta à Zavorziz, in hydrocephalum cultro anatomico inquiſivit: In ejus figura nullum diſcrimen invenerunt, at in majorem molem excreverat. *Hiſtoriam D. D. Brunneri verbis conſcriptam ſubjicio:* Cute capitis capillatâ decuſſatim incisâ & detractis quatuor alis multum Seri & Sanguinis aquoſi ex vaſis laceris & diſſectis profluxit: utrumque cerebri hæmiſphærium in faſtigium attollebatur, corpuſque falciforme intermediam efformabat convallem: monticulorum apices erant pellucidi, ac ſi veſicæ aquâ plenæ utrique hemiſphærio fuiſſent impoſitæ: Ibidem pericranium cum durâ matre coaluit: oſſa ſyncipitis longiſſimè à ſe invicem, mirâ membranarum extenſibilitate, abſceſſerant: Sinus tertius pone cerebellum occurrit ſanguiſque rutilus in illo tranſparuit: incidi illum; ſtylus cum ſcalpello immiſſus in profundum ibat & inter utrumque faſtigium mergi videbatur: dura mater, falcem conſtituens duos tranſverſos digitos craſſa erat. Vulnuſculo duræ matri in faſtigio inflicto, prorupit ſtatim ſubſtantia cerebri aquâ turgida, ac ſi incisâ cornea oculi retina proruiſſet: nec craſſior fuit medulloſa hæc ſubſtantia papyro madido, quod exactè referebat: nulla tamen aqua effluxit priuſquam illam lancettâ ſauciavi; hoc verò facto, cum impetu proſiliit aqua limpidiſſima & propè criſtallina: interea hemiſphærium utrumque ſimul ſenſim ſubſidebat. Exantlatâ aquâ adeò vacuum & inane apparuit ἐγκέφαλον, ut caput ſine cerebro conſpici crediderſes. Latex ille cochleari exceptus, ſuppoſitis prunis ardentibus exhalavit ſenſim, bulliendo ſpumam cruſtavit, remanente tandem ſale acri. Aqua vaſe ligneo excepta videbatur librarum octo fuiſſe. Hinc vulnus dilatavi & ipſam ſpecum ſeu ventriculum intuiti ſumus: erat ſpatioſus, perpolitus ac nitidus, quem vaſa ſanguifera ornabant. Corpus falciforme profundè cerebrum calcabat & in duo faſtigia diſterminabat: corpus calloſum erat albicans & extenuatum; ſubtùs ſpeculum pellucidum occurrit cum ſuâ cavernâ pertenui, & licet parietes medulloſi in immenſum diſtenti eſſent, nullam tamen rupturam reperire potui. Abſtuli maximam corporis medulloſi partem, atque ita corpora ſtriata cum proceſſu tranſverſo, thalamos nervorum opticorum, protuberantias orbiculares, glandulam pinealem cum plexibus choroideis perluſtrare datum fuit. Corpora ſtriata non protuberabant, ſed depreſſa & explanata erant; horum ſuperficies radiis ſolaribus obverſa apiculos plurimos ſeri papillulas exhibuit, oblinendo tamen digitis nihil inæquale percipere potui. Proceſſus tranſverſus, brevis alias, ad unciam unam cum dimidiâ longus erat, ſc. vi aquarum diductus. Thalami nervorum opticorum cum protuberantiis orbicularibus ritè ſe habuerunt. Glandula pinealis à ſinu quarto ſuſpenſa parvula ac penè mucaginea avulſione diffluxit. Alveus

veus à ventriculo quarto verſus infundibulum ducens, laxus & amplus erat. Plexus choroidei medullæ oblongatæ incumbentes tuberculum fabæ majuſculæ magnitudine, teſticulum muliebrem referens, in utroque ventriculo continebant, foriſque aliquot hydatides, ſicut ovula in teſticulo muliebri, conſpiciebantur, quas dum ſecui aquam multum ſcatuiſſe deprehendi. Ad proram capitis converſus proceſſus mammillares, ut ſolent, exigui erant, nec ullam mendam exhibuerunt, ut nec nervi optici & arteriæ carotides, niſi quod aquis inundarentur quoque. Hinc infundibulum cautè abſcidi, quod dum inflare conor, fruſtra fui, muco enim oppletum, non admiſit flatum. Glandulam pituitariam perluſtrando humor unctuoſus, pellucidus tamen ſtylo, viſci inſtar, adhæſit. Reliqua nervorum paria, quantum videre licuit probè erant conſtituta. Cerebellum flaccidum apparuit atque connivens. Ventriculus quartus amplus fuit. Spinalis medulla in medio perforata erat ſtylumque ad palmæ longitudinem admiſit. Maculam rubram circa regionem lumbarem dum incidi, intus caverna atque in illa ſpinalis medulla nuda apparuit: immiſi tubulum & inflavi, quò hujus cùm cerebro communicatio pateſceret, verùm flatus non penetravit, nec à cerebro verſus hanc maculam commeatûs via manifeſta apparuit. Circa primam dorſi vertebram tuber quoddam prominuit, quod inciſum oſſiculum inæquale, curvum, extremi auricularis digiti longitudine continuit. Vertebræ dorſi, præſertim circa maculam prædictam hiabant ad unciæ unius diſtantiam. Hæc feſtinando obſervare licuit, ulterius ſcrutinium importuni muliercularũ ejulatus prohibuerunt.

OBSERVATIO XXX.

Hydrocephalus.

Puella quædam Nobilis 1672. *menſe Julio* in lucem edita fuit optimè conformata, caput parvum habens &, ut Parentes loquebantur, inſtar pomi rotundum. Sana & vegeta erat, nihil morboſi vel minimo indicio diu obſervabatur. Circa 13. ætatis ſeptimanam ophthalmiâ correpta fuit, quæ congruis adhibitis brevi ſublata fuit. Hinc nares obſtruebantur, quam ob cauſam, præter alia quædam topica, capiti *cucupha*, *infarcta fl. roſar r. Betonic. & Nuce moſchata*, impoſita fuit. Circa 20. ætatis ſeptimanam capitis molem majorem fieri, citra ullum œdema, animadverti cœpit. Hanc puellam *die* 19. *Jan.* 1672. vidi, tranſiens ipſius patriam: dicebatur eſſe 24. ſeptimanarum: Caput virile potiùs ſuperavit, quàm æquavit: in occipite, poſt aures, in ſyncipite, in ſummâ fronte omnia mollia & quaſi exoſſata videbantur, & compreſſione digitorum ibi fluctuatio quædam tactu percipiebatur, fortiùs prementi renitens, in imò occipitis & ad tempora oſſa protuberebant:

berabant: oculus ſiniſter magis depreſſus erat quàm dexter, licet nec frons nec palpebræ tumerent: quoties ploravit, toties cutis occipitis rubefiebat: ab attactu nullum ſignum doloris alteriuſve moleſtiæ præbuit. Cætera erat carnoſa & benè conformata in toto reliquo corpore etiam in facie: appetiit, benè deglutiit, facilè reſpiravit. *Sectionem* ſummoperè diſſuaſi: commendavi *aquam quandam anti Epilepticam temperatam* ſubindè extra paſtum propinandam: in primo cochleari pulticulæ immiſcendum *pauxillum pulv. ex rad. Irid. Flor. ſperm. ceti & ſacch. cand. Chirurgus* foris impoſuit *Empl. ex diachyl. ſ. p. j. de Melilot. p. ij.* Nuper admodùm convellebatur, ſomnolenta fuit, frequentius oſcitavit, ſubindè ſternutavit; poſteà aliquandiu nihil ampliùs convulſivi animadverterunt. *Nob. D. Parens die 20. Januar.* ad me ſcripſit, capitis tumorem apparere minorem, infantem edere nunc plùs nunc minùs & cœtera ſatis bellè valere; *Chirurgum inciſionem urgere* ac neceſſariam dicere, cùm humor *nec internis*, *nec topicis* conſumi poſſit: *Inciſionem* denuò, quibus potui argumentis improbavi & certam mortem vel ſtatim vel diu *poſt ſectionem* ſuperventuram prædixi. *Die 26. Januar.* rurſus convellebatur. *Die 29. Jan.* 1673. manè horâ 5. mortua eſt. Capitis apertio *Excell. D. Baumgartero Chir. & Med. Doct. periſſimo, nunc Senatore & Phiſic. S. Gallenſi graviſſimo* conceſſa fuit. Inciſione facta ſub cute, cranio, craſsâ & tenui meninge nihil aquei effluxit, at ſtylo ad ventriculos uſque intruſo aquæ limpidiſſimæ tres propè libræ eruperunt: Cerebrum erat abſque anfractibus & mirum in modum diſtentum, in ejus & meningum vaſis paucus aut nullus ſanguis apparuit: Cerebellum quoque valdè tumidum erat & in ventriculo quarto uncias quatuor aquæ fœtidæ invenit: nervi omnes integerrimi erant: raptim omnia peracta fuiſſe in literis ad me datis memorat, nam non diutiùs inquiſitioni ulteriori conceſſum fuiſſe. *Nob. Dom. Parens die 3. Febr.* mihi ſcripſit ſauciato cerebro in uno latere aquam limpidam digiti craſſitie erupiſſe; in alio loco aquam flavam emanaſſe, quæ procul dubio illa ipſa erat, quæ ventriculo quarto includebatur: addidit ita capitis oſſa hiaſſe, ut apertio ſola partium molliorum inciſione peragi potuerit, ſecus non ſe in Anatomen conſenſurum fuiſſe.

OBSERVATIO XXXI.

Hydrocephalus.

Ex Communicatione Excell. D. Tobiæ Baumgarteri, Med. & Chir. Doct. Reipubl. S. Gall. Phyſici periſſimi, Senatoris graviſſimi.

Puellæ

PUellæ quinquenni Hydrocephalo laboranti, quam nuper poſt obitum ſecui, *Reverend. Dom. Chriſtiano Hubero & Marco Halbmejero Pharmacopœo præſentibus*, caput in tantam excreverat molem, ut vix fidem inventura ſit, capitatiſſimi viri caput aliquot unciis ſuperavit, reliquum corporis inſtar ſceleti fuit, cibis vix unquam ſatiebatur, adeò ut ſtolidum vulgus ſuppoſitum à Dæmone monſtrum crederet (ein Wechſel-Balg vocant:) tertiâ quaque ſeptimanâ tumidus Venter, emiſsâ multâ aquâ, ſubſidebat; languidus erat membrorum motus; viſus debilis; obtuſus auditus; vox rauca nec articulata; cranium in vertice duos palmos excedente foramine hiabat, circa baſin juſtam habebat craſſitiem, ſed paulatim foramen verſus in tenuiſſimam laminam deſinebat. Sublatâ cranij parte & durâ matre, quæ ipſi firmiter adhærebat, nihil adhuc aquæ viſum, ſed punctâ tenui meninge, novem libræ limpidiſſimæ minimeque fœtentis aquæ effluxerunt, mox ita concidit cerebrum, ut vix duodecimam cranij partem impleret, in eoque nihil certi, nihil diſtincti obſervare licuit, nam contrectatum inſtar pultis diffluebat. Cerebellum ſatis integrum erat & in nervis nihil præter naturam.

OBSERVATIO XXXII.

Colluvies ſeroſa Capitis cum Cephalalgia aliisque Symptomatibus.

NObiliſſ. *Dn. Uxor Nob. Dn. N. N.* annos nata 32. Hepatis calidioris: Capitis frigidi & humidi: Complexionis ſanguineæ etiam bilioſæ tamen non ſine pituita & ſeroſor. humor. copiâ: cui menſtrua ſtatis periodis antea fluxerunt, ſed jam à longo tempore diminuta eaque albicantia, & ab ultimo puerperio, quod abhinc retro 6. vel 7mo menſe habuit, ſuppreſſa ſunt. Jam ab aliquot annis ex inæqualibus temporis intervallis tamen frequentibus graviſſimis ſtipatur ſymptomatibus, ita ut *Nob. Dn Ægra & Medici ipſius ordinarii ad Te Vir Doctiſſime* confugere neceſſum habeamus, obnixe rogantes ut nobis, quid de affectibus, quibus *Dn. Ægra* tam ac longo tempore graviter torquetur, cenſeas, brevi reſponſum dare digneris, quod ut facilius obtinere queamus, operæ pretium erit illorum prius conſtituere ideam parteſque explorare. Moleſtus capitis dolor gravativus ſæpe divexat, qui quidem non ſemper ſimilis nec perpetuo in uno loco, modo enim gravans eſt, modo obtuſus, ita ut aliquando caput ad anteriora depreſſum & velut collapſum difficulter poſtea illud attollere queat: huic dolori gravativo aliquando ſtupor, frigus, formicationis ſenſus in pluribus partibus, brachiis, in ſiniſtro magis quam in dextro conjungitur, ita ut a-

 liquando

liquando hoc vix ori admovere poſſit; interdum cum tremore, ſæpeque contingit, ut omnimoda fiat motûs abolitio ſaltem per aliquod tempus. Aliquoties de dolore pungitivo circa oculos, ac ſi virgâ percuſſa fuiſſet, conqueritur, brevi tamen cum lachrymarum effuſione remittit. De eodem etiam dolore per vices in parte capitis ſuperiori ſupra ſuturam ſagittalem conqueritur, qui ad digiti compreſſionem exacerbatur, quamvis aliàs ex forti manuum compreſſione dolor imminuatur. Functiones animales interdum languidæ & aliquo modo proſtratæ videntur cum ſenſuum exteriorum etiam memoriæ imminutione. Sopore quoque interdum corripitur: Vertigo tenebricoſa ſæpe ipſi moleſta eſt, ita ut titubando ac oculis clauſis incedere cogatur, pedesque ſæpe movere non poſſit, ſiniſter ſemper præ dextro debilior eſt. Varii quoque dolores varias corporis partes affligunt uti crurum, brachiorum, colli, maxillarum &c. qui interdum obtuſus nunc tenſivus eſt. Latera aliquando dolor ille invadit pleuritidem ſine febri tamen ementitur: dolores illi evaneſcunt, ut ab his libera & integræ ſanitati reſtituta videatur, ſed improviſo denuo illis corripitur. Laſſitudo ſpontanea cum pectoris dolore quodam obtuſo & gravativo, ſputi quoque edeſt abundantia, tantum tamen per intervalla cum nauſeâ & inani vomendi deſiderio, modo pellucidi, tenuis & crudi, modo craſſi albumini ovorum ſub finem ſpuitionis ſimilis, quam continuò per os emittere cogitur, diverſo tamen tempore hoc evenire ſolet, modo dum ad quietem ſe componit, modo ſtomacho vacuo, modo à cibis ſumptis coctionis tempore. Loquelæ interdum etiam fit imminutio, non ſubito & in inſtanti, ſed ſenſim cum vocis imminutione, ita ut non niſi ſubmiſsâ voce loqui poſſit, aliquando 10. aut 12. horarum ſpatio aliquando plus minusve cum omnimoda tandem loquelæ amiſſione, ita ut per vices ſuperveniente tuſſi ſic & ſputi tenuis & crudi ejectione ſatis copiosâ, vocem & loquelam in inſtanti quaſi recuperet. Sed, quod notatu dignum eſt, quum loquelæ adſit abolitio ex compreſſione manûs cranii, ubi ſutura Lambdoides obſervatur, ſtatim & illicò ſubmiſsâ voce loqui poſſit & manû remotâ in inſtanti iterum ἄφωνα fit: Et cum ſine compreſſione ſubmiſsâ voce loqui poſſit, ſi pars capitis jam aſſignata manû prematur altâ voce loquitur. In toto latere ſiniſtro debilior eſt ac in dextro, femur ſiniſtrum ponderoſius & ad motum ſæpe ineptum redditur, ut illi inſiſtere nequeat; in *Dominâ ægrâ* ſæpe accidit, ut, quæ heri pedem vix movere poterat, hodie cruribus inſiſtat & levi adminiculo nixa imo aliquando ſola ambulet, poſt aliquod temporis ſpatium motu iterum privetur & motus tremuli ſæpius conjungantur. Pulſus modo debilis, rarus, modo frequentior ac velocior apparet. Interdum difficilis reſpiratio cum pectoris anguſtiâ, item ſubinde œſophagi contractio adeſt, ut cum ſummâ difficultate deglutire cibum poſſit. Horror quoque ſæpe ipſam invadit ſine ſubſequente calore. Urinæ ut plurimum

rimum albæ, tenues, aquoſæ. Ante ſeptem menſes peperit fortunatè infantem ſequioris ſexûs quam lactat, quamvis non probem, quæ optimâ tamen fruitur ſanitate; toto geſtationis tempore ſatis bene ſe habuit, poſt partum omnia pro votis ſuccedebant, ſed aliquo à partu elapſo tempore recidivam paſſa eſt, nec à partu menſes fluxerunt. Ante aliquot menſes dentes vacillabant, gingivarum aderat eroſio cum ſanguinis effluxu, puſtulæ & ulcuſcula in labiis internis ſic & in ore apparuerunt, cum dolore quodam Hypochondriorum. Quæ omnia diligenter perpendens, uſum *Acidularum Schwalbaccenſium* ſuaſi, quibus tali cum effectu uſa eſt, ut cum ſpatio duorum menſium ſana vixerit nec ullis afflictionibus hyſtericis divexata fuerit.

Tot itaque ſymptomatum *apud Nob. Dominam ægram* concurſus in cenſum affectuum ſpaſmodicorum ſeu convulſivorum venire videntur, ut affectionis hypochondriacæ nomine inſigniri & appellari poſſint. Ita tamen ut principium nervorum non prorſus ab omni labe immune cenſeri queat, cùm plerique paroxyſmi incipiant cum rigore, horrore, pandiculatione, oſcitatione & laſſitudine ſpontanea, quæ ſymptomata cum ſupra enumeratis, non tam muſculorum & panniculi carnoſi vitio, quàm principio nervoſo irritato adſcribi poſſunt, cùm ſubitò ingruant & ceſſante paroxyſmo nihil vitioſi in muſculis aut habitu corporis reperiatur. In progreſſu morbi & ſubſequentibus paroxyſmis ſpiritûs interceptionem rectius convulſivo cuidam affectui tribuo, quàm alij cauſæ, cùm ceſſante paroxyſmo nulla fiat expectorationis mentio. Ex quibus conſtat, quòd *Nob. Domina ægra* jam à pluribus annis multum humoris aquei & ſeri cumularit in ſanguinis maſsâ, ſimulque ſalſuginis nullâ ſane habitâ in victu ratione, ita ut multum ſeri ad cerebrum per arterias deferatur, quum præ alia quâvis parte in toto corpore illis ditetur, cùm vaſa ſanguifera & duræ & tenuis meningis & quæ in Baſi feruntur meræ ſint arteriæ. Cerebrum quippe *inquit Hippocrates* corpori tanquam cucurbita impoſitum ſeroſos humores è ſedibus inferioribus attrahit, qui quantitate, etiam qualitate peccantes ad varias corporis partes expelluntur, ac variorum ſymptomatum cauſæ exiſtunt. His addo, quòd ab intemperie viſcerum præcalidâ magna fiat anathymiaſis ad cerebrum, ex quâ velut in alembico deſtillationes fiunt plurimorum morborum cauſæ. Capitis dolor gravativus de quo jam à longo tempore conqueritur, non aliunde ortum ſuum habere puto, quàm à ſeroſis illis humoribus intra cranium contentis, & medullarem ſubſtantiam cerebri afflixiſſe patet, quòd in ſiniſtro latere ſemper debilior ſit. Caput grave & obtuſum, functioneſque omnes animales languidiores apparent, ſic & ſenſus omnes externi debiliores ſunt, imò de memoriæ imminutione conqueritur. Hunc humorem ergo tot calamitatum peccantem quantitate & qualitate cau-

ſam

ſam eſſe non uſque adeo obſcurum videtur, nam illum in capite & circa genus nervoſum colligi probant ſymptomata ſupra enumerata, imprimis capitis dolor gravativus & ſopor &c. qui paroxyſmi contingunt, quoties ſeri copia tanta nunc intra cranium, inter meninges in anfractibus cumulatur, quanta ad hæc ſymptomata efficienda requiritur, aut quoties ſerum copioſum acre & malignum in totâ maſsâ ſanguineâ collectum & turgens impetuoſius ſuâ ſponte movetur. Sic enim caput ſeu genus nervoſum amplius labefactarunt & ad irruptiones crebriores ſeroſorum humorum admittentes reddiderunt paroxyſmi frequentiores, unde quoque indies truculentiores evadunt: Remittunt autem, quando cerebrum moleſtiam excutit, aliorſum hoſtem amandat aut potior ejus portio à glandula pituitaria reſorbetur. Vertigo dein tenebricoſa tam frequens & moleſta cum viſùs imminutione ab iiſdem humoribus cum pituitâ permixtis in cerebro collectis, à quibus flatus, & vapores excitati & in cerebri ventriculos irruentes, ſpirituſque animales varie agitantes illius cauſa ſunt, quæ etiam levi de motu in lecto aliquando excitari ſolet, quæ ſane, ſi longiorè temporis tractu perduret, caput & cerebrum valde debilitabit ac nova accumulabit excrementa, quæ *Dominam ægram* in alium pejorem affectum præcipitabunt. Loquelæ verò imminutio & abolitio ſaltem per aliquod temporis ſpatium, ab iiſdem humoribus ſeroſis, diverſas partes voci & loquelæ inſervientes ſc. Laryngem, linguam, pulmones, muſculos pectoris intercoſtales, nervos ſextæ & ſeptimæ conjunctionis &c. quas alluunt, talia ſymptomata cauſantur. Has omnes partes affici in paroxyſmo manifeſte patet, cùm in hujus principio *Domina ægra* balbutiat, & de linguæ gravitate, ſic & maxillarum ſtupore ac debilitate conqueratur, nec commode os aperire queat, quod partim ex nimiâ laxitate & humiditate muſculorum, partim compreſſione aut aliquâ obſtructione hiſce organis inſervientium nervorum, partim à ſeroſis humoribus in pectus irruentibus ac muſculos pectoris & intercoſtales comprimentibus, irritantibus tranſmiſſoque aliquando ichore acri ad pulmones, quorum præſentiâ impediti, vix officio ſuo ſatisfacere poſſunt, ventilationi ſc. caloris in corde, hinc citatior fit eorum motus crebraque ac difficilis fit reſpiratio, donec tandem tuſſi ſatis validâ ſuperveniente magna inde & copioſa ſputi tenuis, aquoſi ac crudi fit dejectio, ſicque in inſtanti loquelam recuperet, quamvis etiam conſtrictioni cuidam convulſivæ hæc ſymptomata ſint adſcribenda. Pulſus ut plurimum rarus in morbis frigidis & chronicis locum habere ſolet. Urinæ, quæ *in Dominâ ægrâ* apparent tenues & albæ, quamvis interdum bene coloratæ ſint cum ſedimento tamen utplurimum viſcido & craſſo. Aquoſæ & pallidæ illæ urinæ apparent, quod parum Tartari partiumque ſalinarum ac ſulphurearum contineant, quæ per conſequens albæ

&

albæ & pallidæ videntur, quarum cauſa eſt ventriculi, cordis ac cœterorum viſcerum indigeſtio, ob quam ſalinæ & ſulphureæ eſculentorum particulæ non rite ſubiguntur nec adeo minutim confractæ volatiliſantur, ut diſſolutæ ſero tincturam communicare queant, unde fit, ut hiſce principiis denudatum urina tenuis & limpida ſæpe excernatur. Senſuum verò illa imminutio imprimis visûs ab iiſdem humoribus ſeroſis in nervos illabentibus vel ab adſtrictione vel & à compreſſione nervorum opticorum; ſic auditûs, guſtûs & olfactûs imminutiones ab irrigatione nimiâ & compreſſione horum nervorum ab humoribus his ſeroſis abundantibus cauſantur. Ex quibus patet, quòd ſerum in maſſa ſanguinea turgens ſit imminuendum & per loca congrua evacuandum, à cerebro revellendum ſimulque ab acrimoniâ vindicandum, intra cranium conſumendum, cerebrum ac genus nervoſum roborandum, ac opera danda, ut ſanguis laudabilis ad nutritionem & ſufficientem ſpirituum animalium proventum aptus producatur. Quum affectionis ſcorbuticæ manifeſta ſe prodant ſigna, humores ſeroſi circa Lienem, meſenterium & hypochondria deliteſcentes ac corrupti educendi, præparandi ac *antiſcorbuticis* corrigendi, partes roborandæ ac ſymptomata mitiganda. Quos ſcopos attingere non impoſſibile quidem, ſed ſane arduum dixerim, cum jam à longo tempore *Domina Ægra* graviter afficiatur. Affectus tales nervoſi aliàs curatu difficiles ſunt eoque magis, quod genus nervoſum valde à tot paroxyſmis debilitatum ſit ac altas jam radices egerit: proin affectus Lienis & Hypochondriorum ſimiliter affectionis ſcorbuticæ maxime rebelles ſint, ſicque diuturnum remediorum uſum, quibus expugnantur, exigant. Quia tamen *Nob. Dn.* adhuc juvenis eſt, non deſperandum, dummodo præceptis medicis obtemperet, nec recidivis anſam præbeat.

Ut his indicationibus ſatisfiat, remedia *ex triplici fonte Diætetico, Chirurgico, & Pharmaceutico* deſumenda.

Quum *Diæta* accurate & juxta ſex rerum non naturalium moderationem rite obſervata in morbis chronicis debellandis magnum auxilium afferant, *Nob. Domina ægra* ad tot moleſtiſſimarum afflictionum expugnationem & mitigationem ſtudioſe obtemperabit. Aer itaque naturâ ſuâ ſit temperatus & purus ad caliditatem & ſiccitatem vergens. Cibi & Potûs maxima habenda eſt ratio. Vitet igitur *Domina Ægra* omnia viſcida vaporoſa, cruda, ut & ſeri multum producentia, coctu difficilia, omnia ſale & fumo indurata, aromatibus condita; à piſcibus abſtinendum, ut & à fructibus & oleribus crudis, leguminibus, carnibus ſuillis aliiſque quæ multum ſeri humoriſque pituitoſi ac crudi generare apta nata ſunt: nocent quoque multa & varia in unâ menſâ fercula. Contra autem victus ſit boni ſucci, coctu facilis, moderate

derate calefaciens, attenuans, detergens, deobſtruens: ut ex volucrum genere Pulli columbini imprimis ſylveſtres, gallinacei, Capones juniores, perdices pluresque de montanis, rejectis paluſtribus: Ex quadrupedibus vituli bene nutriti, juvencorum, vervecum carnes recenter mactatæ bene coctæ. In juſculis utiliter incoquetur *Cichorium*, *Naſturt. Chærefol. &c.* Pro potu vinum non ſuadeo, cùm nimis vaporoſum omniumque fluxionum ſit vehiculum, ſed *decoctum Rad. Chinæ in taleolas inciſæ vel ligni ſaſſafras cum tantillo viſc. quern.* A ſomno abſtineat præſertim mox à paſtu & fugiat meridianum, nec cubitum petat, niſi duabus aut tribus à cœnâ horis. Abſtineat, ab exercitiis vehementioribus à paſtu, cùm coctio turbetur: Exercitium ſit moderatum ante prandium ſic & poſt cœnam ad calorem nativum refocillandum. Ab otio nimio abſtineat. Alvus quotidie aperta ſit, quod ſi defecerit natura, adjuvanda *enemate appropriato vel alio laxante*, ne natura uni remedio aſſueſcat. Et ſi quædam evacuatio naturalis ſit ſuppreſſa, blande ſollicitanda erit *remediis convenientibus.* Omnia animi pathemata Triſtitia, Terror, melancholia, ira &c. cane pejus & angue fugienda. Interea *Medicus ordinarius* jam à longo tempore officio ſuo ſane non defuit omniaque quæ ad hunc morbum debellandum ex uſu eſſe cenſuit, in & extra paroxyſmos juxta exactam diætam adhibuit.

Ex Chirurgia frictiones partium inferiorum ut & ſcapularum: Veſicatoria cervici, carpis tibiiſque cum fructu applicata fuère: cauteria duo, unum quidem in brachio ſiniſtro, alterum in femore dextro tribus digitis ſupra genu, quæ hactenus ichores acres ſanioſos & purulentos eructarunt, ſed inſcio Medico jam ab aliquo tempore hæc recluſa eſſe voluit *Domina ægra* ob pruritum inſignem, quem ab humoris acris & ſalſi effluxu patiebatur, cui tamen accidenti obvenire, non difficile erat.

Ex Pharmacia ea hactenus medicamenta adhibita & porro uſurpanda erant, quæ indicationibus ſatisfaciant, & primò habitâ ratione graviſſimorum ſymptomatum maxime urgentium, imprimis cerebri affecti ipſi primario ſuccurrendum eſſe exiſtimavi. In hunc finem *ſequentem pulverem* præſcripſi omnibus indicationibus ſatisfaciens.

℞. *Radic. Valerian. Sylv. Pœon.* āā ʒj. *Antihect. Pot.* ℈iiij.
C.C. Phil. ppr. Ungl. Alc. ppr. āā ʒjß. *ciñab. nativ. Hung.* ℈ij.
Ocul. ♋. *ppr. magiſt. perlar.* āā ʒj. ⊖ *vol. Viper. Lumbr.* 🜂 āā ℈ß.
Bezoard. ♂. ℈ij. *Tab. man. Chr. perlat.* ℥j. *Mſc. F. Pulv. ſubtilis*
de quo ſingulis dieb. mane jejuno Ventriculo ʒß. *ſumat c. aq. beton. l. fl. Til. & veſperi horâ quartâ. Horis intermediis interdiu & noctu*, ſi vigilet, *unum alterumve cochleare hujus mixturæ ſumat, modo non ſtatim à paſtu ſit.*

℞. *Aq.*

℞. *Aq. flor. Til. Pœon. paralyſ. Meliſſ. Beton.* ãã ℥j. *ceraſ. nigr.* ℥vj. *liq. C.C. ſuccinat.* ʒß. *Eſſent. caſtor.* ℈j. *Tab. man. Chr. perl.* ℥ß. *Mſc.* Si ſopor accedat, *excitetur ſp.* ⊖. ✳. ▣. *vel Balſ. ſuccini.* *Clyſteres* per intervalla cum fructu injiciuntur, cùm alvus occluſa ſit: Quod *ad purgantia* per os exhibita ſpectat, *lenientibus potiùs quam fortiorib. purgantib.* utimur. *Ex ſyr. de Chichor. c. Rh. cum pauco pulvere radicis Jalappæ & ſale* ♀. præſcripſi in caſu urgente, *hoc purgante* ichores acres & ſeroſos humores ſine ullâ moleſtiâ cum levamine dejecit. Quum à quibuſdam diebus *Doctiſſimus Dominus Doctor Grojan* ad conſilij rationes mecum conferendas convocatus fuerit, factâ prius omnium ſymptomatum enarratione eaque omnia ſigillatim exacte & attente inveſtigata unà convenimus *Nob. Dominam* affectione quâdam ſcorbuticâ & Hypochondriacâ affici, quamvis caput ac totum genus nervoſum ab omni labe immune eſſe non ſentiamus. Hâc de causâ ſequenti methodo curam ſuſcepimus poſt ſupra præſcriptam diætam. Habitâ ratione cauſæ antecedentis humorum ſc. viſcidorum, crudorum ac ſeroſor. ut & obſtructionum in Hypochondriis Meſenterij, aliarumque partium *ad ſpecifica antiſcorbutica* confugimus, puta *ſuccum Naſturtij aq.* de quo ſingulis diebus *cochl. vij. vel viij.* mane jejuno Ventriculo *ſpatio* 10. *vel* 12. *dierum* aſſumſit, ſic & veſperi horâ quartâ; interdum quoque horis appropriatis *de pulvere ſupra præſcripto* ʒß. Urgentibus potiſſimum cerebri ſymptomatib. *de Mixturâ unum alterumve cochleare* ſumſit. His peractis humores præparatos *Potione laxante ſupra nominatâ* eduximus, & ſatis copioſe cum levamine. Dein ad obſtructiones reſerandas, humorum acrimoniam demulcendam *ſequente pulvere ſpatio decem dierum ſingulo mane uſa eſt.* ℞. *Croc.* ♂. *aperit.* ʒj. *ocul.* ♋. *ppr.* ℈j. *rad. Ir. Fl. gr. xij. cinam. gr. vj. Mſc. pro tribus doſibus.* Ubi alvus per 2. dies adſtricta fuit, *clyſtere convenienti aut potione laxante* ſatisfactum eſt. Sed quum ſymptomata nihilominus recurrerent, imò aliquando graviora cum urinâ tenui, albâ & aquoſâ, ad alia confugere oportuit, *ſudorifica nempe*, præſcripſimus tale ℞. ♁ij. *diaph.* ℈j. ⊖. *card Bened.* ℈ß. *aq. ſcab. cerefol.* ãã ℥j. *Mſc.* quod ſequenti die iteratum fuit, ita ut optime ſudarit & quidem per univerſum corpus, à quo tempore pulſus melior, urinæ laudabiliores ratione conſiſtentiæ & coloris ita ut exiſtimantes *Nob. Dominam ægram* melius ſe habituram: attamen elapſo uno aut ultero die ſymptomata ingraveſcebant, ita ut ob plurimas rationes *ad curam ſudoriferam corpore prius præparato* devenire conſultum eſſe duxerimus. *In hunc finem præſcripſimus ſeq. potionem ſudoriferam.*

℞. *Radic. Chin. Lign. ſaſſaffr.* ãã ℥jß. *raſ. lign. ſanct.* ℥j. *Infund. tepidè*

per noctem in aq. fontan. ℔iiij. *mane bulliant lento igne fere ad med. part. Capiat.* ℥v. *mane, quâ diætâ ſingulo mane uſa eſt ſpatio* 12. *dierum*, ita ut optime ſudarit, ſed non niſi horâ quartâ veſperi ſudores manarint, & aliquando durante noctu ſudarit ſine moleſtiâ aut virium dejectione: tamen cùm recidivam ſymptomatum enumeratorum *Nobiliſſ. Domina* frequenter patiatur *uſum ſeri lactis caprini cum ſuccis herbar. cochleariæ, Naſturt. aq. horis matutinis præſcripſimus*, tum ad viſcerum obſtructiones reſerandas, intemperiem eorum corrigendam, præcipuè ad totam ſanguinis maſſam ab acrimoniâ vindicandam. Cùm cerebri male affecti manifeſta ſe prodant ſigna, ut dolor capitis gravativus continuus, ſopor, vertigo, motûs impotentia, frigus, viſus imminutio, Tremor, loquelæ imminutio & abolitio &c. totam curam eò dirigendam cenſemus. *Verum ad Te, Vir Celeberrime confugimus ac conſilium Tuum avidè exoptamus.* Precamur ut DEus Tibi mellitos Neſtoreosque largiri velit annos. *Vale.*

Tui ad officia paratiſſimi

Neocomi Helvetiorum Chevalerius, M. D.
d. 24. *Xbris.* 1692. Grojan, M. D.

Conſilium Medicum & Reſponſum ad præcedentes pro Nobiliſſ. Domini H. Ch. Neocomenſis Conjuge.

CAput *Nobliſſ. Dominæ Ægræ* à colluvie ſeroſa intus & foris valde inundari plurima ſunt, quæ fidem faciunt. Serum intra Cranium cumulari & profundius ſe immergere, ac medulloſam partem quoque cerebri attingere, demonſtrant viſûs imminutio, ſomnolentia, memoriæ hallucinatio, vertigo titubans, ob quam, ſi firmiter incedere velit, oculi claudendi ſunt, quam non ſpernendam, & à proprio cerebri affectu originem ducere patet inde, quia illam quoque experitur, quando in lecto corpus verſat. Loquelæ impedimentum ſeu balbuties, quandoque ejus veluti abolitio aliquandiu durans, item gulæ conſtrictio deglutitionem præpediens non niſi nervulis intra cranium ad linguam & Pharyngem pertinentibus afflictis adſcribi poſſunt, idque ab eâdem colluvie. Medullam quoque ſpinalem ab illâ pati imprimis evincunt artuum ſtupor, ſenſus formicationis, præcipuè verò imbecillitas brachij ſiniſtri, ut illud quandoque attollere ad caput nequeat, & pedis ſiniſtri impotentia ingreſſum impediens: Eâ etiam læſa fit procul dubio, quod aggravatum Caput erigere & erectum retinere non valeat. Extra cranium illud quoque profundi, multa quoque indigitant imprimis ſubtus cutim capillatam capitis, nam dolente capite foris attactum mediocrem non tolerat, licet à fortiori compreſ-
ſione

ſione mitigetur: à forti conſtrictione oſſis Lambdoidei ejuſque ſuturarum loquela magis ſonora redit, quamvis motus artuum inde non redeat: patitur punctiones ſub oculis, ac ſi virgâ facies percuſſa fuiſſet, cum lachrymis: Inde quoque *ſecundum mentem Fernelij* dolores artuum tenſivi pungentes & laſſitudo ſpontanea, item aggravatio pectoris, pleuritis notha, gingivarum intumeſcentia, dentium vacillatio ipſæque aphthæ in labiis & intra illa derivari poterunt. Si ſerum ex glandulis faucium, gulæ & ventriculi copioſius exſudet, materiam præbet vomitui matutino aqueo & mucoſo ſeu viſcido lento. Sero *Domin. Ægram* abundare probant hæc ipſa ſymptomata nimis quàm frequenter illam adorientia: ejus cumulationem promovent vita ſedentaria & errores in victu. Serum in maſſa ſanguinea quandoque turgeſcere vel inde manifeſtum eſt, quia malum per paroxyſmos illam invadit plureſque partes ſimul à ſerò, à reliquo ſanguine ſeceſſum faciente, affliguntur. Hoc ſerum tenue eſſe inde conjicere licet, quia ſemiparalyſis pedum Ex. gr. citò invadit & penitus brevi remittit, quod etiam in loquelæ vitio obſervatur. Acre eſſe ſerum colligere licet ex dolorum vehementiâ, punctionibus; ex aphthis &c. aliàs ſemper ſalſum eſt ſuâ naturâ: ſalſius comperiretur guſtato ſero ſanguinis poſt V.S. emiſſo & aliquandiu aſſervato: an autem verè ſcorbuticum ſit? ignoro: certe utcunque errores in victu commiſerit, non tamen frequenter comedit carnes aut piſces ſalitos & fumo induratos. Ad omnem hanc calamitatem inferendam plurimum adſcribendum eſt hæreditariæ labi, nam Patre nata eſt valde podagrico.

Affectus hos omnes exſtirpare illorumque recidivas declinare admodum difficile erit, cùm cauſa illorum redundet in tota maſſa ſanguinea, partes effluxum ſeri concedentes illudque recipientes debiles ſint, tum à congenitâ labe, tum à tot paroxyſmis ab aliquot annis crebro recidivantibus: ut, taceam, vix evitari errores etiam à cautiſſimis poſſint: ſpem tamen faciunt Ætas nondum provecta & *Dominæ Ægræ* cupido bene valendi anhela. Cum fructu & citra magnam afflictionem aliarum partium hac methodo ſerum imminui, à Cerebro avelli & unâ operâ ejus acrimonia attemperari & corrigi poſſe videtur.

I. *Purgetur potione in conſilio præſcriptâ ex ſyr. de cichor. c. Rhab. pulv. Gialappæ*, *&c.* quia illa citra tormina & proſtrationem virium copioſe alvum ſubduxiſſe memoratur, illamque præferrem *Pilulis*: ſed non nimis crebro detur, ne tandem ventriculus deſtruatur, ſufficiet ſi alternis menſibus aut ſemel ad ſummum in menſe, flagitante neceſſitate propinetur.

II. Plurimum ad ſeri copiam exhauriendam faceret *ſudoris provocatio ſuper ſcamno ad hanc evacuationem peculiariter conſtructo*, quæ ſi

legitime inſtituatur, ſerum ex intimis receſſibus ſine virium proſtratione auffert. *Poſſet ſingulis menſibus per dies* 10. *vel* 12. *ſibi ſubſequentes inſtitui. Hâc methodo* 1. *detur mane ante horam ſextam hauſtus decocti ſudoriferi ad ℥iiij. vel ad ℥v. Decoctum hoc modo præparari poſſet.*

℞. *Lign. Lentiſc.* ℥ß.
Radic. ſarſæparill. ℥iij.
Inciſ. add. aquæ fontanæ ℔viij.

digerantur in vaſe vitreo clauſo horis 12. *in loco calido bene clauſo: poſtea adde paſſular. corinth. lotar. & bene contuſarum* ℥iij. *coq. ad conſumtionem dimidiæ partis; ſub finem coctionis adde ſem. fœniculi contus.* ʒiij. *coletur ſine forti expreſſione.* 2. Hinc ex lecto incumbat *ſcamno jam calefacto.* 3. Dum *ſcamno* incumbit, ſubinde detur *cochl. j. vel ij. aquæ confortativæ ſeu refectivæ hoc modo paratæ.*

℞. *Aq. borrag.* ℥ij.
bugloſſ.
fl. Til. āā ℥jß.
Mag. ♃ij. *diaph.* ʒß.
Matr. perl. ppr. ℈j.
Syr. rub. Jd. ℥ß. *Mſc. d. ad vitr.*

4. Relinquatur *ſuper ſcamno* primò non ultra quadrantem horæ, ſequentibus diebus longius, ſed nunquam ultra horam. 5. finito termino detergatur *linteis calefactis* ſenſim, ac reponatur in lectum calefactum, ibique aliquoties reficiatur *aquâ reficiente.* Si deſideret circa horam 8. juſculum, non denegetur illud. Prandeat circa hor. 11. & cœnet ante ſeptimam hor. *Menſes ad hanc ſudationem commodi* eſſent, *Februarius, Martius, Aprilis*: etiam *Majus*, niſi valde æſtuaret: quamvis illam ſuaſerim in ipſis diebus canicularibus. Elapsâ æſtate repeti poſſet *per Autumnum & Hyemem*, ſingulis menſibus mane per dies 10. vel 12: Veſperi raro illam ſuadeo. Toties autem repetenda eſt *hæc ſudatio*, quia non niſi lente & tuto tollitur hæc colluvies. Dum hâc utitur, caveat ſibi imprimis ab aëre frigido & humido. In paſtu concedo laudabiles carnes in conſilio nominatas ſive elixas ſive aſſas: quandoque etiam piſces melioris notæ, imprimis aſſos: Ova ſorbilia, fructus dulces coctos, etiam olera recentia cocta, ad evitandam alvi conſtipationem. *Sudationis tempore* rariſſime vinum concedo, non quod timeam vaporum ad caput aſcenſum, quia nullus eſt, ſed ſanguinis inflammationem: pro potu ordinario probo *Decoctum radicis Chinæ, cui aliquid paſſularum Corinth. ad*

dendum.

dendum. Alvus conſtipata maturè movenda *Clyſtere conſueto.* In cubili pro lubitu obambulet ad evitandum ſomnum pomeridianum. Dum in hác curâ occupatur omnia alia medicamenta omittantur.

III. Ad colluviem ſeroſam in capite foris & intus ſtagnantem, debellandam præter omnium expectationem *efficaciſſimum* comperi *Emplaſtrum Veſicatorium toti cuti capillatæ impoſitum*, quod, licet nullam veſicam excitet, niſi ubi cicatrix alicubi adſit, plurimum tamen aquæ ex poris educit cum palpabili effectu citra ullum dolorem, ſi modo ritè applicetur, *hoc modo:* 1. *Abradatur raſorio totum capillitium.* 2. *Inducatur Veſicatorium Emplaſtrum vel Auguſtanorum vel Pariſinorum D. Charras cum cerâ, pice, &c. non cum micâ panis &c. paratum, inducatur pelli molli ad craſſitiem pennæ prope anſerinæ, inde formetur cucupha.* 3. *imponatur toti cuti capillatæ, cavendo ne aures, aut alibi cutim non capillatam attingat.* 4. *Firmetur vittâ, ne loco moveatur.* 5. *relinquatur ad ſummum horis* 8, *non ulterius, aliàs dyſuriam pariet.* 6. *Poſt ſtatam horam elapſam imponatur folium braſſicæ capitatæ aut pellis mollis butyro recenti oblita bis vel ter in die, donec nihil amplius ex poris exſtillet: ſinatur cuticula exſiccari, quæ tota ſecedet inſtar folij hyperici perforata. Quamprimum pectine cuticula ſublata fuerit, denuò bis vel ter hujus veſicatorij uſus ſeu impoſitio repeti poterit, ſemper tamen abraſis capillis renaſcentibus.* Hæc *Veſicatorij* applicatio imprimis in paroxyſmo, præſente vertigine, convenit.

IV. *Extra tempus ſudationis proderit pulvis abſorbens & maſſam ſanguineam edulcorans, cujus dari poſſet ſummo mane* ℨß. *cum aquâ Betonicæ, vel Verbenæ vel Flor. Tiliæ ſimilive. Pulvis talis parari poſſet.*

℞. *C. C. Philoſoph. ppr.* ℨiij.
Ungul. Alc. ppr.
Antihect. Pot. ãã ℨj.
Cinnab. ♀*ij. vel nativ.* ℈ij.
Pil. reg. incompl. ſi ambram non toleret,
aut ſi illam ferat compl. No. j.
Ol. Nuc. moſch. expr. gr. iiij.
Sacch. albiſſ. ℥jß. *Mſc. F. Pulv. d. ad ſcat.*

V. *In die novi, & plenilunij* niſi menſes fluant, *ſummo mane dentur gr. v. vel vj. Auri Horizontalis* (quod heîc mitto) *in unâ aquarum prædictarum.*

VI. Si Catharri ad Ventriculum & pectus ruant, *alternis noctibus horâ*

horâ ſomni 2. vel 3. vel 4. Pilulas Thariacæ cœleſtis cum pauxillo ſyrupi violarum dentur.

In diætâ præſcriptâ nihil immutandum invenio, niſi quod ipſi, extra tempus ſudationis vini aliquid in paſtu concederem pro lubitu dilutum *decocto Radicis Chinæ.* Permitterem tunc obambulationem in aprico cœlo ſerenoque etiam ad vicina prædia Mane & Veſperi cœlo temperato nec valde calente ſole. *Fonticulum* in brachio, ut apertum ſervet, neceſſarium eſt: in crure illum claudere licebit. Alia medicamenta eorumve formulas hic coacervare hac vice nolui: ſufficient hæc, niſi nova ſymptomata talia poſtulent. *Typum ſcamni ſudoriferi mitto*, quem *Fabro lignario Excell. D. D. Grojan.* explicare poterit, cum illud apparandi & calefaciendi cum his Germanice tranſcripto.

Deus T. O. M. hæc Nobiliſſimæ Dominæ Ægræ
ſalutaria eſſe Jubeat!

Scaphuſij Die 3. Febr. 1693. Joh. Jacobus Wepferus, M. D.

Nobiliſſimus Dominus Maritus die 12. *Martij* 1693. *Neocomo ſcripſit*

Poſtquam purgata fuit, per dies undecim uſa eſt *ſcamno ſudorifero:* quod admodum commodum reperit & optime inde ſe habuit: diebus 19. loquelam non amplius amiſit. *Die 6. Martij Veſicatorium toti capiti raſo impoſitum fuit: Emplaſtrum hoc* eduxit notabilem ſeri copiam. *Die 4. Martij* uti incepit *pulvere cephalico.*

Die 22. Martij ſcripſi, ut methodo præſcriptâ menſibus his vernis pergerent.

Nobiliſſimus Dominus H. Ch. cum Nobiliſſima Domina Conjuge me Scaphuſii convenit die 13. *Junij.* 1694.

Poſtquam uſa eſt meis medicamentis: *à purgante* multum aquæ educebatur, die ſequenti hypercatharſis ſupervenit &c. Lac amiſit: ſi infans admotus fuiſſet, rediiſſet Lac. NB. Facile delirat citra febrim, in hoc ridet, flet, loquitur abſurda, quæ tamen antequam enunciet aut enunciata ſtatim abſurda agnoſcit; delirium imminens animadvertit ex cardialgiâ quâdam: delirandi hæc neceſſitas durat 8. hor. Verum hoc ſymptoma diu emanſit; rediit à lacte retropulſo, aliquando inſtantibus menſibus. *Curam ſudoriferam cum ſcamno* optime pertulit, ut & *Emplaſtrum Veſicatorium toti cuti capillatæ impoſitum:* In tribus menſibus ter *curâ ſudoriferâ* uſa eſt cum fructu & notabili ſymptomatum imminutione: In ſecundo menſe redierunt menſtrua cum levamine.

Æſtate præterita per duos & dimidium Menſes Menſtrua ſubſtiterunt, & tunc ſubitò doluit in oſſe ac ſi vellicaretur, ut ſubito exſilire coga-

cogatur etiam in Templo: dolor eſt momentaneus. Poſt hanc ſuppreſſionem abortiit: Abortus erat ovi magnitud. Erat corpus fibroſum, cavum continens liquorem albumini ſimilem. *Circa Feſtum Nativitatis* rurſus 10. ſeptimanâ abortiit. Inter duos hos abortus deliravit ſubinde ſed cum majori triſtitiâ: abortus præceſſerunt nixus pariendi: horum causâ *Vena ſecta fuit in brachio* cum levamine poſt d. 3. hinc in vaginam pervenit corpus quoddam, quod *Obſtetrix Pariſina* extraxit; erat mola. Menſe poſt excluſionem abortûs Menſtrua redierunt large, ab illo tempore melius hucuſque habuit: nunc ordinariè redeunt, durant tribus diebus: hinc per triduum ſubſiſtunt, dolent inde Lumbi & debilitates imminent: ſequitur fluxus rurſus cum levamine & omnium remiſſione. Fluxus melius promovetur decumbendo quam obambulando. Utitur *Thermis Badenſibus*, quas ſummopere appetiit. Tertiò die poſt inſeſſus redierunt ſolita ſymptomata ſed multo mitiora. Nuper inter balneandum redierunt Menſtrua *die* 4. *Junij* ſine moleſtia. NB. Quando lac reprimere conatur ante ablactandum ſymptomata eveniebant pridem: Ejus causâ *ſuber cum ſale communi nodulo incluſum* collo appendit, inde Lac evaneſcit.

Die 14. *Junij* 1694. *ſuaſi* ut per aliquod temporis ſpatium ab uſu medicamentorum, niſi urgente neceſſitate, abſtineat. Circa autumnum *conſuetam potionem laxantem ex ſyr. de chich c. Rh. &c.* ſumat, poſt tres dies *Venam in alterutro brachio ſecare* curet. Dein *pulvere cephalico abſorbente* in conſilio memorato utatur. *Aurum horizontale* ſibi commendatum habeat, &c.

OBSERVATIO XXXIII.

Caput ſero turgidum cum Symptomatibus hyſtericis.

NObiliſſima *Dn. Conjux Nob. D. N. N. de Neuforen, Præfecti Horb.* 37. circiter annorum; habitû corporis obæſâ, facie ſubpallidâ, labiis roſeis. Ante annum & quod excurrit paſſa eſt diu & per aliquot menſes ſuppreſſionem menſium: uſu *Thermarum* poſtea enormiter fluxerunt, ut ex nimiâ hæmorrhagiâ mortem vereretur; quartâ poſt fluxum hunc die caput perluit neſcio quo *Lixivio*. Ab illo tempore percipit frigus quoddam à capite incipiens totumque corpus pervadens, tuncque faciem ſibi intumeſcere opinatur; hoc frigus vocat febrem capitis: laborat quoque Odontalgiâ in maxillâ ſiniſtrâ ſuperiore; dolet caput in vertice & ſyncipite, dolor autem ſolum eſt gravativus

cum ſenſu frigoris. Caput innumeris integumentis etiam ſub Caniculâ obvolvebat 1670. *d.* 9. *Auguſt.* quod hâc æſtate totâ fervidiſſimâ fecit: inſuper caput inungit *Balſamo Cephalico antiapoplectico*, *pileolum ex Herb. cephalicis* geſtat. Veretur Apoplexiam, nec minimum frigus perferre poteſt, unde æſtate quoque Hypocauſtis utitur; à minimo frigore ſe ſtatim lædi dicit. Detractis integumentis ſenſi æſtum etiam longius ſemotâ manu ſeu eminus habitâ manu validum emanaſſe. Imaginatur ſe quoque hydropicam eſſe, & Anaſarcâ nunc laborare nunc Tympanitide; quamvis vividam & ſolidam carnem habeat, nec pedes digitorum impreſſa veſtigia ſervent, nec abdomen durum ſed molle exiſtat. Appetit, bene ſapiunt carnes, ſitit ſubinde, ut in die ultra menſuram vini Neccarini non diluti bibat. Cibi non gravant, rariſſimè vomit, & non niſi quandoque manè aquea & amara: alvus quotidie ſtatâ hora ſolvitur: quandoque murmur in ventre evenit, & moleſtiam in ſiniſtro latere parit ſed evanidam, quandoque in dextro Epigaſtrij latere. Urinam monſtravit plane naruralem, ſpiceam potius quam tinctiorem & tenuem. Facile ſpirat: pulſus eſt naturalis; cor rariſſimè palpitat. Quandoque aures, citra tamen auditûs læſionem, tinniunt: capite inclinato ſubinde vertiginem animadvertit; bene dormivit: ſenſus ſunt integri & motus animalis. Aliquando aliquid hyſterici ipſi evenit, & Leipothymiam veretur, unde *Succinum* accenditur, *Balſamus Apoplecticus* naribus admovetur. Delectatur admodum *aquis cum vino deſtillatis & ſpiritibus fortioribus*, *ut ceraſor. & ſimilium*, à quibus ſe mire refici dicit. *A purgantibus* læditur: delicate educata fuit. Iracunda eſt; frequenter in fermento tota jacet: vivit in matrimonio litibus fertiliſſimo. Menſes inordinate fluunt, & ſæpe demum poſt ſeptem ſeptimanas ac parce, biduo tantum manant, coloris atrorubeſcentis. Quatuor liberorum mater eſt.

Reſolutio.

QUamvis apud *Nob. Dn.* plus imaginationis concurrat de quibusdam morbis, non tamen ab omni labe immunis eſt: poſt largam enim ſanguinis profuſionem caput debilitatum non parum fuit, & ſeri multum nunc ſub cute capillatâ capitis colligitur, nam cutis illa laxior videtur, frigus ibi percipit; odontalgiâ quotidie fere laborat, facies inflatur, caput patitur dolorem gravativum; Vertiginem & tinnitum aurium ſentit: ſubinde ſymptomata patitur hyſtericis affinia, ob quæ Apoplexiam timet. Caput tot integumentis ampliùs debilitat, dum ab illis ſeu à cucurbitâ humores attrahuntur. Aquævitæ cerebrum, nervos glandulaſque indurant, unde ſuccus nervoſus copioſior cumulatur & tenuior evadit, quem auget largior potus. Serum accumulant quoque menſes parcè & tardè manantes. Itaque

Itaque ſerum ſubinde evacuandum *Pil. cephal. noctu ſumendis* : cerebrum roborandum *manè & veſp. Tab. cephalic. noctu nunc pulv. Marchion. nunc conſerv. roſar. majoran. rorismar. ſalv. &c.* Foris *Balſam. cephal.* Ventriculus quoque roborandus *eodem Balſ.* Caput à ſordibus mundandum *Pulv. ex furfur. rad. Irid. Fl. Fol. ſalv.* *Pileolus* capiti imponatur *ex Verben. majoran. rad. caryophill. C. C. ſuccin.* Menſes movendi *ſpeciebus menagogis ter in anno.* In victu vitet aromata, ſalita: omittat aquas iſtas ſpirituoſas. Vinum diluat *decoct. chin. Fonticulo* indat *globulum ex ☉ Scarificatio.* Odontalgiæ mederi poterit *Gargariſmo ex ſatureya, roremar. in vin. & aq. coct.* Propter ſymptomata hyſterica utatur *aq. hyſter. & Pilâ hyſtericâ.* *Loco Tabul. ſuaſi pulv.*

℞. *Pulv. ſtom. Birkm.* ℥iij.
C. C. ph. ppr. ℥ß.
Ungu. alc. ℈iiij.
N. M. Mac. ppr. āā ʒj.
Lign. Aloës ʒß.
Tab. man. Chr. perl. ℥ij.
Mſc. F. Ps. Doſi M. & Veſp. ʒj.

OBSERVATIO XXXIV.

Cephalalgia.

AMpliſſ. & Conſultiſſ. Dominus J. Sch. Sac. Cæſ. Maj. & Regiminis inferioris Auſtriæ Conſiliarius legatus ad Diætam Ratisbonenſem die 10. *Junii* 1673. *ex acidulis Ebenhuſanis propter capitis dolorem conſilium petit.* Circa initium *Menſ. Martii* caput ipſi dolere cæpit. Adeſt nimirum conſtrictio aut colligatio quaſi per vinculum ſeu faſciam capiti circum ligatam : cui accedit dolor punctorius ſatis vehemens, à ſternutatione, ſcreatu fortiore aut alvi exoneratione in fronte, qui eo uſque durat, donec caput tranquillum ſit. Dolor iſte punctorius non eſt continuus, ſed evenit tunc ſolùm, quando à prædictis actionibus irritatur. Frons à ſummo mane ad horam 8. veſpertinam calet: noctu friget. Appetit ſatis bene. Dormit 5. vel 6. horis. Sentit caput magis ac magis debilitari, adeò ut à laboribus *in diætà Ratisbonenſi* gravibus & multis abſtinere cogeretur; cùm illis ſufferendis impar fuerit. Uſus eſt *Medicorum operâ*, adſcribunt vaporibus ſtomachi: Item lieni & renibus &c. Sumſit *aliquot pulveres digeſtivos : Purgantia per* 14. *dies :*

dies: Succum majoranæ naribus attraxit: ſuaſus etiam *pulvis tabacci mitior*, ſed hæc omnia ſine fructu aut ſine ulla immutatione. Hinc *ad V. S.* perventum: ſanguis laudabilis inventus fuit; non fervidus Poſtea adhibita *veſicatoria in cervice*, *hirudines poſt aures*: quæ omnia effectus laudabiles præſtiterunt: morbum tamen non adorta ſunt. *Epithemata* æſtum non ſopiebant. Utitur jam per tres ſeptimanas *acidulis Ebenhuſanis prope Göppingam in ducatu Würtembergico*; in ſummo bibit ad ℔iiiiß. ſed ſine mali imminutione. Eſt annorum 51. temperamenti Cholerici. Eryſipelati pedis ſiniſtri obnoxius eſt. Nunquam ad hanc ætatem ex morbo alio decubuit.

Conſilium medicum.

SEnſus iſte conſtrictionis & colligationis ceu à faſciâ capiti circumligata, & dolor punctorius quoquomodo Capite ſuccuſſo à ſcreatu, tuſſi &c. ſuperveniens, numerandus eſt inter ſpecies Cephalalgiæ. Locus affectus non videtur Pericranium, quia ab attactu externo non exacerbatur: ſed dura mater, quia tuſſi, ſcreatui &c. accedit dolor punctorius, quia à laboribus ingenii debilitatur. Non pia mater, quia nulla adeſt vertigo, nulla ſomnolentia: nam non ultra 6. vel 7. horas & quiete dormit; ſive in ſuperficie, ſive intra anfractus cerebri, quia dolor punctorius maxime in fronte percipitur, ſedes cauſæ morbificæ ibidem latitabit: non neceſſum, ut tota dura mater ſeu membrana undique affecta ſeu imbuta ſit cauſa morbifica: nam in Hemicraniâ ſæpe ejus exigua portio affectâ totum dimidii cranii latus in conſenſum rapit. Si totum ambitum afficeret, procul dubio alia ſymptomata adeſſent.

Cauſa proxima non eſt vapor, quia malum pertinacius eſt & diuturnius, quam ut vel flatui vel vapori adſcribi debeat. A ventriculo quidpiam hucuſque exhalare *ab Anatomicis* exploditur merito: nam ſi conſideretur, quâ ratione baſis cerebri contra hujus generis exhalationes munita ſit, facile aſſenſus præbebitur impoſſibilem eſſe admiſſionem vaporum &c. Non eſt Aneuriſma in arteriis duræ meningis, quia dolor pulſatilis adeſſet. Non varicoſa diſpoſitio, quia dolor in alterutro latere eſſet, vel ſi in utroque, magis in medio, ſcil. circa ſitum corporis falciformis eſſet, nam ad latera ſinus tertii venæ incipiunt, in reliquo tractu vaſa ſanguifera duræ meningis maximam partem, ſi non omnes arteriæ ſunt. Igitur humor extravaſatus, qui nec ſanguis nec pus, ambo enim humores diriora ſymptomata excitarent. Igitur eſt ſerum quoddam intra cranium & duram meningem effuſum, cui per nares exitus denegatus fuit. Illud copiâ tenſionem efficit, & quia dura mater aliquo modo à cranio avulſa eſt & à ſcreatu &c. ſuccuti magis poteſt, dolorem punctorium efficit. Alius humor præter ſerum huc

huc non poteſt effundi, cùm non alius in cœtera ſano per arterias ad hunc locum deferri queat. Non negarim ſerum hoc acrius eſſe, aliàs dolorem punctorium tantum & aliquandiu poſt ſuccuſſionem durantem non efficeret; ipſa corrugatio indicium acrimoniæ alicujus. An acrimoniam in liene acquirat? ambiguum eſt, quum ſanguinis illa in liene fermentatio ipſa dubia ſit.

Quià Cholericus eſt & Eryſipelati obnoxius, Epar magis culpari poſſet; niſi univerſam maſſam ſanguinis fervidiorem dicere malimus ob omnium viſcerum ſanguificationi dicatorum intemperiem calidiorem. In hunc locum ſerum effuſum fuit ob coryzam impeditam, ob ſomnum interruptum, ob negotia praviora, ob caput denudatum intenſo frigore, aut non ſatis contra frigora nocturna munito, ob longum ſermonem capite debilitato aut capite æſtuante ſubitò frigefacto, aut ab alia ſimili prophaſi. Serum hoc evacuandum, revellendum, derivandum, abſorbendum ſimulque corrigendum & edulcorandum.

Purgandum ſubinde leniter, nam ſi vi ſerum evacuetur, fit illud cum damno & majore humorum perturbatione: imo omne evacuare impoſſibile foret. *Fol. ſenn. Tamarind.* commodius dantur, quam *magiſt. Gialapp. &c.* Revellitur *Veſicator. optimè in carpo & poſt Olecranum appoſitis:* nullo modo in Cervice. *Fonticulus in brachio ſiniſtro excitatus* derivabit. *Sternutatoriis & Errhinis*, niſi aſſuetus, plus attrahet, quam tollet; ſi his aſſuetus vitet *Moſchata. V. S. Hirudines applicitæ tum Hæmorrhoidibus tum poſt aures* non plus præſtabunt, quam *vulgaris Veneſectio.*

Topica diſcutientia non multum agunt: ſi mitia, nihil agent: ſi fortia, plus fundent. *Præſtat pulvis abſorbens & edulcorans talis.*

℞. *♁ij. diaphor. ʒij. Dent. Hipotami ℥ß.*
ungul. alc. ppr. ʒij. cinnab. nativ. ungar. ʒjß.
matr. perl. ppr. ʒj. Tab. man. chr. perl. ℥j. Mſc. F. Pulv.
doſis manè ʒß. cum aqua flor. tiliæ.

In victu vitet in butyro frixa, aromatizata, valde ſalita, acetaria &c. Vinum diluat *decocto Rad. Chinæ.* A paſtu negotiis veledicat, graviora abrumpat.

Scaphuſij die 12. Jul. 1673. Joh. Jacob Wepfer, M. D.

Die 22. Auguſti 1673. Ratisbonnâ ſcribebat. Conſilium placuit: illud conſideravit *cum D. D. Mezgero ſuo Ordinario*, qui illud approbavit. Putat *Veſicatoria* nihil Ipſum adjutura in brachio, cum affectum

non mitigarint in cervice excitata, quamvis magnæ veſicæ eruperint. An nihilominus excitandæ in carpo & quoties? quid ſit olecranum? *Pulvere* jam per 14. dies utitur: percipit inde levamen, ſed nondum plane ceſſat conſtrictio capitis maximè in fronte & dolor punctorius in tuſſi, ſcreatu aliove conatu, imprimis ſi alvum exoneret, ut ſæpe ab illâ excretione abſtinere aut illam interrumpere cogatur: magis verò manè quàm poſt prandium: dolor quoque uno die vehementior eſt, quàm altero. Bene appetit & bene dormit. Omnis querela eſt, quod ſuis negotiis, quæ mentis intentionem poſtulant in & extra conſilia, non pro lubitu præeſſe illaque ad nutum perficere poſſit. Quibus carnibus, piſcibus, oleribus &c. veſci queat?

Reſpondi d. 3. Octobris 1673. *Veſicatoria* loco diſtantiori applicita præſtantius revellunt, quàm vicino affixa, nam hæc attrahunt potius & dolorem augent. Id ſæpius feci & nuper admodum in ſimili prorſus caſu cum optato ſucceſſu. Per olecranum cubitus intelligitur. Quia malum inveteratum eſt, diutius continuanda ſunt medicamenta. Veſcatur cibis boni ſucci facilis coctionis ſcil. carnib. vitulin. hædin. vervecin. ferin. junior. pullis, avib. montanis. Vitet ſuillam, bovillam adultiorem & ferinam ſenio confectam. Carnes elixas aut aſſas pro lubitu comedat. Ex piſcibus carnem friabilem habentibus veſcatur ſcil. Lucio juniore, Thymall. Truttis, ſalmonib. &c. vitet carpiones, anguillas, cochleas, cancros in cœna; comedat aſſos & elixatos, non frixos. Ex oleribus braſſica muriâ non condita, beta, ſpinach. aſparag. cinara, thecis piſor. &c. veſcatur. Vitet piſa, fabas, cœpas, allium. Cæna ſit parcior prandio: imprimis vitet vina ſulphurea. Alvus quotidie aperta ſit, moveri poteſt *ſuppoſitorio ſcil. Pil. Moſchat. Item betâ, aut clyſtere domeſtico.*

OBSERVATIO XXXV.

Cephalalgia.

GRegorius *Drübler*, *Cadolzio Auſtriacus:* longurio, capillis albis prolixis præditus: 30. annor. pridem Venator: ab uno cum dimidio anno equis ad curſum &c. apparandis occupatus fuit; ſuccutiebatur ſæpe toto corpore vehementiſſime. Ante biennium ſcabioſus erat; ſcabiem ſuſtulit *Purgant. V. S. Unguent. ex* 🜍 *& Butyro*, quod ſciat nunquam *ex* ☿*rio. In Autumno* 1673. ſenſit ſubinde punctiones in occipite, quandoque in inceſſu, quandoque ab equitatione, non ſemper, imo dolor pellebatur ab equitatione. Sæpe vero diu nihil amplius de hoc dolore patiebatur, & quamvis ſubinde ac per ſatis longa intervalla punctiones quaſdam pateretur in occipite, nunquam

tamen

tamen propterea decumbere aut officium ſuum deſerere cogebatur. *D.* 16. *Maji.* 1674. ſubito ſæviſſimo dolore occipitis correptus fuit, indeque ad pectus, ſcapulam & cervicem diffundebatur: ab illo tempore quotidie dolore illo affligitur, ut non amplius ſuo munere fungi poſſit, ut narravit *Stülingæ Menſ. Jun.* 1674. Dolor ipſum invadit circa 12. aut 1. noctis, durat ad hor. 11. antimerid. poſtea prorſus à dolore liberatur, & ſi quietus maneat aut obambulet, vix quicquam de illo experitur: ſi verò extra lectum diu maneat aut obambulet, redit ſed non tam vehementer ut noctu, niſi diu ambulationem continuet: pridem vix ultra dimidiam horulam extra lectum perdurare potuit. Hodie ex oppidulo *Stülingen* in arcem per acclivem montem ivit ſine magnâ moleſtiâ, & extra lectum ad 5. veſpert. perſtitit; ſubinde tamen in ſcamnum decubuit. Dolor occiput ejuſque terminum accurate Sutura lambdoidea conſtituit, nec hos terminos ſupergreditur: raro dolet in fronte, quandoque ad cervicem dolor extenditur, ut collum rotare nequeat: dolor eſt tenſivus, pungitivus, lancinans & pungens, in cervice quaſi dilanians. Dormit noctu ad 12. aut 1. hor. noctis, tunc amplius dormire præ dolore nequit, & licet dormituriat & non rarò indormiſcat, inde tamen dolor non ſopitur, imò valde augetur. Deglutit abſque impedimento; appetit, non ſitit, neque à vino læditur: quandoque cor palpitat; pulſus eſt frequens, celer. Extrema, quamvis hodie montem ſuperarit, erant frigida. In inceſſu non eſt languidior.

Reſolutio.

DOlor iſte occiput totum affligens provenire videtur dura potius meninge quam tenui afflicta, quia omnes actiones involuntariæ ſunt integræ adhuc. Non videtur eſſe inflammata, quia dolor non eſt continuus, ſed circa meridiem, & quidem ſi quietus maneat, per horas 13. & 14. remittit; qui quoque non eſt pulſatorius; ſed à ſero quodam extravaſato, nam dolor eſt tenſivus, lancinans, pungens, quia ſe diffundit ad cervicem, humerum & pectus; quia à ſomno exacerbatur, quo tempore ſerum augetur. Ceſſat, quia multum ejus conſumitur, non tamen plene, quia ſemper reliquiæ ſuperſunt, quæ à motu augentur. Hûc effuſum fuit, quia Veneris pullus eſt, & totus truncus ab equis tolutariis &c. ſæpe vehementiſſime ſuccutiebatur. His terminis circumſcribitur ob ſuturam lambdoideam, cùi ſe fibrillæ duræ matris immergunt, nec ſinus laterales illis accubui ulterius ſerum fluere non ſinunt, potiusque elapſum per nucham concedunt. Anne forte inflammatio ſimilis ophtalmiæ conjuncta eſt? uſus eſt commode *hydragogo: V. S. & pulv. exſiccante temperato à D. D. Screta.*

Suaſi d. 22. Jun. ut hoc pulv. it. ol. Succin. pergeret. Inſuper ut

ut uteretur *Veſicatoriis: Pilul. Cephalic. noctu:* abſtineret à vino; biberet *decoct. ſaſſafr.*

Diu continuato *Veſicatoriorum uſu*, & ambobus brachiis à carpo ad nucham fere excoriatis melius ſe habere cœpit, nec tam atroces dolores patiebatur *d.* 7. *Auguſt.* 1674.

OBSERVATIO XXXVI.
Cephalalgia vehemens.

ELapſæ ſunt ſex ſeptimanæ, ex quo domum redii è *Palatinatu*; cum autem ſex horis ab urbe adhuc diſtarem, capitis dolorem de quo *Exc. T.* olim retuli, iterum ſentiebam & quidem hoc modo: Dolor me cruciabat in nuchâ, qui ſeſe extendit, ad frontem uſque ſupra naſum, imprimis inter reſpirandum, aut alvum exoneraturus, aut ſi caput elevare velim; in ſpecie verò ſentio, quod hic capitis dolor invadat ſecundâ vel tertiâ quâque nocte cum indeſinentibus doloribus per totam noctem, nunc in nucha, nunc in fronte, nunc juxta tempora. Cæterum appetitus eſſet bonus, nulla febris, nullus dolor in toto corpore reliquo adeſt, niſi laſſitudo & ſenſibilis corporis imminutio. Quod ſi caput ſubito elevare velim aut tangere, dolorem ſentio pungitivum, qui interdum non diu durat, interdum verò 4. 5. vel 6. horis, communiter ultra ſecundum diem: omnes mihi ſenſus & cogitationes demit, memoriamque valde debilitavit, nulla præterea adeſt alteratio corporis, niſi quod urina ſit rubicunda. *Aliquoties purgavi, venam ſecavi in fronte & in pede, ſcarificavi, veſicatoriis uſus ſum, & hirudines capiti circum circa applicui.* Dolor erat tantus, ut *Moxam* in vertice adhibuerim, nec non *Spir.* ✱c. ſed omnia incaſſum & ſine fructu. *Ut Exc. T. mihi Conſilium communicet, eſt quod rogo. His vale*

T. T.

Bernæ d. 22. *Octobr.* 1687. Andreas Wilhelmi, M.D.

Reſpondi d. 15. *Novembr.* 1687. Quia urina rubra eſt, & cephalalgia periodice redit, fomes alicubi latet, quo ſanguini permixto meninges cerebri affliguntur, ubi obſtaculum reperit, ſimilis eſt illi, quem paſſus ſum ipſe *Anno* 1675. *Suaſi Pulv.*

℞. *C. C. ph. ppr.*
Ungul. alc. pp. āā. ℥j.
Matr. perlar. ppr.
Cinnab. nat.

♁ *diaphor.*

♄ diaphor. āā ℥ß.
Sacch. perlat. ℥iij.
Doſ. ℥ß. *M. & Veſp.*

2. *Veſicat.* 3. Simul naribus trahat *lac cum aq. calidâ & ſacch.* 4. *Pulv. ex ſpec. arom. roſat. Senn.* āā ℈ß. *noctu, aut Theriac. cœleſt.* gr. iij. Alvus aperta ſervetur *Clyſtere aut Suppoſitorio.*

Denuò ſcripſit D. 16. *Decemb.* 1687. Morbum meum *per Dn. Wittenbach Exc. T.* nuper communicare volui, qui ſubitò me invaſit, & 12. ſeptimanas in lecto detinuit. In principio hujus morbi urina per totos 2. dies erat ſuppreſſa, maximi vero momenti durante morbo erat illud, quod, ſi alvum exonerare, aut flatus ſolum emittere vellem, nullatenus id conari auſus fuerim, aliâs enim intolerabiles & atroces dolores in capite excitavit, ac ſi ferrum candens à calce ad caput tunderetur & per verticem penetrâre deberet. Paroxyſmi intra 24. horas mox ſemel mox bis redierunt, ac durarunt ſubindè per totam noctem, ſubindè verò 6. 8. 10. horis, tandem ſe dolores extendebant verſùs naſum & oculum ſiniſtrum, ubi *lac cum ſacch.* multum profuit, doloresque mitigavit. Si corpus inclinare volui, vertiginem ſentiebam: tandem in animum induxi meum *Moxam* applicandi ſuturæ coronali, quo factum ut crudelis ille dolor ſopiretur, præmiſſis tamen *Purgat. V. S. ſcarificat. Veſicat.* verum à nullo alio percepi levamen niſi *à Moxâ*, quæ 14. D. fluebat, & *ab uſu ſp.* ⊖ ✱*ci*, utor etiam diligentiſſimè *Pulv. ab Exc. T. ordinato.* Hactenùs ſenſi dolorem ex nuchâ vergere verſùs illum capitis locum, cui *Moxam* applicui, dolorque adeſt tenſivus, cum caput elevare velim vel illud in alterum latus inclinare, unde *Unguent.* ordinavi *ex Ol. N. M. pingued. caſtor. ol. d. ſuccin. rut. &* ⊖ *volat. ſuccin.* proficuumque inveni nucham inungere, ita ut malum hoc lateat in genere nervoſo. Per totum morbi decurſum nulla aderat febris, nulla ſitis, urina clara & alba, qualem ſanus habui: morbus hic memoriam meam valdè labefactavit viſumque imminuit, ac tremorem membrorum reliquit; ſentio anxietatem pectoris, ita ut cum aliqua difficultate reſpirare cogar; tuſſis quoque me valde vexat, doloremque in capite recrudeſcere facit. Cauſam adſcriberem; quod ab anno *Pulv. Tabaci* fuerim abuſus, mucusque in naribus ſubitò detentus fuit, ita ut per nares reſpirare hucuſque non potuerim, item quod defluxio ad pectus rueret, quæ mihi hanc tuſſim dolorificam excitavit, *Pulv. Tabac.* me nimium exſiccavit, aut malo huic anſam dedit tempeſtas pluvia continua in itinere *ex Germania*, aut ira fortior, quam concepi *in Palatinatu.* Pro una al-

 terâque

terâque harum moleſtiarum peto conſilium, imprimis pro tuſſi, Hydropem pectoris timeo. *Vale.*

A. Wilhelmi, M. D.

Reſolutio.

CAuſa proxima videtur eſſe mucus profundè intra cavernas narium retentus, & inſpiſſatus ab aëre ex pulmonibus expirato præfervido. Ad ejus detentionem fecit *abuſus Pulv. Tabaci, ut in D. Rectore Spleiſſio hoc anno:* ad cumulationem tempeſtas pluvia, ut in multis hoc anno: ad commotionem fecit ira & iter; mucum praviorem fecerunt vina varia in itinere. Mucus in conſenſum rapuit meninges circa torcular: ſimilem conſenſum hujùs partis cum podice paſſa eſt *Uxor D. D. Hurt. p. m.* Eadem quoque conſenſio cauſa vertiginis, doloris tenſivi à nucha ad cervicem, item memoriæ & viſûs debilitatis ac tremoris. Mucus retentus fecit, ut deplueret nunc ſerum ad pectus, unde tuſſis.

Reſpondi D. 28. Decembr. 1687. Continuet *Pulv. Cinnabar. manè ſummo ad* ℥ß. *cum aq. verben.* Quando evigilat, indat naribus *Butyrum, cui ſacch. cand. & parum ſacch. ♄ni permixtum ſit;* poſtea hauriat naribus *Lac ſaccharat.* Pergat *Balſam. Cephal.* Propter tuſſim bibat *Decoct. Fl. chamom. chærefol. rec. Sem. aniſ. Fic. Ping. M. & Veſp.* Item *Juſculum alteratum ſucc. naſturt. chærefol.* Sic recedent vertigo, tremor, & ſenſus interni ac externi roborabuntur. Non timeat Hydropem pectoris.

OBSERVATIO XXXVII.

Cephalalgia cum Rheumatiſmo.

NObiliſſima Dn. Præfecta Ebroduni, annorum circiter 38. temperamenti ſanguinei, cruciatur ferè quotidie per plures annos Cephalalgia diverſis horis, cum dolore continuo dorſi in Interſcapulio, & qui deſcendit ſæpe per longum ſpinæ dorſalis ad Os Sacrum uſque, & imprimis quando brachia movere vult; moratur autem ſemper in eodem loco ut furcula, pateretur etiam, ut apertura ibi fieret. Ab aliquot ſeptimanis dolor hic paululum deſcendebat, & hæret nunc in oppoſita parte ſcrobiculi cordis, ubi ipſi videtur, adeſſe chorda, quæ trahit & impedit liberum pectoris motum, & conſequenter anxietatem cum imbecillitate & palpitationem cordis excitat: pulſus hoc tempore eſt paulum debilior, ſatis tamen æqualis: functiones cerebri liberè exercet, niſi quod cum aliqua difficultate loquatur, ſomnus eſt inquietus.

tus. Ad tollendos capitis dolores & dorſi ſuadebant *Bernæ Thermas de Ville Comte*, quas bibit ante aliquot menſes, verum abſque ullo fructu, & nunc pluribus vexatur incommodis, nam præcedentibus ſymptomatibus ſupervenêre adhuc dolores inter cutim & carnem cum horripilationibus ferè quotidie, magnique dolores extremitatum imprimis pedum & ſubſultus brachiorum aliaque accidentia, quæ videnter eſſe hyſterica aut forſan convulſiva. *Nob. Matrona* credidit laborare febre intermittente, quoniam oſcitabat, & horripilationes ac dolores pedum ſequebatur aliqualis calor: verum ſi in Paroxyſmo pulſus examinatur, reperitur ille abſque ulla emotione & frequentia, ac fere eſt naturalis, niſi quod paulum debilis deprehendatur, nec dolorem capitis niſi levem hoc tempore ſentit, nec ſitim habet. Cibos fere ſemper averſatur, parumque bibit; ſæpe patitur magnos dolores ventris & Iliorum, qui ſopiuntur *clyſteribus anodynis*; nullos emittit flatus, menſtrua fluunt ordinatè & in ſatis magnâ quantitate: à 7. aut 8. annis non fuit gravida. Urina eſt ſæpe forte tincta & materiâ tegulariâ, quam ſecum vehit, in magnâ quantitate referta, cum ſubtili pelliculâ aut cruſtâ, quæ adhæret vitro; interdum verò eſt ſatis naturalis. Senſit quasdam humiditates in pedibus, & per aliquot dies ſudare incepit. Tandem difficile ſatis eſſet exacte recenſere velle morbi hujus ſtatum, cum nulla ſit hora per totum diem, quod non patiatur & quidem diverſimodè, id quod illam reddit melancholicam. Quod concernit remedia, eadem averſatur: *aliquoties vena ipſi fuit ſecta, hirudinesque hæmorrhoidibus appliciti, duo quoque vomitoria levia ipſi fuêre propinata, quidam Julepi cephalici, antihyſterici & cordiales* in his magnis debilitatibus, quæ metum incutiunt, quod tandem non amplius ab hoc malo liberari queat, aut ſymptoma aliquod funeſtum ipſi superveniat. *Vale.*

Dabam Ebroduni d. 7. Octobr. 1694. N. N.

P. S. Jam ab aliquibus diebus perſona, cujus ſupra fit mentio, videtur febricitare, magnos ſentiens calores per totum corpus, tamen ſine magna ſiti; ad hæc accedit appetitus imminutus ciborum, quæ confirmant omnia, quod non ſit ſine febre: cupit ægrotans ſcire, num *Thermæ Badenſes* ipſi bonæ & utiles eſſent nec ne.

Reſolutio.

Cephalalgia producitur à ſero acri intra cranium meninges affligente, nullo alio humore, quia reliquæ actiones cerebri ſunt integræ, excepto ſomno inquieto: hoc ſerum acre eſt, ut teſtantur hic & alii dolores & urinæ ſedimentum tegularium. Ob Cephalalgiam facta ſeri

ri extravaſatio, quod defluit ad humeros, Scapulas, & Os Sacrum: effunditur etiam intra cutim & carnem ceu in Rheumatiſmo, etiam ſecundum par vagum, unde dolor in medio Dorſi cum dyſpnæa, palpitatione cordis & debilitatibus. Inde quoque oriuntur ſymptomata hyſterica & tormina.

Humor iſte acris mitigandus ac diſcutiendus: ſudor bonus eſt, quia hoc ſero abundat utpote ſanguinea. Suaſi *Pulv.*

℞. ♁ *diaphor.* ʒij.
C. C. ph. ppr. Ungul. alc. ā ʒjß.
Pil. Reg. inc. No. j.
⊖ *volat. Lumbric.* ʒß.
Eſſent. anodyn. gtt. iiij.
Extract. Caſtor. ʒß.
Cinnab. nat. ℈ß.
Sacch. alb. ℥jß.
Miſc. c. aq. fl. til.

Omittat Purgant. Vomitor. Clyſteres utiles. V. S. non juvant nec hæmorrhoidum apertio. Victus ſit refectivus, *potus decoct. ſaſſafr.* Ad meliorem ſpem erigatur, quia ritè menſtruata.

Si febris adſit, detur *Pulv. ex Chin. Chin. & Elect. ex Chin. Chin.* Obſervetur illa probe, antequam dentur, quia pulſus naturalis & non intenſe ſitit. *De Thermis* nunc non eſt ſentiendi tempus, fortè etiam non erunt tutæ ob periculum Rheumatiſmi.

Die 22. Decembr. 1694. R. D. Hœggerus Ebrobuno ſcribit, Nob. Dn. Præfectam acceptis literis cum Conſilio à doloribus liberatam fuiſſe, Medici contra febrim nulla medicamenta exhibuêrunt, culpam adſcripſit Medico, quod tam diu dolores tolerare debuerit.

OBSERVATIO XXXVIII.

Capitis dolor cum variis ſymptomatibus.

DOmina N. N. defluxiones patitur ſtatim à frigore: à vertice uſque ad oculos in capite afficitur ac debilitatur, ut vix per horam unam loqui audeat: quando ceſſat, eructat & in ventre fluctuationem ſentit. Tempeſtate variâ & in hypocauſto afficitur manè ad prandium; poſt prandium bene ſe habet ad 3. vel 4tam veſpert. tunc redit paroxyſmus ad cœnam uſque; tinniunt aures toto die. A

purgante

purgante bis vomuit præter morem, poſt meridiem bis dejecit. Per ſternum ad claviculas humerumque ſiniſtrum ſentit pulſationem, tractionem & compreſſionem ac dolorem in mamma ſiniſtra, quod non ſolum poſt hunc vomitum, ſed & aliàs contingit, indeque emaciatur, dolet quoque ab humero ſiniſtro ad coxam & lumbos uſque. Patitur æſtum per dorſum ad caput & hinc ad pedes: Tormina ventris non continua ſequuntur horrores per ſinum pudoris, ceſſat poſt binam mictionem. Urina quandoque rubra, turbida, quandoque cruda aquea, tuncque parum qualibet vice emingit. Imprimis de capite conqueritur, item de muco in faucibus, quæ non ſiccæ, ſed humidæ, quandoque frigidæ: veſperi ſi æſtuat, fauces linguaque ſunt aſperæ. In capite ſentit tenſionem à vertice ad aures & ad frontem, ac ſi omnia aperta hiarent.

Reſpondi D. 8. Maji 1674. Capitis iſta perturbatio cum Leipothimiæ metu, ejuſque tenſio, tinnitus aurium, dolores humeri, coxæ, ventris tormina, æſtus ſubitanei, horrores &c. indicio ſunt genus nervoſum à liquore nervoſo acriore affici maximè cœlo frigido, quia illorum exhalatio & motus impeditur: mitigatur poſt paſtum, quia diluitur ab aſſumptis. Forſan augetur ob renum vitium & ebullitionem quandam hypochondr. nam calida & ſicca eſt, emaciatur, æſtuat ſubinde. Suaſi *Pulv.* ex

℞. ♁ *diaphor.* ʒij. *Cinnab. nat.* ʒj.
C. C. ph. ppr. ʒiij. *Oc.* ♋. *pp.* ʒij.
Extract. Caſtor. ʒß.
Laudan. opiat. perlat. gr. ij.
Tab. man. Chr. perlat. ℥j.
Miſc. Doſ. ſummo mane c. aq. card. b. vel fl. acac.

Renum cauſa nihil ſuadeo, quia *Thermæ* hoc facient. *Thermæ* 1670. ipſi admodum profuêrunt. *An inſeſſus nunc proſit? Affirm. ex hyſter. & cephal. paratus.*

OBSERVATIO XXXIX.

Cephalalgia cum ſymptomat. Hypochondr.

Nob. Dnus *E. de M. in Vallangin propè Neuchatell*, à pueritiâ vehementes Cephalalgias paſſus eſt quandoque cum mentis perturbatione: nunc accedit odontalgia. *Pariſiis* abigebantur *remediis congruis*, verum ob errores diætæ redierunt. Malum eſt aliquo modo hæreditarium, nam his *Domina Mater* obnoxia fuit. *Pariſini Dn. Medici*

Medici ut & Exc. D. D. Manget credunt membranas cerebri diſpoſitas eſſe ad recipiendum ſerum, quod fermentatum acrius fit, magisque pungens ſimulque exitum quærens extra cranium ad maxillas uſque. Cumulationi ſeri anſam dederunt frequens lectio & ſcriptio. Ad humores avellendos à capite ſuaſerunt *V. S. in pedibus : purgarunt* ipſum cum fructu : præſcripſerunt *pulv. cephalicum ſtomachicum & anodynum. It. ſpir. aut ⊖ volat. cran. humani. Pulv.* noctu ſumpſit *cum conſerv, roſ. r. aut beton. ⊖ vel ſpir. cran. humani mane cum vin. vel juſc. aut ovo ſorbili ad gutt. x. vel xij.* ſi alvus occluſa erat, utebatur *clyſt. aut pilul. lax.* Vere & Autumno *purg. & V. S. in pedibus*. Commendatum quoque fuit *Elix. ſtom.* Recuſavit hæmorrhoidum apertionem. Diſſuaſerunt ſalita, aromatizata, frixa, paſt. farinaceas, caſtaneas, amygdalas, fructus crudos, ſaccharata. Vinum diluat *decocto Rad. chin. &c. Conſilium ſimile dedit D. D. Manget, D.* 30. *Januarii* 1687. *me Soloduri convenit :* eſt ſtaturæ juſtæ : Capillis nigris præditus : pallidus : Annor. 23. adhuc cælebs. Circa 10. ætat. annum dormiens à commenſalibus noctu valde territus fuit, unde aliquot annis terror rediit. Ann. ætat. 13. *Pariſios* venit, ubi abuſus eſt valde fructibus crudis, limonibus, ſaccharatis &c. hinc ſævam ſæpiſſime pati cœpit cephalalgiam cum odontalgia, ut prope amens fieret : Aliquando acceſſit Melancholia vehemens & omnium tædium. A flatibus multa patitur, quibus quandoque tantopere abundat, ut ſummam anxietatem afferant & prope ſuffocent : ructibus emiſſis ceſſant. In digitorum interſtitio patitur ſcabiem ſiccam. Iracundus eſt. Nunquam ebrius fuit. Multum occupatur ſcribendo & legendo. Aliquando femur ſiniſtrum alliſit, unde pes aliquandiu contractus evaſit, ut tibiam extendere nequierit. Dentes utrinque in utrâque maxillâ plures carioſos habèt. Cephalalgia & Odontalgia ut plurimum hyeme ſæviunt. Nuper *V. S. in pedibus* ſtatim ceſſavit.

Reſolutio.

VAlde afflicta eſt valetudo Dni Ægri : nam affliguntur caput & dentes ſæviſſimis doloribus : inſuper Hypochondria, unde ventriculus diſtenditur cum ſumma anxietate, & reſpirationis impedimento, ut non mirum ſit Melancholiam ſupervenire. Cephalalgiam & Odontalgiam adſcribo ſero extravaſato circa membranas cerebri & expanſiones nervinas in dentium cavernis : quia malum ſæpe redit, omnino illic cuniculos fecit, quos ſæpe datâ occaſione repetit. Anſa decubitûs ſeri ſunt hæreditaria diſpoſitio, frequens lectio & ſcriptio, imprimis verò dentes carioſi plures in utroque latere in ambabus maxillis apparentes,

apparentes, quos ſolos hemicraniæ pertinacis cauſas fuiſſe obſervavi. Serum acerrimum eſſe patet, ex atrocitate doloris & ſcabie ſiccâ intra digitorum interſtitia. Peregrinorum humorum colluviem in hypochondriis inflatio ventriculi indicat conjuncta cum magnâ anxietate & ſpiritûs interceptione ſeu metu ſuffocationis; ut non mirum ſit quandoque Melancholiam jungi. Serum acre Cephalalgiæ cauſa eſt, quia ab alio humore tot annis durans ſæpeque citra ſanguinis aut puris effuſionem è loco affecto remittit. Sero abundare teſtantur pallor faciei, capilli nigri, errores in victu prægreſſi ſcil. aquæ potus, abuſus fructuum horæorum &c.

Propterea ſerum imminuendum *purgantib. blandiorib.* e. gr. vere & autumno *Infuſ. laxant. ex fol. ſenn. Rhabarb. agar. cum flor.* 4. *cord. &c. Pilul. è ſuccin. Crat. ante novilun.* A capite revellendum *V. S. veſicatoriis carpis manuum & retrò olecrana applicitis.* Abſorbendum & ejus acrimonia attemperanda *pulv. cephalic. ex pulvere march. pil. reg. cinnab. extr. lign. aloës &c.* concinnato *cum aqu. flor. til. &c.* Furor ſiſtendus *pilul. de cynogloſſ. theriac. Cœl.* Anſa præcidenda *uſtione dentium*, quæ præſtat *ſpir ⊕l. aut* 🜄 derivanda *fonticulo brachio ſin. inuſto.* Hypochondr. ſymptomata eâdem operâ compeſcenda *ſcil. pulv. abſorb. ceph. Elix. cephal. ſtom.* Acidum corrigentia, qualia ſunt *Alkal. Fix. & volatil. oleoſa.* Victu decenti utatur, *uti ab Exc. D. Medicis Pariſinis & D. D. Manget in conſilio ſuppeditato præſcriptum fuit.*

Quum aliorum ægrotantium causâ *Neocomi* commorarer, mihi retulit, ſe adhuc priſtinis ſymptomatibus affligi, at medicamentis, quibus tamen non ſemper exacte ob intervenientia impedimenta uti poterat non multùm levaminis percepiſſe, ſequens conſilium exhibui.

Conſilium.

DUo affectus potiſſimum Medicâ ſolicitudine digni ſe produnt *apud Nob. Dn.* ſc. Aciditas Ventriculi & inde emergentes flatus: Deinde Cephalalgia & variæ afflictiones partium nervoſarum à ſero acri. Aciditatem cum flatibus quod attinet, nunc non amplius tam vehementem conjicio, quia appetit & dormit quiete: ſi valdè excederet, ſomnum turbaret, Cardialgias pareret, vomitus matutinos excitaret, plurimaque ſymptomata hypochondriaca produceret. Non tamen negligenda eſt, quia Ventriculum *Pariſiis* acidis multum debilitavit; anxietatesque cum dyſpnœa paſſus eſt, donec flatus eructarit atque tormina inde expertus eſt, uſquedum illos per inferius guttur emiſit: Labem

bem tamen non gravem eſſe manifeſtò inde patet, quia illam frigidæ hauſtu mane ſopire auſus eſt, idque cum bono ſucceſſu.

Conſideratione digniores ſunt moleſtiæ, quæ à ſero acri pendent, quorum numerus non eſt paucus: ab illo pendere Cephalalgiam, Odontalgiam, uvulæ prolapſum, tonſillarum tumorem, Ophthalmiam, tumorem & dolorem brachii demonſtrari multis poſſem, ſi neceſſum foret. Non nego tamen Cephalalgiam augeri ab acidis in Ventriculo contentis aut particulis ciborum minus ſalubribus chylo permixtis & ad caput delatis. Verum quoniam etiam citra hæc, tum Cephalalgia, tum reliqui affectus à ſero acriori excitantur; mallem in curatione ad ſerum acre attendere, ac operam dare, ut ſerum imminuatur, à capite revellatur, derivetur, mitius reddatur & ut partes laxæ nimis promte ſerum admittentes, aliquantulum contrahantur ac firmiores reddantur earumque fibrarum tonus roboretur. Quomodo his affectibus occurendum ſit, *methodo executivâ* exponam.

I. *Vere & autumno Nob. Dn. purgare poterit univerſalius tali infuſo.*

℞. *Fol. ſenn. ſ. ſ.* ℥iij. *Rhabarb. ſel.* ℥ij. *Agarici alb.* ℥jß.
Herb. beton. Flor. borrag. bugloſſ. ā̄ā *Pj.*
ſem. fœnic. ℥j ⊖ *Juniperi* ℈ij. ⊖♀℈ß.

Inciſ. & contuſ. indantur vaſi terreo vitreato, affund. aquæ fervidæ q. ſ. bene tecta ſerventur per noctem in loco temperato, mane levi ebullitione factâ, colentur citra expreſſionem in colatur. ℥iiij. *ſolve mannæ electæ* ℥ij. *rurſus coletur:* hoc ebibat mane horâ 6. calidè, poſt duas horas ſumat juſculum & adhuc bis ad prandium uſque.

II. *Die tertio* poſt purgationem *Venam ſecandam curet*, Vere in brachio dextro, in Autumno in brachio ſiniſtro, emittantur ſanguinis ℥v.

III. Si crebro odontalgia, ophthalmia & prolapſus uvulæ evenirent, *ſcarificatio alternis menſib. vel tertio quoque menſe* ad revellendos hos humores à partibus afflictis perutilis foret. *Cucurbitæ tres* dorſo & poſt Olecranum utrumque una affigantur.

IV. Ob hanc cauſam prodeſſet *fonticulus* in ſiniſtro brachio excitatus.

V. *Veſicatoria* eo modo, quo ſcripſi *in conſilio* 1687. quoque utilia forent.

VI. In Odontalgia & Hemicrania cum fructu exhibeo *hunc pulverem noctu*, quando cubitum itur, *cum cochleari vini ordinarii.*

℞. *Fol. ſenn. ſ. ſ. Spec. aromat. roſat.* ā̄ā. ℈j. *Mſc. F. Pulv.*

Si continuent iſti affectus do duabus vel tribus noctibus ſe ſubſequentibus: blande ſerum à capite revellit.

VII. Ad

VII. Ad mitigandum ſerum & ſimul per alias vias educendum *decoctum vel infuſum herbæ Theæ aut Caffeæ*, perutile foret. Illud ſolum moneo *Nob. Dn.* ſufficere, ſi mane tria vel quatuor ſcutella calide ebibat & poſt potum obambulet.

VIII. Quo magis ſerum edulcoretur & acidum ventriculi corrigatur ſimulque genus nervoſum roboretur, tertio quoque mane & ſi dolores capitis urgeant imprimis hyeme, ſingulo mane in lecto duabus horis antequam *decoctum* bibet, ſumat *drachmam hujus pulveris cum pauxillo aquæ betonicæ.*

℞. C. C. phil. ppr. ʒij. Ungul. alc. ppr. ʒj.
Ocul. ♋. ppr. Carn. viperar. rite ppr. āā. ʒiß.
♁ij diaphor. ʒj. Cinnab. nativ. ℈ij.
Ol. n. m. expr. gr. iiij. ſacch. alb. ℥ij. Mſc. F. Pulv.

IX. Si defluxiones frequenter ad fauces ruent, imprimis in inſtante hyeme, noctu cubitum iturus *ſumat de hoc Electuario nucis juglandis magnitudine.*

℞. Conſerv. roſar. rubr. ℥ij. Majoran. anthoſ. āā. ʒvi.
Theriac. Androm. ʒij. Bol. Arm. Or. ppr. ʒiij. cum ſyr. viol. q. ſ. Mſc.

Aut illius loco hoc tempore ſumere poſſet *Ther. cœl. gr. iij. vel iiij.*

X. Propter frequentem uvulæ prolapſum & prolongationem, mane & hora ante cœnam *hoc gargariſmo calido* utatur.

℞. Rad. Biſtort. ℥ß. cort. granator. ʒij.
Herb. prunell. equiſet. ſalv. beton.
Flor. roſar. rubr. liguſtri āā. P. j.
Inciſ. & contuſ. coq. cum aq. font. menſ. j. Mell. cochl. ij. acet. cochl. iij. Colatura ſervetur in vaſe fictili ad uſum.

XI. Præter hunc gargariſmum firmantem quoque dentes *hoc pulvere* fricet.

℞. Panis ad Fuſced. toſt. ℥ij. Rad. Ir. flor. ʒj. Mſc. F. Pulv.

Id faciat ſæpe in die, poſtea os eluat *vino rubro in quo parum fl. roſ. r. coctum ſit.* Dentes carioſi *aduri poſſent ferro candente* ſine dolore, & poſtea illorum fragmenta ac radices educi, quia nihil amplius in ore proſunt, ſolumque humorum affluxui anſam dant.

XII. Si flatus permoleſti ſint, licet accurata diæta obſervetur, *poſt prandium & cœnam ſumere poſſet drachmam aut plus hujus Trageæ cum fruſtulo panis toſti & vino emolliti.*

M ℞. Cin-

℞. *Cinamom. acut.* ℨj. *rad. galang. ari ppr. flav. cort. aurant. Limatur. ſaſſafr.* ãã. ℨß.
C. C. ph. ppr. ocul. ♋. *ppr.* ãã. ℨij.
Ol. nuc. moſch. expr. gr. iiij. ſacch. alb. ℥iij. *Mſc. F. Pulv.*

Accurata victus ratio plurimum confert ad valetudinem tuendam atque ſine illâ plerunque fruſtranea ſunt medicamenta.

1. Fugiat aërem nivoſum, pluvium, frigidum & humidum etiam aquilonarem, & ſi omnino in illo verſandum ſit, caput & collum bene contra frigus muniat.

2. Veſcatur cibis boni ſucci & facilis digeſtionis: ſcil. pane bene cocto, carnibus bovillis junioribus; hœdinâ, agninâ, vitulinâ, pullorum, caponum: aviculis montanis, ferinâ juniore: piſcibus carnem friabilem habentibus: oleribus recentibus & fructibus dulcibus coctis: ovis ſorbilibus. Vitet carnes animalium adultiorum, ſalitas & fumo induratas, nimis viſcidam, ut ſuillam: piſces glutinoſos: omnia nimis aceto, ſaccharo & aromatibus condita, in butyro frixa: fructus crudos, acetaria, paſtas farinaceas. Bibat vinum vetus ſive rubrum ſive album: diluat illud *aquâ, in cujus menſur. j. ligni Saſſafr.* ℨij. coctæ fuerint. Cœna ſit parcior prandio.

3. A paſtu obambulet & lucubrationes ceu peſtem fugiat: atque aliàs corpus multum exerceat, imprimis mane & veſperi ante cœnam proſunt equitatio, vectio in rheda: nec venationem diſſuaderem, modo exceſſus evitentur.

4. Fugiat ſummopere ſomnum pomeridianum & ſtatim à cœnâ.

5. Alvus quotidie ſit aperta: & ſi ſudor mane in lecto emergat, illum nullo modo impediat.

6. Melancholiam pro virili jucundo alloquio excutiat, neutiquam ipſi indulgeat.

Neocomi, d. 2. Novembr. 1690. Joh. Jacob Wepfer, M. D.

OBSERVATIO XL.

Cephalalgia cum Inflatione Ventris.

Vir *Nobiliſſ. N.* ſtaturæ oblongæ, carnoſus, cuti candida, piloſus, 50. annorum 1629. peſte ægrotavit: dum puer erat 5. annor. Caput casû vehementer alliſit cum vulnere capitis in medio bregmate ſiniſtro juxta ſuturam ſagittalem, ab illo tempore ad hanc ætatem vulneris perpeſſi & conſolidati ſenſus aliquis permanſit, qui ab attactu exacer-

exacerbatur. Ex dulciariorum eſu largo Cardialgiam cum febri *Genevæ* paſſus eſt 1637. elicito per os lumbrico convaluit. 1640. *ex Gallia* rediit, denuo 1642 *in Galliam* profectus eſt. Toto illo tempore nunquam ægrotavit. 1645. Cæmentariis adſtans, multumque pulveris hauriens, tuſſire cæpit cum emaciatione. Uſus *Acidulis* 1646. cum incremento & perfectâ reſtauratione. 1648. iterum uſus eſt *acidulis.* 1649. in principio Veris paſſus febrim anomalam cum Cephalalgiâ: verebatur febrim hecticam. Leypothymiis admodum obnoxius ex levibus cauſis eſt, ſæpeque citra cauſam externam invaſit, quandoque oriebatur *à purgantibus*, tormina parientibus; quandoque à cibo ſumto etiam ſalubri invaſit. 1652. paſſus eſt Odontalgiam ob dentem carioſum in maxilla ſuperiore, ubi abſceſſus obortus, qui fiſtulam poſt ſe reliquit. Hæc ſingulis annis Vere & Autumno replebatur, dolorem pariebat, indeque gena intumeſcebat: quandoque pure fætido implebatur ſine dolore, quam digito premendo vacuavit. Hæc dentis fiſtula per integrum decennium duravit, *ab uſu adſtringentium & Thermar. Piperin.* ceſſavit: *poſt Thermar.* uſum ſemel rediit. Fiſtulâ durante & illâ jam conſolidatâ ſerum flavum ſincerum aliquandiu ex naribus exſtillavit. 1664. ante Feſtum Nativ. Cephalalgia incepit, primum doluit frons cum tenſione ac ſi cranium dolor rupturus eſſet: Cephalalgia conjuncta erat cum æſtu quodam & ventris inflatione: duravit 8. Septimanis. 1665. *Thermas Piperinas* adiit. Ob lites & crebras contentiones dolor rediit: durat ad hunc diem *ſcil.* 1671. *Anno* 166 . uſus eſt ſemel *Embrocatione aq. Piperinar.* unde dolor capitis fuit irritatus ſummopere cum æſtu domumque dolore afflictus rediit. Dolor occupat frontem, ſynciput, maximè in illo loco ubi vulnus in pueritia inflictum fuit, occiput, quando remiſſurus eſt, invadit cervicem, homoplatas, Zonæ regionem & Os Sacrum. Dolor eſt tenſivus, pungitivus, quandoque pulſatorius. Durat horis 2. 3. ſæpe per totam diem, ſæpeque ad dies 3. 4. In uno die ceſſat reditque, iſique ter in uno die ceſſat reditque ter, ſemper dolor junctus eſt cum æſtu. Hyeme magis affligitur à dolore iſto, quàm æſtate. Illum irritant, ira, motus quicunque corporis vehementiores, ♀ ſcriptio protractior, equitatio. Quando dolor vehemens eſt, venter inflatur. Nunquam in paroxyſmo vomit. Quando dolore præſente lectum veſtibus exutis petit & indormiſcit, dolor ceſſat; ab alio decubitu non. Item quando mucum craſſum ex naribus emungit, dolor quoque mitigatur magis quàm ſi ſolum ſerum proliciat: ſi vero nihil ex naribus excernere valet, dolor eſt intenſiſſimus & atrociter ſævit. Nunquam à 7. annis per menſem integrum à Cephalalgia liber fuit, ſed nunc per dies 2. 3. 4. aliquando 8. ita ut tunc ne veſtigium doloris percipiat. Quando dolor non plene evaneſcit

 ſed

ſed ſolum mitior eſt, ut negotiis præeſſe valeat, dolorem gravativum in ſyncipite percipit. Faciei color vividus eſt: appetit: non ſitit: bene dormit, quandoque in ſomno terretur. Alvus aperta eſt. Vegetus eſt, in motu promptus. Urina eſt tenuis citrina. Quandoque plus urinæ emingit, quàm bibit. Pulſus eſt naturalis. Rarò ſudat. Sæpe 5. horas ſcribendo conſumit. Negotia ſeriò tractat.

Reſolutio.

IN hâc Cephalalgia, quæ propemodum à 7. annis continuò durat aut brevia ſaltem intervalla habet ac ex levi causâ redit, locus affectus videtur intra cranium potius, Meninx tenuis eſſe, quàm dura (quamvis illam non omnis labis expertam dixerim) quia dolor ſe longe lateque intra cranium diffundit, illo ingruente venter inflatur in conſortium raptis plexibus nervoſis meſenterii, ab attactu non multum exacerbatur, remiſſuro dolore, cervix, humeri, homoplatæ, regio Zonæ ac Os ſacrum dolent, emuncto craſſo & viſcido humore, ceſſat: naribus ſiccis aut ſolùm ſero exſtillante, dolor ſæviendo pergit. Dolorem iſtum tenſivum, pungentem, vellicantem, lacerantem & quandoque pulſantem efficiet cauſa aliqua, quæ levi occaſione ſemper in promptu eſt, ac ſe longe lateque per meningem diffundere indeque per foramen occipitis aliaque oſtiola elabi ac nervos quoſdam, inprimis paris vagi ramos, attingere valet: quæque tendendo, vellicando, corrugando piam matrem afficere valet. Conditiones iſtæ obtingere poſſunt ſanguini, ſero & aliquo modo flatibus, & videntur quandoque omnes tres *apud Nob. Dominum* concurrere. I. Sanguinem quod attinet, non efficit hos dolores extravaſatus, quia pejora ſymptomata ſimul pareret nec toties impune ceſſaſſet & rediiſſet: nec id præſtat, quatenus penitus motu privatus eſt, ut in inflammationibus meningum, quamvis etiam harum inflammationes ſine phrenitide viſæ fuerint *apud Horſtium & alios*, ſed quatenus vaſa ſanguifera imprimis tenuis meningis, & illa quæ ad ſinum tertium meant & ad duram meningem nimium implet, illaque diſtendit ac ſimul meningem exquiſito ſenſu præditam affligit: non ſecùs, ac non penitus ſublato ſanguinis motu vaſa implentur ac tenduntur in varicibus, aneuriſmate, hæmorrhoidibus cœcis, opthalmia, plethoricis ad vaſa &c. Eoque citius & graviorem dolorem excitat ſanguis ſi ſimul copiâ peccet, fervidus & multo ſale præditus ſit; prout multis indiciis *apud Dominum Ægrum* ſanguinem conſtitutum eſſe conſtat. A ſanguine tali & hac ratione moras in vaſis trahente fieri poteſt dolor tenſivus, vellicans, pulſans & pungens, ac inſuper ſe per univerſam peripheriam Cranii internam diffundit: imprimis ſi plura vaſa nimium quàm decet ſanguine impleantur & tendantur. II. Serum ſeu lympha tum intra vaſa contenta tum extra vaſa Cephalalgias parere

ſectio

ſectio in multis docuit. Poteſt illud colligi intra anfractus, qui à meninge ſuperne uniuntur, ut illud illæſo cerebro cumulare valeant. Intra anfractus ex vaſis ſanguiferis effunditur, ſi ſanguine fervido turgeant, doloremque hac ratione excitent, non ſecus ac in Ophtalmiâ aut nervo in vulnere aut aliter læſo protinus ſeri affluxio & profuſio contingit: teſtes ſint nervorum puncturæ, vulnera, Arthritides, oris aphtæ, odontalgia & hujus generis alii affectus dolores gignentes. Sero abundare *Dominum Ægrum* probatur, quia ſæpe plus mingit, quam bibit: raró & difficulter ſudat, non multum exercetur: fiſtula oris conſolidata eſt, quæ illud olim ceu fonticulus derivabat. Illud autem in hac Cephalalgiâ extravaſari doloremque efficere vel inde conſtat, quod dolor remittat, ſi cervix, homoplatæ, zonæ regio & lumbi doleant. Argumentum quoque ſeri effuſi eſt abdominis inflatio præſente dolore, quæ vix ab aliâ causâ continget, quam ramo paris vagi ac in inteſtina pertingentis afflicto, unde inteſtinorum conſtrictio alicubi contingit & flatus detinentur. Non tamen ſerum admodum copioſè & continuè intra anfractus ſtagnare arbitror, quia non vertiginoſus nec ſomnolentus eſt: ſed maximam partem, quia nunc rarius per naſum exitus patet, nec amplius ex fiſtula exſtillat, per orificium magnum occipitis libere elabitur: reſtitante aliquâ ejus portione, quia ſemper gravamen aliquod ſub ſyncipite ſentit. NB. Serum intra cranium cumulari poteſt, poris glandularum lympham imbibentium aut exitum è calvariâ concedentibus obſtructis à muco quodam viſcido: unde aliquando in Cephalæâ pertinaci profuit *decoctum attenuans, incidens ex obſ. D. D. Scretæ.* III. Flatus locum habere videntur, quia aliquando *ſc. Menſ. Nov.* 1668. ſenſit dolorem tenſivum ac ſi caput fiſtulâ inflatum fuiſſet. Omnes tres iſtæ cauſæ concurrere poſſunt, ſc. quando vaſa à ſanguine præfervido, ſalſo, bilioſo & æſtuante impleta ſunt, dolor primum atrox excitatur, hinc ſerum intra anfractus exſtillat, unde dolor augetur: ſerum profuſum à ſanguine copiâ & æſtu in halitus & flatus convertitur, maxime ſi viſcidum ſit & lixivioſum, ſeu potius aquæ ſaponatæ ſimile exiſtat. Non autem arbitror vaſa meningis tenuis perpetuò varicoſa eſſe aut potius aneuriſmate affecta: nam æſtate Cephalalgia minus affligit & interdum per dies 3. imo 4. plane nullum dolorem ſentit, quandoque à ſomno penitus evaneſcit aut ſaltem plurimum mitigatur. At credo ita comparatum eſſe cum his vaſis, ut facile impleri admodum poſſint, idque propter obſtaculum quoddam, ob quod ſanguis ſi vel copioſior vel fervidior & turgidior ac quaſi ſpumans per Carotides irruat, libero & cito curſu ſe in ſinus duræ matris exonerare plane nequit. Obſtaculum hoc invenit *Willis* ſub finem accretionem & coalitum tenuis meningis cum durâ juxta ſinuum longitudinem, in quo vaſorum oſcula penitus obſervabantur ſanguinique tranſitus intercIu-

tercludebatur, quod forte etiam locum *apud Nobilem Dominum* habet, ſed ita ut vaſa non penitus occluſa ſint, nam dolores non ſunt perpetui. Aliàs pertinacis doloris cauſa fuit quandoque oſſiculum in corpore falciformi, *quale Bartholinus obſervavit, egoque ſimile* pertinacis doloris cauſam fuiſſe. Qualecunque demum ſit, ita conſtitutum ſit neceſſe eſt, ut quandoque ſanguini quieto liberum progreſſum permittat & tunc ſolum remoretur, quando copioſus & turgidus eſt, ut eſſe ſolet, poſt motum corporis & animi nimium ♀ &c. Deinde tale procul dubio eſt, quod à frigore augeri poteſt ſcil. anguſtia quædam, quæ à frigore magis coarctatur, unde hyeme magis affligit: niſi antiperiſtaſin & calidorum effluviorum exhalationem prohibitam cauſari velimus. In ſinubus cerebri aliquando corpora pituitoſa concreta maxime in tertio reperi, quæ ramos in venas in ſinus deſinentes ſpargebant: ſed *apud Nobilem Dominum* vix locum habebunt, cum ferè ſolummodo in cachecticis reperiantur. Si coalitus adſit meningum, ut ſuſpicor, illi anſam dedit caſus in ſynciput, dum puer erat, nam ipſemet ibi doloris ſedem eſſe veretur & ſemper ibi aliquam moleſtiam percipit. Coalitum auxerunt repetiti dolores. Sic ob pleuritides crebriores pulmo pleuræ accreſcit, ſic bubonibus in inguinibus ſupramodum auctis & tarde ſuppuratione promotâ ileo peritonæum adhæreſcit, unde rupto bubone poſtmodum poſt pus fœces ex ulcere profluunt. Crebras vaſorum iſtorum diſtenſiones & nimias repletiones ſequi poſſet aliquando ruptura, imprimis ſi gravior & vehementior ſanguinis turgeſcentia accederet, unde apoplexia. Nimiam ſeri effuſionem ejusque ſtagnationem convulſiones, gutta ſerena, affectus ſoporoſi & tandem etiam apoplexia ſequi poſſet: imprimis ſi ſerum nec ex occipite emanaret nec imbiberetur à glandulâ pituitariâ, nec per nares via concederetur, quæ *ſecundum Willis* non deneganda, utcunque aliter *Shneiderus & Ego* aliquando ſenſerimus: nam obſtructis naribus hemicraniam factam aliquoties hactenus obſervavi & *Nobiliſſ. Dominus* muco ſuccedente protinus levamen experitur.

Curatio aliter ineunda videtur extra paroxyſmum, aliter in paroxyſmo. Extra paroxyſmum ſemper ſanguinis motus tranquillus quantum poſſibile conſervetur: Ideoque primum ejus copia & abundantia ita imminuatur, ne cerebrum inde damnum capiat, *quod crebris Venæſectionibus Avicenna haud immerito adſcribit*, neve ſanguis inde nimis ſeroſus evadat: ſufficiet igitur *bis in anno V. S. ad ℥v. Scarificationes alternis menſibus* triduo ante Novilunium inſtitui poſſunt. In victûs ratione non excedat: quandoque cœna ſit parcior. Exercitia ſint moderata, ut ſuperflua ab illis conſumantur. Deinde omnia vitentur, quæ ſanguinem impetuoſius movent aut ad turgeſcentiam prolectant, ut ſunt

cibi

cibi corruptioni nidoroſæ obnoxii, dulciaria, pinguia, in butyro frixa, vina dulcia. Omnes animi & corporis motus nimii, attentiores meditationes. Refrigeratio ſubita, æſtuante corpore, aliave hujus generis. Inſuper ſemper fervor ſanguinis compeſcatur & ſeri ac lymphæ ut & bilis acrimonia & ſalſugo, quod hyeme fieri poſſet *Juſcul. Endiv. & paſſul. corinth. alterat. Item Gelatin C. C. quæ cum Endiv. rec. agrimon. Verben. conſerv. roſ. r. beton. add. conf. de hyacinth.* commode parari poſſet. Primo Vere *Juſcul.* alterari poſſent *acetoſ. acetoſell. pulp. citr. Tamarind.* Æſtate prodeſſet *ſerum Lactis alteratum hepatic. & Cephalic. temperatum aut acidulæ aut repetitus Therm. Fabarienſ. potus.* In Autumno parari poſſent *Infuſa*, quæ acres humores Æſtate collectos attemperant ſimulque blande educunt *ſc. decoct. Tamarind. compoſ.* deinde dentur *Tinct. roſ. berb. de rub. id. &c.* Serum copioſum imminuendum 1. *Purgantibus*, quorum tamen uſus, quia tormina & Syncopen adferunt, parcior ſit ac ſemper tutiora ſeligantur: quia perfert *pulv. diagryd.* non peccaretur, ſi ſingulis menſibus Hyeme, Vere & Autumno ſemel daretur aut aliquando poſt parcam cœnam ℈j. *Pilul. mear. Cephalic.* ſic enim minus moleſtiæ adferrent. 2. *Sudoriferis*, non abhorrerem *ab ♁io diaphoretico*, quod non ſolum ſerum diſcutit, ſed etiam edulcorat, addi poteſt *Lap. Bez.* bis vel ter in menſe moveri poſſet: ſic natura ſenſim ſudoribus matutinis univerſalibus aſſuefieret. 3. *Diuretica* non neceſſaria ſunt, cùm aliâs natura ſe per has vias exoneret pluſque non raro mingat quàm bibat. 4. *Abſorbentia & diaphoretica ſimulque caput roborantia* in uſum citra vim trahi poſſent: quid ſi ſubinde darentur mane *Pulv. ſpecif. & Pulv. March.* āā *Mixt.* ℈ij. *cum aqua fl. til. ſingulis Lunæ Phaſibus per triduum, mane horâ* 5. *hæc doſis exhiberi poſſet.* Noctu cubitum ituro præberetur *de hoc Electuario nucis jugland. magnitud.*

℞. *Conſerv. roſar. r.* ℥ij. *majoran.* ℥j.
Theriac. Androm. ʒij.
Bol. Arm. ppr. ʒiij.
c. *ſyrup. fl. tunic. F. Electuar.*

5. *Fonticuli* ſerum ſemper ſubducentes & derivantes, aperti ſervandi: *Setaceum* permoleſtum eſſet auxilium. Coalitus Meningum irreparabile & immedicabile malum eſt: interea verò vaſorum amplior conſtrictio ſtudioſe cavenda eſt: ita tamen ut *Topicis* non magis ſanguis alliciatur aut ſtagnans in vaſis accreſcat ac dolorem acceleret, aut ſerum acrius inde evadat. Itaque caput quidem contra frigus externum muniendum

niendum non tamen nimis calefaciendum. Itaque imponenda *Emplaſt. valde temperata:* ſeligenda *linimenta diaphor. anodyna uti ung. Alabaſtrin. &c. cucuphæ temperatiſſimæ.* Sufficiet interdiu Capillitium, noctu vitta non nimis craſſa.

In paroxyſmo videtur protinus ſanguinis impetus & turgeſcentia compeſcenda: itaque ante omnia ejus fervor attemperandus eſt atque omnia deneganda, quæ ſanguinem incendunt, proinde ſtatim vinum demendum, dandæ *mixt. temperantes ex ſyr. fl. tunic. aq. borag. fl. til. matr. perl. C. C. ph. ♃io diaph. &c.* & ſanguinem incraſſantes aliquomodo, uti *Emulſ. paregor.* eoque magis quia ſæpe aliquid febrilis *apud Nob. Dom.* repertum fuit & multis indiciis ſanguinem inflammabilem & valde mobilem habet. Dari quoque poſſent *præcipitantia ac abſorbentia Manè & Veſperi à ʒß. ad ℈ij.*

℞. *Corall. r. ppr. C. C. ph. ppr. āā ʒij.*
Ungul. alc. ppr. ʒjß.
Margarit. Or. ppr. Cinnab. nat. Ungar.
Lapid. Bezoard. Or. Occident. āā ʒß.
Extr. Lign. alöes gr. vj.
Sach. alb. ℥j. Mſc.
c. aq. Tarax. borrag. ſyrup. rub. Id. edulcorat.

Tertio *Nob. Dominus* ad quietem protinus componatur, cum aliâs ſentiat ſomno dolorem ſopiri. Hinc citra ullam cunctationem ſeroſa à capite revellantur: ex his *Veſicatoria* probo, quæ in Ophthalmiâ, Odontalgiâ, Hemicraniâ, ſæpe ſola ad revulſionem ſufficiunt & laudabilem quoque operam in Phrenitide, Paraphrenitide & Apoplexiâ aliâs præſtant. Applicari poſſunt Carpis ſurisque, continuanda videntur donec ceſſet penitus. Si lubet *Clyſteres fortiores*, poſſunt injici, & poſt parcam cœnam *purgantia lenia. Topica* verò ita temparata ſint, ut non attrahant, qualia *reſinoſa calida*, nec in flatus vergant aut caput nimium repleant, quod eadem efficiunt, ut & valde fragrantia: nec impingant, ut *refrigerantia* facere ſolent. Seligenda ſunt *temperatiſſima uti ſaccul. ſc. ex fl. chamom. Beton. Verben. Euphraſ. fl. Paralyſ. &c.* Victûs ratio ſit tenuis & attemperans potius quam plena.

OBSER-

OBSERVATIO XLI.

Cephalalgia cum aliis Symptomatibus.

Illuſtriſſima quædam Domina Marchioniſſa, Conjux Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Dn. de G. Oratoris apud Helvetios; Staturæ brevis, carnoſa, ſubfuſca, Annorum 48. aliquot liberorum mater. Dolet jam ab octo annis & quod excurrit in ſincipite ſiniſtro, dolor ſe diffundit quandoque ad tempus ſiniſtrum, oculum & frontem; quandoque etiam ſimul ad occiput; non rarò quoque totum caput occupat, dolor ferè continuus eſt, quandoque tamen per 4. aut 5. dies remittit. Ab aliquot annis acceſſit huic Cephalalgiæ Vertigo titubans & gyroſa, à qua nonnunquam etiam in lecto non immunis fuit. Ab aliquo tempore quoque jungitur viſus duplex. Dolor Capitis non rarò vehemens & pungitivus & videtur cutis quaſi ſurſum rapi; atque in hac Cephalalgiâ ſenſum potius caloris, quam frigoris experitur. Conſtipationi alvi admodum obnoxia eſt, ſæpeque demum tertio vel quarto die ſolvitur, hujus cauſa *Clyſteribus frequentibus* utitur *& purgantibus;* verum tunc plerunque pertinacius occluditur. *A Clyſteribus* ſæpe mucus tenaciſſimus eductus fuit, ob frequentem illorum uſum extremum inteſtini recti tumet, ut ægre & non niſi cum dolore fiſtulam intrudere valeat. Aliquando diarrhœam bilioſam patitur cum levamine. Nauſeat quidem ſubinde, nullam tamen bilem aliumve humorem evomit. Plerumque bene appetit, mane non ſitit. Quandoque magno nixu alvum ſolvere conatur, capitis dolorem valde exacerbat. Conſtipatione præſente totum Abdomen inflatur ac ſi gravida eſſet, ſine torminibus quidem, at cum ſenſu ebullitionis quodam & dolore in hypochondrio gravativo maxime in dextro, quamobrem *Illuſtriſſima Domina* hepar præcipuam malorum cauſam opinatur. Aliquando difficillimum partum ſuſtinuit. Menſes jam à tribus annis poſt terrorem ſubſtiterunt, Patitur jam aliquandiu æſtus quoſdam ſubitaneos, maxime à paſtu, non diu tamen durantes. Pulſum & urinam naturales habet. *Menſe Novembr.* 1676. caſu cum Rheda facto claviculam ſiniſtram fregit ac totum latus ſiniſtrum valide impegit, unde valde debilitata fuit, ac Cephalalgia & vertigo admodum aucta fuerunt. Ob magnam debilitatem creberrime interdiu & noctu juſculis refocillabatur. Cum 1677. *à Menſe Febr. ad finem Aprilis ob Illuſtriſſimi Domini Mariti decubitum* diu noctuque magnâ ſollicitudine teneretur, ipſique perpetuò adeſſet ac ſomnum frequenter interrumperet, capitis ſymptomata valde auxit, quæ maximam partem *d.* 2. *Maji* 1677. *quo Illuſtriſſimam Dominam*

N. N. conveneram adhuc perdurarunt. *D.* 3. *Maji* conquerebatur quoque de lumbagine plerunque circa os coccygis.

Reſolutio.

PRimarium malum & quod potiſſimum medicam opem poſtulat, eſt Cephalalgia. Hujus cauſa non videtur corpus quoddam ſolidum ſive oſſeum ſive lapideum; cum dolor, licet præcipue ſiniſtrum latus affligat; ſe latius diffundat, adeò ut quandoque occiput & dextrum quoque latus invadat. Nec hic culpari poteſt ſanguis vel extravaſatus vel intra vaſa detentus & in motu ſuo impeditus; cum in neutro caſu diuturna Cephalalgia eſſe poſſet, ſed vel brevi ad ſanitatem vel ad mortem properaret. Rectius crediderim lympham intra anfractus cerebri in ſiniſtro latere copioſe detineri, & in gelatinam quaſi concretam à pia matre anfractus colligante & æquante coërceri; nam ſæpe poſt cephalæas hanc his in ſedibus inveni, ſola illa hic colligi & citra repentinam aut brevem mortem coacervari poteſt, imo longo tempore ſine magno damno hic perſeverare ſolet. Quod autem lympha hic cumuletur, probant quoque vertigo non ſolum titubans ſed quoque gyroſa & viſus duplex quandoque eveniens, quod non fieret, ſi humor iſte inter cranium & duram meningem aut inter hanc & tenuem detineretur: imo ob viſum duplicem & vertiginem altius ſe ſubſtantiæ cerebri, ſed paucâ quantitate immergere videtur; ſi enim copioſius fieret, ſomnolentiam quandam quoque efficeret. Lympha hæc acrimoniæ non expers eſt, quoniam aliquando dolores ſatis acuti excitantur. Acrimoniam obtinet à temperamento totiûs, nam *Illuſtriſſima Domina* calidior ex colore & omnibus actionibus agnoſcitur. An bilis huic lymphæ permiſceatur? valde dubito: etſi enim bile abundet, quod diarrhæa bilioſa eveniens quandoque teſtatur, hoc aliàs conſtipationi obnoxiis non infrequens eſt: neutiquam tamen ſanguini permiſcetur, quiâ ductus choledochi aperti ſunt & nulla icteri ſigna apparent, & licet quandoque largior inteſtinis inſtilletur, tamen nullam vel paucam chylo permiſceri urinæ atteſtantur, quæ nunquam valde tinguntur, ſed plerumque naturales aut etiam pallidæ & aqueæ ſunt. Vaporibus bilioſis in baſi cerebri omnis aditus occluditur, cum omnia oſcula obturata ſint, illaque durâ matre quadruplicatâ ibi obvalletur. Lympha aliàs etiam in ſaniſſimis hic commorans aucta fuit, tùm ob ejus abundantiam in maſsâ ſanguineâ, tùm ob fortiores nixus in pariundo, unde morbus iſte crebro & difficulter parientibus familiaris eſt, adeò ut propterea illum utero adſcribant, maxime ſi dolor circa verticem imprimis urgeat. Non leviculè quoque dolorem excitant & exacerbant, conatus violenti ad excernendas fæces ſæpe adhibendi; item aliquo modo ira & terror, huc pertinent, caſus vigiliæ per 3. menſes. Eadem quoque lympha intra

tra dextri lateris anfractus cumulari poteſt, unde poſtmodum totum caput dolet, maximè ſi à causâ externâ concitetur ſcil. ab hypocauſto, aëre auſtrino, irâ &c.

Secundus affectus eſt conſtipatio, quæ priori fomitem ſuppeditat, & quandoque ad ejus excitationem anſam præbet. Oritur illa vel propter fœcum indurationem & potulentorum citum tranſitum ad receptaculum chyli, vel quia inteſtina multo muco obducta, quod *poſt crebros clyſteres* fieri ſolet, fœcum ſtimulum non ſentiunt, licet adſit, ut bilioſa dejectio diuturnæ conſtipationi ſuperveniens ſatis probat, unde perdurantes in inteſtinis amplius exſiccantur ægriusque protruduntur. *Poſt purgans ſumtum* alvus difficilior fit, quia tubuli inteſtinales exhauſti, minus contenta humectant, minus lubricant, partes famelicæ ſeu exhauſtæ avidius ſucculenta arripiunt. Hæc cauſa eſt inflationis ventris &c.

Tertius affectus eſt æſtus volaticus, qui frequenter fæminas invadit, poſtquam menſes ſubſtiterunt, qui potiſſimum V. S. tollitur Vere & Autumno: alia auxilia raro adhibentur niſi alia ſymptomata accedant.

Denique conqueritur etiam de lumbagine, quæ itidem à ſero originem ducit, & fere negligitur & illis ipſis curatur, quibus obviam Cephalalgiæ iri ſolet: nimirum *diaphoreticis & abſorbentibus*, niſi lumbago hæc originem ducat ab hæmorrhoidibus, quæ *ab uſu clyſterum* tumidiores factæ fuerunt, quæ niſi ſponte aperiantur, ſæpe *peculiaria remedia* poſtulant.

Indicationes ſunt lympham â cerebro revellendam, derivandam, evacuandam, abſorbendam & cerebrum corroborandum: dando operam ut alvus officium faciat: Æſtum menſium ſuppreſſionem ſequentem mitigandum: nec lumbaginem negligendam. Potiſſima tamen ratio habenda capitis eoque magis, quia Cephalalgiæ jam accedit vertigo & viſus duplex, & diligentius, quia humor ægerrime à parte affectâ averti poteſt. Non tamen deſperandum, quia *Illuſtriſſima Ægra* eſt obſequens & diætam exacte obſervat. Itaque 1. ſubinde *purgandum pilul. Cephal. ad ℈j. noctu ſumendis ante novilunium.* 2. Derivandum *Fonticulo*, qui in ſiniſtro brachio excitetur, proficuus ideo erit, quia ſenſim non ſolum derivabit à l. a. ſed ſimul evacuabit & ab apoplexiâ præſervabit. 3. Abſorbendum humorem *pulv. Cephal.*

℞. *Pulv. Marchion.* ℥ß. *Diaphor.* ♃*al.*
C. C. ppr. ungul. alc. ppr. ā̄ā. ʒiij.
Cinnab. ♁*ii rectif.* ʒj.
⊖ *volatil. Succin. gr.* iiij.
Pulv. Caſtor. gr. xv. Extr. xyloal. ℈ß.

 Ol.

Ol. N. M. expr. gr. vj.
Tab. man. Chr. perlat. ℥ij.
Mſc. F. pulv. Doſ. ʒj. cum aq. roriſmar. aut fl. til. aut beton. &c.

Subinde ſumat *de his Tabellis.*

℞. *Specier. Diambr. inc.*
Diamoſch. inc. āā. ʒj.
Contr. Apopl. Aug. inc. ℈iiij.
Conf. alckerm. inc. ʒj.
Extract. xyloal. ℈j.
c. ſacch. ℥iij. in aq. fl. til. ſ. q. ſolut. Mſc. F. confect. in rotul.

4. Capiti imponatur *cucupha ex fl. beton. ſalv. rorismar. roſ. Maſtich. C. C. uſt.* 6. Inungantur vertex & cervix mane & veſperi *balſam. cephal. ex ungvent. alabaſtrin. ol. nuc. moſch. expr. deſt. major. rorismar. &c.* 6. Propter conſtipationem veſcatur cibis laxantibus dimidiâ horâ ante paſtum, horâ ſtatâ ſellam petat. Si non ſuccedat, utatur *ſuppoſitor. ex globul. ſacchar.* quandoque ſumat *clyſterem* ſed ne nimis frequenter *ex lact. aut juſcul. carn. add. ſacchar. ol. lil. alb.* 7. Ob Æſtum volaticum & dolorem lumborum proderit *V. S. in pedibus* Vere & Autumno. 8. Si hæmorrhoides tumeant & doleant, indat podici *unguent. de hyoſcyamo.* Victûs rationem accuratam obſervet. Vinum diluat *decocto ligni ſaſſafr.* Vitet imprimis frixa & lacticinia.

OBSERVATIO XLII.

Cephalalgia & Hemicrania periodica.

N*Obiliſſ. Dn. N. N. Præfectus L. in Ducatu Würtembergico, D.* 10. *Septembr.* 1691. *meum conſilium expetit.* Eſt 34. annor. 4. annis in matrimonio vivit: à 12. ætatis anno dolor frontis per intervallum 6. 4. aut trium ſeptimanarum permoleſtus ipſi eſt. Præceſſerunt paroxyſmos capitis ſtupor vel gravedo à vaporibus ex ſtomacho, labiorum ſiccitas, nares obſtructæ, exæſtuatio capitis, ſomnolentia, creſcentibus doloribus quandoque deliria: ebullitio quædam in ventriculo, ac ſi ibi aliquid coqueretur cum ructibus moleſtis. Quando dolor in ſummo erat, ſupervenit vomitus, quo primum cibi crudi poſtea mucus tenax, tandem aliquid bilis rejiciebantur. Vomitum ſequebatur blandus ſomnus doloresque evanuerunt. A 2. vel 3. annis dolor frontis ſæpius invaſit. Cauſabatur frequentius & facilius ab exceſſu in cibo & potu ſive quantitate ſive qualitate quandoque. Ex. gr. ſi veſcatur

veſcatur braſſicâ muriâ condit. acetariis, aut in cœnâ cibis coctu difficilibus de pernâ ſuillâ, carne bubulâ, &c. ſi in loco extero bibat vinum inſuetum. A 10. annis nunquam bibit ad ebrietatem. Bibit ordinariè menſur. j. ſcil. vini part. iij. aqu. fontan. part. j. Extra paſtum nunquam, niſi in nuptiis aut honoris causâ propter amicos bibit. Ab anno cum ſemeſtri juxta conſuetum frontis dolorem plerumque ante quandoque poſt illum ſubinde dolorificam lancinationem & dolorem ſcindentem patitur in ventriculo comitibus cæteris ſymptomatibus : præcedunt hanc lancinationem flatus & ructus, non remittit niſi *à cremore hordei aut 2. vel 3. clyſteribus.* Ex quo lancinatio iſta evenit, raro in Cephalalgia bilem evomuit ſed ſolùm merum mucum acidum. Ab illo tempore quo diætam accuratiorem obſervat, cibos coctu difficiles, acidos &c. vitat, ſentit aggravationem in pectore ; ſummo mane os amarum, aliquando nauſeam, quandoque prope βȢλιμον ; raró poſt coctionem aut à paſtu ſitit. Potus frigidus, corporis motus vehementes à paſtu lautiore, cibi acidi, coctu difficiles, carnes in cœna comeſtæ, animi motus, ira aliaque pathemata, ratione officii quotidie evenientia tædia, paſtus largior, crebra mutatio potus ordinarii & exceſſus leviculi in illo effecerunt, ut ſingulis ſeptimanis aut ſaltem ſingulis 14. diebus hi dolores ipſum invaderent. Hactenus officium quod gerit, requiſivit, ut vehementes corporis motus, itinera excedente nunc frigore nunc æſtu peragenda eſſent: unde vere & autumno imprimis circa *Feſtum Nativitatis* plus quam unquam hoc dolore corripiebatur, imprimis in parte ſiniſtra. Timet apoplexiam quâ *Dominus Parens* obiit.

Reſolutio.

CEphalalgia ſeu dolor iſte frontis, quandoque hemicraniæ ſimilis provenit à ſoluta unitate non cutis frontis aut pericranii, ſed meningum intus ibi ſitarum, nam foris nullus tumor conſpicitur, nec ab attactu exaſperatur: ſymptomata antecedentia & comitantia cauſam doloris intra cranium detineri probant, ſcil. capitis gravitas, aliqualis ſtupor, ſomnolentia, deliria in vigore doloris ipſeque vomitus & tandem ſomnus ſuavis ſuperveniens, unde dolor evaneſcit. Cauſa ſolutæ unitatis in meninge hoc in loco non eſt tumor aut abſceſſus aliquis, quia non continuò affligit, ſed per intervalla nunc longiora nunc breviora redit. Veriſimilius eſt fieri, ab impedito motu ſanguinis ex arteriis in ſinum tertium cerebri vel propter obſtructionem quandam capillamentorum arterioſorum vel ob fibras arteriis circumjectas & p. n. contractas ; nam advenit & ſolvitur citra ullam evacuationem ex his locis poſt ſomnum blandum : Idque jam ab annis 24. vomitus quidem accedit, ſed potius per conſenſum ventriculi cum cerebro, quàm propter vitium aliquod ibidem abſconditum, nam ſæpe nimium appetit.

Quia jam à 24. annis malum durat & frequentius evenit, nunc propter errores in diæta; neceſſum eſt, adeſſe circa meninges diſpoſitionem quandam, ob quam vel facile obſtruantur capillamenta arteriarum vel à fibrillis circumjectis conſtringantur, nam excitatur imo acceleratur à braſſicâ muriâ conditâ, à cibis difficilioris coctionis. Ex. gr. à pernâ ſuillâ, ab acidis, etiam à carnibus in cœnâ comeſtis, à paſtu largiore aut protractiore: à potu frigido: à mutatione potûs ordinarii frequenti, licet in potûs quantitate nullos exceſſus committat; ab animi motibus & corporis nimiis: ob frequentiora itinera quovis cœlo hoc tempore difficillimo *circa feſtum Nativitatis Domini N.* & vere & hoc autumno ſæpius & citius hoc dolore infeſtatus fuit: Hi errores effecerunt, ut nunc ſingulis ſeptimanis vel ſaltem bis in menſe ab hoc dolore affligatur. Propter vomitus ſatis violentos in vigore paroxyſmi à tot annis venientes, quibus primum cibi crudi, poſtea mucus & tandem bilis ejiciebantur, non potuit non debilitari ventriculus cum duodeno, ut nunc acida evomat, ante, in & poſt vomitum in hypochondriis flatus producantur, & dolores lancinantes experiatur, quibus ſuccurrendum eſt *hordeato* membranam nerveam harum partium demulcente & *clyſteribus*, qui conſtricta laxant & flatuum excretionem promovent. Quia egregiè appetit, hoc ſymptoma vix videtur poſſe adſcribi collectioni vitioſorum humorum, imprimis acidorum, ſed fibrarum alicui proclivitati ad contractionem, nam ſi diætam obſervat ſtrictius, patitur pectoris quandam aggravationem, oris amaritiem & ſitim à paſtu & nihilominus appetitum fortiorem quam decet, ſeu βȣλιμον.

Indicationes ergo erunt cerebrum membranasque nerveas roborandas eſſe *abſorbentibus cephalicis*, fibrarum tonum ſimul conſervantibus.

1. ℞. *C. C. ph. ppr.* ℨij. *Ungul. alc. ppr.* ℨj.
Diaphor. ♃. ℨiß. *Cinnab.* ☿ii *rectif.* ℨß.
Extract. Lign. aloës. ℈j. *Ol. N. M. expr. gr. iij.*
Sacch. alb. ℨx. *Mſc. F. Pulv.*

Doſis ſit mane ℨß. *cum aq. flor. Til. aut parentur omiſſo ſacchāro ex pulv. aut cum gum. tragac.* ℨj. *pilul. num.* XL. *doſ. num. vj. ad x. mane cum 2. coch. aq. majoran. beton. verben. &c.*

2. Cubitum iturus binis noctibus ſumat *pulv. cum vino* imminente paroxyſmo.

℞. *Fol. ſenn. ſ. ſ. ſpec. Diarrhod. Abb.* āā. ℈j *Mſc. F. Pulv.*

3. Naribus *lac* trahat *cum aq. verben. & pauxillo ſacchari.*

4. *Fonticulus & veſicatoriorum* uſus prodeſſent.

5. Poſt

5. Poſt paſtum ſumat *Pulv. ſtomach. Birk. ad* ʒj. *vel* ʒiß. *cum vino.*
6. Conſuetæ temperantiæ ſtudeat, vitet imprimis caput replentia, *Decoct. Caffeè aut infuſum herb. Theæ* mane aut duabus horis à parcâ cœnâ etiam conducerent.. *Moxa in loco affecto inuſta*, ſed leviter tantùm multis tales dolores ſuſtulit aut multùm mitigavit.

OBSERVATIO XLIII.

Cephalæa.

NObiliſſimus Dominus N. N. Ordinis Senatorii apud Friburgenſes in Uchtland conſultiſſimus, annor. 54. habitus corporis gracilis, à ſeptem annis quotidie moleſtum dolorem capitis patitur, originem hujus putat eſſe *Venæſectionem*, ſequenti enim die poſt hujus adminiſtrationem dolebat occiput, ceu à pondere plumbeo ab ipſo pendente, poſtea frons ſtringitur quaſi & tenditur, ſæpe totum cranium ſuperne invadit. Ab anno nunc nares obſtructæ ſunt. Dolor hic capitis ſomnum non impedit, nec appetitus inde proſternitur, non p. n. ſitit: mane poſtquam è lecto ſurrexerit, dolor capitis valde moleſtus eſt, totum cranium in ſyncipite & occipite etiam ſuperne conſtringitur & tenditur cum cute capillatâ, accedit debilitas artuum, brachiorum ſcil. & pedum cum tremore, oculi graves fiunt & viſus hebetatur. Vertiginem mane etiam experitur, aures tinniunt, ſi mucum interdiu ex capite ſeu naribus in fauces attrahere poteſt, dolores remittunt. A prandio meliùs ſe habet, læditur à calidâ & ſiccâ. Ter domi *acidulas* primâ & ultimâ vice ſine ullo effectu bibit, ſecundâ vice humectando & narium obſtructiones tollendo conduxerunt. Vinum generoſum idque merum ſine aquâ dilutum ſemper hucuſque bibit. *Petitur conſilium d.* 8. *Jul.* 1684.

Reſolutio.

CEphalæam merito affectum voco, quia jam à ſeptem annis durat contumaciter dolor iſte capitis, in quo primum affligebatur occiput ceu à pondere plumbeo ab ipſo pendente, nunc frons circum circa ſtringitur & tenditur, tandem reliquum cranium ſuperne. Sedes cauſæ ſeu ſpinæ hunc dolorem efficientis videtur eſſe foris potiſſimum & extra cranium; nam muco è naribus ad palatum tracto mitigatur, ut & ſecundâ vice bibendo acidulas narium muco ſcil. commoto; cum antea nares per integrum annum conſtipatæ erant: à tempeſtate humidâ melius ſe habet, quam à ſiccâ; ut & poſt prandium, quia ſpina emollitur: non impedit ſomnum nec cibi & potûs appetitum proſternit: evenit demum dimidiâ horâ poſtquam è lecto ſurrexit. Videtur tamen

quoque

quoque intus cauſam hæſitare, quia mane vertiginem quandam patitur, brachiis & pedibus debilis eſt & tremit, oculi imbecilles ſunt & aures tinniunt, vel quia ſerum intra cranium ſtagnat nec propter ſpinam impedientem foras ferri poteſt, vel quia in conſenſum raptis meningibus aliquo modo ſanguinis motus impeditur; Forte circa os Ethmoideum & ſellam ſtabulatur. An ibi ubi ſe glandula pituitaria exonerat? Spina videtur eſſe mucus inſpiſſatus in profundis narium cavernis alicubi hærens, nam per annum nares obſtructæ, nunc tenditur & ſtringitur potiſſimum frons & ſynciput, ſubinde totum cranium ſuperne, oculi debiliores ſunt. Mucus iſte inſpiſſatur à tempeſtate calidâ & ſiccâ. Vino generoſo & tempeſtate calidiore læditur. *Venæſectio* huic malo anſam dedit forſan nimia, unde primum principium nervorum debilitatum, perfrigeratum & muci excretio antea forte conſueta impedita fuit.

Affectus non negligendus ſed cum induſtriâ quâdam expugnandus, ne tandem affectus aliquis ſoporoſus aut apoplexia ſuperveniat, quam minantur vertigo, artuum debilitas & tremor, viſûs imbecillitas. Igitur emollientibus & humectantibus, blande laxantibus, abſorbentibus ſpina hæc aufferenda, roborantibus tonus fibrarum firmandus &c. Interne utatur alternis menſibus poſt dies caniculares *potione laxante ex fol. ſenn. agar. tamarind. mann. purgantia fortiora* plurimum nocent, dum maſſam humoroſam turbant &c. *Summo mane hujus pulv. confort.* ʒß. *ad* ℈ij. *vel* ʒj. *cum aqua verbenæ ſumat.*

℞. *Diaphor. ♃al.* ʒij. *Pil. Reg. inc.* ʒiij.
Pil. Reg. compl. ʒj. *Cinnab. nat. Ungar. ſelect.* ℈iiij.
Extract. Lign. aloës. ℈ß.
Sacch. perlat. ℥iß.
Mſc. F. Pulv.

Noctu conſ. roſ. r. & borrag. ãã. ʒij. *vel.* ʒiij. *capiat.* Externe *butyr. cum ſacchar.* naribus indat, aut *lac aq. verben. dilutum* naribus tepide trahat. *Fonticul. in brachio ſiniſtro* prodeſſet. *Veſicatoria &c.* Victûs ratio ſit temperata: fugiendo cibos ſuccum viſcidum præbentes, caſeum piſces viſcidos, placentas &c. Ebrietatem. Motus corporis moderati ſunt neceſſarii.

Excellentiſſ. D. D. Noſet Friburgi Phyſicus & Archiater 21. *Novembr.* 1684. *ſcribit. Lac naribus hauſtum* levamen ſed non continuum attulit proliciendo mucum craſſum & lentum: Mali hujus germini ſeu radici nullam vim illatam putat *pulvere & potione à me præſcriptâ*, cum mitiores fuerint: malum inveteratum & contumax validiora poſtulare. Cauſam proximam putat pituitam manſuetam à frigore condenſa-

denſatam, quia caput non operit capillis factitiis. Mucum produci è vaporibus condenſatis in capite ſurſum vibratis à viſcerum igneo calore, inſpiſſatis à frigore: mucum ægrè expurgari ob narium anguſtiam. Opinatur præſcribendum victum frigidum & humidum, ita tamen ne calor extinguatur: cerebrum addit debilitatum ab ebrietate. Suaſit jam *aquas Thermal. V. S. Purgationes, Juſcula alterata.*

Reſpondi d. 24. *Decembris* 1684. Malum inveteratum & profunde radicatum eſt omnino, quia jam à 7. annis durat, cauſa eſt mucus in ſummitate narium ſtagnans, nam eo ſubtracto mitigatur; redit autem brevi ob loci affecti pravam diſpoſitionem, quæ non eſt ulcus; vix enim ſine palpabilibus ſignis tamdiu latuiſſet, imò hactenus oſſa, quæ tam tenera ſunt & ſpongioſa, corroſiſſet: conſiſtit in laxitate pororum, ob quam ſerum continuo exſtillat ex vaſis ſanguiferis mediantibus glandulis: inſpiſſatur potius à calore, quam à frigore, ut ſerum ſanguinis igne prunarum, Coryzæ à noſtro calore. Suppeditatur à totâ maſsâ ſanguineâ, non profluit ex partibus interioribus Calvariæ, nec etiam per os Ethmoideum, quod in vivis non ita poroſum uti in oſſuariis videtur. Foramina illa impervia, occupantur & obturantur à fibrillis proceſſuum mamillarium ſeu nervis olfactûs: periculum in variis capitibus feci aquâ atramentoſâ affusâ nec vel pili latitudine tranſudarunt. Similitudo vaporum à viſceribus calidis aſcendentium & in capite ceu alembico concreſcentium pridem exploſa ſolidis rationibus fuit *à me & Clariſſ. Schneidero publicis ſcriptis.* Viſcera tamen hæc ſymbolum ad ſeri cumulationem fecerunt, dum potulenta largius ingeſta fervore ſuo intempeſtive arripuerunt, crudiora nec cum cibis penitus ſubacta maſſæ ſanguineæ permiſcuerunt, à qua ob viſcerum obſtructiones quoque non ritè ſegregata fuerunt, ſic radix mali in his aliquo modo locari poterit. Indicationes ſunt ſerum imminuere, à capite avellere, è naribus inſpiſſatum eliminare &c. Imminutio præſtabitur 1. Victu frugali. 2. *Juſcul. rad. chin. ſcorzoner. beton. & ſimilib.* 3. *pulv. diaph. abſorb.* ſimulque tonum fibrarum *confort.* uti nuper in conſilio ſuppeditavi. 4. *Laxantibus mitioribus* cùm fortiora nimis maſſam humoroſam turbent ſerumque acrius reddant. Avulſio peragetur *fonticulis, veſicatoriis etiam nominatis.* Eliminatio *lacte cum ſaccharo & aquâ majoranæ vel ſimili diluto* etiam *Errhino,* quod tale mihi familiare & præſtans eſt.

℞. *Pulv. rad. irid. Flor.* ʒij.
⊖ ⊕. *gr. viij. Ol. d. majoran. gutt. ij.*
Ambr. gryſ. gr. j. ſacch. alb. ʒij.
Mſc. F. Pulv.

OBSERVATIO XLIV.

Cephalæa.

MIchael Schmid, Molitor & Piſtor Tugienſis, 40. annorum, crine & barbâ ruber, quadratus, in victu temperatus, molendinam potius quam piſtrinam curat, bibit ordinarie vinum ejus regionis, quod auſterum eſt; temperamenti aliàs calidi. Jam *à Feſto S. Galli 1670.* incurrit in ſæviſſimum capitis dolorem ſine omni causâ exteriore, doluit admodum frons & occiput, tandem bregma, nunquam tamen vertex; in bregmate dolorem ſenſit moleſtiſſimum, caput retrorſum trahebatur. Collum 7. ſeptimanis flectere nequiit ad latus, imprimis cervix immane dolebat, extra hypocauſtum mitius affligebat dolor. Hujus causâ uſus *Pil. V. S. veſicatoriis*, quæ imprimis juvabant: 10. ſeptiman. vix dormivit, appetiit ſemper bene, nunquam ſitiit. Summus cruciatus *in principio Febr.* 1671. remiſit, duravit *à Feſto Nicol.* 1670. *ad Feſtum Purif. Mar.* 1671. Nunc adhuc ſentit ardorem cum punctura quadam in vertice: appetit tamen, dormit, in ſomno quandoque exacerbationes fiunt, cervix etiam adhuc levicule dolet: urina turbiduſcula eſt. Quando tuſſit, dolor valde exacerbatur, etiam adhuc poſtquam ſæviores dolores ceſſarunt; ſubinde *pulv. tabac.* uſus eſt, ſed parciſſime. Ante 20. annos Hemicrania circa ſiniſtrum oculum admodum affligebatur, per 2. 3. 4. Septimanas, incipiens manè, durans ad horam 12. meridianam, poſtea ceſſavit, rediens mane: duravit aliquot annis periodicè, ſemel vel bis in anno.

Suaſi ipſi d. 20. Apr. 1671. Pil. cephal. bis in menſe ſumendas poſt modicam cœnam ad ℈j Pulv. cryſtall. comp. cum ſpec. diarrh. Abb. diatr. ſantal. ſumendum ʒß. mane & veſp. cum aqua beton. Æſtate *ſerum lactis alteratum herb. caryophyll. mont. verben. purpur. ſem. fœnic.* In paroxyſmo ſumat *mane & veſp. pulv. marchion.* ℈j. & *veſicatoria* applicet *in brachiis & in pedibus.* Vere & Autumno *V. S. in pedibus.* Vitet frixa in butyro. NB. Hac vice ardor adhuc tantus eſt, ac ſi ſtrues lignorum accenſa ſub bregmate exiſteret: quam primum tuſſit, dolor exacerbatur, eſt cum punctione junctus.

Reſolutio.

AB Hemicraniâ, quam procul dubio ſerum excitavit acre, meninges pridem debilitatæ fuerunt. In hâc cephalæâ ſerum iterum ſtagnavit circa ſinum tertium, forte ibi etiam vaſa capillaria turgidiora, ut in ophtalmiâ, ad occiput deſidens quoque ibi dolorem excitavit ſimulque

mulque caput immobile reddidit. Serum cauſam fuiſſe probat *juvamen à veſicatoriis.* Sanguis non tam in culpa fuit, quia V. S. ſepties inſtitutæ non juvarunt. *Serum Trepano in bregmate emiſſum talem dolorem ſuſtulit apud quendam Doggenburgium, ut ex literis Excell. D. D. Baumgartneri percepi.*

OBSERVATIO XLV.

Cephalæa & inveteratus humeri dolor.

D*Omina Baroniſſa de N.* 52. annorum, nupta 32. annorum primâ vice tertio menſe abortiit: dum cælebs erat, menſes ordinatos habuit ſed parcè, augeri fluxus non potuit, imo *à Menagogis* magis ſupprimebatur. Caput tum frequenter doluit; nihilominus bene tunc habuit, robuſta & carnoſa erat. Poſt primum partum adhuc quater abortiit ſeptimanâ decimâ; hanc ob cauſam in nonâ ſeptimanâ V. S. fuit, unde feliciter peperit. Poſt hunc partum iterum abortiit, poſt ultimum abortum ter feliciter peperit. Poſt tertium ab ultimo partu felici uſa eſt *Thermis Valleſianis* cum damno, nam inde acquiſivit Cephalalgiam & Odontalgiam ac humeri dolorem ſæviorem prioribus, qui durarunt, uſque dum menſes fluxerunt, tunc ceſſarunt, quando gravida erat, etiam mitiores erant dolores. *Ab uſu Thermarum Valleſian.* appetitum recuperavit, quem proſtratum admodum novem annis habuerat. Poſtquam parere deſiit, ſexies *Acidulis* uſa eſt, ante annum 60. *menſuras* bibit: ſenſit *ab acidulis* ſe accendi & inflammari. Ab illo tempore dolet in hypochondrio ſiniſtro, ubi tumorem tangit, qui attactui cedit: quando dolor paulò fortior eſt, plurimum bilis vitellinæ excernit & tunc pejus habet, dolet quoque quandoque circa ventriculum. Aliquando vapor fervidus in caput aſcendit, unde dolor punctorius exſurgit, ac ſi meninges cultro pungerentur. A multis annis & nunc imprimis acerbius in capite dolet, dolorem atrocem patitur in toto humero dextro, qui tegi Dahlero poſſet, maxime vero ſuper ſcapulam; dolores iſti graviores noctu ſunt, interdiu per totum corpus vagos percipit, maxime etiam in plantis pedum & volâ manuum cum ardore quodam. Aliquando malleoli intumuerunt, aliàs in locis dolentibus nullus tumor, nec quicquam p. n. obſervatur, intra cranium fluctuationem ſentit. Quando ſiniſtro lateri incumbit, veluti pus ex ſiniſtro oculo effluit; ſi verò dextro incumbat, nihil emanat. Aliquando noctu evenit ipſi ac ſi animo linqueretur, quamvis extrema non frigeſiant nec expalleſcat, ſenſus quaſi confunduntur & intercipiuntur. Nuper auditu plane privabatur, curabatur *ſcarificatione.* Melancholica eſt ſubinde

inde, & à doloribus libera admodum hilaris exiſtit, veretur apoplexiam. Bene comedit, parum bibit vini aq. diluti, nunquam ſitit, bene colorata eſt: comedit ſubinde acetaria, fructus horræos, ſed parcâ manu, nec ab illis læditur. Satis carnoſa adhuc, pridem obæſior tamen. Quando dolores mitiores ſunt, quod ad dimidiam, aliquando per totam noctem fieri ſolet, lecto ſurgere nequit. Aliquando ipſi furunculi in fronte enati ſunt, aliquando ſub cirrhis capillorum in occipite ſerum fœtidiſſimum citra exulcerationem emanavit. In capite æſtum continuo percipit; dolent quandoque genua & fœmora. A primo puerperio ad hunc diem varices ſub claviculâ dextrâ verſus mammam habet, in quibus dolores punctorios ſentit ſubinde, veretur cancrum. A pueritiâ nunquam exſpuit, nunquam quicquam ex naribus emunxit, nec ſudavit: jam ab aliquot ſeptimanis expuit. Urina large procedit, quoties alvum dejicit, fit cum fluctuatione & murmure, flatibus abundat. Bubonocele in ſiniſtro latere affecta eſt.

Ob hos affectus variis uſa medicamentis, *Thermis pro inſeſſu; acidulis, potu thermarum Piperinarum, purgantibus, ℞a ♂tis, vino chalybeato cum ſucco pomorum dulcium, Fonticuli* in cervice, pedibus, brachiis, excitati nunquam manarunt. *Hirudines* hæmorrhoidibus applicitæ cum damno. Alvus quotidie aperta eſt, niſi purget, tunc per biduum ſæpe conſtipatur. Subinde cor palpitat, maxime ſi vapores ſcandunt, mane ob faucium ſiccitatem cum ſtertore quodam reſpirat, aliàs reſpiratio eſt libera. Æſtus ſubitò ſæpe ingruunt mane, veſperi ante & poſt cibum, tunc facies rubeſcit. Sæpe totas noctes dormit, ſæpe fere non, ſomnus laborem facit. Ab ambulatione delaſſatur, maxime ſi acclivia ſcandat. Sentit lumbaginem. Nunquam à dolore immunis eſt; dolet continuo caput, nunc levius, nunc gravius, quandoque punctorios dolores acres patitur, ardorem in capite ſentit. Imprimis dolor in ſupernâ ſcapulæ parte atrox eſt, qui ad humerum & cubitum diffunditur, quandoque hinc inde in artubus ad extremos digitos dolet: æſtuat in plantis pedum. Bibit *lac aſininum*, quod bene contulit, *minus caprinum, ſerum* nocuit. *Plurimorum Medicorum operâ* uſa eſt.

Reſolutio.

CEphalææ, inveterati doloris ſcapulæ, vagorum dolorum per totum habitum corporis, adeo ut nunquam dolorum per annorum decurſus expers ſit, cauſa eſt humor quidam univerſalis, isque nervoſum genus attingens. Humor iſte non eſt bilis, quæ licet in ictero totum quoque habitum pervadat, non tamen has turbas excitat, nec tam diu citra internecionem durare poſſet. Non ſanguis intra vaſa contentus ſive ebulliens ſive ſtagnans, nam aut perpetuo febricitaret, aut maxime in capite dolor pulſatorius eſſet, non extravaſatus quia cito cor-

rum-

rumperetur. Sed ſerum ſeu lympha illaque acris, ſive ab arteriis, ſive ab extremitatibus nervorum ortum ducens. Hoc diuturnorum dolorum cauſam eſſe poſſe demonſtrant arthritides, hoc abundat *Generoſa Domina*, quia non ſudat nec emunxit à pueritiâ. Hoc circa genus nervoſum ſtagnat crebro, hoc ſolum extravaſatum diu impune hærere poſſe notiſſimum eſt; hoc acrimoniâ dolores cujuscunque generis excitare poteſt, in capite fluctuare ipſa ſentit. Probant *Juvantia*, ſcilicet *Lac aſininum* quod mitigavit, unde nunc in multis locis *podagra lacte curatur emendato ſero.* Serum generatur ex potulentis, acrimoniam acquirit ab intemperie calidâ viſcerum, cumulatur ob ſuppreſſam evacuationem, ſtagnat circa locum affectum quia ob prægreſſos dolores partes e. gr. cerebri meninges & pars ſuperna ſcapulæ debilitatæ. Illuc corruit ſecundum ductum nervorum, qui laxiores facti ob mali diuturnitatem *vid. Volk. Coit.* vel ex arteriolarum capillamentis effunditur in maſſâ ſanguineâ ebulliens, & *ut loquitur Piſo* ſe deſpumans, unde tunc vapores non aſcendunt nec ab utero, nec ab hepate, nec à liene, obſtant C. S. Diaphragma & capitis Fabrica.

Serum copioſum imminui poteſt, non aboleri; nam humor naturalis eſt, ſtatim regeneratur, *à purgantibus* imminuitur; ſuccedit acrius, ab illis enim fermentum corrumpitur, unde pejus. *Sudorifera* mitigant quidem ſed non plane. Præſtat *Lac, pulv. ſpecif.* in arthritide vagâ *purganda bis in anno: V. S. bis in anno. Fonticuli* excitandi *in parte internâ fœmoris. Lac aſininum cum conſerv. roſar.* tunc abſtinendum à vino, acetariis & omnibus acidis.

OBSERVATIO XLVI.

Cephalæa, Tubercula ad radicem linguæ & Dyſpnœa.

Nobiliſſ. & Ampliſſ. Dni. Syndici Genevenſis Dominus Filius narravit hiſtoriam morbi, quo cum *Dnus. Parens* conflictatur, ſed imperfecte ex quâ nihil certi de illa concludere valui, propterea operæ pretium duxi ad Te, *Vir Excellentiſſime D. Bonette*, ſcribere utpote Medicum ordinarium. Hydropem pectoris aut Empyema accuſare non poſſum, cùm malum jam à 30. annis inceperit. *Dominus Æger* humili ſitu utrique lateri incumbere poſſit, nec tam diu affectus durare nec *potum aquarum mineralium* tolerare valuiſſet, imprimis propterea quoque quia non tranſierunt; neque ſanguis V. S. emiſſus tam laudabilis apparuiſſet. Tumor pedum aliquid hydropici, qui poſt motum,

tum, aut veſperi ſupervenit, minitari videtur, attamen quia mane detumeſcunt, non tanti faciendus in hac ætate videtur. Bronchia an oppleta ſint? dicere non poſſum, quia nulliûs tuſſis nec ſputi rejectionis mentio fit, & vix quoque tam diu ſine manifeſtis ſignis phthiſeos perſtitiſſet. Tubercula cruda in pulmonibus ſuſpecta eſſe poſſent, quia talia ad radicem linguæ in faucibus conſpiciuntur, de quibus *Galenus Petr. Sal. Diverſ. aliique* memorant: quandoque lapilli intra pulmones illud pepererunt: item aqua copioſa in pericardio ſtagnans: item arteriarum læviuum oppletio à polypis, imprimis ſi jungatur pulmonum ad pleuram accretio, *ut in Thoma Parker*, cui vita ultra 150. annos prorogabatur. Igitur ſcire averem, an Aſthma tum demum appareret, ſi concitatius aut cum vi aliquâ ſe moveat? Num cor aſthmate invaleſcente ſimul palpitet? An frequenter tuſſiat ſimulque exſpuat, an ſiccè ſolùm? Calore nativo cum ætate deficiente non ſuaderem *aquas Spadanas* nec forte ob turbas bellicas illas tutò adire liceret. *Vale*

Excell. T.

Scaphuſij die 2. *Octobr.* 1693. Adſtrictiſſimus

Joh. Jacobus Wepferus, M. D.

Reſponſum Excellentiſſ. D. D. Boneti.

HOdie plur. mihi gratulor *Nobiliſſ. & Excell. Domine*, quòd ad doctiſſimas tuas, quas ad me ſcribere non dedignatus es, & ad interrogata tua reſponſum faciendo, una fidelia & ſummiſſe propenſi in te animi mei, certiorem te faciendi detur occaſio. *Vir ampliſſ. Dn. N. N.* inter Conſulares noſtros & Primates Viros ordinis Chronicorum & variorum, quos patitur affectuum, prolixam deſcriptionem fideliter ipſemet & ab ovo delineavit, hanc Tibi, è vernaculâ noſtrâ linguâ in latinum idioma traductam mitto.

MOrbus, de quo præcipue conqueritur æger, non eſt Aſthma, quod revera ipſum hactenus longe durius exercuit, imò nec in cruribus ullum tumoris apparet veſtigium, ſed ut facilius tam variorum malorum cauſa, indaganti pateat, obſervandum venit ægrotum à tenerâ ætate valido adeo & robuſto temperamento donatum fuiſſe, ut indefeſſos corporis animique labores nullo negotio fuerit ferendo, etiamſi parco admodum ſomno pro more ſolito utebatur, & quo quidem impræſentiarum longe parciſſimo fruitur; alvus ipſi utplurimum adſtricta, imo per plures menſes penitus ſuppreſſa, niſi quod arte ſubducta fuerit; copioſæ urinæ quotidie illi fluunt, utpote quæ potum dupla triplaque proportione excedunt. Cephalalgiis ſupra modum acutis obnoxius eſt, quæque eò vehementiæ tempore paroxyſmorum febrilium devenire ſolent, ut ſi *ad corticem Peruvianum* illicò non confugeretur,

geretur, tribus quatuorve acceſſionibus par non eſſet: tam inſanum capitis dolorem natales ſuos debere autumat hyemali & noctu factæ peregrinationi, in quâ obductis nive viis, in præcipitia & avia delatus, nivibus obrutus, ſemiſepultus & ſine pileo miſere totam noctem tranſegit, ſuſceptum tamen continuavit iter, ut dato tempore, & loco propter res momentoſas adeſſet. Ad ſuos redux vertigine correptus fuit, cui *V. S. è Saphæna* & nonnullis aliis præſidiis opem tulit, quibus dum etiamnum utebatur, ad aliud conſilium non minoris momenti convocatur, cui intereſſe neceſſe habuit: Itinere ſic per atras nebulas ſuſcepto, vertigines illum de novo invaſerunt, metuens verò ne ex equo ſubinde præceps daretur, quum nec lecticâ, nec alio quoquam modo commode traduci poſſet, vinculis ad ſubſellium corpus aptè contineri curavit, ut in patriam redierit, ſedatâ vertiginum moleſtiâ *Medicorum ope*, in Cephalæam degenerarunt, utpote quæ à viginti annis ab ortu ſymptomatum illorum Cephalalgia continuò perſeveraverat, modo crudelius, modo tolerabilius, ſed noctu potiſſimum magis torquens. Inſomnes totas noctes agit, per quatuor horas rarò ſomnum capit, nunquam plures, imo ne totam noctem pervigilem pernoctet, ſtatim à cœnâ obrepenti ſomno ſe permittit. *A ſoporiferorum uſu* male ſemper ſe habet, & à vaporibus tetris & malignis miſerè & inquies agitur. Nec magis illum levant *ſanguinis miſſiones*, qui ſemper floridus & ſine ſero ipſi emittitur, *Catharctica* levant. Utiles fuerunt præteritis annis *aquar. mineralium potus*, Verùm à 12. circiter annis *& Vicecomitenſes & Valſenſes & aliunde depromptæ aquæ* epotæ, nullâ viâ, nullis cuniculis eliminari potuerunt, quibus fruſtra, imo nec ſine ventriculi attritione tentatis ulterius illas propinandi periculum non fecit, unde concludit æger malorum ſcaturiginem ab indomitis obſtructionibus originem ducere; ad hæc bilem non parum facere credit, quam plurimam per ſedes deturbat, quæque ubi in fermento eſt & excernitur, Cephalalgia ingraveſcit, quamvis pigra admodum ſit alvo, *ſimplici infuſione trium ſcrupulorum ſeu drachmæ ſennæ in frigidâ*, quâ vinum in prandio temperat, æque feliciter purgatur ac à forti & completo pharmaco, unica ſemper prima ſedes ſtercoracea eſt, reliquæ omnes mucoſa & viſcida materia ſunt, quorum perpetua & adeò inexhauſta in corpore ſcaturigo latet, ut vel ab aſſumto octavo quoque die *medicamento purgante* minori copia nullatenus evacuentur. Raram *enematum* injectionem permittit, quod ea, ut par eſt non continens vix aliquid operantur, quo tempore capitis dolores exacerbantur, debilitate pedum corripitur, quæ inceſſum difficilem reddit, ſemel & iterum dolores iſchiadicos perpeſſus, à quibus jam plane immunis eſt. Sed convulſione quâdam ventoſâ vexatur, ſeu muſculorum retractione quam vocamus,

mus, *Crampe*, quæ modo pedes modo crura, modo femur hyemali potiſſimum tempore corripit, Talis eſt ægroti valetudo à 20. præterpropter annis, *Lutetiæ Pariſior. Doctores Medicos, Dnos. Petit, Renodæum & Monginotum; Gratianopoli Dnum à Villefranche, Lugduni Dnum Serranum, Genevæ maximam Medicorum partem, qui medicam artem & agunt & hactenus egerunt, in conſilium advocavit.* In eandem omnes ſententiam convenerunt, obſtructiones & calidam viſcerum intemperiem incuſantes, *aperientia & refrigerantia* præſcripſerunt: remedia in uſum revocata ſunt *ſemicupium, aquarum mineralium potus, junioris pulli juſcula incoctis appropriatis herbis; veteris galli decocta ingredientibus variis infarcta*, ex quibus exiguum admodum emolumentum percepit. Habito ad aſthma reſpectu *pulverem* in uſum revocavit, *conflatum ex herbis pulmonar. ſalv. veronic. & pulmon. vulp.* ſumebat cochleare unum ex juſculo, quo plurimum pituitoſæ materiæ extuſſiebat & nonnihil levaminis percipiebat; notandum venit, quod à teneris unguiculis ſuſpirioſus eſt, nec unquam in plano currere, aut acclivi loco aſcendere, quin animam ægre traheret, quod ſymptoma indies aliqua incrementa cæpit. *Pulveris uſum è pulmon. vulp. &c.* ab anno circiter interpolavit, & *Zingiber in China conditum* quotidie matutinis horis *ad nucis moſchatæ majoris molem* manducabat, quod quidem ipſi levamen conferre videbatur & ventriculum reficere, quem licet naturâ fortem nactus fuerit, continuo frigidorum & humidorum potu à pluribus annis attrivit; verum *longior Zingiberis illius conditi uſus* nocuiſſe & multum ad novi, quod ſuccrevit, ſymptomatis generationem feciſſe putatur, de hoc curando vel leniendo inpræſentiarum agitur, ſi penes Medicos eſt, reliqua ſiquidem mala ut plurimum ſedata ſunt, ſub importuni & poſtremi hujus ἐπιγινομένȣ adventum, nullum enim jam tumoris pedum indicium, capitis dolor longe tolerabilior eſt: aſthma ipſum, quod non ita pridem miſere ægrotum angebat, jamjam liberum per loca plana commeatum permittit, etiamſi gradus & acclivia ſolum laborioſa ſint. Pro faucium importuno dolore jamjam curam vel inducias poſtulat, à quinque circiter menſibus miſere illum divexante, fauces imæ, lingua præſertim ad radices & intimæ oris partes tuberculis ſcatent, quæ criſtarum adinſtar ad linguæ fundum continuo pullulant & protuberare videntur, lingua craſſo limo obducta apparet modo albo modo flaveſcente; *ex variis*, quæ in uſum adhibita ſunt, *gargariſmatis, aqua vitæ paucâ aquâ communi diluta* præ cæteris utilior fuit. Per totum bimeſtre *aſinino lacte* uſus eſt *pauco ſyrupo capillor. ♀. adjecto*, hoc remedii genus non parum emolumenti

attulit

attulit quotidie, ſed per trium duntaxat quatuorve horarum ſpatium, à quibus ingraveſcebant dolores, utiliter longe fuiſſet illa, ſi per fauces unà fæces deturbaſſet, ſed ſollicitandæ alvi gratiâ, *infuſio gr. xii. Rhei ex aquâ communi facta* quotidie mane propinabatur, admixtâ exiguâ lactis doſi ingentem ſcutellam lacte plenam illico ſuperbibendo, quod quotidie duas ipſi ſedes promovebat, non omiſſo interea octavo quoque die *leni cathartico*, quæ omnia caute licet exhibita & cum ſolicitâ & accuratâ diætâ hucusque ægroto levamen afferre non potuerunt, ſed in eum marcorem ſenſim & ſine ſenſu dejicitur, qui ad phthiſin accedere videtur. Conſtat tamen pulſus, nec elatus, nec frequens, nec febrilis, nec inæqualis, appetitu utitur ut par eſt, vino utitur *ptiſana ex rad. cichor. & paſſulis*, ad med. partes temperato. *Juſculis* noviſſime utebatur *ex pullis gallinaceis & endivia*, ſed quæ paulo poſt intermiſit, tùm quòd his quotidie ſemel atque iterum amplas & aquoſas ſedes dejiciebat, quæ atoniam ventriculi ſapiebant, tum quod magis magisque indies contabeſcebat. Si pluribus fortaſſe utatur verbis ſtatim in raucedinem incidit, ſicque irritatur faucium dolor & tantum calorem in ore accerſit, ac ſi flammas ore contineret, continuâ jamque raucedine laborat. Tuſſi non continuâ, ſed importunâ identidem urgetur, quæ non ſedatur prius, quàm pituitam aut viſcidam tenacemque materiam, quæ vix utplurimum excreari poteſt, extuſſierit: Per noctem materia illa condenſatur coctione, & gelatinæ inſtar, vel ovi albuminis nonnihil ſpumoſi uno globo ſuoque pondere excernitur.

Hucusque Ampliſſimus Dominus Æger valetudinis ſuæ ſtatum ipſe deſcripſit. Pauca quædam ad prognoſin imprimis facientia, & quid de cauſis & ideâ morbi ſentiam, ſub cenſurâ & judicio tanti Viri tibi adjiciam.

A 5. circiter annis ut *Medicus ordinarius ad Virum Ampliſſimum* fui convocatus, modo ad febres intermittentes tertianas aut duplices tertianas, modo ad Iſchiadicos dolores, acutiſſimis capitis doloribus ſemper & vigiliis ſtipatos, quæ ut ad rem non facientia ſilentio prætereo. Aſthma interea, tuſſes, vigilias & cephalæas patienter ferebat, vel *enematis, lenibus catarticis, emulſionibus*, *ſyrupis* ut poterat demulcebat. Sed noviſſimis hiſce menſibus inſolitum obortum ſymptoma, importunus ille nimirum faucium & ardor & inquietus dolor *Magnifico Ægroto & Medicis* grave faceſſivit negotium; *in conſilium vocati* 4. *Medici*, faucibus exploratis rubor aliquis ad imas fauces ſine tumore, ſine ulcere, ſine uvulæ relaxatione, ſine febre ſimpliciter cum lingua muco albeſcente obducta apparuit. In eam conveniunt ſententiam tam ſævi & pervicacis doloris cauſam, *longo Zingiberis conditi uſui* ſuos debere natales, quippe quod acutos ſuos & acres aculeos in molles faucium car-

nes altius impreſſerat. Ea verò fuit & etiamnum eſt ſententia mea, faucium illi dolori & ardori *Zingiberis conditi longiorem abuſum* revera impreſſis acutis & acrioribus aculeis anſam dediſſe, ſed primam mali labem ab ipſis pulmonibus eſſe derivandam, in quibus jam pridem imò ab ortu & connaturali vitio debilibus, non quidem in ipſorum bronchiis ſed ipſo parenchymate, veſiculis & levibus arteriolis labentibus annis, tenaciores & ſalinæ ſanguinis impuritates conculcatæ & congeſtæ fuerunt, horum numerus nullo negotio præpeditæ circulationis vitio indies incrementa cæpit, hinc difficilis illa reſpiratio propter attenuationis, aëriſationis & ſufficientis ſubtiliſationis incapacem materiam, ſic aëri, ſpiritibus & ſanguini per pulmonis vaſcula denegatus commeatus, aſthma illud generavit, materia verò illa acrimoniam & ſalſuginem imo malitiam cum calore ſenſim adepta, labem pulmonum parenchymati afflat, quæ tandem tractu temporis, clanculùm tamen & ſine febre in nervum erumpens, ſpeciem tabis ſui generis accerſit, quæ & ardorem illum faucium, majoris longè in pulmonibus latentis & ſub cineribus occulti incendii argumentum, & marcorem, & vigilias & criſtas & tubercula in faucibus & mucum linguam obducentem producere poteſt. Ad ſententiam meam facere videtur, quòd pulſus *Ampliſſ. Viri*, qui nobis hucuſque ἀπύρετος, æqualis utcunque validus, & laudabilis tangenti ſemper apparuit, noviſſime nobis frequentior, profundior & exilior cum aliqua inæqualitate in unâ pulſatione arteria acutius feriente in fine quam principio pulſationis, hiſce febricula ſubrepens vel ex cuniculis arguitur. Ut verò præfervida & obſtructa ſunt ipſa etiam hypochondria, non ab humorum copiâ, ſed ab eorum ſalſugine, viſciditate & malitiâ, & ſanguinis maſſa utut laudabilis, ubi emittitur, appareat, iiſdem procul dubio vitiis ſordet. Nullus dubito, quin pulmonum tabi & extremo marcori tandem & intra paucos menſes, tumor & hydrops ſuccedant, ut plerumque videre eſt ex alterutro vel pede vel manu. *Uſum infuſionis chinæ* propter ſenſum caloris & ſiccitatis tolerare non potuit, nuper *à pilul. ex tartareis & de ammoniaco Quercet.* ãã. ʒß. *cum ☿ii dulc. gr. xv.* plurima fœculenta viſcida excernebat & ſatis bene ad aſthma ipſum ſe habuit. *Currente calamo hæc ſcribebam.*

Genevæ d. 10. *Octobr.* 1693. Joh. Antonius Bonetus, M. D.

Reſponſum & Conſilium ad præcedentes Literas & morbi hiſtoriam.

Salve Plur. Nobiliſſ. & Excell. Domine!

OMnino ſumme neceſſum fuiſſe, *ut ſolidius de affectu Nob. & Ampl. Domini Syndici erudirer, ex Excell. T.* litteris doctiſſimis intellexi: Inhære-

Inhærebant ſui potiſſimum aſthmati, cujus tamen conditionem, aut cauſam divinare nequii. Tuberculorum, vigiliarum & Cephalalgiæ mentionem quidem fecerunt obiter, adeo ut de his affectibus non tam ſollicitus fuerim, quam de aſthmate. Cùm vero nunc percipiam, illud non tantopere moleſtum eſſe, tantum afflixiſſe ab annis plurimis ſi contentius cucurrerit, aut acclivia aſcenderit, illo præterito, quid ſentiam de faucium affectu & de Cephalæâ, paucis mentem meam explicabo, addita methodo medendi, quæ omnia *Excell. Tuæ* judicio ſubjicio. Tubercula circa radicem linguæ, quorum quædam piſi magnitudine, criſtis ſimilia, ſine ulcere, attamen cum rubore, ardore & dolore juncta, exiſtimo eſſe glandulas linguæ naturaliter ibi exiſtentes opertas membrana, qua ceu cuticulâ cutis obtegitur, ceu munimento, contra deglutiendorum injurias. Has naturaliter in ſanis conſpici, citra ullum impedimentum vel in deglutitione vel in loquelâ: Dum hæc ſcribo, periculo facto in viro robuſto comperi vidique plures circa radicem linguæ piſi dimidiati magnitudine, illarum quoque mentionem faciunt *Anatomici*, plures & duriores reperiuntur in bobus, ovibus, felibus aliiſque animantibus. Glandulæ in magnitudine ſua auctæ in talia tubercula evadunt, nullo modo ſunt caro luxurians, quia membrana illas muniens integra eſt, nec quicquam exulcerati apparet. Moles glandularum iſtarum augetur à ſanguine calido, acri & glutinoſiore, quàm decet, unde per arterias appulſus per venas & vaſa lymphatica non recedit, nec linguæ interiora, ut decet, humectat, unde neceſſario ſecundum omnes dimenſiones excreſcunt: ſanguinem calidiorem intra linguam quoque exiſtere probant ardor, rubor & dolor, ob quem etiam lympha magis inſpiſſatur & magis lenta fit; ſerum enim ſanguinis & lympham lentam fieri notum eſt, & facile innoteſcit, ſi cochleari argenteo exceptum imponatur prunis ardentibus, nam brevi in gelatinam abit. Ab eodem ſanguinis calore linguam obduci muco viſcido nunc albo, nunc flavo, nullus dubito. Mallem enim hujus muci ortum produci ab hoc calore, quàm à fuliginibus & vaporibus cum exſpirato aëre ex pulmonibus prodeunte, aut ex ventriculo per gulam exhalantibus emiſſis ex hypochondriis per vias incertas. Eidem ſanguini fervidiori in lingua detento linguæ ſiccitatem potiùs adſcriberem, quàm fuliginibus, nam licet fuligines pertingant ad linguæ ſuperficiem, mox tamen illarum impreſſio à particulis calidis corrigeretur ab aëre frigido inſpirato; verum ab aëre frigido non emendatur, & in febribus continuis malignis ab aliquot annis hic & alibi graſſantibus nimiam experimur ſiccitatem & ariditatem hanc linguæ diu *nullis gargariſmis, oris collutionibus, mucilaginibus, ſucco ſempervivi majoris aliiſque impenſe humectantibus* expugnari poſſe, donec incendium totius maſſæ ſanguineæ debellatum fuerit, cujus non ultimum ſignum eſt humiditas

 linguæ

linguæ ex poſtliminio rediens. Opinionem de fuliginibus plauſibilem fecerunt pleuroperipneumonia & peripneumonia; attamen obſervatum fuit phthiſicos non minus calidas fuligines diu expirantes diu linguam humidam & mollem retinuiſſe, nec exaruiſſe fere unquam, antequam febris putrida acceſſiſſet. *In Sepulchreto Excell. D. Patrui p.* 161. *refert Fœminæ cuidam à ſecundinis in utero corruptis linguam exaruiſſe*, ab Eryſipelate phlegmonode tibiarum idem frequentiſſimè accidere notiſſimum eſt: quis ſibi imaginari poterit, fuligines ab his locis ad pulmones & ventriculum mitti indeque ad linguam pertingere? *In Monaſterio S. Blaſii ſylvæ Martianæ nobis vicino ruſticus quidam ſoluto nummulo butyrum fervidum & adhuc ebulliens cochleatim primum inglutit, & poſtea affatim ex vaſculo ad aliquot uncias ebibit, linguâ humidâ permanente, linguam poſt deglutitum butyrum tetigi, actu vere fervebat, nec diu poſtea arida facta fuit.* Longe rectius igitur ſiccitas & ariditas linguæ adſcribetur particulis incenſis ſanguinis, quo copioſe linguam ſingulis pulſibus irrorari notiſſimum eſt: forte tamen à frictione frequentiore & ſcalpturâ plus ſanguinis ad illam allectum fuit. *Nobiliſſ. & Ampliſſ. Dn. Ægrum* ſanguinem præfervidum & acrem habere multa ſignificant; vehementes cephalææ, vigiliæ prope continuæ, læſio *ab opiatis*, quæ ſulphure abundant, unde eo incenſo ſpiritus magis turbantur, quam ſopiuntur. Spaſmus flatulentus non à flatibus, ſed ſero acriore nervos vellicante oritur, dolor iſchiadicus, bilis abundantia, quam ſponte dejicit, aut *à levi purgante ſumto* ad excretionem provocatur: ipſe ſanguis V. S. miſſus & ſero deſtitutus idem confirmat illum admodum inflammabilem eſſe, facile agnoſceretur, ſi ipſe ejuſque ſerum ad ſiccitatem inſpiſſaretur, certo certius inſtar ſtuppæ flammam accenſus caperet, ac in capite mortuo ſal acris, eo linguæ admoto perciperetur. Sanguis à temperamento connato calidior redditus fuit, fervidior à continuis corporis & ingenii laboribus, prope continuis vigiliis, doloribus ſæviſſimis à plurimis annis perpeſſis, à Febribus maſſa humoroſa quoque acrior redditur poſt deflagrationem remanente copioſo & acri ſale. *Zinziberis conditi abuſum* aliquot menſibus continuatum ſanguinem calidiorem & acriorem effeciſſe, dubitare non ſinit faucium moleſtia. An alii errores in victu ſanguinis acrimoniam & calorem auxerint? ignoro, quia illi in hiſtoriâ reticentur: audivi tamen *Ampliſſ. Dnum.* temperanter vixiſſe: Forte inſenſibilis tranſpiratio in itineribus tempore nocturno, Cœlo frigido, magis quam par eſt præpedita, non parum ad majorem accenſionem ſanguinis contulit, cùm hæc non rarò febrium anſa ſit. An decantatæ obſtructiones hypochondriorum, ſeu Hepatis, Lienis & Vaſorum Meſentericorum caloris & acrimoniæ in ſanguine cauſæ ſint? forte contradicere permiſſum non erit, quia illam

Jam hic cauſantur *Celeberrimi Medici Pariſienſes, Lugdunenſes & Veſtrates, quibus etiam calculum dedit Clariſſ. D. D. Winckler.* Ipſemet quoque pridem huic opinioni innutritus fui *à Sennert. de Aff. Hypochondr. & ſcorbuto, etiam à Medicis Italis, quorum Praxin prope per triennium Patavii ſecutus ſum.* Verum poſtquam mihi plenius motus S. C. innotuit, *perlegi Cl. Slegelii libr. de motu chyli & ſanguinis*, mihi innotuit *ductus Thoracicus Pequetti* ac me in Anatomicis exercui, de hac ceſpitare cœpi, imò non rarò in affectu Hypochondriaco falſiſſimam comperi; ac hac de re plura collegi. *Apud Nobiliſſ. Dn. Syndicum* obſtructionis præcipuum argumentum *Aquæ minerales* aliquoties potæ nunquam tamen tranſeuntes. Quid per tranſitum denegatum intelligatur? non plene explicatur; an forte nec per alvum, nec per urinariam viam ſeceſſerint? an ſolum non per alterutrum locum? *Aquam mineralem omnem apud Nobiliſſ. Dn.* intra corpus perſtitiſſe vix in animum inducere poſſum, nimiùm enim mihi quam certò conſtat, *Acidulas* incuriè potas, aut illarum excretiones neglectas vix ſemeſtri elapſo aut aſciticos vel hydrope pectoris immedicabili obiiſſe. *Fœminæ cujusdam Cadaver aperui, poſt illarum potum decentem corporis motum negligentem ac abſona devorantem: Abdomen impletum erat ingenti copiâ aquæ turbidæ, acorem ſpirantem, ſimilem acidulis coctis, quibus pro balneo utuntur: In Baroniſſa quadam pectus & abdomen illis adimpletum reperi.* Nullas obſtructiones *Nobiliſſ. Dn.* intra abdomen fovere ſingulis partibus examinatis, quæ harum ſubjectum eſſe creduntur, forte manifeſtum fiet: vaſa lactea non obſtructa credo, quia nullum fluxum cœliacum patitur, multum & plus mingit, quam potulentorum aſſumit, quod ſignum eſt, liquida celeriter vel abripi vel pelli in vaſa lactea. Si ſanguis in venis & arteriis ſtagnaret vel aneuriſmata, vel varices, vel etiam inflammationes oborirentur, quæ certe per annos non perdurarent & alia ſui indicia præbuiſſent. Ab inflammationibus meſenterii, omenti, hepatis, lienis Hemitritæus enaſcitur, *teſte Spigelio & Anatome*, morbus brevis durationis aut ad vitam aut ad mortem. Vaſa lymphatica ſuum hoſpitem non diu tolerant; aut enim à copiâ rumpuntur utpote tenerrima, aut ab acrimoniâ ſeri exeduntur, quam mora contrahit. In hepate ductus hepaticos aut communem non infarctos eſſe probant dejectiones bilioſæ ſponte evenientes aut *ſumto laxante etiam leviculo ſc. Fol. ſenn. ℥j. in frigida infuſo*, quod etiam probat ductum pancreaticum ſatis patulum eſſe. Lien multum vapulat; quaſi omnium fœculentiarum repoſitorium, cùm tamen æquè laudabilem ſanguinem à corde ac cerebro accipiat & hactenus nullum alium humorem ad illum pervenire Anatome demonſtrarit. *Nuper D. Tauvri Med. Pariſienſ. Ana-*

 tomia

tomia latinitate donata Ulmæ recuſa fuit: in præfatione experimento à *D. D. Bohnio P. P. Celeberrimo* refertur in cane facto innotuiſſe lienem ſanguinem præparare ad bilis ſecretionem in hepate; tantum abeſt craſſum melancholicum producere, ut potius talem attenuet. Mucus ille qui merus copioſe albumini ovi ſimilis & ſincerus excernitur & intra paucos dies regeneratur, nullo modo in vaſis meſentericis cumulatur & confertim ibi ſtagnans in cavum inteſtinorum effunditur; ſed eſt humor ille, qui in glandulis inteſtinalibus *à Nob. Pejero noſtro* detectis, ex ſanguine arterioſo ſeparatur & ſingulis pulſibus recens è tota maſſa ſanguinea affertur atque in glandulis ad futuros uſus detinetur, unde has glandulas, acetabula, cavernulas potiùs nominandas putavi: ſi oſcula illarum in recto, colo, aut fine ilei nimium pateant, copioſius fere formâ ſeri exſtillat, ibiquè ob moram tractam lentorem contrahit & glutinoſum evadit. Hoc eveniſſe Hypochondriacis nimium *clyſteribus* abutentibus & dyſenteriam paſſis diu illâ jam ſopitâ.

Ante aliquot annos R. D. P. Willi, S. J. Provincialis ad me Monachio ſcripſit, ſe mira pati ſymptoma; nimirum ſe glutinoſiſſimum humorem etiam ſeſqui libras ſuperantem eumque ſincerum diu poſt ſubſequentibus ſcybalis induratiſſimis excreviſſe; quâ ratione hoc fieret, capere nequivit, perſuaſus mucum produci in primis viis ob coctionis vitium in Ventriculo; quam tamen rite peragi ex fœcibus colligebat. Revocavi ipſi in memoriam affectus perpeſſos, ſc. Colicam vulgoननbilioſam & Affectum Hypochondriacum, quorum cauſâ plures clyſteres admiſit & non pauca purgantia ex Medicorum aliorum conſilio aſſumſit, indicavi ſimul ab his harum glandularum oſcula magis patula reddita plurimum ſui humoris in Colon & Rectum exſtillare, morâ lentorem contrahentis: Commendavi lectionem Opuſculi Pejeriani, unde acquievit & hactenus belle valuit.

An viſcera ſanguinem calefaciant? adhuc ſub Judice lis eſt: negari non poteſt, ſanguinem in colliquamento apparere antequam viſcera conformata ſint vel ſaltem penitus abſoluta. Deinde non ſolum viſcera, ſed omnes partes à ſanguine calefieri, illo vel intercepto vel penitus denegato frigefieri & emori, unde ipſamet cordis flammula dubia redditur & à multis calor innatus repudiatur. Si omnia hic coacervare vellem, Epiſtola tandem in Opus excreſceret: hoc non nego ſanguinem à Pulmonibus, Hepate, Liene, Meſenterio &c. p. n. inflammatis valde incaleſcere, verum hoc quoque fit aliâ parte ex. gr. pede inflammato, aut aliâ, quæ in viſcerum numerum non venit. Iſtud certum eſt, chylum, antequam perveniat ad hæc viſcera, ſanguini immediate miſceri; penes ſanguinem eſſe calorem & ſpiritus immediate chylum attingentes & immutantes: in partibus inflammatis, ſanguinem in motu

motu impeditum effervеſcere, particulas ſanguinis igneas ſanguini refluo permiſceri & totam maſſam accendi, unde febris & partem gangrænâ correptum iri, imo emori, niſi diligenter caveatur & maturè obex motûs conſueti tollatur.

Cephalæa, licet nunc *Ampliſſ. Dn.* minus afficiat, quia forte faucium moleſtia illam obſcurat, vel efficit, ut minus illam curet, meretur tamen aliquam ſui conſiderationem, quia à 20. annis nunc mitius nunc ſævius afflixit, & procul dubio ſubinde repullulat. Quia continua tot annis fuit, nonniſi cauſæ domeſticæ intra cranium, ſi foris attactum concedat, eique ſtabili, attribuenda erit, quæ vero ſit? & qualis, determinandum eſt & ſæpe demum poſt obitum *ex anatome* pateſcit; pus latens, ſanguinem extravaſatum, inflammationem incuſare nequimus, cum tot annis perſiſtere impoſſibile fuiſſet; oſſicula, lapillos, tumores cum folliculo cephalææ diuturnæ cauſas fuiſſe ab aliis, etiam à me *Anatome* compertum fuit; hæc liberum ſanguinis motum per meninges impedientia doloris cauſa evadunt: *Serum intra cranium & meningem duram intus incarceratum Ruſtico cuidam Doggenburgenſi diuturnam & ſæviſſimam Cephalæam peperit; impatientiâ victus coëgit Veterinarium ſolitum trepano Jumentis vertiginoſis cranium perforare, ut idem apud ſe tentaret; communi Fabrorum lignariorum ſaltem ſynciput perterebrat, non multis ceremoniis præmiſſis, ut noſtri Chirurgi ſolent, exſiliit ſerum copioſè, atque ſic integrè convaluit.* Hoc tempore apud nos *Nob. Gallus Exul ex Montepeſſulo* moratur; pridem *Capitaneus in Pedemontio, afflictus à longo tempore atroci Cephalæâ: uſus eſt juſculis & decoctis aperitivis contra obſtructiones Hypochondriorum, ſemicupio, lacte aſinino & neſcio quibus aliis. In fronte dextro deprehendi tumorem concolorem, amplum, non valde altum & ſimilem in Bregmate ſiniſtro; ſectionem neceſſariam prædixi, quam nuper D. D. Pfiſter Med. & Chir. Doctor peritiſſimus peregit, poſtquam ſero exitus paratus fuit, dolor remiſit; at in utroque loco caries oſſium Dahlero amplior occurrit, in quâ ſeparandâ nunc occupatur, jam multis ſquammis ſecedentibus. Intra Pericranium & Cranium Illuſtriſſ. cujuſdam Comitis Apoplexiâ mortui, de quo vid. ſupra OBSERV. IX. longo tempore Cephalæam horrendam & nullis remediis nec moxæ inuſtioni cedentem, ſerum reperi, quod pericranium ab oſſe aliquo avulſerat & intra ſpacium quaſi nidulabatur, attamen ſine Carie.*

Si conjecturæ locus ſit, exiſtimo quoque *apud Nob. Dn. Ægrum* aliquam ſeri ſtagnationem intra meningem latitare, ſero quaſi incarcerato & copiâ & acrimoniâ moleſto ac hujus doloris parario: nam humor iſte intra cranium quoque locum habet, diu etiam ſine ſuppuratione

tione ſubſiſtere poteſt, imminuitur & augetur rurſus per vices, unde dolores nunc augentur nunc imminuuntur: quod magis veriſimile fit inde, quia dolor pertinacior evaſit, poſtquam ſemiſepultus ille denudato capite intra nivem prope tota nocte detinebatur, comitante illum protinus vertigine non contemnendâ, quia illius culpâ equitare ipſi non licuit, niſi faſciis ad ephippium firmato. Multi ſæpe diuturnum dolorem humeri patiuntur, ſi brachium frigori in cubilibus exponunt, nec probe contra aëris injurias brachialibus muniunt: noſtri vocant luem frigidam. Mallem hanc cephalæam ſero adſcribere, quam fuliginibus ex hypochondriis ad caput aſcendentibus per vias dubias & illarum acceſſum impoſſibilem per baſin cranii: ſi omnino ex his ſedibus cauſa ejus accerſenda foret, rectius crederetur particulas acres cum ſanguine per arterias vertebrales & carotides huc pertingere. Hoc fit, quando in maſsâ ſanguineâ ſeri ſeparatio aliqua fit, ſeu, *ut Carol. Piſo de Colluvie ſeroſa loquitur*, deſpumatio oboritur, tunc enim dolor valde exacerbatur; ut *ad Chin-Chinam* veluti in febribus, properandum, quod, niſi fieret, vix dolori ſuperando par foret. Igitur indicationes erunt ſanguinem ejusque ſerum attemperandum, ejusque ſalia peregrina, nervoſo generi inimica ſupprimenda & imprimis ſeri lentorem incidendum atque attenuandum, in locis affectis diſſolvendum & eliminandum eſſe, ſemper ſtudioſè in provectâ hac ætate conſervandas eſſe vires.

Cum Ampliſſimus Dnus jam multivariis juſculis alt. decoctis, aquis mineralibus, lacte aſinino, ſemicupiis aliisque remediis uſus ſit, vix cauſam tolli arbitror, citra generoſum aliquod auxilium. Propono *mercurium dulcem optime paratum & ab omni malignitate mundatum à perito pharmacopæo, qualem audio eſſe Dominum Colladon.* Eſt medicamentum tutum & ſine ſcrupulo congruâ methodo exhibitum etiam in hâc venerandâ ſenectute non timendum, ſi modo macies non trahat originem à febri, quæ forte hactenus emerſiſſet, quod, quia ab aliquot diebus appetitus perire cæpit, pulſus frequentior evadit & calorem p. n. percipit, ſuſpicandum eſt.

I.

Methodus ☿ dulc. exhibendi ſit hæc: 1. ſingulo mane, poſtquam bene evigilaverit, dentur ☿ dulc. gr. iiij. cum conſerv. roſar. majoran. ãã. ʒß. *continuetur hæc doſis per dies quatuor; poſtea addantur ☿ dulc. gr. ij. per dies tres, hinc ſingulis diebus aſcendatur gr ij. donec perventum fuerit ad gr. xvj. auctâ ſimul parum conſervar. doſi. Poſt horas duas elapſas propinetur juſculum carnis, in quo radices graminis aut petroſelin. coctæ fuerint. Interea diligenter attendatur, num ☿ dulc. ſalivationem commoturus ſit? ſin minus, pergatur ſummâ doſi per dies* 14. *ſi verò illam*

cieat

cieat fortius, unum atque alterum granum detrahatur, nam ſalivationem non intendo. 2. *Semel in ſeptimanâ purgetur his pilulis.*

℞. *Extr. cathol. Paracelſi aut* ♀ *Quercet.* ℈ß.
☿ *dulc.* ℈j. *cum mucilag. tragac. Mſc. F. pil. n. x.*

Dentur mane hor. 6. cum paux. ſyr. roſar ſ. ſ. poſt duas horas ebibat juſculum & adhuc bis vel ter ad prandium uſque. Si pilulæ minus alvum ſubducant, aliâ vice doſis Extr. augeatur ad ℈j. *dum utitur* ☿*io dulc. & purgante ſummopere ſibi caveat ab aëre frigido.* 3. *Dum* ☿ *dulc. fruitur talis potus ordinarius paretur. Impleatur vas vitreum aquæ fontanæ* ℔viij. *vel* ℔x. *adde* ☿ij. *vivi* ℥iij. *In medio ſuſpendatur hic nodulus.*

℞. *Salſæparill. non carioſæ* ℥iij.
Paſſular. major. exacinat. ℥ij.
Sem. fœnicul. ʒij.

Inciſ. & contuſ. indant. in nodul. ex ſyndon. rubr. cum ♁*ii crud. ad* ℥ij. *in fruſtula fabæ magnitud. ab omni polline mundata & in petia ligata; cavendo ne nodulus* ☿*ium attingat. Coquantur in Baln. M. per horas duas: poſtea liquor decantetur & conſervetur in vaſe vitreo aut terreo vitreato, nullo modo in metallico. De hoc decocto pro lubitu ad ſitim extinguend. bibat, etiam in paſtu, nec eſt, ut quicquam turbar. timeatur. Si vero abhorreat* ☿ *dulc. quamvis tutiſſimus bene præparatus ſit, ejus loco cinnabar. nativ. Ungaric. præ Americanâ aut* ♁*ii. etiam rectificatâ commendarem. Hæc quoque cum prædictis conſervis mane ſolum dari poſſet incipiendo à gr. ij. aſcendendo ſingulo mane gran. unico uſque ad gr. viij. vel viiij. vel gr. xij. ad xv. &c. ſingulis ſeptimanis interponendo purgans, quale ſupra nominatum: illo die* ☿ *dulc. aut cinnab. penitus omittendo. His pergendum donec tubercula in radice linguæ ad naturalem molem redierint, linguaque mollior evaſerit, quod tam celeriter fieri nequit in Cephalæa 20. annis & tuberculis prope ſemeſtri durantibus.*

II.

Ad tuberculorum imminutionem ſuadeo *gargariſmum ex aqu. fontan.* ℔iij. *cui admiſceatur aqu. virid. Plater. à* ʒj. *ad* ʒij. *vel* ℥ß. eâ ſæpius fauces colluat calide vel ſaltem tepide. *Efficacior* fiet *gargariſmus* ſi in hujus aquæ menſurâ coqueretur *fol. laur. biling. aut Balauſt. Mj.* cavendum tamen diligenter, ne quid deglutiat: antequam bibat aut comedat ſemper fauces eluat *aqu. calid.* cui aliquid *mell. roſat.* permixtum ſit. Vereor à ſpiritu vini glandulas linguæ tandem induratum iri.

 Unde

unde plus moleſtiæ & forte alia mala extimeſcenda forent, conſumtis ſcil. partibus tenuioribus.

III.

In hac curâ victum paulo pleniorem concedo: præter juſcula carnium comedat quoque carnes, vitulinam, agninam, pullorum, ferinam juniorem, aviculas montanas, elixas vel aſſas, panem bene coctum, fruct. dulc. coctos, olera recentia cum juſc. carn. coct. addit. butyr. rec. ova ſorbilia recent. Vitet carnes adultiorum animalium, piſces, paſtas farinaceas, lacticinia frequentia. Aromata penitus proſcribantur, nocent omnia cruda, aceto aut ſaccharo nimium condita. In paſtu *venerando Seni* aliquid vini concederem, ſed *cum decocto* dilutum. Cœna ſit parcior, ſed non penitus omittatur, ut noctu dormiat: quantum poſſibile arceatur ſomnus diurnus: quantum per vires licet, obambulet, ſed ſolummodo in cubili, non autem in aprico. Alvus quotidie aperta ſervetur, quæ ſi cunctetur mitiſſimus ſolùm *clyſter* injiciatur *Ex. gr.* ℞. *Vitell. ovor. num. ij. ol. ſem. lini* ℥iij. *Mſc. dilig. add. lact. rec. aut cremor. hord.* ℔j. *caleſiant vaſi aquæ fervid. immiſſo* donec calorem congruum adipiſcatur; ſi forte imbecillior foret, alia vice addatur *mell. vel ſacchar. cochl. j. vel ij.* non addantur ſive ſal ſive purgans aliquod. Negotiis gravibus aut tædioſis nuncium mittat; potius animus ſuavi alloquio recreetur. Si forte ſuâ ſponte ſudor blandus emergeret in lecto, nullo modo compeſcatur, ſed aliquantulum promoveatur. Phthiſin hactenus ſuperveniſſe vix mihi imaginari poſſum idque in hac ætate, niſi aliquid in pectore latuerit, quam cauſa reſpirationis impeditioris fecerit & nunc in nervum eruperit, cujus rei veſtigia & exempla exſtant *in Sepulchreto l. c.* ſi præter ſpem aliquid hactenus emerſiſſet, aliud conſilium arripiendum & tota hæc cura omittenda foret: tunc enim more phthiſicorum & ſtatu & gradu tractandus eſſet. Quomodo id tentandum ſit, aliter edoctus lubenter meum ſymbolum conferam. Et hæc ſunt, quæ de præſenti affectu ſuccurrebant, quæ omnia *Excellentiæ Tuæ prudentiæ & judicio* ſubjicio, ſi hæſitaverit aut aliter ſenſerit, lubenter plenius me explicabo & dubia tollere pro virili annitar. *Hiſce vale & me Nobiliſſimo ac Ampliſſimo Domino Syndico officioſe commendes rogo.*

Excell. T.

Scaphuſij die 20. *Oct.* 1693. ad inſerviendum Paratiſſimus

Joh. Jacobus Wepferus, M. D.

Excell.

Excell. D. D. Bonnet has literas denuò ad me ſcripſit.

RΕſtant & accedunt quædam nova me dubium reddentia, ad quæ elucidanda iterum Te ſcitatum venio. Glandulas naturâ ad radices linguæ poſitas & ſanguinis viſcidioris ac acrioris appulſum per arteriolas eò delati non vero nudarum fuliginum, in grandiorem molem p. n. excreviſſe, tecum agnoſco, quippe quem ſanguinem ſalinis, acidis, acrioribus & tenacioribus partibus onuſtum, nec adeoque ut par eſt, fermentatum venarum oſcula reaſſumere reſpuerunt. *Excell. Dm.* iterum monitum velim, *Magnificum Dm. Syndicum* etiamſi de aſthmate non ita ut hactenus conqueratur, perſeverare tamen illud continuò cum tuſſi & ſputo, quod plurimum matutinis præſertim horis exſcreatur, à quadrimeſtri in notatu dignam maciem conjici, citra tamen febrim, niſi tacitè & ex cuniculis ſubrepat, ut ipſis imponat *Medicis:* Urinæ noviſſimis hiſce diebus parciores longe & coloratiores fluunt. Hiſce poſitis, quæro, *an Vir Excell. uſum ☿ dulcis modo & doſi præſcripta rebus ſic ſtantibus nullo modo pertimeſcat? Pilul. ♀rear. Querc. uſum ad ℈j. cum ☿ii dulc. gr. vj. x. ad xv.* bis vel ter in hebdomade propoſueram, imo felici cum ſucceſſu aliquoties ipſis hactenus uſus erat: ſed *☿ium dulcem* ſine *purgantium* admixtione præſcribi quidem videram; ſed hucusque non ipſe præſcripſeram, metuens, ne morâ ulteriori in corpore gravia quæpiam ſymptomata vel vomitu vel ſalivatione accerſeret. Nonnullos hîc apud nos novi, qui luem veneream alioſque morbos chronicos radicitus debellant continuato cujusdam *☿ii rubri ab Hollandia* nobis allati *ſublimatione præparati & ad ℈j.* per plures dies exhibiti uſu interpolando ſeptimo quoque die *catharctico*, quandoque ſalivationem quandoque ſedes, quandoque inſenſibilem tranſpirationem ſic conciliant & quidem ſine moleſtiâ; verùm hic maciem notatu dignam & aſthma in ſeptuagenario ſuſpectam habeo. Huc accedit, quod hactenus *Dominus Syndicus* ſola *radicis chinæ infuſione* de calore & ſiccitate ſemper conqueſtus eſt, adeò ut ipſius potum continuare nequiverit, ſic *Sarſaparillam* multo magis pertimeſcerem propter majorem ſiccitatem, niſi modus Tuus parandi me aliter ſuaderet, nimirum ſimplex ipſius per bihorium *ex B. M. coctio cum mercurio crudo. Pilulas* hic in officinis noſtris habemus *Tartareas Quercetani*, ſed *Extract. Cathol. Parac.* non habemus; ſi ipſius deſcriptionem ad nos mittere, ut & *aquæ virid. Plateri* dignetur, rem pergratam faciet *V. Exc.* Inter *purgantia Dominus Syndicus ex conſilio Excellentiſſimi Viri Domini à Villefranche Medici Ducis de Lideguiere*, familiarem & felicis operationis potum habuit

Q 2 prope-

propemodum à 20. circiter annis præſcriptum *ex ſennâ* nimirum, *fibris Hellebori nigri, Rheo &c. Magnificus Dominus Syndicus* Tibi ſeſe ſanitatemque ſuam commendat, reſponſum Tuum ad dubia mea mecum avide expectans, *Vale Neſtoreis annis digniſſime & Fave*

T. T.

Genevæ d. 27. Octobr. 1693.

Joh. Antonio Boneto, M. D.

Ad præcedentes breviter ſequens reſponſum miſi.

IN ultimis literis addidi exceptionem : ſi macies non trahat originem à febri aliqua lenta ☿*ium dulcem* tutum eſſe, ſin minus illum omninò omittendum eſſe. Jam tale quid ſubolfeceram, quia addebatur paulò ante literas datas appetitum proſtratum, pulſum frequentiorem & urinam tinctiorem apparuiſſe, cum aliquo calore. Magis id nunc ex circumſtantiis perſcriptis innoteſcit, quia etiam *à decocto radicis chinæ* incaleſcit & amplius emaciatur. Itaque omittenda ſcripſi ☿*ium dulcem, decoctum ſarſaparillæ,* multò magis *Extract. cathol. cum* ☿*io dulci,* quum *purgantia* etiam mitiſſima accelerent mortem, *ſecund. Hippocrat.* ſeu ut diarrhœa ſpontanea &c. Si talia neceſſaria ſint, utatur ſolo *infuſ. fol. ſenn. aut Rhabarb. aut Mann. in juſc. ſolut. & colat. aut ſyrup. roſ. ſ. ſ. Radix Hellebori nigri* rebus ſic ſe habentibus forſan nocentiſſima eſſet. Maciei occurrat *gelatinâ C. C.* hoc modo paratâ.

℞. Limatur. C. C. crud. ℥iiij. inf. ℔iiij. aq. fontan. hor. 12, addantur flor bellid. min. Miij.
Conſerv. roſar. rubr. ℥ij. vel ℥iij.
Ichthiocoll. ʒij.

Coquatur ad dimidiæ partis conſumptionem, coletur & addatur confect. Hiacinth. compl. ʒij. Mſc. Doſis mane & Veſperi cochl. ij. ſumat calidè vel ſolùm vel *juſc. flor. bellid. min. aut endiviâ alterato* dilutam.

Mane ad abſtergendum mucum fauces eluat *decocto hordei cum melle roſarum.* Poſtea lingua eluatur *aqua viridi Plateri quam deſcribit in ſuis Obſervationibus ſine auripigmento : Ejus ʒij. aut ℥ß. mixt. cum aq. Fontan. ℔j. vel ℔ij.* Antequam aliquid ſive eſculentorum ſive potulentorum deglutiat, ſemper fauces *prænominato decocto hordei* eluat.

Cinnabari nativâ Hungaricâ manè & veſperi ad gr. ij. vel ℈ß. cum conſerv. roſ. diu uti tutò poſſet, ut & *Diaphor. ♃. à ℈ß. ad gr. xv. &c. Juſculis* quibus veſcitur, *add. Gelat, carn. ad cochl. ij.* cui parandæ

add.

add. pom. citr. num. j. & aqu. fontan. ℔j. *vel* ℔iß. ne empyreuma redoleat. Diætæ, uti in prioribus literis memoratum eſt, ſtudeat, ad pleniorem cibum ſumend. nunquam cogatur. Pro potu ordinario bibat *Ptiſanam*, quæ ad ipſius palatum parata ſit nulloſque calores ſive æſtus p. n. excitet.

Deſcriptio Extracti Cathol. Paracelſi talis eſt.

℞. *Colocynth.* ʒvj.
Agaric. opt. ſcammon. rad. Hellebor. nigr. āā. ℥ß.
Aloës ſoccotr. elect. ℥j.

Contuſ. affund. ſp. vin. q. ſ. diger. vaſe opt. clauſ. per dies aliquot, tunc coletur & exprimatur; colatura rurſus filtretur. & inſpiſſetur abſtrahendo ſpir. vin. ad conſiſtentiam extracti. Euſtachius Rudius Medicus Italus præ omnibus illud commendat & pro ſuo venditavit.

Aqua viridis Plateri deſcribitur in ſuis Obſervationibus p. 387.

℞. *Æruginis* ʒj. *Aluminis* ℥ß.
Vitriol. nitri. āā. ʒj.

Coq. in vin. alb. ℥iiij. *& ſp. vin.* ℥ß. *in vaſe opt. clauſ. filtratur. Aliam habet quam ingreditur auripigmentum, cui hoc in caſu minùs fidendum erit. Vale & me Ampliſſimo Domino Syndico commendes rogo.*

Schaphuſii d. 4. *Novembr.* 1693. *T. T.*

Joh. Jacobus Wepfer, M. D.

OBSERVATIO XLVII.

Hemicrania externa.

Illuſtriſſimus Dnus. Philippus Carolus, Comes de N. N.: ætatis annorum 15. & 6. menſium, pro ætatis ratione ſtaturæ juſtæ: bene coloratus, carnoſus; appetit optimè in cœna & prandio: manè ſumit jentaculum, inter tempus paſtus nunquam comedit; nunquam manè ſitit: alvus nunc ſemper aperta, quandoque bis, etiam ter; nuper *Dilingæ* ſæpe *ad D.* 3. conſtipabatur. A cibo non gravatur, niſi plus comedat, nunquam vomit; *Dillingæ* ad vomitum ſtimulabatur, inaniter tamen, præſente Hemicraniâ alteriùs lateris in fronte; aliquando etiam dolente Syncipite. Urina nunc naturalis eſt: pulſus poſt paſtum eſt frequentior & celerior debito, reſpirat facile. Ad diſtans non accuratè videt, cæteris ſenſibus externis valet. Optime dormit

continuo, etiam ultra 9. & 10. horas ſine intermiſſione. Memoria, ſi grata & intelligibilia legat, aut audiat, fideliter retinet; ingenium & judicium eſt præſtans. A nimio motu ob teneritudinem corporis ſtatim delaſſatur, ſi in obambulatione ſibi temperet, per horas duas ſine incommodo incedit. Ab equitatione nunquam languefit, etſi hor. 6. ſine morâ equitet. Hemicrania, occupans ſpatium quod digito tegi potuiſſet, alterutrum latus in fronte ſupra oculum invaſit, rarius in ſyncipite: jam diu plerumque *D.* ♀. ſummo manè, aut veſperi *D. Jov.* duravit horas 2. vel 3.: remiſit, rediit, duravitque alternando *per D.* 2.: Præſente dolore expalluit, minus appetiit; vomituriit nunc pleno, nunc jejuno ventriculo, & quidem plerumque. In paroxyſmo non ſitiit, nec ante nec poſt conſtipabatur. Præſente dolore non ſemper decumbit; ſi verò decumbat, gravius dolet; dolor eſt punctorius, ſimulque oculus dolet, qui non rubet aut inflammatur, ſed ſubinde manat: tunc non emungit, quamvis præteritâ hyeme diu coryza afflictus fuerit, aut mane nares conſtiparentur. Hemicrania iſta ſponte citra evacuationem & ſubito ceſſat. Subinde aures tinniunt, parum ſalivat. Tinea quâ corripiebatur, jam ultra biennium èvanuit. Scabies pruriginoſa totâ æſtate afflixit, quam contagio contraxit. Manè in lecto cutis madet levicule, non tamen ſudat. Dentes habet carioſos in utraque maxillâ. Affectus animi intenſiores quandoque ex. gr. mœror &c. ipſi multum negotii faceſſunt diuque affligunt. Multum comedit, parum bibit, avide edit, nec cibos bene maſticat. Hemicrania incepit jam præteritâ hyeme; ab 8. ſeptimanis ſolum ter afflixit, eâ præſente nec dentes dolent, nec nares conſtipatæ ſunt; imo præterita hyeme ad æſtatem uſque frequenter Coryzâ afficiebatur; nihilominus Hemicraniâ affligente, locus dolens attactum non tolerat, inde exacerbatur dolor, quando locus affectus illinitur *aq. Regin. Ungar.* dolor cito remittit, & mature adhibita prope præcavetur. A ſtudiis non accerſitur, ut nec à ſomno diutius continuato. Nunc ſingulo fere mane nares conſtipantur citra Hemicraniam. Detonſis capillis mane multum incedit denudato capite, illudque etiam frigidi & humidi aëris conſtitutioni exponit. Hemicrania plerumque ceſſavit horâ ſomni, & vix bis vel ter ſomnum impedivit: alterâ die rediit; ob illam ſubinde Scholâ exire cogebatur, nonnunquam illâ præſente de ventriculo querebatur. *Die* 14. *Sept.* 1684.

Reſolutio.

HEmicrania iſta originem ducit vel à ſero vel flatu, vel utroque juncto, ſub cute frontis & ſincipitis vel muſculis detento, ſtagnantibus & ferocientibus, meningem & pericranium in conſenſum rapientibus. Externè cauſam doloris hærere, probant exacerbatio doloris

loris ab attactu, & levamen citum ab illinitione *aq. Reg. Ungar.* Serum eſſe evincunt cutis concolor, doloris evaneſcentia citra evacuationem manifeſtam: flatulenti quid concurrere innuit dolor punctorius ſubito ſimul affligens & cito tranſiens; punctiones enim prope momentaneas dicit, licet reliquum doloris per horas 2. vel 3. continuet, totque horis ceſſet, atque dolor & induciæ tot horis alternent per biduum ſæpe. In conſenſum rapi perioſtium & meningem duram, veriſimile facit dolor alterutrius oculi cum expreſſione lachrymarum citra inflammationem. Serum acre eſſe conſtat ex doloris vehementia, hoc abundare innuunt Tinea pridem perpeſſâ & ſcabies pruriginoſa, niſi illa ſymptomata contagio adſcribere velimus. Ad ſeri acrimoniam forte multum confert, quod multum comedat & parum bibat. Decumbit ad frontem, quia ob viſum curtum inclinato multum capite ſcribit & legit: non dant illi occaſionem dentes carioſi, quia in paroxyſmo non dolent, nec obſtructio narium, nam illam paſſus eſt durante Coryzâ, & nunc prope ſingulo manè conſtipatis naribus ab illâ immunis eſt. Fortè promptius huc colligitur intra cutim capillatam & copioſius, quia diu multumque cœlo etiam frigido nudo capite incedit, ac frigido aëri ſe exponit. Cur autem ſtatas periodos diu obſervaverit, certò explicare nequit, niſi velimus illas cibis eſurialibus adſcribere, quamvis ſubinde *Die Jov.* evenerit, nam ad omnes circumſtantias non uſque adeò accurate attenti fuerunt hactenus. Victûs rationem in culpâ eſſe vel inde quoque patet, quia, ex quo *Meſskirchij* lautius & delicatius vivit, dolor vel nullus vel brevis locum affectum excruciat. Præſente Hemicraniâ de ventriculo querebatur, ac ſi corruptela quædam in ventriculo Hemicraniam præcederet, ſerumque acueret.

Serum igitur acre imminuendum, demulcendum & diſſipandum, ejus decubitus ad locum affectum impediendus eſt, ſi qua corruptela in ventriculo ſerum acueret, & flatibus materiam præberet, illa emendanda foret.

Ob teneram conſtitutionem non purgetur *fortioribus purgantibus*, nec crebro, ſufficiet ſi purgabitur Vere & Autumno *ſyr. roſar. ſ. ſ.* ℥iiij. *vel iij. dilut. aq. borrag. Præſervationis cauſâ* ſingulis Lunæ quadris D. manè hujus *Pulv.* ℈j. *cum aq. beton. ſalv. &c. cochl. ij.*

℞. *C. C. ph. ppr.* ʒij. *Ungul. alc. ppr.* ʒiß.
Matr. perlar. ppr. ʒj. *Ocul.* ♋. *ppr.* ʒiß.
Cinnab. nativ. ʒj. *Ol. N. M. expr.* gr. jv.
Sach. alb. ℥ij. *Mſc. F. Pſ.*

Poſt *pulv.* ſumptum maneat in lecto.

Præſente

Præſente dolore tempora ſeu locus dolens ſingulis tribus horis, ut & cervix perluantur *aq. Reg. Ung. aut Apopl. Lang. aut Elix. vit, Mathiol.* nullis verò *unctuoſis* ſcilicet *Balſam. ſucc. Apopl. aut Ung. alabaſtr.* Si ſtomachus doleat, detur horâ mediâ ante paſtum *Crem.* ♀. ℈j. ⊖. *abſynth. gr. jv. cum Juſc.* *Pulvis* ſupradictus *detur manè hor.* 5. *veſp. hor.* 4. *& hor. ſomni;* quamvis tunc quoque prodeſſet *Ther. cœleſt. ad gr. ij.* Tunc temporis maneat in loco temperato & quieto, nec ad ſtudia adigatur.

Semper obſervetur accurata victûs ratio; nocet aër frigidus & humidus, & caput diligenter contra frigus muniatur, proinde proderit Capillitium factitium, aut ſi illud deponat, *Pileolus* aliquis *ſyndone infarctus* illius loco geſtetur in conclavi. Cibis veſcatur boni ſucci, facilis coctionis, vitet illos, qui ſeri copiam augent, illud acre reddunt, & depravationi nidoroſæ anſam præbent, imprimis in cœnâ, ſcilicet pingues, dulces, frixos: item crudos, flatulentos, &c. viſcidos, ut placentas, ſalſos, caſeum, ſale conditos: cæna ſit parcior prandio. Vinum diluat *decoct. ſem. fœnic.* Ante & poſt paſtum moderate ſe exerceat. Lectio & ſcriptio fiant erecto capite; ſubinde ſe fortius equitando aut rhedâ vehendo exerceat; ad minimum ſemel in ſeptimanâ. Lucubrationes poſt cænam omittantur. *D.* 15. *Sept.* 1684. *Meſskirchii.*

Menſ. Octobr. 1684. *ſcribitur* illum ſcabioſum factum *in itinere Dettlangienſi* petit remedia interna & externa, radicitus morbum ſeu fæditatem iſtam curantia. *Suaſi* 7. *Octobr. Pulv.*

℞. *C. C. ph. ppr.* ʒiij. *Diaphor. ♂tial.* ʒiß.
Ol. N. M. expr. gtt. iiij. *ol. d. Citr. gt. j.*
Sacch. alb. ℥iij. *Mſc. F. Ps.*
Doſ. M. & V. ʒß. *cum aqu. ſcabioſ.*

Manus ſubinde tingat & loca ſcabioſa.

℞. *Lact. Virgin.* ℔j. *in illo ebull.* ☿~. gr. iij.
☿ *dulc.* ℈j. *Col. per chart. emporet.*
Detur ad vitrum.

OBSERVATIO XLVIII.

Hemicrania Periodica.

R*Everendus quidam Dominus* ann. 50. ſtaturæ juſtæ, fuſcus, carnoſus Puer 9. ann. Dyſenteriâ epidemiâ periculoſe ægrotavit: ab illo tempore ad hanc ætatem ſputator eſt, manè prope per horam ſpuere

ſpuere cogitur, imprimis cœlo pluvio. A puero alta ſcandere aut ex alto deſpicere non licuit ipſi, ob metum vertiginis: vertigo vera erupit eaque gyroſa *Argentinæ* ætat. ann. 20. duravit 3. ſeptim. invaſit ante & poſt paſtum, ſed tantum momento permanſit. *Curabatur à D. D. Mejero Arg.* Ætat. ann. 38. prope ſingulis diebus per integrum annum vertiginoſus fuit ante & poſt paſtum: paroxyſmus durior tunc ad 4. hor. citra tamen viſûs obtenebrationem, erat gyroſa, caput ante, in & poſt paroxyſmum obtuſum fuit, cum impedimento in ſtudiis. Curabatur per medicamenta, imprimis *à fonticul. ut & ſcarificatione* remiſit. Ceſſante vertigine eâque penitus ſublatâ incepit Hemicrania, in hac dolet ſupra angulum acutum ſeu minorem oculi in fronte, inde ſe diffundit verſus radicem naſi, putat ſedem doloris eſſe intra cavernam oſſis frontis ſupra oculum: pomum oculi non dolet, nec unquam rubuit; invadit potius & frequentius ſiniſtram quam dextram, pertingit dolor ad ſinciput, nunquam ad dentes, qui intra 30. annos nunquam doluerunt: dentes tam ſanos & firmos habet, ut præterito autumno putamen oſſeum amygdalarum ſine labore dentibus frangere potuerit: dolor eſt pulſans, ſenſim incipiens & poſtea increſcens, ut præ vehementia nec legere, nec fronti vinculum circumligare vel poſſit vel audeat cum lancinatione & lacrymarum expreſſione: ordinarie incipit mane poſt 7mam, ad ſummum perduravit ad 2. vel 3. pomer. ut ſenſim incipit, ſic ſenſim evaneſcit, ut nec veſtigium percipiat. Ordinarie afflixit pridem *M. Febr.* non ceſſavit unquam abſque ſubſidio remediorum ſcil. *purgantium*, *V. S. veſicantium*, & noctu *epithematum*. Intra d. 8. vel 10. expugnabatur: poſtea toto anno ab illa liber erat. 1686. In autumno ipſum invaſit: tollebatur remediis conſuetis. *Menſ. Febr.* 1687. rediit. Ejus causâ vinum intermittere cogebatur, nam à vino exacerbabatur: per integrum menſem bibit cereviſiam. A vino *ad* 17. *Maji quo ipſum conveni* 1687. *Durlachii* ſæpius rediit Hemicrania, & poſt prandium rigiditatem colli paſſus eſt, ut præ illâ caput verſare non poſſet: in paſtu ipſo aliquoties, hoc vere quater facies incaluit cum anxietate & dyſpnœa: intra horæ medium remittit, nunc mane hor. 4. nunc circa 10. matut. Appetit egregie, putat ſe nimium comedere: ſapiunt præcipue braſſic. mur. condit. carnes ſalitas aut fumo ſiccatas; æſtate ſitit etiam mane: ante meridiem delaſſatus eſt: ſibi à potu cavet, niſi quod hauſtum *acidularum* ſumat. Alvus Nycthemeri ſpatio bis ordinarie ſolvitur. Urina eſt aurea, per illam diffunditur ſabulum rubrum; pulſus eſt robuſtus. Aſcenſum per ſcalam 48. graduum pro lubitu accelerare potuit. Noctu bene dormit & profunde quatuor primis horis. Omnibus ſenſibus internis & externis valet. Facile ſudat: obſervavit ſudorem præ aliis in paroxyſmo tuliſſe opem. Anſam mali putat fuiſſe indefeſſa ſtudia, lucubrationes & compotationes, quas in

multam

multam noctem protraxit amicorum causâ & nihilominus ſummo mane ſurrexit & ſtudia continuavit. Mature caneſcere cœpit, & in hac ætate canus eſt, quod etiam *Domino Patri* contigit. *Natus eſt Fridbergæ in Wetteravia.*

Reſolutio.

AFfectus vere eſt Hemicrania, nam dolor unam ſolam partem capitis in quolibet inſultu ſcil. in fronte ſupra alterutrum ſuperciliorum affligit, & quidem frequentius in ſiniſtro quam in dextro latere. Locus affectus eſt pericranii ibidem atque etiam duræ meningis portio quædam, nam nulla *topica* nec vinculum præſente paroxyſmo tolerat ſimulque videtur dolor profundus atque oſſis cavernæ immerſus eſſe, & exprimit, quando in ſummo vigore eſt, lacrymas citra oculi inflammationem: inſuper dolor tam vehemens & lancinans eſt, ut præſente dolore nulli negotio, nec ſcriptioni nec lectioni vacare poſſit, quod fieri ſolet partibus potiſſimum membranoſis affectis. Cauſa proxima nihil aliud eſſe poteſt quam ſerum ſanguinis, nam locus affectus eſt concolor vicinæ cuti, nullus tumor ruber videtur, nulla ſigna inflammationis apparent, poſtquam horis 6. 7. vel 8. ſæviit, totus evaneſcit, nec vel minimis veſtigiis poſt ſe relictis, imprimis levamen à ſudore. Hoc ſerum valde ſalſum eſt, quod probant temperamentum calidius, ſal rubicundum urinæ permixtum, victus Wetteravicenſis, ſcil. commeſtio ciborum ſalitorum & fumo induratorum, doloris atrocitas & denique læſio à vino. Quoniam autem cum ſanguine ſerum non ſolum hanc partem, ſed etiam totum caput, imo totum corpus omnesque articulos alluit citra ullius doloris excitationem, quamdiu vivitur, ut dolorem pariat, neceſſum eſt, ut illud aliquando ſtagnet, & extravaſetur, aliàs nec diſtenderet nec vellicaret membranas hoc in loco exquiſitiſſimo ſenſu præditas, quod hoc in caſu fieri videtur ibi, ubi arteriarum capillamenta ſe exonerant in vaſorum lymphaticorum & venoſorum ſurculos, nam dolor incipit à leviculâ pulſatione, quæ ſenſim incrementa ſumit à continuo novi ſanguinis per arterias appulſu, donec ad ſummum vigorem dolor pervenerit membranæque tendantur, lancinentur ac ſæviorem hemicraniam pariant. Serum hoc his in partibus nectit moras, quando plus allabitur, quam ut tubuli intermedii inter arteriarum capillamenta & ſurculos venoſos & lymphaticos comprehendere, aut ſi nimis laxi ſint ac plus liquoris admittant, quam ſurculi prompte reſorbere poſſint, quod ultimum admodum veriſimile eſt,nam nunc paroxyſmus frequentius invadit quam pridem & diutius perſeverat; aggreſſus enim eſt hactenus *Rev. Dominum* non ſolum *M. Febr.* ſed etiam in autumno, & hoc anno *à Febr. ad Majum uſque*, copiâ peccans ſerum hunc affectum efficere probant ſudores juvantes ejusque redun-

redundantiam exhaurientes. Laxitas his in locis obvenit ob intenſa ſtudia, lucubrationes frequentes inclinato antrorſum capite, quorſum etiam compotationes nocturnæ ſymbolum contulerunt. Sputatio nimia, vertigo pridem perpeſſa & rigiditas colli nunc eveniens agnoſcunt quoque ſerum pro cauſâ proximâ: ſputationem quod attinet, fit illa propter vaſorum ſeu ductuum ſalivalium amplitudinem, in quos ſerum largè deponitur & cum ſanitatis commodo exantlatur, aliâs vertigo pridem gravioris mali prænuntius fuiſſet: rigiditas colli provenit à ſero, quod copioſè apud omnes ſub cuti capillata reperitur, ad muſculos cervicis & glandulas decubuo. Exæſtuatio, quæ in paſtu ſubito contingit, eſt ſymptoma Hypochondriacum, quod adſcribo fermento acriori ſtomachi, quia conjuncta eſt cum anxietate & dyſpnœa quadam: Hactenus affectus hypochondriacus nondum in nervum erupit, quia alvus quotidie bis aperta eſt.

Tum ad Hemicraniam, tum ad alia ſymptomata expugnanda, ſerum mitigandum, imminuendum, revellendum, derivandum, intercipiendum, denique genus nervoſum corroborandum.

Itaque præſente paroxyſmo ſuaderem. 1. *Veſicatoria* ſtatim utrisque ſimul brachiis imponenda. 2. *Pulv. Cephalicum.*

+ *℞. C. C. ph. pp. Ungul. alc. pp. āā. ʒij.*
♁ diaphor. ʒj. Cinnab. ♁ij. ℈ij.
Ol. N. M. expr. gr. iij. ſacch. alb. ℥iß.
Mſc. F. Ps.

+ N.B. In hac formula Saccharum est plusquam $\frac{2}{3}$ totius. Igitur in dosi ʒß continentur fere C.C. pp. & Ung. Alc. āā gr. iv ♁ diaph. gr. ij Cinnab. ♁ gr. j: quorum efficacia minima esse videtur.

Doſ. ʒß. vel ℈ij. ſummo manè cum aqu. verben. cochl. ij. vel iij.

3. Statim primo die darem 2. horis à cænâ parcâ 9. vel 10. harum *pil. Cephalic.*

℞. Extract. pilul. cochiar. ʒj. Extract. Caſtor. ℈ß.
Magiſt. Gialapp. gr. vj. Ol. d. ſuccin. gr. ij.
Spir. ceraſ. nigr. parum.
Mſc. F. Pil. No. XL. De ☉.

4. In ſummo cruciatu obſervavi *arteriotomiam* præſentiſſimum & fidiſſimum remedium ſive derivans ſive intercipiens fuiſſe. 5. Alternis noctibus dentur *Theriac. cœl. gr. iij.* In paroxyſmo vinum diluatur *decoct. Lign. viſc. q. vel rad. chin. ʒj. in Menſ. ß. aq. coct.* Quies tunc ſumme neceſſaria eſt. Extra paroxyſmum. 1. Vere & autumno, purgari poterit vel *pil. cephalic.* vel per vices *vin. laxat. aq. ceraſ. dilut.* 2. *V. S.* 3. *Scarificatio* alternis menſibus inſtituatur. 4. Semel in ſeptimana ſummo mane ſumat *doſin pulv. cephal.* maneatque 2. horis in lecto. 5.

Æſtate nunc *acidulas* ob gliſcentem affectum hypochondriacum, aut *Juſculum alteratum* bibat.

℞. *Rad. cariophyllat. pœon.* āā. ʒij.
Herb. betonic. verben. fumar.
Flor. borrag. bugloſſ. āā. *Pj.*
Sem. fœnicul. ʒj. *Paſſul. Corinth.* ℥j.
Ebull. in juſcul. carn. non ſalit. ℔iß.

De Colatura bibat *mane* ℥*v. calide*, & poſt hauſtum obambulet. In victu vitet ſalſa, fumo indurata, in butyro frixa: vinum ſulphur. lucubrationes.

An materia inter duplicaturam oſſis frontis in illâ cavitate hæreat? Nam NB. habet frontem valde prominentem. *Tale quid obſervavit D. D. Metzger poſt vulnus frontis.*

OBSERVATIO XLIX.

Hemicrania alternatim nunc dextrum, nunc ſiniſtrum latus occupans.

QVædam *Domina Aſſiſtens ſcribendum curavit per Dominam Sub-Prioriſſam* 14. *Novembr.* 1671. Scil. D. Aſſiſtens ante 3. menſes paſſa eſt menſes ſimulque intenſum capitis & oculorum ac dentium dolorem. Poſt aliquot dies dentem in ſiniſtro latere evellendum curavit, paulo poſt dolor invaſit dextrum latus ibique 5. ſeptimanis perſeveravit cum intenſiſſimo capitis dolore, ut & oculorum. Dolor quandoque mitior erat per diem dimidium, aliquando per integrum diem, aliquando per biduum, poſtea rediit. Dolor non totum caput occupat, ſed ſolum dimidium, & quidem alternatim nunc in dextro nunc in ſiniſtro latere: atque ita hunc in diem perſeverat: Dolor hæret in occipite in confinio ſyncipitis: doloris ſedes 2. vel 3bus digitis tegi poſſet. Doloribus ſævioribus ipſam excruciantibus arteriæ temporum intumeſcunt. Sæpe dolores horror aut rigor præcedunt & tunc plerunque atrociſſimi dolores ſequuntur: quando dolores in ſummo exiſtunt, patitur æſtus volaticos. Jam à 14. diebus dolor magis antrorſum vergit & occupat angulum frontis. Hemicraniâ acrius ſæviente oculus ceu ſanguine ſuffuſus rubeſcit. Quando dolor remittit, rubedo oculi evaneſcit. Variis uſa eſt auxiliis; ſæpius uſa *purgantibus, V. S. ſcarificatione*: Applicitæ fuerunt capiti *herbæ*. Oculis inſtillabatur *aqua ophthal.* Aliquoties præſente dolore crebro oſcitare & eructare cogebatur. Bene appetit beneque concoquit. Eſt annorum 48. Antequam

hâc

hâc hemicraniâ corripiebatur, aliquoties hyeme podagram paſſa eſt, cum pedum ad malleolos, etiam ulterius, tumore; mane iterum detumuerunt: ex quo vero Hemicraniam patitur nunquam pedes intumuerunt, imo omnis tumor plane evanuit. Hemicrania plerumque veſperi invadit, durat tota nocte & longius: ex quo Hemicrania ægrotat menſes ſubſtiterunt. Ordinariè non ſitit. Eſt temperamenti calidioris & debilis à natura. *Fonticulos* geſtat in utroque brachio: affectu durante alius in cervice excitatus fuit, qui omnes largiter manant.

Reſolutio.

HEmicrania iſta alternatim nunc dextrum nunc ſiniſtrum latus, plerunque veſperi affligens cum Odontalgiâ & Ophthalmiâ oritur à ſero aliquo acri inſignem nervum vellicante, & efficiente poſtmodum corrugationem in meninge, perioſtio, & conſtrictionem vel venæ alicujus vel arteriæ, unde intumeſcentia arteriarum temporum & ophthalmia; eadem vellicatio cauſa odontalgiæ. Nervum affectum oportet illum qui ſenſum meningi, perioſtio, & dentibus largitur ſurculosque emittit, qui arterias & venas his in locis obvolvunt. Non eſt ſanguis extravaſatus, quia dolor non tamdiu duraſſet citra interitum. Non pituita viſcida tenax, aut oſſiculum aliquod, aut lapillus, aut vermis, quia habet ſua intervalla, æquales veſpertinas invaſiones & ſuas intermiſſiones. Serum inſuper probat eſſe temperamentum, quod ferax hujus generis dolorum; Podagra antea perpeſſa, nunc penitus ceſſans cum dolore œdematoſo pedum, ipſaque ophthalmia. Sero affluxus ad hunc locum datus extractione dentis forte in ſuperiore maxilla. Hæc loca ſerum in fœminis maxime religioſis citius invadit, quia tonduntur, caput fatigant legendo & ſcribendo, quandoque *lixiviis* eluunt. Quia demum tribus menſibus durat, diligenti medicamentorum uſu illoque pertinaci ſuperari poterit: nec menſium ſuppreſſio multum impediet, cum fere in hac ætate exareſcant. Serum hoc acre mitigandum, evacuandum, a nervo iſto revellendum & denique nervoſum genus roborandum eſt.

Itaque ſuaſi ipſi *d.* 22. *Nov.* 1671. 1. *Pulv. præcipitantem & diſcutientem ex Pulv. ſpecif. compl. ocul.* ☉ *Matr. perl. C. C. ph. ppr. corall. rubr. extract. caſtor.* ſumendum *cum aq. verben. M. & V. ad* ℥ß. 2. *Pil Cephal.* noctu dolore præſente tertia vel quartâ die poſt parcam cænam *ad* ℈ß. *& amplius* 3. *Veſicatoria* frequentia carpis & poſt olecranum applicanda & *butyr. vel empl. alb. coctо* curando. 4. *Linim. ſomnif.* pro temporibus. Victus ratio ſit temperata: Fugiat aromata, ſalita, vina ſulph. ſp. ardentes, diluat vinum *decocto paſſul. Tamarind. C. C. uſt. Topic. Empl. ſacculos &c,* omittat. Si dentes carioſos haberet com-

mode aduri poſſent, ſi oculi valde dolerent, imponi poſſet *catapl. ex pomis putrid. in lact. coct. add. Croc.*

Reſponſum miſerunt d. 6. Dec. 1671. Ab uſu *pulv.* caput & oculi non amplius ita dolent, quamvis pridie ante uſum dolores adhuc acerbiſſimi fuerint: dolor capitis nondum tamen penitus remiſit: veſperi exacerbatur. *Pilulis* ob doloris remiſſionem nondum uſa eſt. Oculi non amplius dolent nec rubent. An *pilulis* utendum ſic ſtantibus rebus? Jam ab aliquot diebus lumbi dolent, & ventriculus poſt paſtum dolet, quod antea non fiebat: appetit nihilominus. Ardorem in capite ſentit, putat doloris vehementioris prodromum: eſt in capitis parte poſtica.

Reſpondi d. 12. *Dec.* lumbaginem ipſi ſalutarem: *pilulis* non utatur niſi urgente neceſſitate: cervici nihil admoveatur, ne repercutiatur ſerum. Pergat *pulvere.*

OBSERVATIO L.

Hemicrania ſæva.

D. *Maria Furrerin*, ſtaturæ longæ, gracilis, temperamenti calidi & ſicci, undecim liberorum mater: annorum circiter 60. In anno ætatis 52. amiſit menſes; ab illo tempore incepit Hemicrania, duravitque *ad* 1. *Jul.* 1692. *quo me Scaphuſii convenit cum Dn. Marito, Chirurgo perito.* Cum hâc Hemicraniâ ita comparatum eſt: Dolor ſubito illam invadit, occupat partem genæ ſub palpebra inferiore, ubi os maximum maxillæ ſuperioris ſitum eſt in dextro latere, inde vergit verſus tempus, ſimulque affligit frontem ſupra oculum & naſi partem dextram, & portionem labii dextri infra pinnam narium, ut attactum plane non ferat; graviter quoque circa radicem oculi dextri excruciat, ac oculum quaſi retrahit, lacrymasque profuſe exprimit: gingivæ quoque dolent in maxilla ſuperiore, licet omnes dentes radicitus jamdiu evulſi fuerint; in genâ videtur tractus pinnæ naris dextræ & portionis labii ſuperioris & portionis genæ vicinæ; à tractu quandoque in comeſtione impediebatur, ſed non eſt tam vehemens & faciem deturpans, *ut in aliquibus obſervavi.* Dolor eſt lancinans, urens, pungens, tendens, prope intolerabilis, ſed brevis & momentaneus: ſæpe per duas vel tres ſeptimanas afflixit, aliquando in unâ die, imo in unâ horâ ſæpius illam adoritur; dum me hodie convenit, intra horam plus quam ſexies eam invaſit, qualibet vice lacrymas ex ſolo dextro oculo expreſſit, oculus rubuit, inde labium tremebat in dextro latere, poſtea cum pinna naſi retrorſum trahebatur: in labii portione

apparuit

apparuit vas ſanguiferum turgidius, quod ceſſante dolore detumuit, & attactum pertulit, quod aliàs non fiebat in & poſt paroxyſmum; dolet quandoque in ſyncipite & vertice, indeque dolor ad cervicem deſcendit. Noctu ſubinde ab Hemicrania immunis eſt: quando ſæpius in die dolore affligitur, appetitus perit. *Multorum Medicorum, Lavatsrorum, Muralti, Vitoduranorum & aliorum conſilio ac multivariis remediis uſa eſt: Ung. Ol. Empl. Cataplaſm. Veſicator. Oris collutionibus, Fomentis &c.* Omnibus fruſtra. *Dnus Maritus* omnes dentes maxillæ ſuperioris molares, caninum & inciſores evulſit radicitus, adeo ut nec vel minimum illorum veſtigium amplius appareat; nuper portionem gingivæ *raſorio* circa regionem canini & vicinorum molarium abſcidit manè hor. 7. dolor ad hor. 7. veſpertin. ceſſavit, poſtea eâ vehementiâ rediit: ægra id adſcripſit nimiæ hæmorrhagiæ; hactenus ex vulnere feſtuca parva oſſea prodiit. *Secuit* ei quoque bis *arteriam in tempore dextro*. *Multis* quoque *internis* uſa eſt fruſtra.

Reſolutio.

EXiſtimo nervum illum affligi, qui poſt ephippium exit, ac ramulos intra orbitam oculi ſpargit, & intra os maxillæ ſuperioris ſuper radicibus dentium ſuperiorum incedit, os maxillæ ſuperioris perforat, ac radices labio ſuperiori & naribus ſuppeditat. Cauſa eſt ſerum acre vellicans nervos, unde quoque ſanguinis motus impeditur, dum nervulis corrugatis alicubi anguſtiores redduntur arteriarum ramuli: dolor brevis eſt, quia horum nervorum contractio ſpaſmodica non pertinaciter permanet. Non eſt humor copioſus aut ſuppuratus, quia ab octo annis nullibi tumor apparuit, & dolor ſubinde evanuit. Cætera ſana omnibus ſenſibus valet. Suaſi *revulſionis* causâ 1. *Veſicatoria poſt aures* imo propter dolorem ſyncipitis & verticis *toti cuti capillatæ raſæ* imponenda. 2. *Fonticulum.* 3. *Setaceum.* 4. *Repetitam arteriotomiam.* 5. *Embrocationem decocto cephalico.* 6. *Pediluvium ex decocto cephalico.* 7. *Pulv. cephal. ex rad. valer. pœon. limat. C. C. Ebor. crud. ung. equin. N. M. cubeb. ſacch. &c.*

Menſe Septembris ſcribit, ſe cuti capillatæ veſicat. applicuiſſe, *pulv.* ſumſiſſe, *pediluv.* adhibuiſſe & *arteriotomiam in temporibus* tentaſſe: remittit per dies 2. aut 3. redit poſtea, & quo diutius emanet, eo fortior eſt recidiva. *Fonticulum* recuſat, multo magis *Setaceum.*

Reſpondi: quia nervus ſupra nominatus incluſus eſt profunde intra os maxillare ab origine poſt ephippium ad exitum ex maxillâ, poſt multos hinc inde diſperſos ramulos circa labium ſuperius; quia quo-

que

que intra illam cavernam, per quam incedit, partes laxiores ſunt, facile humorem imbibunt, denique quia ſingulo pulſu novus humor appellitur, non mirum dolorem nondum averti, aut ejus recidivam non tam cito caveri poſſe. Strenue pergendum eſt *pulv. cephal. abſorbente, revellentibus, veſicatorio* ſcilicet *toti cuti capillatæ* imponendo, *pediluviis; ſetaceum* quoque prodeſſet, cum maturè adhibitum guttæ ſerenæ medeatur. *Arteriotomia* humorem intercipit. Prodeſſent quoque *Pillul. meæ cephalic.* ante Novi- & Plenilunium hor. 2. poſt parcam cænam *No. x. vel xj.* ſumptæ. *Empl. Fotus* aliaque *topica diſcutientia* vix aliquid præſtabunt, quia ad locum affectum illorum vis non penetrat.

Per Filium die 16. *Octobris* 1692. ſuaſi *Setaceum*, quod alia hactenus non parum juverint.

Circa autumnum 1693. *Phthiſica facta eſt & orthopnoica aliquot noctibus in lecto permanere nequiit; tota tabida cute Joiâ oſſibus adhærente mortua eſt circa principium Martii* 1694.

OBSERVATIO LI.

Hemicrania & illam conſequens Βαρυηκοΐα *prægreſſo Eſſere Arabum.*

MAtrona Nobiliſſima Neocomenſis, Uxor Nobiliſſimi Domini Conſiliarii N. N. jam ab octavo ætatis anno vere quoque & ab autumno, plane ex improviſo & derepente totâ cute tuberculis perquam frequentibus iiſdemque duriuſculis, calidis & prurientibus (non ſecus ac verventibus urticis toto corpore cæſa) cooperiri ſolita eſt, cum oris labri utriusque ſimul intumeſcentia, quæ omnia *miſſo* ex cubitu *ſanguine & catartico* aſſumpto evaneſcebant, quin & quoties præſervationis gratiâ extra acceſſus *purgata* fuit & *vulnere à Chirurgo venæ inflicto* ſanguinem emiſit, nihil ſimile vere autumnove inſequente paſſa eſt; Pubertatem vero ingreſſa ex menſtruis licet rite fluentibus nihilo *levius* habuit, quin, ut puella, eoſdem affectus bis quotannis aduſque octavum abhinc retro annum ſuſtinuerit, at ſi hæc parcius forte fluerent, hinc caput dolebat. Ex quo tubercula prædicta & labiorum intumeſcentia omnimode diſparuêrunt, affectu non mitiori *Nobiliſſ. Matrona* exercita fuit, quotannis videlicet, ſub æſtatis finem manibus ſolummodo & pedibus multum intumeſcentibus ἐκφύματα quædam rubra & ferventia ipſi oriebantur, quæ ſenſim areſacta in ſcabiem prurientem mutabantur, hancque gradatim deſinentem ſimilia

ἐκφύματα

ἐκφύματα rurſus excipiebant, quæ & ſimiliter in ſcabiem areſcebant hujusque affectûs ſemel incepti indeſinenter plures menſes ejusmodi recurſus fiebat, aliquando *ad Feſtum Sancti Johannis* anni inſequentis, imò & anno integro, maximo ægrotantis incommodo; interea nihilominus temporis non rarò furunculis hinc inde in cætero corpore ſubortis *Matrona Nobiliſſima* etiam vexabatur. Biennium eſt, quòd hi manuum & pedum affectus moleſtare deſierunt quidem, verum inde hemicrania eaque graviſſima in ſcenam prodiit, quæ ex inæqualibus induciis ægram inopinanter invadens vel dextrorſum tantum vel ſiniſtrorſum, vel à fronte, vel à tergo frequenter affligit, aliquando brevius, aliquando diuturnius temporis ſpatium, aliquando ἡμερονύκτιον totum, ſæpius & vehementius noctu, aliquando adinſtar febris duplicis tertianæ quaque nocte ægram corripit & nocte alterna intercalari quaque tolerabilior videtur; quum dextram ſiniſtramve capitis partem obſidet, ibidem ægra calorem ferventiſſimum patitur, qui ſenſim ad dentes ejuſdem lateris tendit, deſcendit, eoſdemque male mulctat & demum pedetentim evaneſcit; nuperrime vero in acceſſûs declinatione facies tota multum intumuit. Acceſſu autem cephalalgico quovis finito pars malè quæ fuit affecta ad contrectationem nonnihil comprimentem etiamnum aliquandiu dolet; in ipſis verò acceſſibus & extra ipſos ſæpe ægra ructat. Ex quo acceſſus Cephalalgicos *Matrona Nobiliſſ.* perpetitur, βαρυηκοΐα etiam utrinque laborat, non pari quidem ſemper intenſione, dextrorſum vero graviori ſemper & undiſonâ, multum etiam expalluit totoque corpore emaciata eſt. Nunquam verò *Domina Ægra* levamen non percepit ex evacuationibus præ aliis *è catharſi & phlebotomia*, potiſſimum ad acceſſus cephalalgicos vel inſtantes evitandos vel præſentes deliniendos & abbreviandos ad uſum vocatis; quâ eadem gratiâ *ex enematibus* præterea ano injectis, *veſicatoriis* utrinque inter nucham & aures applicitis, atque *Fonticulis* brachio ſiniſtro & tibiâ dextrâ inſculptis belliſſime habuit, ut ex his ſaniem ſeroſam continuo ubertim evomentibus, induciis quàm antea diuturnioribus Ægra fruatur. Cæterum annum ætatis *Matrona Nobiliſſ.* agit 46. nec minus inculpatè ac antea quoquo menſe menſtruis expurgatur, quum quod verò forte in his deſideratur inde caput vapulat, ac etiam ex alvo minus fluente ſolitò, multum vero levatur ex alvi fluxu per intervalla ſponte recurrente; purgatu etiam facilis eſt; increpitat hyemem, vaſorum eſt anguſtiorum; tandem ex cordis palpitatione, dxſpnœâ & laſſitudine totius corporis maximè crurum gravante ægrè habet, potiſſimum quum motu concitatiori ambulat aut ſcalas aſcendit, nunquam forte ſitit, rarò cibum appetit, urina ipſius plane aquea eſt cum hypoſtaſi plane albâ, copioſâ & laxiori.

Maritus Nobiliſſimus hujusque comitatûs è Primatibus & Principis noſtri Sereniſſimi à conſiliis per me hiſce Tuam humanitatem officioſe rogat, ut conſiliis & auxiliis præſto eſſe volueris &c. Vale Vir Doctiſſime & Celeberrime, mihique Tibi addictiſſimo favere perge.

Neocomi Helvetiorum d. 1. *Decembr.* 1680. Titus Albineus, M. D.

Reſolutio.

NObiliſſ. *Dominæ* Affectus præcipui nunc ſunt Hemicrania & illam conſequens Βαρυήκοια. Dolor enim in paroxyſmo non totum caput ſed nunc dextrum nunc ſiniſtrum latus, nunc occiput invadit. Cauſa hujus proxima eſt ſerum, quia poſt paroxyſmum, qui non longæ durationis totus evaneſcit, præcavetur & curatur ab illis quæ ſerum à capite revellunt, derivant & evacuant ſcil. *veſicatoriis, fonticulis, purgantibus* & aliquando diarrhæâ ſpontanea: augetur & acceleratur his neglectis ſcil. omiſſis purgantibus, alvo & menſibus cum quibus multum ſeri evacuatur ſuppreſſis. Flatus non eſſe probat doloris in uno loco ſedes fixa. Sanguinem in meningum vaſis ſtagnantem aut extravaſatum cauſari nequimus, cùm alia pejora ſymptomata abſint. Serum hoc acre eſſe probat vehementia doloris atque *Illuſtriſſ. Dominam* acri ſero abundare probant Eſſere, quod jam à 7. ætatis anno ad pubertatem uſque pertulit, dein ἐκφύματα permoleſta ad annum 43. quamobrem tandem μετάστασις ad caput facta ſit, ex hiſtoriâ diſci nequit, niſi dentes carioſos illam fuiſſe ex odontalgiâ colligere libeat, hos enim ſæpe hemicraniæ primos motores fuiſſe non ſemel obſervavi. An non quoque *à tot V. S.* caput debilitatum fuerit.

Quia dolores noctu imprimis ſæviunt, forte malignitatis non eſt expers. Serum extravaſari in paroxyſmis & inter anfractus ſub meninge tenui fluctuare innuunt βαρυήκοια & odontalgia, ſcil. ſero ductum horum nervorum foris ſequente & has moleſtias pariente. Indicationes igitur erunt ſerum acre evacuandum, revellendum, derivandum, in loco affecto peccans diſcutiendum, conſumendum & emendandum, ſimulque ſymptomata mitiganda. Itaque 1. Corpus imprimis Vere & Autumno *purgandum* non fortioribus & ſanguinem inflammantibus humoresque acriores reddentibus, ſed mitioribus *Fol. ſenn. rhab. agaric. tamarind. decocto add. ſyrup. roſ. ſ. ſ. de cichor. c. rh. fl. perſic. non aloët. ſcammon. mag. Gialapp. & ſimilibus.* In ipſo paroxyſmo Hemicraniæ & odontalgiæ cum fructu duabus horis à cænâ parcâ dedi ℞. *Fol. ſenn. ſ. ſ. ſpec. aromat. roſ.* ãã. ℈j. *Mſc. F. pulv.*

Immi-

Imminente paroxyſmo quandoque cum fructu dedi mane *ſyr. roſ. ſ. ſ. aut flor. acac. ad ℥v. dilut. aq. beton. aut verben. aut ſimilibus.* 2. *V. S.* cui aſſueta non negligenda Vere & Autumno in brachiis. Præſente paroxyſmo ſuaderem *V. S. in pede ſc. ſaphen. aut iſchiad. Scarificationes* quidam noſtrates inſtituunt, an vobis in uſu ſint? ignoro: alias 3. in dorſo & poſt olecranon una ventoſa præmiſſa ſcarificatione revellunt ſatis commode. 3. *Veſicatoria* tùm contra barycoiam tùm contra hemicraniam valent: in hac quamprimum ingruit quatuor in locis ſimul applico ſc. in utroque carpo, aut poſt olecrana & in utriusque femoris parte interna ſupra genu aut in tibiis interne ſub genu. Si continuet dolor, illa his in locis repeto ſed in vicinioribus. 4. *Fonticuli* dum ſenſim exhauriunt ſerum ſtudioſe aperti ſervandi. 5. Emendanda tota maſſa ſanguinea iis, quæ ſanguinem edulcorant & acrimoniam mitigant; quod faciendum etiam extra paroxyſmos & bene faceret *Nobiliſſ. Domina*, ſi quotidie etiam ultra annum hujusmodi uteretur, cùm acrimonia ſanguinis prope connata non, niſi diu continuatis medicamentis emendetur. Hanc ob cauſam prodeſſet.

1. *Pulvis*, ℞. *Diaphor.* ♃. ♁ii *diaphor.* ā̄ā. ʒij.
C. C. ph. ppr. lapill. ocul. ♋. *pp.* ā̄ā. ʒiij.
Cinnab. nativ. ſelect. ʒij. *ſpec. diarrhod. Abb.* ℥ß.
Sacch. alb. ℥iij. *Mſc. F. Pulvis.*

Doſis ʒß. *mane hor.* 5. *vel* 6. *cum aqu. verben.* &c.
Aut omiſſo ſacchar. paretur Elect.
℞. *Pulv. ſine ſacchar. conſerv. roſ. r.* ℥iij.
Pulp. Tamarind. ℥iß. *Mſc. doſ.* ʒj. *vel* ʒiß.

Hora 7. ſuperbibat *Juſcul. alterat. Endiv. hord.* &c. prodeſſet quoque

2. *Gelatina Cornu Cervi.*

℞. *Raſur. C. C. crud.* ℥iiij. *infund. in aq.* ℔iij. *hor.* 12. poſtea *adde herb. beton. verben.* ā̄ā. *Mj. conſerv. roſ. r. paſſul. maj. exacin.* ā̄ā. ℥iß. *coq. lento igne ſeu calore, ad conſumt. dimid. colet.* & *exprimatur adde conf. Alk. inc.* ʒj. *vel* ʒiß. *frigeſiant. Doſ. mane h.* 7. & *V. h.* 5. *cochl. ij. vel iij.* ſuperbibatur *Juſculum carnium* calide.

3. Vere prodeſſet *tale Juſculum* diu continuatum, quo ad ſimiles ſanguinis dyſcraſias commode utor. ℞. *Herb. recent unica ſolum ſc. à Mj. ad Mij. Ex. gr. vel cochl. vel Naſturt. hort. aut Indic. vel verben. vel chærefol. vel beton. contund. affund. Juſc. carn. fervent. non ſaliti* ℥vj.

℥vj. col. ſubito expr. fortiter add. ſi lubet cochl. j. vel ij. ſyrupi grati ſcil. de rub. Id. violar. acetoſ. citr. &c. bibatur calide. Aliquandiu continuata hæc valde proficua comperi. Tum *pulv.* & *gelatina*, tum *Juſcula* ſanguinem ab acrimonia vindicant, ſed inſuper ſerum per urinam & inſenſibilem tranſpirationem auferunt. Hoc nomine quoque Æſtate prodeſſent *acidulæ, aut ſerum lact. caprill. flor. roſar. & nominatis herbis alteratum. It. paux. ſem. aniſ. fœnic.* Si forte rara pectoris textura *acidularum potum* prohiberet. 4. In ſummo cruciatu tempora inunguntur *tali unguento.*

℞. *Ung. Alabaſtrin.* ℥ß. *ol. nuc. moſch. expr. gr. viij.*
Opii Theb. ol. violar. ſubact. gr. iiij. Mſc.

5. Horâ ſomni dari poſſet *hæc emulſio.*

℞. *Amygd. dulc. excort.* ℥ß.
Sem. 4. frig. maj. ãã. ʒij. *papav. alb.* ʒiß. *ex contuſ. eliciatur Cremor aqua lactuc.* ℥vij. *add. ſyr. papav. alb.* ℥ß.

In vehementi cruciatu *add. laud. opiat. gr. j. vel ij.*

6. *Pediluvia anodyna* quoque non ſpernenda ſunt.

7. Propter Barycojam auri cubitum itura indat *turundam ex Goſſippio* cujus extremus apex imbuatur *vel balſam. apoplect. vel gutt. j. hujus olei.* ℞. *Olei amygd. amar.* ʒij. *ol. d. rorifm.*
d. rut. carv. ſuccin. ãã. *gtt. ij. Mſc.*

Mane *turunda* eximatur & aures mundentur, totoque die apertæ & liberæ maneant, quandoque mane *maſtich. rad. pyrethr. calam. aromat. Galang.* maſticet, aut ex his *trochiſc.* formentur. Ante omnia diætæ ſtudeat: in victu vitet ſalita valde, fumo indurata, aromatizata, frixa: Item viſcida, lenta, &c. Vinum diluat *decoct. rad. chin.* &c. *Cætera Dominus Medicus ordinar. præſens diriget.*

DEUS T. O. M. hæc Nobiliſſ. Dominæ ſalutaria eſſe jubeat!

Scaphuſii d. 12. *Decembr.* 1680. Joh. Jacobus Wepfer, M. D.

OBSERVATIO LII.

Hemicrania cui Parotis ſupervenit.

ILluſtriſſimus Dnus Marchio de Gr. Legatus Sabaudicus apud Lucernates; 54. annor. capillis ſubflavis præditus, ſtaturæ mediocris, carnoſus, temperate vivens. Nunquam ægrotavit, niſi una atque altera febri

bri ſed brevi tranſeunte & evaneſcente. 1675. *Menſ. Januar.* bibit de vino *Valletellino* pauxillum; unde auris dextra tinniit cum dolore aliquo: ad ſymptoma hoc aufferendum, more pueris in *Sabaudia* conſueto, ſi inter balneandum aqua auribus illabatur, prope aurem duos lapillos crebrius alliſit, ut ſonitus percuſſorum lapillorum obſtaculum removeret. Paulo poſt ſerum ex aure dextra manare cæpit, diuque fluxus iſte continuavit. *Menſ. Februar.* circa principium Quadrageſimæ in aprico Borea flante ambulavit, unde frigore correptus fuit, quod excepit æſtus quidam & Hemicrania dextri lateris. Hemicrania indies incrementa ſumſit ac tam ſæva evaſit, ut præ illâ nec maſticare, nec loqui commode poſſet, quin etiam aliquo modo deglutitionem impediebat; à tuſſi vehementer exacerbabatur, quæ tunc quoque infeſta erat. E nare ſiniſtrâ mucus ſubflavus prodibat, ex dextrâ nullus: ab emunctione dolor augebatur. In hoc affectu bis purgabatur *Elect. de ſucc. roſ. ſyr. roſ. ſ. ſ. cum decocto aperitivo: Bis V. S.* ſemel *ſcarificatione* uſus: 4. *Clyſteres* injecti. Præ dolore noctes inſomnes egit, ultra tres ſeptimanas duravit: quibus elapſis parotis poſt aurem dextram oborta eſt, unde ſævior hemicrania remiſit, loqui, maſticare & tuſſire ſine magno dolore potuit, manentibus deglutitionis impedimento & vigiliis continuis. Mucum narium *pulv. tabacc. majoran. ambra &c.* promovit *D. D. Cyſat.* Interea fruebatur victûs ratione tenui, refriger. & humect. parum vini bibit, maxime *Limonatam.*

D. 29. Mart. 1675. Ipſum Lucernæ conveni poſt meridiem. Parotis poſt dextram aurem magna erat, dura, maximam partem concolor & indolens attactu niſi in inferiore & ſcapulæ vicina parte, ubi rubebat & attactu dolebat. Parotis non parum deglutitionem impediebat, tuſſi dolor exacerbatur. Caput minus doluit quam nuper. E nare ſiniſtra emungebat mucum flavum. Ex aure ſtillavit ichorem flavum, qui ſiccatus juxta aures inſtar lacrymarum indurabatur. Ob dolorem jam diu non dormivit. Pulſus erat frequens, celer, parvus & debilis: ſitiebat. Impoſui *Cataplaſ. ex rad. alth. farin. ſem. lini, fœnugr. fl. chamom. fol. alth. malv. add. fic. ping. ferment. & cæpis ſub cinerib. aſſatis cum paux. ol. è flor. Slot.* Ubi tumor rubebat, impoſui *ficum in lacte coctum cum ſapone. Die* 30. *Martii.* Parti rubræ magis emollitæ *cauterium potentiale* impoſui, reliqui ibi 6. horis. Profundâ inciſione parum puris craſſi exſtillavit. Vulneri indidi *rad. gentianæ cum digeſtiv. anodyn. & ægyptiac.* obtegi totam parotidem *empl. diachyl. ſimpl. & de melilot.* Veſperi *turundâ* extractâ emanarunt ℥iij. puris ſubviridis: unde ſymptomata remiſerunt: noctu dormivit: ſudavit ter. *D.* 31. *Martii* adhuc multum puris emanavit: omnia ſymptomata mitiora, etiam

deglutitio facilior : hanc ob cauſum neglexit *gargariſmum* antea expetitum : ſudavit ſubinde, pulſus optimus. *Die* 1. *Aprilis* noctu parum dormivit. Mane pus erat fluidius : pulſus & urina naturales : poſt meridiem pus ſuâ ſponte emanavit. Veſperi puris pars dimidia aqua erat, cui pus viſcidius & coctum innatabat. *Die* 2. *Aprilis* mane quoque pus primum plane aqueum emanavit, craſſum & caſeoſum quaſi ſequebatur, viſcidius *emplaſtro* adhæſit : itidem veſperi fiebat. Interea omnia ſymptomata erant mitiora. Eſchara nondum decidebat. *Die* 3. *Aprilis* parum puris & adhuc admodum fluidi effluxit, ſinum ſatis amplum deprehendi. *Digeſtiv. anodyn. cum ſucc. geran. & petroſel.* permixtum ingentem ardorem in ulcere excitavit, itaque poſtea omittendos *ſuccos* putavimus. Doluit in ſcapulæ dextræ parte ſuperiore. Poſt meridiem diſceſſi.

Reſolutio.

DOlor cum tinnitu aurium *Menſe Januar.* eveniens erat ſolummodo defluxio ſeroſa ad aurium cavernas : forte pulſatione illâ lapidum ante fores auris prolicuit ſerum magis foras , quod jam exitum quærebat. *Menſe Februarii* Hemicrania eveniens corpore ab exercitio æſtuante, poſtea à Borea frigefacto, quia continua fuerat, conjuncta cum vigiliis, dolore ſævo, qui exacerbabatur loquendo, deglutiendo & tuſſiendo, quia ſitiebat. Juvabatur *à V. S. refrigerantibus*; adſcribi poterit inflammationi alicui circa duram matrem aut putrefactioni ſeri circa illam ipſam meningem eoque magis, quia per tranſpoſitionem ad parotidem glandulam mitigabatur. Profunde enim pus latebat, huc procul dubio ex cranio delatum : aut forte in principio in profundo parotidis latuit ac communionem cum meninge habuit atque Hemicraniam excitavit, quæ mitior evaſit parotide in faſtigium ſurgenre. Parotide ſuppurata & pure evacuato tum Hemicrania tum cætera ſymptomata evanuerunt.

Superato hoc malo nunc 1. Parotis exulcerata mundanda *digeſtiv. anodyn.* quod durum reſtat emolliendum, *Empl. diachyl. & de melilot.* Carne implend. *add. digeſtiv. maſtich.* & foris imponend. *Empl. defenſ.* 2. Mali recidiva præcavenda *medicamentis caput roborantib. ſcil. pulv. unic. margar. matr. perl. ung. alc. C. C. phil. Bez. Succin. cinnab. nat. rad. pæon. contrajerv. extr. lign. al. ambr. ſacch. doſ. mane* ℈j. *veſperi* ℈ß. *cum aqua flor tiliæ. balſam. cephal.* mane & veſperi verticem inungat. Laxetur *ſyr. roſ. ſ. ſ.* aut ante novilunium purgetur *pilulis meis cephalicis. V. S.* neceſſitate urgente *Menſe Maji* adminiſtret. Obſervet diætam uti hactenus. Aër fugiendus pluvius, nebuloſus, auſtrinus, borealis,

borealis, caput contra frigus muniendum *capillitio factitio*. Cibis veſcatur boni ſucci & facilis digeſtionis: fugiat caſeum, legumina, piperata &c. Bibat vinum tenue, ſubtile, dulce & ſulphuratum nocet ut ſpir. vin. quia ſanguinem inflammat. Fugiat ſomnum pomeridianum imprimis mox à paſtu. Obambulatio prodeſt. Negotia temperet. Animus ſit tranquillus. Alvus aperta ſervetur. Si recidiva inſtet: ſtatim purgetur *pilulis cephalicis. V. S.* Excitentur *Veſicatoria* in carpis. Vinum fugiat: ſi ſuppuratio inſtet, adjuvetur maturè. *Die* 20. *Aprilis* 1671. *D. D. Cyſat ſcribit* abſceſſum in parotide ſanatum atque *Illuſtriſſimum Dominum* ab omnibus doloribus capitis immunem commode vivere. *Menſe Julii* 1671. *ipſum Badæ integrâ ſanitate & à morbo perpeſſo plene reſtitutum inveni.*

OBSERVATIO LIII.

Hemicrania poſt iteratam puncturam ad deponendam Catarrhactam.

EXcellentiſſimus D. D. Joh. Ulricus Müller Phyſicus Lindavienſis ſcribit. *Illuſtriſſima & Reverendiſſima Abbatiſſa* annorum 72. à Catarrhacta ſeu ſuffuſione in utroque oculo viſus ipſi periit, ac in dextro citius quàm in ſiniſtro hæc maturuit. Ante 4. circiter menſes *me inſcio Oculiſtam Sebaſtianum Conſtantiâ* accerſivit, qui pelliculam acu immiſſâ artificiosè depoſuit, inde viſum integre in oculo dextro recuperavit. Poſt aliquas ſeptimanas nova pellicula pupillam intus obtegit, ac viſum denuo aufferebat. *Prædictum Oculiſtam* rurſus ad ſe vocavit & *me præſente* operationem denuo auſpicatus eſt, quæ per horæ quadrantem, priusquam acu intruſâ pelliculam intus pupillam obtegentem plene deponere & removere valuerit, duravit: unde *Illuſtriſſima & Reverendiſſima Domina Abbatiſſa* valde alterabatur, tamen poſtea per octo dies bene ſe habuit: Hiſce elapſis ſupra oculum dextrum & in dimidio capite ejuſdem lateris vehementem dolorem pati cæpit, qui ſæpe per aliquas horas remittit & mox nullis certis periodis redit: aliquando per totum Nycthemeri ſpatium hic non affligit: dolor eſt valde ardens & lancinans, ſine tamen ullâ alteratione in maſſâ ſanguineâ. Binâ vice *cucurbitulæ cum ſcarificationibus* & ſemel *veſicatoria* ſed ſine fructu applicabantur. *Plures Chirurgi & Oculiſtæ* ex viciniâ accerſiti conſulebantur: *Omnis generis Topica* ab initio cum aliquali levamine poſtea verò cum nullo adhibuerunt. Varia & Ego præſcripſi, ultimo *hoc Collyrium*. ℞. *Album. ov. c. alumin. conquaſſ. Num. j. ſem. papav. alb.*

nucl.

nucl. perſicor. āā. ʒij. *aq. ſpermat ranar.* ℥iiij. *ſacch.* ♄. ʒß. *Mſc. F. l. a. Emulſ.* Noctu *gran. ij. Theriac. cœl.* exhibui, ſatis bene inde ſe habuit.

Illuſtriſſima & Reverendiſſima per me Excell. Tuam rogat, ut ad ipſam venire & in moleſtiſſimo hoc affectu Conſiliis Tuis ipſi ſuccurrere volueris. Vale &c. Lindaviæ die 5. Januarii 1675.

Reſpondi die 7. Januarii 1675. Coram ob Cephalalgiam, quam & *Egomet* ſatis vehementer nunc patior, adeſſe nequeo. Hemicrania iſta fit, læſâ corneâ tunicâ internè; non uvea, aliàs pupilla rotunditatem ſuam amiſiſſet & viſus periiſſet, quod alii eveniſſe novi. Cornea prorſus nervea eſt: iteratâ punctione læſa, omnino dolorem poſt ſe reliquit, imprimis ſi in oppoſito latere intus ſaucietur. Pauca aut nulla aliàs *Topica* adhibeo: in principio ſola *poma putrida in lacte cocta cum pauxillo croci* applico. Refrigerant enim denuo, humorem condenſant ac novæ ſuffuſioni anſam præbent. Plus præſtiterunt ſequentia 1. *Veſicatoria* iteratis vicibus nunc retro olecrana, nunc in carpis nunc in tibiis ſeu potius ſuris applicata. 2. *Pulvis cephalicus & antiſpaſmodicus talis.* ℞. *♂ii diaphor. ʒij. cinnab. nativ. ʒj.*
C. C. ph. ppr. ʒij. ungul. alc. ppr. ʒiß.
Pulv. march. ʒij. laud. opiat. perlat. gr. iij.
Fol. ☉. num. ij. tab. man. chr. perlat. ℥j. Mſc. F. pulv. Doſis Mane hora 6. & veſperi hora 4. qualibet vice ʒß. cum aqua flor. til. aut euphrag. aut fœnicul. 3. *Purgantia lenia ex. gr. Pil. è ſuccin. Crat.* doſin triduo ante vel poſt novilunium itidem ante vel poſt plenilunium duabus horis poſt parcam cænam ſumat. 4. Tempora, vertex & nucha inungantur *linimento ſomnifero.* Victus ſit ex Eupeptis & Euchymis. Vinum neceſſario diluendum *decocto chinæ, ſarſaparill. aut ſaſſafr.*

P. S. Catarrhacta eſt poſt pupillam ſeu poſt uveam, quia exacte rotunda apparet, ergo ad extremum iridis infigenda acus: cavenda ſummopere uveæ laceratio, aliàs viſus periret. Hemicrania ſequitur, ſi lædatur iterato ictu cornea aut ſi intus vel levicule lædatur alterutra membranarum, quia exquiſito ſenſu prædita ſunt.

Excellentiſſimus D. D. Müller die 16. Januarii 1675. ſcribit. Remedia aliquid auxilii attulerunt: dolor ſubinde redit ſupra orbitam oculi isque ſatis vehemens. *Die 12. Januarii Salvatella in manu dextrâ ſecta fuit*, ſanguinis ℥iß. emiſit cum levamine. Repetet *V. S. in pede*, ſi conſultum viſum fuerit. *Oculiſta*, qui catarrhactam operabatur, nuper heic tranſiens ſuaſit *Arteriotomiam in tempore lateris affecti. Veſicatoria*

catoria reſpuit *Dna Abbatiſſa*. *Emulſiones paregoricæ* diarrhœam excitarunt, ac noctem inquietam propter acorem ſtomachi fecerunt. Ad dolores leniendos exhibui *pulverem ex cinnab. ♃ii gr. iij. ſuccin. gr. ij. opii fermentati gr. j. ſacch. pauxill. opium cum ſucco cydonior. paratur: ab hoc pulvere* per totam noctem bene dormivit, hunc inpoſterum repetam. Cephalalgia *à* 9. *pilulis cephal.* quæ ter largiſſimè purgarunt vehementior reddita fuit: ſecunda vice *harum* 7. exhibui, quæ itidem ter ſedes movebant, ac dolor ſævior rediit: inpoſterum *harum* 5. tantùm dabo. Ob ſuppreſſas hæmorrhagiam narium & hæmorrhoides olim ipſi conſuetos eò lubentius V. S. repetiturus ſum. Rubor oculi & Tunicæ adnatæ pellitur *ſanguine columbino & Cataplaſmate ex pomis putridis*, quæ ambo manifeſte juvant. Ante Cephalalgiam paſſa eſt horrorem cum tremore & motu convulſivo, quod leipothymiam putarunt, *Ego autem* prodromum Apoplexiæ timebam: facile enim ſanguis circa locum affectum detentus exitum quærere poſſet. Nephritis quoque moleſta fuit, quæ appetitum ſuſtulit. *Nobiliſſima Domina Maria Cleophea de Bernhauſen addit de Eod. dato: Medicamenta* hactenus parum juvarunt: propter paucum cibum vires deficiunt: putat, ſi nares mucum funderent, meliorationem ſecuturam, nam ſemper illas humidas habuit, nunc prorſus ſiccæ ſunt.

Reſpondi ad has d. 23. *Jan. V. S. in pede* non improbo, modo concedant vires & adſit plethora, quam alias dolores & parcior cibus imminuunt. *A pilulis*, quia dolor inde exacerbatur, abſtineat, ut & *aliis purgantibus* quæ cauſam proximam turbant non autem educunt. Pergat *pulvere abſorbente mane & veſperi*, cui addi poſſet *Diaphor. ♃. Poterii* ℨj. Noctu *pulvis* quoque commode exhiberi poteſt: *cinnabaris ♃ii* commodiſſima eſt & *meo pulveri abſorbenti* nuper præſcripto reſpondet. *Laudanum Langelotti* tutum eſt & nobis quoque in uſu. *Sanguine columbino & cataplaſmate ex pomis* pergere poteritis. Mucus narium promovetur *aquâ majoranæ cum mell. anthoſat.* citra turbam naribus attractâ. Loco *Veſicatoriorum* Carpo utrique ut & nuchæ applicari poſſet *fruſtum carnis vitulinæ aſſæ*, quod *ſpirit. vini, in quo ſem. ſinap. infuſum*, imbutum fuiſſet: *non eſt veſicatorium, ſed leniter rubificans. Arteriotomiam* peractam vidi, ſed vix *noſtris Chirurgis* credi poteſt, ceu hujus rei imperitis, quamvis aliàs periculo careat; modo aneuriſma caveatur & ſanguis citò ſiſtatur.

Die 30. *Januarii* 1675. *ſcribit Excell. D. D. Müller.* Dolor per aliquot dies remiſit, à biduo ſævior rediit: fruſtranea ſunt externa medicamenta.

dicamenta. Suaſit hoc *Epithema.* ℞. *Nucl. perſicor. Baccar. juniper* āā. ℥ß. *Majoran. rec.* ʒiij. *rut. rec.* ʒij. *contuſ. add. ol. amygd. amar q. ſ. aceti ſambuci parum Mſc.* Noctu *Laudanum Langeloti* dabit.

Reſpondi dolores provenire à læſo nervo aut nervoſa parte idque in profundo, quorſum non pertingunt *Topica*, inde fieri ramulorum nervoſorum conſtrictiones circa arterias & corrugationes meningum, unde ſæviſſimi cruciatus oriuntur. Pergat *pulv. antiſpaſmod. & abſorbente* ultimo ſuaſo: Item *pulv. nocturno ex Laud. Lang. cinnab. &c. Vena ranina ſub lingua ſecetur.* Dolor ſummopere à vino exacerbatur, ut in memet expertus fui.

Die 13. *Febr. ſcribit.* Dolores ardentes accreſcere & ſi *Laudano* ſopiuntur protinus redeunt. Addit pupillam integram, ſplendidam & ab omni labe immunem eſſe: ſuaſit *Linimentum* ℞. *Ung. Alabaſtr. dialth.* āā. ʒij. *ol. nucl. perſic.* ʒj. *n. m. expr. gr. ij. Laud. op. Lang.* ℈ß. *Mſc. Pulverem antiſpaſmodicum & abſorbentem ex pharmacopolio* iterandum expetit, qui proficuus ipſi eſt.

Suaſi pulv. continuationem : Hirudines poſt aures applicari curet.

Die 27. *Martii* 1675. *ſcribit Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Dnam* indies melius habere, dolores ſæviores remiſiſſe, at oculum ſemper aquâ impleri: ſi oculus minus humidus eſt, accurate videt, non aliis medicamentis utitur, quàm *pulv. à me d.* 7. *Jan. miſſo. D.* 9. *Aprilis* à doloribus immunis eſt: oculus adhuc udus eſt: aliàs accurate videt: *pulvis* optime ipſi conducit. *Suaſi infuſ.* ☿-^-. *gr. j. c. aq. euphrag.* ℥iiij. *pulv.* continuet. *Menſe Maji* 1675. *Ipſam ſanam eſſe ſcribebatur. Pulverem maxime laudat.*

OBSERVATIO LIV.

Hemicrania & Cervicis dolor mirus.

NObiliſſima Domina Margaretha Sp. annorum 23. ſtatura oblonga, nuper bene colorata, nunc pallidior; labiis tamen ſemper rubentibus, corpulentior quoque fuit, jam a biennio emaciatur. Juvencula 10. & 12. annorum vomuit ſæpius aquea, acida, amara citra capitis dolorem: vomitus iſte fuit cauſa ſubſequentis Hemicraniæ, à quâ puella primum immunis fuit. Adultior rarius vomit, præcedente vel ſequente ſævâ Hemicraniâ, quandoque citra vomitum eveniente, in orbita oculi dextri maxime ſæviente; nonnunquam juxta hemicraniam totum caput dolet. Materia vomitu rejecta pridem amara, aquea fuit, nunc eſt ſæpe acidiſſima inſtar aceti, vel ſpiritus acidi

cidi deſtillati, quæ ardorem in gula & faucibus parit, ac ſi excoriaret. Circa regionem ventriculi debilitatem ſentit & dolorem. Menſes rite fluunt, & d. 5. vel 6. durant, ſed parce manant, & citra dolorem. Frigus neſcit tolerare, & facile perfrigeratur. *Venâ ſectâ* animo linquitur: nuper *V. S*, fuit in lecto, minus id tunc accidit. Reſpirat ſat commode. Citra hemicraniam appetit, non ſitit; alvus eſt aperta. Temperate aliàs vivit. 1667. Autumno avidiſſime magnam copiam uvarum comedit, unde Hemicrania ſævior cum ventriculi debilitate. 1669. Sub finem Auguſti uſa eſt *Acidulis Fideriſiis*, primis octo diebus bene contulerunt; poſtea obortus eſt dolor in cervice ſævus admodum, qui inde per interſcapulium ad Os Sacrum & inguen dextrum, hinc ad femur deſcendebat: ſic incipiendo in cervice & deſinendo in inguine per d. 3. dolor duravit: his elapſis denuo cervicem occupavit, indeque per dorſum ad femur dextrum pergebat; rurſusque tridui ſpatium emenſus eſt. Ita per 6. Septimanas dolor iſte in circulum ibat quaſi, ſcilicet à cervice per dorſum ad Os Sacrum, & inguen dextrum progrediendo & poſt d. 3. cervicem repetendo. Dolor in dextro lumbo & in inguine acerrimus fuit, aggreſſus quoque eſt coxam ſiniſtram cum hypogaſtrio ſeu inguine, ſed non tam ferociter. Locum affectum in inguine inunxerunt *Ol. alth. malv. eq.* Aderat dolori iſti febricula, inappetentia, ſitis, conſtipatio.

A vomitoriis, etiam *vino emetico ℥iato* juvabatur, ut & *à purgantibus*, *clyſteribus*. Materia vomitu vel ſeceſſu rejecta admodum fermentabatur: ſæpe *Suppoſitoriis* plus quam *Clyſteribus* educebatur, ſed tunc plurimum muci. Poſt hos dolores, tum hemicraniam ſcilicet, tum cervicis dolorem olfactus periit, ac viſus obfuſcatur, & muſcæ ipſi obvolitare videntur, unde ob cœcitatis metum magno mœrore afficitur. Caput quidem non vertigine laborat, at debile ac obtuſum quaſi eſt. Non ita pridem paſſa eſt dolorem in hypogaſtrio dextro, urina turbida ſecuta eſt, & ſedimentum mucoſum. Ab equitatione dorſum dolet, unde illam non diu tolerare valuit. Ob venuſtatem & divitias multos procos habuit, & ceu unica filia tenerrime educata fuit, ut mirer, illam tot *Vomitoria* perferre potuiſſe. Quandoque acerrima aqua ex naribus ſtillat, quæ flavedine lintea tingit. Olfactum ſenſim amiſit ab annis aliquot. Viſus primum in dextro oculo debilitabatur, ubi muſcas vidit primum pauciores; nunc uterque oculus debilior eſt, pluresque muſcæ oculis obverſari videntur. Alvus aperta ipſi conducit. Ira & mœror hemicraniam accelerant: illâ præſente ſitit, non appetit. Aliàs appetit, ut pro appetitu comedere non audeat, quia caput & ventriculum gravat nimius cibus. Multum dormit. Aliquando oculi dolent. Multis flatibus ſcatet [plurimumque eructat. Alias] naſum ſemper humidum habet. Hemicrania nullam certam pe-

 riodum

riodum obſervat; durat aliquando per diem integrum, aliquando per dies 2. aliquando ad diem tertium, non ipſi ſemper jungitur vomitus: pridem quidem magis quam nunc.

Reſolutio.

AFfectus eſt valde complicatus. Hemicrania forte accidit ob conſenſum ſtomachi, vel ob coacervatam per vices bilem acriorem inque ventriculum effuſam, quia diu paſſa eſt vomitus amariſſimos. Forſan ſuccus pancreaticus & ſtomachi fermentum nimium acorem contraxerunt, qui humores chylo permixti dolorem in meninge & ob vellicationem nervorum vomitum efficere potuerunt. Dolor cervicis, lumborum, inguinis & femoris effectus ſunt ſalſiſſimi ſeri per periodos inſtar tertianæ ebullientis: annon forte Tertiana juncta fuerit? minus tamen credibile, quia *purgantia* juvarunt ſerum educentia. Quia in hypogaſtrio dextro doluit, ſequente urina turbida, calculoſi quidpiam latet, eoque magis credibile, quia ab equitatione læditur. Fæces vomitu & per ſeceſſum rejectæ & admodum fermentantes, colicam bilioſam latere innuunt. Olfactus vitium & viſus imminutio debentur non tam hemicraniæ quam nimio vomitui, item crebris catarrhis.

Suaderem bilem & ſerum blande evacuantia, ut ℞. Mp. *marocoſt. Extr. coch. Fol. Senn. ſ. ſ. Rhab. Mag. Gialap. Elix. propr. Par. Mſc. Doſis* ſemel in menſe *ad gr. xviij.* 2. Cerebrum genuſque nervorum roborantia, *Pulv. March. cum aq. fl. til.* 3. Aliquando *Elæoſacchar. cum Conf. alkerm. inc. ol. citr. aurant. chamom.* 4. *Balſam. Stomach.* 5. *Elix. prop. Par.* 6. *Clyſteres domeſt.* 7. Victûs rationem exquiſitam. Attendatur ad renes & veſicam, ſi illa calculis obſeſſa comperiantur, maturè occurrendum ipſis eſt. Appetit *Acidulas*, quas ipſi ſuaſi *D.* 17. *Maji* 1670.

OBSERVATIO LV.

Hemicrania cum aliis affectibus.

NObiliſſ. *Dna N. N.* annorum 50. ſtaturæ juſtæ, carnoſa, candida, bene colorata: multis annis in matrimonio ſterili vivit: peperit bis. Menſes ſemper parcè & inordinatè fluxerunt, dum adhuc cœlebs erat, & in matrimonio diu: plerumque non ſolum aliquot ſeptimanis, ſed etiam menſibus poſtpoſuerunt; poſtquam vero peperit, periodos accuratius obſervarunt, parcè tamen ſemper manarunt. Feliciter peperit, lochia rite fluxerunt, puerperia ſalubriter traduxit. A pueritia ipſi frequenter caput doluit, poſtea dolor magis invaluit: Cephalalgia eſt plerumque hemicrania; affligit præcipue latus dextrum ad

ad ſuturam ſagittalem uſque quandoque occiput, dolor eſt lancinans & tendens, quandoque tam moleſtus, ut noctu ſomnum turbet, ipſaque ſurgere & obambulare cogatur; quandoque interdiu illâ afflictâ decumbere cogebatur, illamque ſomnus ſuſtulit, nunc ſomnus nil commodi affert. Obſervat ſæpius hanc Hemicraniam ſibi evenire, quando dulcia comedit; illa in cænâ ex. gr. comeſta ſentit in ventriculo permanere uſque ad diem ſequentem, ſubinde ſaporem ad ſummas fauces aſcendere citra tamen vomitum aut eructationem, quibus ſymptomatibus plane non obnoxia ſit; quando vero prandet, plerumque hanc dulcedinem evaneſcere; animadvertit tamen illa die tertio adhuc fauces ſaporem talem imbuiſſe: hanc ob cauſam non audet comedere fructus dulces, ut ceraſa, mellita, confect. ſaccharatas. Hemicrania quoque invadit imminentibus & præſentibus menſibus: paroxyſmo præſente quandoque capilli ſe erigunt, & attactum ægre fert. Bis correpta fuit jam ante aliquot annos vertigine quadam, in qua ipſamet obſervavit omnia ſecum ſurſum deorſumque verti; domeſtici ajunt illam omnes ſenſus ac loquelam amiſiſſe, atque ad avertendam apoplexiam per hypocauſtum ductam fuiſſe: prima vice invaſit ipſam hor. 10. noctis, poſtquam diu poſt cænam fila ducebat, ac in faſciculos collegit. Sub cute capillatâ, & ut illa putat, intra cranium ſentit quandoque motum quendam animalculorum quaſi reptantium. Auris dextra frequenter tinnit cum obauditione; ſonus quandoque acutus eſt, quandoque gravis & obtuſus. Cæterum omnibus ſenſibus valet; dormit bene ſomnumque amat. Quandoque defluxiones fiunt ad colli partem plerumque dextram, ut illud verſare nequeat ob dolorem cum pulſatione arteriæ carotidis; quandoque ad humeros, inter articulos partes inter medias affligentes. Si extra paſtûs tempora bibat, nihilque vel parum comedat, in utrâque tibiâ circa partem excarnem aut ſupra malleolos ſtatim quendam dolorem patitur. Cætera appetit, cibi ſapiunt, non gravant; alvus aperta: quandoque diarrhæam patitur: non ſitit, poſſet per biduum à potu abſtinere. Pulſus eſt naturalis, reſpirat facile; ſponte ſubinde ſudat.

Reſolutio.

PRæcipuus affectus eſt hemicrania, unde vel dependent, vel naſcendi originem obtinent plures alii affectus, ſcilicet primum dolores colli, humerorum atque illi, qui in tibiis oriuntur, ſi bibat extra tempus paſtûs & nihil vel parum comederit; idem ſentiendum vertigine bis eveniente, tinnitu aurium & ſenſu animalculorum intra cranium reptantium. Cauſa proxima eſt ſerum membranas cerebri diſtendens & vellicans, inde defluens parit dolores colli, humerorum, brachiorum & manuum, etiam dolores tibiarum: dum intra cranium ſtagnat, efficit tinnitum aurium cum obauditione, ſenſum animalculorum reptantium & vertiginem: extra cranium ſub cuti capillata collectum

 efficit,

efficit, ut capilli ſe fere erigant, illaque attactum non bene ferat. Serum collegit, quia ſemper parce menſes fluxerunt & tarde; bis ſolum peperit in diuturno matrimonio. An ventriculus huc ſymbolum conferat? dubium eſt, cum bene appetat, parum bibat, nunquam vomat aut eructet, plerunque alvus rite aperta ſit, quæ omnia ſigna ſunt ſatis bene diſpoſiti ventriculi; verum quia dulcia diu manent in ventriculo, & quandoque diarrhæam patitur, quia quoque poſt comeſta dulcia hemicrania acceleratur, non perfecte ſanum ventriculum eſſe, & diu in illo detineri aſſumpta, atque corruptelam quandam contrahere veroſimile eſt. Anſam decubitûs ad membranas intra & extra cranium dedit frequens hemicrania, unde tandem ipſum cerebrum labem contraxit, atque aliquot nervorum rami. Acceleratur affectus menſibus imminentibus & præſentibus, quia tunc fit fermentatio quædam in ſanguine; à dulcibus quoque, quia acrimoniam contrahunt, ſi diu in ventriculo perſiſtunt.

Quoniam affectus eſt nervinus & profunde radicatus, ægre tolletur, & non niſi pertinaci remediorum uſu. Convenient 1. ſerum ſubtrahentia, ut *Pill. de Succin. Craton. cum Magiſt. Gialapp. Extr. Caſtor. Ol. ſuccin.* 2. *Fonticulus* in ſiniſtro brachio excitatus. 3. *Abſorbentia cephal. ex pulv. Marchion. cinnab. nat. Extr. caſtor.* 4. *Conſerv. roriſm. majoran. roſar. r. cum Mithridat. Bol. Arm.* Vitet frixa, ſalſa, aromatizata. *Scarificationem & V. S.* continuet, ſi ſit aſſueta.

OBSERVATIO LVI.

Hemicrania cum aliis Symptomatibus.

G*Eneroſiſſima Baroniſſa N. N.* annorum 36. colore faciei ſubfuſco, & rubra, carnoſa. In puerperio ante 6. annos tertio die à partu ſurgens, inſervivit liberis 8. & marito, variolis periculoſe decumbentibus. Ab illo tempore paſſa eſt ingentem dolorem in epigaſtrio dextro, cum tumore in pugni magnitudinem ſubinde excreſcente, unde ſævientibus cum tumore doloribus omnibus ſenſibus privabatur. Illo tempore creberrime ac violenter purgabatur, unde *purgantia etiam mitiſſima* tolerare nequiit; cum aliquando repetitis *purgantibus* urgeretur, cruenta ejicere cæpit. A 2. & dim. annis patitur hemicraniam in tempore dextro, quæ ſine odontalgia maxillas, imprimis illarum articulum affligit, ad cervicem & interſcapulium diffunditur: non pari ſævitiâ affligit; at continuo in tempore hoc moleſtiam patitur, videtur caput gravius eſſe atque ad latera ob pondus inclinari. Sæviorem dolorem præcedit ſomnolentia veſperi: dolor imprimis noctu affligit: durat plerumque 12. horis, quibus decumbere cogitur. Menſes rite fluunt:

unt: præcedit & ſequitur quandoque fluor albus. Inſomnia gravia & turbulenta patitur. Aliquoties hemicraniæ iſti acceſſit vertigo gyroſa cum aliqua mentis perturbatione. Scabioſa eſt nunc, tubercula pruriunt & urunt, minutula ſunt. Ante paroxyſmum ſitit; in ipſo vero paroxyſmo cibum & potum faſtidit; aliàs quoque cibi non multum ſapiunt. Eſt 11. liberorum mater. Dum junior eſſet, propter varias defluxiones geſtavit *Fonticulum*, quem conſolidandum curavit. Bibit fruſtra *Acidulas Swalbacenſes*.

Reſolutio.

HEmicrania, quia ſemper ejus moleſtia percipitur, quamvis ſubinde exacerbetur, dependebit ab humore aliquo circa meninges in dextro latere hærente & perpetim adfluente, illoque ſeroſo; forte etiam pia & dura meninx ibi coaluerunt, quia tam longo tempore malum durat. Exacerbatur poſt largiorem humoris ſeroſi cumulationem & ebullitionem. Procul dubio ad interiora penetrat & nervos affligit, quia ante *6.* annos doluit in epigaſtrio dextro cum intumeſcentiâ quadam, & quadam ſuffocatione ab utero: & durante hâc hemicraniâ experitur ſubinde vertiginem cum mentis perturbatione in unâ ſeptimanâ nunc ſemel, nunc bis, nunc ſemel in menſe, imo longius non. Serum acre eſſe probat doloris acerbitas, ſcabies pruriginoſa, temperamentum calidius.

Serum attemperandum, edulcorandum, evacuandum, revellendum. Edulcoretur

℞. *C. C. ph. ppr. Ungul. alc. ppr.* āā. ʒiij.
Cryſtall. mont. ppr. ʒij. ♁. *diaphor.* ʒiij.
Cinnab. nativ. ʒj. *Tab. man. Chr. perlat.* ℥ij.
Mſc. F. Pulv. ſubtil.
Doſ. Mane horâ 5. ʒß. *cum aq. verben.*

Corroboretur ventriculus & cerebrum *Trag.*

℞. *Pulv. Stomach. Birkm.* ℥ij.
Spec. Diatr. ſantal. Diarrhod. Abb. āā. ʒij.
Ol. N. M. expr. gtt. vj.
Tab. man. Chr. perlat. ℥iij.
Mſc. F. Pulv.
Doſ. ʒj. *Manè hor.* 8. & *Veſp. hor.* 5.

Purgetur *Diagryd. gr. iij, Lap. prunell. gr. j. Crem.* ♀. ℈j. Sumat hor. ante paſtum. *Fonticulus* excitetur in brachio dextro. *V. S.* Vere & Autumno: *Scarificat.* utatur alternis menſibus. Victus ſit temperatus.

Vinum

Vinum diluat *Decoct. chin.* Vitet aromata, ſpirituoſa, *purgantia fortiora.* *Acidulæ* proficuæ. *Topica* non multum præſtabunt.

OBSERVATIO LVII.

Hemicrania cum Symptomatibus Hypochondriacis.

G*Eneroſæ cuidam Dominæ Annno* 1690. *d.* 24. *Mart. ſt. n.* Hemicrania in dextro latere incepit, cui jungebantur odontalgia, anxietates præcordiorum, dolores vagi per artus, horripilationes, melancholia, ob quam ſine cauſa flere cogebatur; ſudores largi, narium ſtillicidium, quam ob cauſam decumbere cogebatur, ſi ſurrexit, lipothymiæ inſtabant, cor à filo pendere videbatur. Ab uſu medicamentorum minuebantur hæc ſymptomata, verum redierunt. *Die* 20. *Aprilis ſt. n. Wolmaringæ*, quorſum pridie lecticâ *ad Nobil. Dn. Patrem* moribundum vehebatur, pranſura corripiebatur nauſeâ & à mensâ ſurgere, ac mox ſummo nixu vomere cogebatur, evomuit meram bilem viridem; ab impulſibus & nixibus cranium divulſum iri verebatur, ut ab ancillis fortiter manibus conſtringendum fuerit: à vomitu melius habuit; rediit die ſequenti pari ferociâ, ſed nihil ejecit quam copioſum mucum, & tertio rurſus blioſa flava evomuit, ſequebatur diarrhæa bilioſa, quæ diebus 8. duravit cum magno levamine, nam inde remiſit hemicrania; mitigabantur anxietates, melancholia & alia ſymptomata; at valde laſſa dixerat. Poſt Diarrhæam 6. ſeptimanis à moleſtis ſymptomatibus libera erat. His elapſis emerſerant puſtulæ hinc inde in artubus & habitu prurientes ſimiles Eſſere. Hanc ob cauſam, quia *Thermas Fabarienſes* non licuit adire, conſtituit ſe *Acidulas Deinaccenſes* domi bibituram, quia tumor pedum mane evanuit, facile ſudat, urina potûs quantitati reſpondit & ordinarie non lixivioſa eſt: Reſpiratio ſatis libera, humili ſitu utrique lateri incumbit & dormit, reſpirationis cauſâ non ipſi ſurgendum eſt, in ſcalæ tamen aſcenſu reſpiratio difficilior fit, ut in ſummo gradu ſedere cogatur cum palpitatione cordis & cum magna genuum debilitate: ſi ſingulis ſeptimanis *Clyſterem* admittit, facilius reſpirat. A motu corporis valde delaſſatur & dolet imprimis in dextro pede ad plantam pedis. NB. Ob hanc ejus conſtitutionem minori cum ſcrupulo *acidularum potus* conceſſus fuit.

Acidularum Deinaccenſium potum auſpicata eſt VI. Jul. 1690. bibit in ſummo ſolum per dies 5. poſtea ob febrim *Generoſi Domini Mariti* pergere methodice nequiit, unde rediit hemicrania in ſiniſtro latere, acceſſit palpitatio cordis, laſſitudo artuum &c. *D.* 16. *Auguſt.* 1690.

ipſam

ipſam conveni: Appetitus non ſemper æqualis eſt: nunc magis, nunc minus appetit; plerumque tamen parum in cænâ: ex quo *acidulas* bibit, non ſitit in paſtu, quod antea fiebat. Alvus non ſemper aperta eſt, ſi conſtipata ſit, caput & artus magis dolent magisque angitur; quandoque ter per dies 2. vel 3. alvum ſolvit cum levamine; egerit aquam fœtidam. Urina nunc pallida nunc tenuis eſt, nihilominus interdiu crebrius ad mictionem ſtimulatur mingitque cum ardore, noctu tamen non. A cibo non gravatur, at inflationem cum aliqua anxietate in præcordiis percipit, flatibus emiſſis melius ipſi fit. A cibis eſurialibus pejus ſemper ſe habet. In lecto & quieta ſi ſit, nullam difficultatem ſentit in reſpirando. Ex quo rurſus *acidulas* bibit, cordis palpitatio ceſſavit, niſi ſcalam ſcandat aut ſi cibis eſurialibus veſcatur. Pulſus eſt æqualis, robuſtus, plenus: quandoque punctiones ſubitas in alterutro capitis latere ſentit, incipientes nunc à dentibus, nunc à temporibus, nunc ab occipite: dolor non amplius continuus eſt, ac nuper fuit, ſubinde frons dolet. Quandoque omnes dentes in utroque latere, quandoque in uno latere vacillant, imprimis cœlo pluvio: nuper fruſtulum dentis carioſi in ſomno excidit: decubuæ ſaliva nunc plus nunc minus ex ore noctu effluit. Æſtate coryza non moleſta eſt: ſubinde ſternutat quinquies cum levamine ratione doloris & tinnitus aurium, ſubſequitur plerumque mera aqua ex naribus. Menſes amiſit 42. ætatis anno, nunc eſt annorum 54. nata ſcil. *Anno* 1636. *Menſ. Julii in Feſto St. Jacobi*, ſubinde vertiginem experitur, quandoque ſentit aliquid inſtar fulminis aut teli igniti per artus quaſi jaculari, ſcil. ab humeris ad carpos indeque ad extremos digitos, id etiam evenit in femoribus ad imos pedes. Lumbi ab ira & terrore ſubinde, nunquam continue dolent. Putavit pedes tumeſcere, verum explorando parum aut nihil deprehendi. *Duos* habet *Fonticulos* in utroque brachio. In maxillâ ſuperiore dextrâ dentem carioſum fœdum habet vacillantem, alium talem ſed minus carioſum in ſiniſtrâ maxillâ. Color faciei ſubflavior eſt ſolito: labia rubicunda ut & caro gingivarum: oſcula ductuum ſalivarium patula, preſsâ genâ foris ſtatim extillat ſaliva *Die* 7. *Auguſti* uſa eſt *pediluvio ex aqua ferrata*, bene id toleravit, noctu dormivit. *Die* 8. *Auguſti* quoniam aliquid ſcorbutici concurrere creditur, *cum Domino Medico* loci diligenter hoc mane gingivas contemplatus ſum: nihil tumidi, nihil lividi, nihil exeſi aut laceri invenire potuimus, pallide rubebant, macilentiores & tenuiores paulo videbantur, abſcedunt à radicibus dentium imprimis inciſorum ob tartarum ad radices eorum fere accretum, *ut in fœminis Lucernatibus*.

Ante 5. annos *Anno ſcil.* 1685. ſuaſi ipſi *pulverem meum ſpecificum* mane in lecto ſumendum. *Pulv. ſtomachicum* diebus abſtinentiæ:

Pulv. hepat. Rolf. ſi os amareſcat : contra tinnitum aurium *bombacem balſamo apoplectico* imbutum : contra melancholiam *Pilam regiam, pulv. Marchionis.*

Excellentiſſimus D. D. Camerarius 1690. *die* 31. *Martii conſultus* cauſam tot ſymptomatum adſcripſit ſanguinis aliorumque humorum naturalium particulis acribus fermentantibus, unde ſpiritus vitales & animales minus vegeti reddantur parteſque debiles caput, gingivæ aliæque partes debilitatæ facile invadantur & lædantur, ſuaſit tunc

1. ℞. *C. C. ph. ppr. Ungul. alc. ph. Corn. rhinoc. ppr.*
Matr. perlar. ppr. āā. ʒiß. *Lumbric.* 🜃 *ppr.*
Sem. naſturt. aquileg. āā. ℈ij.
Cinnab. nativ. ſel. ʒj. *Tab. man. Chr. perlat.* ℥j.
Mſc. Doſ. M. hor. 7. *& V. hor.* 4. ʒj. *cum aqu. borrag.*

2. Pilulas ℞. *Extract. bezoard. fl. papav. errat.* āā. *gr. xii.*
F. Pil. num. 24. *de* ☉ *doſis num.* 8. *horâ ſomni.*

3. Mane hor. 8. bibat *Juſculum alteratum ſummit. lupul. h. nummul. acetoſ. pimpinell.*

4. *Clyſteres* domeſticos *emollientes* ſubinde applicare permittat.

5. Alterum *Fonticulum* excitandum ſuaſit.

Excell. D. D. Köfferlin Conſtantiæ d. 5. *Aprilis* 1690. *conſultus*, ſymptomatum cauſam adſcribit acrimoniæ & acido ſanguinis ſcil. cephalalgiæ, anxietatis, melancholiæ, corruptionis carnis gingivarum (quæ tamen nulla videtur) accedere putat ob antipraxiam viſcerum j. & ij. coctionis, ſcil. ventriculi tonum & fermentum enervatum. Viſcera ij. coctionis propter inæqualem & fortem fermentationem incenſa eſſe: addit malam uteri diſpoſitionem ob menſes pridem ſuppreſſos: medicamentis *D. D. Camerarii magis antiſcorbutica* addenda putat.

1. ℞. *Diaphor.* ♃ *al. Fulig. ſplendid.*
Lumbric. 🜃 *ppr.* āā. ʒiß.
Rad. Irid. Flor. aron. ppr. āā. ℈ij.
Mſc. F. pulv. Doſ. ʒß. *c. cochl. hujus aquæ.*

2. ℞. *Aq. naſturt. aq. cochlear.* āā. ℥iiß.
Spir. fuligin. vel ſpir. ✱*c. aromat.* ʒij.
Tab. man. Chr. perlat. q. ſ. Mſc.

3. Poſt horam à ſumto pulvere mane & veſperi bibat hoc juſculum.
℞. *Radic. Scorzon.* ℥ij. *ſummit. lupul. aſparag. rec.*
Herb. rec. acetoſ. ſpinach. āā. *Mij.*

Inciſ.

Inciſ. coq. in brodio Caponis ℔ij.
Hujus brodii fervidi ℥v. *affund.*

℞. *Herb. rec. naſturt. hortenſ.*
cochlear. trifol. fibrin. āā. Pj.
Expreſſ. bibatur calide.

4. ℞. *corallor.* *Item* ℞. *ſuccin. radicat. ex reſina ſuccini aqua pluvia extract.*

5. Gelatinam

℞. *C. C. crud. Ungul. alc.* āā. ℥j.
Oſ. de cord. cerv. ʒij. *infuſ. in aqu. fervid.* ℔ij *per noctem. Poſtea coque ad conſumtionem dimid. part. Colaturæ adde conſerv.*
Naſturt. hort. ℥ij. *conf. alk. inc.* ʒiij.
Syr. flor. tunic. ℥iß. *Mſc. F. Gelatina.*

Filius meus ad felicem potum thermar. Fabariens. die 23. *Jun.* 1690. *commendavit Tabul. aromat. offic.* M*pil. aloë cum rhabarb.* ſi conſtipata ſit: *pulverem meum aperitivum ex crem.* ♀. ♀. ⊖*lat. ocul.* ♋. ⊖ *Juniper. &c.* ſi urina cunctetur: *Ther. cœl.* ſi diarrhæam patiatur. Ob intervenientia gravia negotia harum potum omiſit.

Excellentiſſimus D. D. Camerarius ſuaſit hanc Trag.

℞. *Pulv. cephalic. Camerar.* ℥iß.
Morſul. citr. Trag. Gabelkof. āā. ʒij.
Gall. moſch. ℈ß. *Fol.* ☉. *no.* viij. *Mſc.*

De hac hactenus poſt paſtum ad 8. Aug. cum fructu ſumſit.

Reſolutio.

P*Erilluſtris Domina* jam ab aliquot annis multum ſeri in maſſa ſanguinea cumulavit ob largiſſimas uteri hæmorrhagias pridem perpeſſas, & citam amiſſionem menſium ſcil. circa annum ætatis 42. unde pallidior evaſit & veſperi pedes intumuerunt, pridem magis, quam nunc, citò delaſſatur, in acclivium aſcenſu difficulter reſpirat, ſalivâ abundat, poſt ſternutationem mera aqua ex naribus ſtillat: à perfrigeratione & inſenſibili tranſpiratione cohibitâ læditur, odontalgiam & vacillationem dentium, dolores artuum &c. patitur. Serum ſeu lympham valde acrem & ſalſam probant Hemicraniæ ſævitia, ob quam decumbere cogebatur, odontalgia, punctiones ſecundum tempora in occipite, in brachiis ad carpos & extremos digitos, in femoribus ad genua maxime

xime in dextro latere; ardor plantarum pedis, palpitatio cordis, licet pulſus æqualis ſit, ſubinde eveniens; dyſuria quamvis urina pallida appareat: Eſſere nuperum &c. Præter lympham ſeu ſerum âd tot ſymptomatum productionem concurrere videtur bilis in veſiculâ bilariâ & in ductibus hepaticis collecta eaque acrior, nam poſt vomitum bilis & ſubſequentem diarrhœam birioſam non ſolum Hemicrania, ſed & anxietates, imminentes leipothymiæ aliaque ſymptomata ceſſarunt, imo ſi ſubinde ſua ſponte alvus fluidior, melius habet, quam ſi conſtipata ſit; unde etiam cum juvamine ſemel in ſeptimanâ *clyſterem* admittit: quia ſolito iracundior eſt, bilem redundare innuitur.

Acrimonia humorum facilius ſuam vim exerit, quatenus partes quædam debiliores & laxiores humores facilius admittunt & detinent, aut quatenus denudatiores minusque contra acrimoniam humorum munitæ ſunt: quod credendum eſt de meningibus ob frequentes cephalalgias, de nervulis dentium radicibus implantatis, ob dentium cariem, unde non ſolum dolent, ſed quoque vacillant tempore pluvio, circa radices multo tartaro incruſtantur; de nervis ad artus diſtributis unde metus arthritidis, dolores ſubitanei per artus, ardor plantarum pedum &c. De ventriculi membranâ nerveâ denudatiore, unde anxietates: nec cor immune videtur, quia facile palpitatione corripitur, nec plexus nervei pulmonum, quia à motu difficilius reſpirat. Ob laxitatem quandam humori ad aurium interiora aditus patere videtur, unde tinnitus adeſt. De antipraxia viſcerum & de pugna acidi & alkali in ventriculo valde dubito, tum quia illa *apud Anatomicos* exolevit, tum quia à paſtu non gravatur, acida nec evomuit, nec eructat, ut alia taceam. Si flatus moleſti ſunt, fit propterea, quia ob fibrarum nervearum conſtrictionem illorum propulſio impeditur.

Indicationes igitur erunt, ſerum imminuendum, ejus acrimoniam attemperandam, partium ſenſum exquiſitum inprimis in paroxyſmo demulcendum, debilitatem & laxitatem corrigendam, fibrarumque tonum roborandum eſſe. *Acidulæ* hactenus potæ & aliquandiu continuandæ acrimoniam ſeri & bilis attemperabunt & educent.

Hoc autumnali tempore & poſtea diu adhuc ad Ver uſque valde prodeſſet *Decoctum Caff*e mane ad ſcutellas 2. vel 3. potum, aut *infuſum herbæ Theæ:* non poſt meridiem. Si humores valde efferi eſſent, anxietates, melancholia, dolores artuum aliæque moleſtiæ affligerent: loco *decocti Caffe aut infuſi herbæ Theæ* hâc *gelatinâ* uti poteſt.

℞. *Raſur. C. C. crud.* ℥iij. *Ebor.* ℥j.
Infund. in aq. fontan. fervent. ℔iij.
Digere in vaſe bene clauſo in loco tepido hor. 6. poſtea add.

Flor.

Flor. bellid. min. borrag. bugloſſ. āā. *Pij.*
Conſerv. roſar. r. ℥ij *Paſſul. maj. exacin.* ℥iß.
Ichthyocoll. ʒij. *inciſ. & contuſ. coq. ad medietat. conſumtionem; colet. & exprimat. fortiter. Colaturæ admiſc. confect. alkerm. compl.* ʒj. *Mſc.*
Servetur in vaſe terreo vitreato in loco frigido.

Hujus *gelatinæ* ſumat mane cochl. ij, ſeorſim, aut in juſculo carn. diſſolut. & veſperi hor. ♈. itidem.

Tempore hoc autumnali etiam hyeme ſubinde cubitum itura ſumat *pil. reg. aut pulv. marchion.* ℈j. *cum aqua flor. tiliæ* aut doloribus urgentibus loco *pulv.* capiat tres *har. pilular.* ſub ingreſſum lecti. ℞. *Ther. cœl. gr. vj. Extract. Camerar. gr. iij. F. Pilul. num. viij. de* ☉. Poſt paſtum inprimis diebus abſtinentiæ ʒj. *hujus trageæ cum fruſtulo panis vino emollito* ſumat.

℞. *Cinam. acut.* ʒj. *Mac. Galang. min.* āā. ʒß.
Cort. citr. ʒiß. *Flaved. cort.* ☉*iant:* ʒß.
C. C. ppr. ʒiß. *lapill.* ♋. *ppr.* ʒij.
Matr. perlar. ppr. ʒß. *ol. nuc. moſch. expr. gr. vj.*
Sacch. alb. ʒiiij. *Mſc. F. pulv. ſubtil.*

Si os valde amareſcat, ſumat horâ dimidiâ ante paſtum *pulv. hepat. rubr. Rolfink.* ʒß. cum pauxillo juſculo.

Gliſcentibus aut præſentibus doloribus artuum arthriticis ſimilibus per aliquot dies mane hora ♈. ſumat *doſin à* ʒß. *ad* ʒj. *pulveris mei ſpecifici antiarthritici cum aqua flor. til. aut betonicæ.* Hoc tempore inprimis convenirent *clyſteres domeſtici* conſueti. Aures noctu obturet *goſſypio imbuto balſamo apoplectico.* Mane fricet dentes *pulv. panis toſti,* cui aliquid *rad. irid. flor.* additum ſit. Nec inutilia erunt *pediluvia ex aquâ ferratâ,* in quâ *parum ſalviæ aut rorismar. coct. add.* ⊖ *comm. Mj.* Præſente cephalalgiâ aut hemicraniâ *lac cum ſacchar. mixt.* naribus trahat tepidè. *Circa finem Septembris* purgari poſſet *potione laxante* conſueta, & poſt triduum *ſecetur vena mediana* brachii ſin. emittantur ſanguin. ℥v. In victu vitet in butyro frixa, valde ſalita & fumo indurata: item acida & cruda &c. Bibat vinum rubrum aquâ dilutum, ſe multum obambulando inprimis poſt paſtum exerceat. Si ſudor mane exitum quærat, illum non impediat. *Hirudines* applicari poſſunt *Menſib. Novemb. & Februar.*

 OBSER-

OBSERVATIO LVIII.

Hemicrania cum affectu hypochondriaco.

REverend. *Dn. Jacob. Willi, S. J.* Staturâ oblongâ, facie roſea, mediocriter carnosâ, habitus itidem carnoſus eſt, pridem pinguior, nunc ab anno macilentior, annorum circiter 38. Jam à 20. ſeptimanis ægrotat Hemicraniâ: occupat illa tempus ſiniſtrum, indeque ſurſum verſus ſuturam coronalem, retrorſum verſus ſuturam Lamdoideam vergit; oculum & aurem illius lateris non attingit: ab aliquot ſeptimanis viam verſus dentes maxillæ ſuperioris affectavit, quamvis dentes ſint integri nullaque caries obſervetur. Hemicrania iſta non eſt continua, ſed ſæpe aliquot dierum intervalla habet, nec certo tempore invadit, plerumque mane ante octavam & veſperi ante quartam, nunc mane nunc veſperi, nunc ventriculo cibis vacuo, nunc cibo aſſumpto. Accerſitur autem nimio literarum ſtudio, negotiorum gravitate, potiſſimum tempeſtatis mutatione &c. Deſinit frequenter in dolorem humeri & ſcapulæ ſiniſtræ, quod brachium aliàs imbecillius eſt, & ſub muſculum pectoralem. Maxime vero accidit circa tempeſtatum inſigniorem mutationem, ut & circa autumni & hyemis finem. Aliquando etiam tempus dextrum dolor invaſit. Aliàs etiam catarrhis obnoxius eſt. Aliquando æſtuante capite faciem *aquâ roſaceà* conſperſit, unde inſignis perturbatio ſpirituum animalium in capite ſecuta eſt, & fere in leipothymiam incidiſſet, quod ſymptoma poſtea quater vel quinquies R. D. invaſit: hoc ante ſeptem annos evenit; inprimis ſiniſtrum latus afflixit, ut Paralyſin timuerit. Vertiginem ſed rarius expertus eſt, maxime poſt febrim Hungaricam ante 21. annos perpeſſam; nunc talem quæ magni momenti erat, & fere moleſta fuit, quando aram ſublimiorem conſcendit, quam vel accerſitam vel auctam putat clariore & altiore voce & populi multitudine in templis: rarius alibi invaſit nec ſæpius, evenit plerumque poſt ſtudia intenſiora. Sæpiſſime inſomnia terrifica patitur: noctu circa 12. quando Anadoſis fit, à ſomno excitatur cum anxietate circa præcordia & aliquo ardore, dum dormit præter voluntatem, & ignarus ſupinus decumbit, inter dormiendum in dorſum provoluto corpore, expergefactus poſtmodum in tergo dolores ſed non diuturnos patitur. *A potu Acidularum* inſomnia ſunt tranquilliora. Interdiu tempore Anadoſeos nihil adverſi ſentit. Aliquando æſtus inopini ab hypochondriis exorſi totum corpus pervadunt, ſed momentanei ſunt. Varices in pedibus maxime in ſiniſtro ſub flexurâ genu notabiles videntur. Spaſmus flatulentus tibias diu & ſæpe afflixit, quem ſuſtulit *Electuar. quoddam D. Emerici.* Jam à tribus annis, ex quo *Friburgum* pervenit & vinum rubrum bibit,

bit, alvi conſtipationi admodum obnoxius eſt; & tum utebatur *acidulis Menſe Julii* 1669. Poſt ſumptum *purgans* per d. 4. alvus occludebatur. Eructat frequenter etiam jejuno ſtomacho, ad vomitum irritatur à ructibus, remanente retento cibo. Leipothymiam incurrit tempore Quadrageſimæ in cæna, nullo cibo calido aſſumpto. *A potu acidularum* dolent præcordia ſed tolerabiliter. Urina nunc pellucida eſt, nunc turbatur, ſpuma durabilis in ſuperficie obſervatur. Sanguis nupera V. S. fæculentus & pene putridus deprehenſus fuit. A puero literis addictus erat; ob magnam rerum peritiam mature gravioribus negotiis admotus fuit: *Philoſophiam Dillingæ docuit pridem, nunc Theologiam Friburgi profitetur*, muneribus *Academicis* ſeverioribus perpetuo occupatur. Temperatiſſime vivit; legendo multum & ſcribendo ætatem conſumit, non tamen pleno ventre ad ſtudia accingitur, plerumque demum unâ atque alterâ horâ elapsâ. Horum ſymptomatum cauſâ non niſi *Juſc. alterat. ſer. lact. capr. & Elect. ſpecif. Emmerici* uſus eſt. *Tabaci pulverem* jam à decem annis naribus haurire conſuevit.

Reſolutio.

PLura ſymptomata concurrunt, quorum ſingulorum loca affecta & cauſæ proximæ enodanda ſunt. Hemicraniæ locus affectus non eſt Perioſteum, aut cutis capillata, nec temporalis muſculus, quia attactum perfert, nec inde exacerbatur. Eſt intra cranium; videtur portio duræ matris quam piæ potius, quia nullæ inſignes cerebri læſiones apparent. Vertigo autem non ſemper juncta eſt, quia in parte ſublimiore eſt, quam ut piæ matri adſcribi poſſit, cujus dolores ſunt profundiores: quia dolores ſunt tolerabiles magis quam piæ matris, quia deſinit in dolorem humeri & ſcapulæ, & jam viam ad dentes affectat, quod pia matre læſa ob anfractus non liceret. Cauſa proxima unitatem ſolvens doloremque efficiens non eſt ſanguis vaſa diſtendens, quia dolor non eſt pulſatilis, quia neceſſario talis eſſe deberet, nam omnia vaſa duræ meningis arteriæ ſunt. Non flatus meri, quia magis ſurſum tenderent, non humerum & ſcapulam peterent, dolores acerbiores forent, nec tanto tempore durarent, citius evaneſcerent. Potius ergo ſerum, cum nullus alius humor huc ferri poſſit. Modus afficiendi fit, dum ſerum vel intra cranium & duram matrem, vel inter ejus duplicaturam effunditur, gravedinem efficit, ſemperque ſui præſentiam aliquo moleſtiæ ſenſu ſignificat: quando ſanguis incaleſcit, quod à longiore abſtinentia, à tempeſtate pluvia per ἀντιπερίστασιν, aut à cibo & potu aliisque cauſis fieri ſolet, à quibus vel ejus motus acceleratur, vel difflatio inhibetur, vel calidiores particulæ accedunt, ſanguis calefactus, aut inquietior redditus ſerum fundit, unde dilatat membranam,

nam, & acrimoniâ pungit, & copioſius collectum ceu humor & corpus grave deorſum qua data porta ruit, hinc humerum petit, & jam dentes verſus tendit. Symptoma hoc non negligendum, quia dolor magis magisque humorem allicit, laxiorem membranam efficiet, & progreſſu temporis ægrius eradicabitur, non ſine periculo graviorum ſymptomatum, quæ dolores capitis pariunt; quamvis apoplexia & paralyſis non facile extimeſcenda ſint. Serum à calore fuſum hæc facere conſtat, quia *acidulæ* hoc menſe uſurpatæ dolorem mitigarunt. Vertigo non videtur tanti eſſe, ut admodum ſollicitum reddere debeat R. D. quia nec in gyrum omnia vergunt, nec titubat; ſolum caſum veretur, quoties locum ſublimiorem conſcendit, plus metûs quam periculi ſubeſſe videtur. Accidit potiſſimum, quia plurimum ſpirituum animalium meditando & literis nimium indulgendo conſumitur, & ab alienis ab Hypochondriis ad cerebrum miſſis Spiritus turbantur; quod etiam *ab extrinſecis* fieri poteſt, ut *ab aquâ roſac.* factum, quâ æſtuante capite facies conſperſa fuit, & aliquando à ciborum calidorum in cæna abſtinentiâ propemodum leipothymia accerſebatur. Malum non negligendum tamen, ſed de cerebri ſubſtantiâ medullosâ ſemper cogitandum.

Ructus frequentes, inſomnia turbulenta & terrificantia, expergefactio tempore anadoſeos ac Anxietas circa præcordia, ut & æſtus ſubitanei brevique evaneſcentes ab eadem causâ dependent. Ubi ante omnia præ oculis habenda fermentatio ventriculi, quæ ad chyloſin omnino neceſſaria, cum nudus calor aſſumpta nullo modo ita atterere, & in liquorem impalpabilem redigere valeret. Fermentatio hæc decubuo corpore viſceribus ventriculo exactius incumbentibus tempore ſomni, quin etiam tecto corpore culcitris fortior eſt quam interdiu, unde quoque chylus, maxime qui tardius per pylorum emittitur, illum & reliquum ventriculi corpus fortius ferit, ambo exquiſitiſſimo ſenſu prædita ſenſum communem & tandem ſomnum interrumpunt; quod antequam fiat, maxime ſi profundior ſit, ab hoc ſenſu moleſtiæ varia phantaſmata cerebro offeruntur, quæ ſæpe, donec ſomnus rumpatur, miſere excruciant. Vehementius autem hoc fit, ſi fermentum ſtomachi ob ætatem & temperamentum acrius & ſubtilius exiſtat, ut revera apud R. D. V. exiſtere pluribus probari poſſet, ſi operæ pretium foret. Deinde bilis & ſuccus pancreaticus acriores videntur, quod tum ex his effectibus, tum ex temperamento & ætate ac incipiente macilentiâ conſtat, qui humores chylum tranſeuntem prope pylorum exagitant, unde anxietas in præcordiis tempore Anadoſeos & calores ſubitanei aliis vicibus: chylus ab his humoribus inquinatus ad cerebrum cum ſanguine delatut, etiam ſpiritus animales turbat, unde inſomnia inquieta & tandem ejus diſſolutio. Tertio, quia excrementa in colo, quod ventriculo

triculo transverſim ſubſternitur, diutius quam decet detinentur, indurantur atque incaleſcunt admodum, quæ ceu prunæ ventriculo ſubſtratæ non parum fermentum ventriculi, bilem in veſicula & pancreas incendunt, efficiuntque ut omnia ferociant amplius, maxime chyloſeos & anadoſeos tempore. Tres hæ cauſæ quoque concurrere poſſunt ad ructuum copiam & frequentiam parandam. An vero lien ad Tragœdiam hanc excitandam ſymbolum conferat, vix credere poſſum, cum ad lienem nihil niſi ſanguis arterioſus afferatur, qui certe non majores tumultus excitabit in his locis, quam ſanguis arterioſus ad pulmones, renes, muſculos in univerſo habitu &c. delatus. Nihil quoque lien ventriculo vel cerebro tribuit. Hæc ſymptomata eorumque cauſæ prima rudimenta ſunt affectionis hypochondriacæ, quæ blande citra vim expugnandæ, ſecus ſi fieret, *ſatius foret, Medicum & Medicinam fugere*, cum progreſſu temporis ab ætate & congruâ diætâ omnia evaneſcant, quæ *à purgantibus* imprimis irritata moleſtiſſima evaſura eſſent. Conſtipatio accidit, quia venæ lacteæ patulæ ſunt, unde citior tranſitus chyli ſed non crudi, qui non niſi coctus educitur, crudus purgaret, ad vaſa ſanguifera, quia quoque partes chylum allicientes validæ admodum, unde fæces ſiccæ in colo reſtitant, quæ à viſceribus calidioribus incumbentibus indurantur amplius: forſan pigrities quædam coli quoque tardioris dejectionis cauſa eſt, quæ Literatis familiaris eſt, qui tum ſeverioribus cogitationibus intenti fœcum ſtimulum non obſervant, unde colon tandem hujus oneris aſſuetum quaſi torpidius tandem evadit. Huic omnino occurrendum, cum à fæcibus diu reſtitantibus pravi & olidi humores emulgeantur, nam ad colon quoque vaſa lactea deſinunt. Catarrhorum copia & ſeri prope duram matrem cumulatio ab eadem cauſa originem ducit; nimirum quia Literati plurimum ſpirituum animalium conſumunt, plurimum quoque ſanguinis ad cerebrum ejuſque membranas defertur, laudabilior & ſubtilior portio in ſpiritus tranſit, aquoſior vero ſtagnat, quæ catarrhis materiam ſuppeditat; accedit his vita deſes & exercitiorum expers. Varices proveniunt alicubi circa venam magnam reditu ſanguinis inhibito, propter impedimentum aliquod: ſæpe in varicibus reperiuntur corpora fibroſa valvulis infixa ſanguinis regreſſum tardantia. Varicum cauſa ſunt ſpaſmi flatulenti, dum ſerum ex venis his exſtillans muſculorum capita vellicat, aut dum ab illorum mole nervuli muſculos ingredientes premuntur.

In hoc concurſu ſymptomatum & cauſarum plures ſcopi in medendo obſervandi occurrunt, qui ad hunc numerum reduci poſſunt. Acrimonia fermenti ſtomachi, bilis & humoris pancreatici ad legitimam temperiem ducendi: Serum in capite ſtagnans revellendum & evacuandum: coli pigrities ſtimulanda: varicum incrementum cavendum ex-

primendo & diſſipando cauſam proximam: quæ fient *remediis ex Chirurgiâ, Pharmaciâ & Diætâ petitis.* Auxilia *methodo executiva* recenſebo.

Quamprimum domum redierit, utatur aliquot mane *Acidulis ad* ℥*xii.* ne denuo incaleſcat, & auxilium quod præſtiterunt evileſcat: ſi alvus ignavior, ſollicitetur *ſuppoſitor. aut clyſter.* Conſuetum uſum *pulv. tabac.* nequaquam intermittat. Canicularibus elapſis utatur *decocto Tamarind.* per dies 6. hinc *V. S. in manu ſiniſtrâ.* Diætam obſervet accuratam, & imprimis caveat corruptelam nidoroſam. Hinc ordine ſingulis ſymptomatibus occurrat, prout hoc vel illud urſerit. Si hemicrania admodum affligat, curationis causâ utatur *Veſicator.* in carpo, in medio cubito, in humero & poſt aures. Alternis noctibus ſuſumat *Pill. de ſuccin. Crat.* tempora inungat *ung. alabaſtr. cum ol. nuc. moſch. &c. Mane & Veſperi* ſumat *Pulv. cephalic. ex N. M. cum ſucc. citr. ppr. C. C. phil. ppr. Matr. perlar. ppr. cum aq. beton. Syr. de rub. Id.* Præſervationi inſerviunt Vere & Autumno *Decoct. Tamar. V. S. ſcarificatio* alternis menſibus, nam ſingulis menſibus vertiginem accerſunt: *Fonticuli.* Semel in menſe tuto ſumere poteſt *Pillul. de ſuccin. Crat.* poſt cænam. Eadem ad catarrhos exſiccandos faciunt, ut & ad præcavendum humeri dolorem. Sed inſuper neceſſum, ut cerebrum roboretur, ad vertiginem tollendam & enormes fluxus cohibendos; hâc de causâ mane comedat *R. D. V. de hac Mixtura.*

℞. *Conſerv. roſar. r. majoran.*
anth. fl. tunic. āā. ℥iß.
Pulp. pomor Citr. No. ij.
Conf. fl. euphraſ. ℥j.
⊖ *fœnicul.* ʒij. *Ol. d. fœnicul. gtt. iij.*
Mſc. diligenter. Doſis Juglandis magnitud. mane & totidem horâ ſomni.

Non neceſſum, ut detur aliquid poſt paſtum, nec enim vapores per œſophagum aſcendunt, nec patitur ſe medicamentis coarctari, ut falſo hactenus credebatur. Scapulæ, humeri & pectoris dolor, ſi urgeat, primum tentanda eſt ejus diſſipatio tepore lecti; ſi non ſuccedat, ſumatur *leve ſudoriferum ex aqua fumar. bardan. rob. ſambuc.* non calidius, hinc deterſo ſudore leniter fricetur *panno, vel linteo calido, imbuto fumo maſtich. ſuccin. lavend. &c.* Si humeri dolor pertinacior fuerit, ut non raro ſolet, *ſucc. lumbr. comp. Fabr. Hild.* adhibendus, quo humerus calide *mane & veſperi* perluendus eſt. *Ung. & Empl. R. D. V.* vitet.

Sympto-

Symptomata, quæ ab acrimonia fermenti ſtomachi, ſucci pancreatici & bilis dependent, ante omnia tolluntur accuratâ diætâ; multum emendarunt quoque *acidulæ*. Sin vero ructus admodum moleſti redeant, inſomnia turbulenta, expergefactio tempore anadoſeos recurrant, iis ſuccurrendum *Juſc. alter. borrag. bugloſſ. endiv. fragar. meliſſ. per d. 6. cum ſyr. aperit. Minder. Elix. & l. Mynſicht. pulv. March. cum ſmaragd. pp. tempore ſomni in aq. fl. til.* tertio quoque die ſumat *Elect. lenit. cum pulp. tamarind.* Alvi conſtipationi ut occurrendum ſit, jam dictum. Varicum incrementa caventur impoſitis *laminis plumbeis & ligaturâ compreſſivâ faſciis latis & longis* ad genu: eâdem operâ tollitur ſpaſmus flatulentus.

Relatio de Statu præſenti Valetudinis.

Anno 1671. *die* 2. *Octobr.*

I.

INfelices fere ſemper fuerunt ordinariæ emiſſiones ſanguinis, præſertim tempore verno etſi juxta præſcriptum *V. Excell.* non niſi 4. aut 5. unciæ extraherentur. *Præterito Majo poſt V. S.* rediit aſper capitis dolor, pro quo avertendo *ex Medici ſuaſu* inſuper adhibui *Scarificationem*, ſed parum profuit, ſiquidem ingens dolor invaſit orificium ſtomachi circa cavum cordis, qui etiamnum durat, & in nuperis *acidulis* ſemper me ferè vexavit, nunquam tamen magis, quam in æſtate, quo tempore fuit adeo vehemens, ut ſemper ad vomitum cum nauſea ciborum, & imperfectis quibuſdam leipothymiæ motibus alliceret, ex eadem parte oriuntur ructus. Adhibuit *D. D. Köfferlin vomitorium*, ſed præter phlegmata nihil eduxit, ac ideo parum profuit; plus juvit *Elix. propr. Paracelſ.* In proximis *acidulis* cum minus pareret alvus, acceperam *pulverem ad educendas aquas deſtinatum*; ille non ſolum per viam ordinariam ſucceſſum habuit, ſed etiam per vomitum purgavit, & materiam viridem ac ſubnigram ejecit, non tamen quantum optabam: facile enim ſenſi, adhuc plura ejuſmodi in ſtomacho deliteſcere. Ex ejusdem ſtomachi & prædicti orificii affectu oriuntur crebræ oſcitationes, præcipue veſperi, dum cubitum eo, licet moderatiſſime ſoleam cænare. Inſuper ſemper adhuc experior, ſtomachum craſſos & pituitoſos humores coquere & coagulare; ſiquidem quotiescunque ſumo *aliquid vel leniter purgans*, craſſus humor egeritur & pinguis, item in ordinariis excretionibus ſemper ferè grave & pingue phlegma emitto. Et licet ſtudioſe foveam ſtomachum, appensâ *pelle ex Sylveſtri fele*, nihilominus tamen ſæpe & graviter circa pectoris ſinum dolet. *Rhabarb.*

barb. ſemel uſurpatum aliquantum profuit; ſed non utar, niſi *V. Excell.* uſurpandum ſuadeat.

II.

Alter defectus in ſtomacho adhuc quoque durat, ut excoquat humores valde ſalſos, cujus experimentum habeo, quando guſtavi materiem profluentem *ex fonticulis;* niſi forte illa ſalſedo ab aliis viſceribus proveniat in ſecunda digeſtione, unde dum facienda chyli diſtributio, in ſummo expergiſcor, & novos ſentio dolores in capite.

III.

Somnus adhuc inquietus, & tetris quandoque inſomniis turbatus: primum hac nocte videbar mihi pedibus premere organum, cujus ſonos elegantes me audire credebam, ſed brevi poſt experrectus, nil habui niſi male affectum caput; nihilominus tamen copioſum ſomnum atque ſufficientem uſurpo, uſque dum peracta eſt concoctio ſtomachi, quæ modò mihi videtur tardior, quàm aliàs, unde à 9. fere uſque ad 3. dormire poſſum, licet ſæpe durus ſit ſomnus, qui abrumpitur cum dolore capitis, ſi vel muſicam in platea ſonantem audiam, vel ſi quidquam ſe moveat, ſtatim expergiſcor, & ſentio gravedinem in capite moleſtam.

IV.

Sentio quandoque, & in *acidulis* conſtanter ſenſi dolorem & gravedinem in dorſo circa renes, ac tandem ex arenulis rubris nephriticum aliquid deprehendi, ſed nunc dum in corio dormio, minus illud malum me infeſtat.

V.

Acidulis nuper Rippliſavienſibus uſus, magnum commodum expertus non fui, quia forte nimis cito abrupi illam curam, ſiquidem non niſi 16. diebus ex fonte bibi; bibiturus diutius, ſi *D. Köfferlin* præſcripſiſſet: quando enim redii, ſtatim altera die rurſus dolere cæpi circa orificium ſtomachi ad præcordia. Deinde *ex ſuaſu Medicorum* tempore ſatis importuno, ſtatim altera *poſt medicinam* die, *ſanguinem miſi*, ſed poſtea eadem die vehemens dolor capitis ſecutus eſt, & quidem ita gravis & intenſus, ut talem nunquam ſenſerim: noctu namque priusquam cubitum irem, tetigeram manu partem male affectam capitis ex parte ſiniſtra, ſed adeo intenſus dolor ſecutus eſt, ut crederem cerebrum inſertâ manu premi, atque hunc affectum etiam comitatus eſt dolor cordis, duravit ad mediam fere noctem, poſtea iterum dormire cæpi: ſed brevi deinde rediit hemicrania, verum nonniſi ſemel cum magna iterum intenſione, jam verò per integrum prope menſem durat, & ita quoque dolet, ut, ſi ſonus, unde accidat ex lapſu rei cujusque eam ſentiam in parte capitis ſiniſtra, tenet eandem viam

am ſuam ordinariam, quandoque in parte ſiniſtra medium occupat, &, propterea parit moderatum dolorem in dentibus, quandoque verſus oculum procedit, ſubinde in occiput tendit, ibique tam diu ſubſiſtit, donec tandem conſumatur, aut humor redundet in partes adjectas, videlicet humeros & ſcapulas. Hinc vetera durant ſymptomata circa nervos, aut muſculos pectorales, & axillares nec non ſcapulares, qui omnes debent habere inter ſe connexionem, quantum experior; unde ſi vel modice brachiis laborem, ſtatim vehementer fatigor, & videor grave pondus in humeris portare ex parte ſiniſtra ad debilitatem brachii; ſed maxime hemicrania infeſtat tempora, & connexas partes à latere ſiniſtro. Jam manu poſſum attingere partes aut nervos in collo deſcendentes ex parte ſiniſtra, & per attactum excitare dolorem, item digito deſignare potui locum in dorſo ad finem ſcapularum, quem ſi aliquantum preſſi, dolorem ſenſi. Utile fortaſſis foret, ſi foris quid adhiberem, quod juvaret ad roborandos nervos & muſculos, qui ex conſenſu cum capite vel ex defluxionibus patiuntur. Suaſit quidem *D. Köfferlin* applicationem *veſicator.* ſed quia ipſemet intereſſe non potuit, nec etiam modum oſtendit, & inſuper edixit, plus non profuturum, quam ut brevi tempore quietem haberem, hactenus uſus non ſum.

VI.

Vertigo non niſi bis vel ter, & quidem momentanea, me infeſtavit. De cætero cerebrum adhuc eſt forte, cætera corporis conſtitutio vegeta & florida, modo deſineret dolor capitis, & quotidianum pondus ab humeris ex parte ſiniſtra tolleretur, ac denuo ſtomachus componeretur. Non habeo ciborum nauſeam, & adhuc natura ſuum ſibi ſomnum procurat. Creditur in ſecunda concoctione & diſtributione chyli defectus, quam materiam ſalſam non ſeparet ad retrimenta, ſed radicem mali *V. Excell.* luculentiſſime deſcripſit *in ſuo eruditiſſimo conſilio*, quod miris modis *noſtri Medici* laudarunt, unde exſpecto conſilium & methodicam directionem, quam accuratiſſime obſervabo: niſi enim *V. Excellentiæ ope* reſtituar, aut mitigetur malum, ſtudiis erit dicendum vale, quod mihi acerbum erit, cum tota vita nil fuerit niſi ſtudium, unde vehementer ad illud afficior. Eſt quidem dolor non conſtans & perpetuus, ſed ſæpe deſinit ad aliquot horas, non autem dies, ſicuti ſolebat, nec ſemper habet eandem intenſionem; nihilominus tamen tantus modo eſt, ut à literariis meditationibus impediar, & quidem præter morem diuturnius. Rogo proinde *Excell. V.* ut dignetur præſcribere methodice, quid adhibere debeam, dum mei affectus interea temporis creverunt; ſed ſimul veniam indulgeat, quod ita inculto ſtylo calamoque ſcribam, & quidem ſine ordine, quia harum bajulus præter ſuam conſuetudinem feſtinat. Ideo adhuc addo 1. circa conſtipationes me *poſt acidulas* non adeo magnam ſentire difficultatem, præſertim

tim dum obſervo accuratè, quæ *V. Excell.* præſcripſit. 2. Quando acceſſi *acidulas*, accepi *Bol. purgantem ex præſcriptione D. D. Köfferlin*, qui me non tantum una die, ſed 4. diebus vehementer exercuit, ita quidem, ut cum veniſſem *ad acidulas*, torminibus cruciarer; ſed poſtquam adhibui *nuc. moſchat. cum lacte amygdal.* ceſsère. In hac multiplici & præter intentum acri purgatione etiam expulſa fuit materia viſcoſa & alba inſtar ceræ, unde poſtea ſatis bonum effectum promiſerunt *acidulæ*. 3. Etiam præteritâ æſtate colica infeſta fuit circa umbilicum, ſed non diu, nec facile redibit, cum non amplius rubrum vinum denſius ſim bibiturus.

Denique pauculas quæſtiones adnecto. 1. *Suaſu Medicorum noſtrorum* pro tollenda mali radice paratum mihi eſt *Electuar. ex chalybe* an utile? 2. Quidſi deinceps non amplius utar V. S. ſed copiam ſanguinis minuam *per applicationem Hirudinum* ad hæmorrhoides quod quidem ſemel feci in autumno, & profuit. 3. An conveniens duorum aut trium dierum jejunium pro orificio ſtomachi curando, quod *quidam Medicinæ peritus* ſuaſit. 4. an utile *in pileolo ferre ſalutares & odoriferas herbas?* 5. Cum *Fonticuli* ambo ſatis multam materiam educant, an non ſalubre, ſi in humeris loco commodiore novus aperiatur *Fonticulus*, & qui in brachio ſiniſtro eſt, occludatur; videtur enim minus conſentire cum partibus affectis. 6. An adhibenda *Chymica?* quibus multum tribuit *D. Köfferlin.* 7. An *hirudines* retro aures aut ad occiput applicandæ. 8. Cum ſentio noctu aliquam moderationem, ſi vel unam aut alteram *pilulam* vulgarem accipiam, an praxis bona, licet hucuſque non niſi rariſſime fecerim, quia *V. Excell.* prohibuit *purgantia*, & aliàs, quantum poſſum, *à pharmacis* abſtineo. Atque hiſce properante rudi ac ſimplici penna exaratis, me denuo impenſiſſime commendo.

Jacob Willi, Soc. Jeſ.

Reſponſum Medicum.

DUo ſunt potiſſimum affectus, qui conſideratu digni ſunt, Cardialgia & Hemicrania. Cardialgiam quod attinet, indigitat affectum eſſe pylorum aut partes eidem vicinas. Cauſa proxima non eſt ſanguis, quia *à V. S. & ſcarificatione* lædebatur: non nudum phlegma, quamvis tale *à purgantibus* ſubducatur, & ordinario cum fæcibus ſecedat; ſed humor acris, bilioſus, quia æſtate admodum afflixit, cum nauſea & periculo lipothymiæ, & *ab Electuar. purgante* ſurſum deorſumque viridia & nigra egeſſit: item *Elix. propr. Par. & acidulæ* juvarunt, maxime

xime ſi diutius continuatæ fuiſſent; quia veſperi oſcitat, & crebros ructus aliàs edit; quia *à fomento pellis felis ſylv.* non juvatur; quia jam imminebat colica; quia *à Vomitoriis* lædebatur; quia *Rhabarb.* juvabat. Pylorum quoque debilem notat *vomitoriorum* læſio. Gignitur hæc bilis cum ſucco pancreatico acidiore ex ſanguine calidiore, cumulatur à vita ſedentaria, & ad alias ſedes pellitur, dum inflexo corpore forte nimius eſt in ſcribendo & legendo.

Hemicrania manifeſto videtur à ſero ſalſo oriri, quod nimium irrigat duram meningem in tempore ſiniſtro; nullus enim alius humorum citra alia ſymptomata tam pertinacem dolorem efficere poſſet; frequenter illud aliàs circa partes membraneas ac nervoſas ſtagnat, talesque dolores parit, inſuper ſe alibi etiam poteſt diffundere ad oculos, dentes, occiput, tandem ad humerum cum ſenſu ponderis, ſcapulam, pectus, quod ab alio humore præſtari nequit. Poſt ſomnum magis affligit, quia tempore ſomni magis cumulatur & ſtagnat. Cuniculum feciſſe videtur, aut ut ita loquar, lacum aut paludem aliquam, quia continue durat, quia remoratur motum arteriarum carotidum aliquo modo, unde pulſant, Ad cumulationem multum fecerunt ſtudia, & meditationes nimiæ intenſæ. Quia ſe tam late diffundit, & à lapſu rei alicujus dolor aggravatur, ſerum attigiſſe quoque ſuperficiem piæ meningis; his in locis ſæpe ſerum inſtar gelatinæ concretum reperii. Cerebrum tamen ſalvum adhuc eſt, quia rariſſima afflixit vertigo, quia omnes ejus actiones integræ, ſomnus licet inſomniis turbetur, & facilè rumpatur, id tamen ab aliâ causâ fieri poteſt, ſcilicet hemicrania & in ſomno affligente, unde ſtatim ac expergeſit, adeſt, aut à Cardialgia, aut à permiſtione humorum bilioſorum cum ſanguine, unde etiam à levi ansâ interrumpitur. Serum hoc valde ſalſum eſſe probat doloris acerbitas, & guſtus ichoris *ex Fonticulo* emanantis: ſemper quidem apud omnes etiam ſanos ſalſum eſt, apud R. D. V. vero ſalſius, ob intemperiem calidam totius, & occultas obſtructiones in partibus glanduloſis. Nephritis, quia à decubitu in corium remiſit, non magni facienda.

Indicationes ſunt, bilem & acres humores circa pylorum in duodeno blande evacuandi; ſerum quandoque fortius evacuandum; à loco affecto revellendum, derivandum: mitigandum & ſua acrimonia exuendum. Stomachus, caput & humerus roboranda, & humores inhærentes diſcutiendi abſorbendique ſunt.

Itaque ſemel in ſeptimana ſumat 1. *Rhabarb.* ʒj. *in fruſtula conciſ. cum pauxillo vini hora ante prandium.* 2. Semel in menſe triduo ante novilunium *ſumat.* ℈j. ℳ︎P. *cephalic. poſt cœnam.* 3. *Veſicatoria* audacter apponat carpis, pergendo retrorſum ad cubitum & poſt olecranum; non retro aures, ubi ne *hirudines* applicet, quia pars

jam

jam nimis debilitata eſt. 4. *Hirudines* verò tutius hæmorrhoid. applicabuntur Vere & Autumno. 5. *Fonticulus* nullo modo humero applicandus nec cervici; præſtaret alium in dextro brachio aut pedis parte interna excitari. 6. Caput roboretur manè ſumendo *pil. reg. gr. x. vel xij. cum aq. beton. aut. juſc. alterat. ſcorzon. fl. beton.* noctu *Conſerv. roſ. r. fl. beton. major. theriac. add. pulp. citr. aut pulv. marchion.* ℈ß. *cum aq. fl. til. Pilulas ſomniferas* non probo. Tempora inungat *ung. alabaſtr. popul. rec. op. ol. nuc. moſch. expr. Cucupham* geſtet non ex valde odoratis, quæ plus attrahunt, ſed *ex verben. roſ. r. C. C. uſt. Maſtich. ſuccin.* 7. Ventriculus roboretur intus *Elix. propr. Par. ante paſtum*; foris *inunctione balſ. ſtomach. ex ung. pomat. ol. nuc. moſch. expr. ol. d. chamom. menth. Felis pellem* geſtare pergat. *Vomitoria & Elect. chalyb.* cacoſtomacha non probo; niſi forte gravius affligat Cardialgia, caute ♂ talia uſurpanda. *Chymicorum nomine* plurima veniunt, ♀ & ☿rialia plurimis funeſta, caute uſurpanda; ſi medicamenta & parandi modum ignorem non facile ſuaſerim. 8. Humero applicari poterit *Empl. diapalm. Hildan.*

Diætam accurate obſervet: jejunium tot dierum penitus improbo, unde bilis & ſerum aliique humores efferati magis redduntur. Alias vinum rubrum minus ſulphureum ego albo præfero, quia non ita exagitat ſerum, neque ita nervis inimicum eſt, dilui poſſet *aqua, in cujus Menſ. j. rad. chin.* ℥j. *coq. aut Maſtich.* ℥j. Vitet ſtudia pleno ventre: ſcribat erecto corpore. Caput & pedes contra frigus muniat.

OBSERVATIO LIX.

Hemicrania cum Symptomatibus Venereis.

SEreniſſimus quidam Pr. Menſ. Jul. 1690. ſæviſſimam paſſus eſt hemicraniam in latere ſiniſtro, inprimis in fronte, orbitâ oculi & medio tempore: frons inde intumuit, manſit tamen concolor, ſuaſi *pulv. diaphor. & Errhin. ex lact. &c.* ex quorum uſu & naribus hauſto *lacte* calide *cum ſaccharo & pauxillo aquæ majoranæ* dolor multum remiſit & detumuit. *Die* 23. *Julii* 1690. *Ipſum conveni* in der Neu-Stadt *Sylvæ Martianæ*: Eſt ſtaturæ juſtæ, gracilis, pallidus. Multos exceſſus commiſit in potu: nec immunis à Syphillide, nam aliquoties paſſus eſt γονόρρoιαν, à quâ nec hâc vice mundus eſt. *Budæ* trajecti fuerunt *à Turcis* globi ſaturnini ſupra internum malleolum pedis dextri. *A Chirurgo Burgundo Marchand nominato* ſcrutando temere

cum

cum ſtylo largiſſima Hæmorrhagia producta fuit; *à Setaceo* per vulnus traducto ad Ambuſtum extrahendum ingens dolor & inflammatio excitata fuit, unde gangræna in procinctu erat: *fotibus* illa cavebatur & dextrè dolor & inflammatio ſedata fuit, plurima oſſium fruſtula & fruſtulum plumbi ſeceſſerunt, ac *Viennæ* poſt plures ſeptimanas 1686. tandem conſolidabatur. *Anno* 1689. *Norimbergæ* imus pes rurſus intumuit: poſt emollitionem per *Cataplaſmata* tumor aperiebatur *corroſivo*, verum prope nullum pus emanavit: natura tandem per ulcus feſtucas oſſium extruſit & fragmenta Saturnina. Unde incedere rurſus poterat: ſubinde tamen ad mutationes aëris punctiones percipit: nihilominus iterum itinera inſtituit, quandoque ſaltat. Dum hemicrania ſæviit, per aliquot dies appetitus admodum proſtratus fuit, nec noctu dormire valuit, nam dolor diu noctuque ipſum afflixit. In nare dextra mucus tenaciſſimus hæſit, quem vix emungere valuit. *D.* 24. *Julii* mane hora 10. frons paulo altior erat, alba tamen & mollis perfrictionem pertulit ac attactum fortiorem: doluit quoque poſt aurem circa regionem parotidis ſiniſtræ, non tamen tumet notabiliter & attactum fortiorem tolerat: dolor magis videbatur eſſe in articulo maxillæ inferioris cum impedimento magis in deglutitione, quam in maſticatione. In prandio bene comedit: bibit vinum & cereviſiam, nuper cum guſtu *decoctum Saſſafras*, *Fonticulus* in brachio ſiniſtro large fluit. In ſuperiore parte fœmoris *Fonticulum* non potuit tolerare, valde doluit, ut leviculum quoque attactum formidaret, unde pridem occluſus rurſus fuit. Bene cænavit, noctu quoque bene dormivit, de nullo dolore conqueſtus eſt.

Die 25. *Julii.* mane exploravi Frontem modis omnibus: altior quidem fuit in latere ſiniſtro, quàm dextro, attactum tamen fortiorem, cutis corrugationem ductum pollicis quaquaverſum optime pertulit, adeo ut nullum gummatis veſtigium reperire potuerim: nam os frontis undique tum in hoc latere, quamvis cutis altior eſſet, tum in dextro planum & æquale erat. Poſt aurem dextram parotis quoque naturalis fuit: prope articulum maxillæ inferioris tetigi tuberculum piſo minus, mobile, quod ab attactu dolebat; non tamen maſticationem impedivit. Ab aliquot diebus raucus fuit, inſpectis faucibus, depreſſâ linguâ digito, nam ſpatulam nunquam pertulit, vidi cum *Chirurgo ſuo* uvulam majorem in ſiniſtro latere rubram cum puſtulâ: tonſilla ſiniſtra quoque debito rubicundior fuit, unde procul dubio raucedo & deglutitionis aliquod impedimentum evenit, nihil adhuc exulcerati conſpicere potuimus. In occipite circa inſertionem muſculorum caput erigentium tumuit nuper quoque & doluit, tumor tamen

maximam partem evanuit; ſuperſtes tamen erat rotunditas quædam in medio diviſa paulo altior, verùm attactum bene pertulit, ſenſit aliquod impedimentum inter verſandum caput ex uno latere in alterum, quod tamen nuper majus erat. Examinatâ cicatricum ſede, deprehendi globum ſclopeto trajectum os tibiæ ſupra articulum, illæſo radio; ubi fragoſius erat cum parte duriore laceraſſe, illæſis quoque oſſibus Tali & tendine magno: ſub malleolis quidem intus & externe quoque cicatrices erant, ſed incuria, & poſt recidivam doloris & tumoris fiebant à *Chirurgo Viennæ* & rurſus *Norimbergæ à Chirurgo quodam*, atque quia deſcenderat illuc pus ac diu ſtagnaret. Ultimâ vice poſt inflictum vulnus ac poſt Eſcharam prius *à corroſivo* factam non multum puris primum prodiit, attamen in progreſſu aliquid ſed non copioſum & tandem feſtuca oſſea acuta: unde dolor omnis remiſit & hoc mane attactum optime pertulit, nihil tumidi apparuit: tota tamen tibia multo gracilior eſt ſiniſtrâ. Hemicraniam præceſſit pruritus totius capitis capillati. Ante hemicraniæ invaſionem largiſſimos in vini potu exceſſus ſæpius commiſit. Illa præſente, dolet quoque intra orbitam oculi, pomumque cum dolore movet.

A die 16. *Julii* uſus eſt ſingulo mane *pulvere cephalico cum aqua ad illum præſcripta & ex pharmacopolio à me miſſo;* alternis noctibus ſumpſit *gr. iiij. theriacæ cœleſtis.* Mane *ex meo conſilio* naribus hauſit, *lac tepidum cum aqua majoranæ.* Non diu bibit *decoctum Saſſafras*, quia putavit, ventriculum inde ſibi debilitari & hemicraniam vel efficere vel fovere: nullos tamen exceſſus nocentiores vini potu, dum his utebatur, commiſit. Poſt prandium bibit aliquot ſcutellas *Decocti Caffeæ. Chirurgus* ante meum adventum ſubinde *ſacculos ex decocto Herb. Cephal. in vino* fronti impoſuit cum levamine. *Veſicatoria* nunquam applicita fuerunt. In victu non ſibi temperavit à Pernis Weſtphalicis ſalitis & fumo induratis & quidem crudis cum pipere conſperſis. Gonorrhæam virulentam aliquoties perpeſſus eſt, ut ipſemet fatebatur, abegit feliciter *epoto mane oleo olivarum ad ℥iij, vel ℥iiij.* Cæterum optime appetit, concoquit: de nullâ ullâ moleſtiâ, multo minus de doloribus nocturnis conqueritur.

Reſolutio.

HEmicrania iſta provenit à ſeri ſtagnatione in fronte & intra orbitam oculi: an ſub pericranio? Serum cauſam proximam eſſe teſtatur tumor frontis concolor: ſub pericranio probant doloris vehementia & termini quidam, quibus tumor & dolor circumſcripti erant. Malignitatis ſuſpectum eſt ſerum, quia Gonorrhœa adhuc afficitur: Serum quoque affligit uvulam, tonſillam ſiniſtram, ac vocem raucam efficit:

efficit: Tumorem quoque concolorem in occipite excitavit: pruritum etiam cutis capillatæ cauſavit. Malignitas minus adhuc ſævit, quia *Fonticulus* large manat ac jam *diſcutientibus* & *edulcorantibus* utitur: Cumulat hoc ob nimium vini potum & pauca exercitia: ſtagnandi occaſio eſt obſtructio à tenaci muco naris ſiniſtræ, unde illo ſublato miteſcit.

Ad ſeri mitigationem & diſcuſſionem promovendam, ut & ad partes debilitatas roborandas *Sereniſſ. Dnus* mane hora 5. *pulv. cephal.* ʒß. *ad* ℈ij. *cum liquore tali* ſumat.

℞. *Pil. reg. c. pulv. Marcb.* ãã. ʒij.
Diapb. ♃. *cinnab.* ♁ii *rectif.* ãã. ʒiß.
Ung. alc. ppr. ʒj. *Eſſ. ambr. ſicc.* ℈ij.
Extract. lign. Al. ℈ß. *ol. d. cinnamom. gtt.* ij.
Fol. ☉ *N.* ij. *Tab. man chr. perl.* ℥iß. *Mſc. F. Pulv.*

℞. *Aq. ceraſ. nigr. lil. convall. ſatur.* ãã. ℥iß.
è Typh. cerv. ℥j. *Naphæ, cinnamom. bugl.* ãã. ʒvj.
Eſſ. caſtor. c. ſp. ⊖ ✳ *par.* ʒj. *ſacch. alb.* ℥ß. *Mſc. d. ad vitr.*

Horâ ſeptimâ bibat *decoctum Caffeæ*, quod melius eſt quàm poſt prandium. Singulo mane porro *lac cum aqua majoran.* naribus hauriat.

Ad evitandam faucium exulcerationem utatur *gargariſmate ex malv. arbor. flor roſ. r. prunell. &c.* Si tuberculum poſt aures creſcat, imponatur primo *Empl. diachyl. ſ. cum empl. de melilot.* Si ab hoc non imminueretur, maturetur *Cataplaſmate emolliente.* Subinde noctu *gr. iiij. ther. cœl.* ſumat. Collo circumponantur *lintea perfumata pulvere contra fluxiones.* Vitet exceſſus in potu: nocet ſuilla fumo indurata. Sudor matutinus non prohibeatur. *Purgantia* nunc Sirio flagrante non conveniunt, *nec V. S.* In autumno *pilul. ex extract. cathol.* ☿*io dulc.* alternis hebdomadis *purgari* poſſet.

Si dolores nocturni evenirent cum laſſitudine: In hybernis *uſus ſcamni ſudoriferi juxta mercurialia* proficuus eſſet *cum certâ methodo. Menſ. Septembris* 1691. *Audivi Sereniſſ. Dnum ſatis bene valere ac ſe Militiæ abdicaſſe.*

OBSERVATIO LX.

Hemicrania funeſta cum Scrophulis, ſubjunctâ Anatome.

NObiliſſ. *Dnus J. S. Reipubl. noſtræ Secretarius*, natus 1665. *Patre* graviter diu Scrophulis circa collum, ſub axillis & in inguinibus conſpicuis, & in abdomine copioſe tactui occurrentibus, afflicto; nullæ quidem exulcerabantur, verum inde contabuit, & poſt varia ſymptomata, eaque graviſſima, inprimis Dyſpnœam, mente integra *d.* 27. *Febr.* 1666. animam Redemptori ſuo tradidit. *Filius orphanus* ſtudiis humanioribus conſecratus fuit, in quibus ita profecit, ut nondum completo 20. ætatis anno muneri publico admotus fuerit: in hoc occupabatur valde, ut nec corpori nec animo quies concederetur; induſtrius vitam ſcribendo, meditando & ſæpe in multam noctem lucubrando tranſegit.

Anno 1691. poſt ſcabiem ſublatam, neſcio quibus, Furunculi hinc inde in habitu corporis emerſerunt. *Anno* 1692. in principio veris primum coryzâ vexabatur, ſupervenit obauditio; ambo ſponte citra uſum medicamentorum evanuerunt. Non diu poſt, *menſe* ſcil. *Majo* ejuſdem anni tumor in palato uvulam verſus rubicundus obortus eſt, deglutitionem impediens; & hic citra ſuppurationem receſſit. Odontalgiam tunc quoque paſſus eſt. Ab illo tempore Hemicrania incepit, quæ ipſi funeſta fuit, ejus cauſa ſumpſit quoque cubitum iturus *Pulv. ex fol. Senn. & ſpecieb. aromat. roſat.* occupavit autem illa partem frontis ſiniſtram, ita ſeparatim à dextrâ quaſi cynoſyrâ diviſam, ut hunc terminum non transgrederetur, item ſitum oſſis maximi maxillæ ſuperioris, tempus & aurem ſiniſtram (aliquando ſine dolore, at cum ſono pulſatorio) & dentes ac naſi latus ſiniſtrum circa ejus medium in loco, qui apice digiti tegi poterat, quandoque etiam ad occiput exporrigebatur. Dolor fuit lancinans, divellens, pungens, in temporibus pulſans, ſæpe tam ſævus, ut decumbendum ipſi fuerit: pulſatio in tempore tam valida erat, ut pileum attollere videretur, in aure fiebat fere ſine dolore. Dolor primum illum excruciavit horâ dimidiâ poſt prandium, duravit ad horam dimidiam; veſperi ante cænam rediit brevi durans, ut pro lubitu cænare valuerit. *Menſe Julio thermas Argovienſes* adiit, magis ex ſuorum quam *Medici* conſilio, qui ſymptoma hoc melancholiæ à negotiorum gravitate & multitudine contractæ adſcribebant; verum ex otio & intermiſſione conſuetorum laborum inde plus tædii quam ſolaminis accepit.

Ab illo tempore dolor quoque invaſit illum mane & nihilominus poſt

poſt prandium, ſed tardius, ſcilicet demum horâ pomeridianâ ſecundâ, duravit per horam cum dimidia, quandoque ad horas duas. *Menſe Septembr.* 24. 25. & 26. prope dolor aberat: 27. *Septembr.* rediit ad *d.* 3. *Octobr.* per intervalla, ſed non pari ferocia: veſperi ob meditationes ſerias tam ſævus erat, ut lectus petendus fuerit: *d.* 6. *Oct.* horâ tertiâ matutinâ hemicrania moleſta eſſe cæpit, ſimulque ad occiput diffundebatur. *D.* 7. *Oct.* dolor acutior erat hora 3. mat. quam aliquot prægreſſis diebus, & cum largius pranſus eſſet, ſtatim à paſtu illum excruciavit, ſeque à tempore ſiniſtro ad articulum maxillæ inferioris extendit, maſticationemque, imprimis ſi os clauſurus erat, impedivit: *D.* 9. *Octobr.* dolor quoque ſyncipput dextrum petiit, quod hactenus nondum factum fuit, ſimul palpebræ doluerunt cum aliquali intumeſcentia & rubore. *D.* 30. *Octobr.* dolor magis vergebat verſus occiput, nucham & humerum ſiniſtrum quam ad tempus ſiniſtrum. *D.* 2. *Nov.* magis vagus fuit.

Manu capiti admotâ dolorem leniri putavit; attactum bene pertulit: extra paroxyſmum forti ſcreatu aut à capitis ſuccuſſione non accerſebatur: inter tuſſiendum aerem ſurſum aſcendere putavit, indeque dolorem punctorium excitari. Tumor *menſe Auguſto* digiti diſtantiâ infra parotidem obortus eſt, circumſcriptus, concolor, indolens, rotundus, magnitudine nucis moſchatæ, aliquantulum mobilis, attactum ferens; *menſe Octobr.* multo minor erat, & prope evanuit *ſub finem Novembr.* indeque tenſionem quandam patiebatur. In paroxyſmo nonnunquam admodum intumuerunt arteriæ temporis ſiniſtri: poſt paroxyſmum ſæpe valde debilitabatur, vires indies magis magisque frangebantur: nihilominus illo penitus ceſſante ſuo munere more ſolito vacavit, ſenatui frequenter interfuit, in publicum prodiit, & ſua prædia extra urbem ſita adiit. Aliquando paroxyſmo obrutus inter ſcribendum viſus ſed ſolum per momentum periit: audivit acute, vertiginem hucuſque ignoravit; nihil convulſivi vel in oculis, vel in facie, vel in artubus obſervatum fuit: nunquam in ſomno artus, veluti à terrore, ſuccutiebantur. Plerumque placide in lecto dormivit, aliquando poſt prandium: inter dormiendum, dum in ſella dormiret, obſervata fuit pulſatio quædam arteriæ in labio ſuperiore, illo cætera immobili permanente. Appetitus varius erat, pro paroxyſmorum ſævitiâ nunc major, nunc minor: cibi ſemper ſapuerunt, non ſitiit, parum bibit, plerumque non ultra unc. ʒ. vini, aliquando illud plane omiſit, quia animadvertit dolorem inde magis ferocire; bibit *Decoct. lign. Saſſafr.* A cibo non lædebatur; alvus rite aperta: urina colore, conſiſtentia & ſedimento naturali ſimillima, pulſus naturalis, reſpiratio facilis, ſudavit mane cum euphoria. Nihilominus inde macilen-

tior & pallidior evaſit: ſubinde auriculæ albeſcebant. *In conſilium vocatus cum Cl. Dn. D. Alexandro Stokaro his meam mentem de hac Hemicrania explicui, ipſique & aliis Medicis dijudicandum propoſui.*

Reſolutio.

IN hâc Hemicraniâ meningem duram potiſſimum affligi exiſtimo, quia amplum ſpatium in ſiniſtro latere occupat, ſcilicet frontem, tempus, magnam partem maxillæ ſuperioris, latus naſi ſiniſtrum, nunc vero etiam vergit ad occiput, & nucham: meningem tenuem nondum affectam puto, quia ſenſibus internis & externis valet; nullam vertiginem patitur, non terretur in ſomno; nuper quidem viſus inter ſcribendum periit, ſed ſolummodo per momentum, & quidem in dolore ſæviſſimo: in aure pulſationem ſentit ſed ſine obauditione. Meninx dura per conſenſum affici videtur, potius quam per Idiopathiam, ſeu à causâ intra cranium illi adhærente, quia non eſt continua, verum periodice & per intervalla ſæpe ſatis longa hucuſque afflixit, & poſt paroxyſmum à dolore immunis prompte ſuo munere vacat, nec ſcreatu aut capitis ſuccuſſione accerſitur. Per conſenſum dura meninx afficitur, ſi in parte quadam nervea cranio vicina alterutrius lateris, ſive ſit membrana, ſive ſit plexus quidam nerveus, irritamen aliquod dolorificum detineatur, nam cum nervos involvant dura & pia meninx, eosque quaquaverſus comitentur, læſæ ſenſum dolorificum cum meningibus communicant, cum hæ; medulloſæ vero ſubſtantiæ forte nihil prorſus ſentiant extra cranium: certe intra cranium nihil ſentire certis experimentis conſtat; ſic frequenter obſervatur nare alterutrâ pertinaciter obſtructâ à muco viſcido, craſſo, Hemicraniam ſæviſſimam obortam fuiſſe: idem quoque odontalgiæ, maxime in maxilla ſuperiore, accidit.

Cauſa proxima doloris, ſeu ſpina, non eſt abſceſſus, aut alius tumor, aut oſſiculum, quia continua eſſet, cum tamen ſæpe inducias, dierum etiam concedat, nec tam diu duraſſet, & vel tandem intra ſemeſtre ſpatium magis in propatulum veniſſet: ſed eſt ſerum; hoc enim facile à ſanguine ſecedit, ſemper nervos membranasque nerveas irrorat, intimos illorum receſſus ſubit, facile ſtagnat, cedit reditque ſæpe nullo ſui veſtigio relicto; hoc acre & ſemper ſalſuginoſum eſt; mora fere ſemper acrius fit, dum novâ lymphâ non diluitur: tale ſemper acrimoniâ ſuâ pungit, vellicat, lancinat, aliterve ſenſum moleſtum parti membranoſæ imprimit, unde dolor, fibrillæ nerveæ corrugantur, ad motus ſpaſmodicos incitantur, aliæque partes congeneres, cum quibus continuæ ſunt, in conſenſum rapiuntur ſimilique moleſtiæ involvuntur, ſive particulæ ſeri ſalſuginoſæ ſint alcalinæ, ſive acidæ, ſive mixtæ; inſpergatur tale oculo, æque illud atque hoc lacrymas exprimet,

primet, oculum inflammabit, & prope pares dolores excitabit. Serum contrahit lentorem quendam à calore ob moram, non ab acido. Hoc pravum eſſe colligi poteſt, quia natus fuit *Patre* ſcrophuloſo, poſt ſcabiem ſublatam non diu poſtea ſequebatur Hemicrania; obortus eſt tumor concolor ſub parotide. Illud cumulavit vitâ ſedentariâ; defluxio hæc ad capitis latus ſiniſtrum promptius deſcendit, quia ad latus ſiniſtrum caput & pectus inter ſcribendum inclinavit: illam forte acceſſerunt dentes carioſi in utrâque maxillâ ejuſdem lateris; certe non raro paſſus eſt odontalgiam, tumorem quoque concolorem ſub parotide ſiniſtra habuit.

Spem curationis pollicentur ſenſus interni & externi adhuc integri, abſentia motuum convulſivorum in ſiniſtro capitis latere & motus alicujus impotentiæ. Quia tamen jam à ſemeſtri durat, vires langueſcunt, & emaciatur, ſtudioſe contra hanc pugnandum erit.

Serum igitur à loco avellendum & evacuandum, ejus acrimonia mitiganda, in loco affecto abſorbenda & diſſipanda, ac lentor corrigendus erit. Ad has indicationes adhiberi poſſunt hæc remedia.

Purgantia, (quibus ceu aliis remediis viam ſternentibus, & ſimul aliquid ſeri educentibus, & à capite abducentibus uti poſſumus) cum *ſecundum Hip. S.* 4. *aph.* 28. *ſurditatem*, *&* *S.* 6. *aph.* 17. *ophthalmiam Diarrhœæ ſpontaneæ*, *& in eadem Sect. aph.* 51. *oculorum dolorem tollant*: non tamen ſint nimis violenta, nec crebra ne ventriculo plus noceatur. Propediem ſumat *Syr. roſ. ſol. ſ. dilutum aq. verben. Pilul. cephal. meæ* dandæ ante & poſt novilunium horâ noctis *ad* ℈*j. Pulv. ex fol. ſenn. ſpec. aromat. roſ.* ſemel in ſeptimana duabus noctibus. *Fonticuli* non ſpernendi. *Setaceum* inprimis commendavi in nucha traducendum, cum hujus beneficio quater guttam ſerenam potiſſimum curatam norim: quod etiam *Veſicatoria* in principio præſtiterunt, atque aliàs in Hemicraniâ, ophthalmiâ & odontalgiâ cum fructu adhibita fuerunt. Si de ſede ſpinæ certius conſtabit, *uſtio cum Moxâ* adhibeatur, ut & dentium carioſorum cum ferro candente. *Arteriotomia hemicraniam per biennium excruciantem Nobili Matronæ citra recidivam & apud Nobilem ultra ſemeſtre durantem ſuſtulit in tempore facta*, cum affluxum ad ſedem aliquo modo intercipiat. *V. S. & ſcarificationes* pridem inſtitutæ fuerunt. *Cucuphæ ex ſimplicibus temperatis, Balſama cephalica, errhina, inprimis ex ſacch. rad. Ir. Florent. ol. ſuccin. Maſticatoria ex maſtich. galang. rad. angelic. Pediluvia ex rad. & herbar. cephal. decoct. in aq. c. pauxillo vini* non ſpernenda. Interea jungenda his ſemper *diſcutientia ſc. abſorbentia, præcipitantia, temperata nervina*, grata formula

hanc

nunc *Pulver.* nunc *Electuar.* nunc *Pilular.* quibus ſuperbibat *Decoct. Coffeé*, quod appetitum reparabit, aut *Juſculum alteratum cephalicis recentibus.* Nec *decocta lignor. longa*, pertinacius malo continuante, improbanda putavi. De ſalivatione *per* ☿. movenda hæſito, cum hic generi nervoſo inimicus ſit, *& ille poſt inunctiones ☿riales vivus intra cranium repertus fuit, de quo obſervatio extat in Tract. meo de loco affecto in Apoplexia p.* 303. *Paregorica & Anodyna* nimium ſævientibus doloribus quandoque neceſſaria erunt.

Victûs ratio ſit tanto malo accommoda: dentur cibi boni ſucci, facilis coctionis. Vinum non denegandum exiſtimo, cum non febricitet, expalleſcat, & vires indies infringantur, ſed bene maturum, rubellum, ſulphuris expers; ſi inde dolor exacerbetur, ut jam aliquando factum fuit, diluatur *grato decocto ſimplici, vel rad. chin. vel lign. viſc. quern. vel ſaſſafr.* Non ſtatim à paſtu ad ſcribendum properet: vitet lucubrationes, ſomnum pomeridianum: non nimium cerebrum meditando defatiget.

Ex his remediis plura in uſum vocata fuerunt, *ante conſilium datum*, licet non raro ſatis negligenter *Dni Ægri* potiſſimum & adſtantium culpâ; ſubinde enim quædam ventriculus reſpuit, quandoque non ſuccedente exoptato fructu illorum tædio quodam capiebatur. In nucha *Fonticulus* excitatus fuit, nam *Setaceum* diu noluit admittere. Cum ſerio urgeretur tum ab ipſo morbo, tum *à Dominis Medicis*, aliquandiu *Conſilio* obtemperavit, non tamen pari induſtriâ & conſtantiâ.

A Novembr. 1692. *ad Februar.* 1693. hic valetudinis ſtatus erat: Hemicrania utcunque ſubinde tolerabilior eſſet, nunquam tamen penitus ceſſavit: *Menſe Decembr.* 1692. ſubinde incepit à dente inciſore ad conſpectum ſano, canino proximo, dolore prope momentaneo affici, at in frontis utroque latere pertinacior erat, lancinans indeque omnia diſruptum iri verebatur; inde quoque punctio verſus *Fonticulum* in nucha & occiput exporrigi dicebat, quæ brevi duravit, per vices rediens: poſt ſomnum erat gravativus. *Anno* 1693. *die* 13. *Januarii* Hemicrania vehementior recruduit: ab inferioribus corporis partibus à cibo refectus putavit aliquid ſurſum ad ſynciput aſcendere, ac dolorem pungentem ac pulſantem non ſine lancinatione excitare, indeque gradatim ad tempus, aurem & maxillam ſuperiorem ſiniſtram deſcendere ibique ſævire: ſi delaſſatus indormivit, circa ſuturam lambdoideam valde doluit, urebatur, atque ibi ceu à forti manu ſtringi dicebat; non tamen dolor ad nucham pertigit: *die* 16. *Januar.* poſt ſomnum in occipite vehementiſſimo dolore corripiebatur, qui tandem totum

tum prope caput invaſit, ad medium noctis perſeveravit: cum *d.* 17. *Januar.* mane ad violentum vomitum provocatus fuiſſet, poſt plures nixus caput nec quicquam doluit. Continuantis hemicraniæ ſedem digito oſtendit in ſiniſtro latere ſuturæ ſagittalis, non procul à coronali, non tamen in loco *Fonticuli*: detonſis capillis cutis *Moxa* levicule *adusta fuit*, quod bene pertulit. Tumor ſub parotide ſiniſtrâ minui quidem videbatur, non tamen diſparuit. Appetitus *à Novembr.* 1692. *ad menſem Februar.* 1693. erat imminutus, comedit tamen ſemper aliquid ciborum coctu facilium & boni ſucci; cibi ſapuerunt: nunquam ſitiit: vinum ſubinde merum bibit ſed parciſſime, plerumque *decocto Saſſafr.* dilutum. Alvus quotidie officium fecit, aliquando *poſt ſumptum purgans* tardius: urina ſemper clara, tenuis, pallida, debitâ copiâ, nunquam vel rariſſime turbabatur. Aliquando mane ſponte ſudavit cum levamine quodam: reſpiratio facilis. Pulſus tardus, immerſus, minus frequens: ſomnus ſuavis ſed interruptus. Cum *circa principium anni* 1693. mucum tenacius poſt uvulam adhærentem mane ſcreatu forti elicuiſſet, vomitum provocavit, quo copioſiſſimum ſimul ejecit, unde ſe levari putavit; verum poſtea ſequentibus diebus eadem vi cum mucum iſtum in ſomno ab aere calido expirato inſpiſſatum excutere conatus eſſet, prandium licet frugale evomuit, & aliquandiu parciſſime cænandum fuit, unde debilitabatur & emaciabatur, & cum antea rariſſime interdiu decumberet, quin etiam cœlo ſereno in publicum prodiiſſet, ſubinde lectus petendus fuit.

Menſe Februario valedixit Medicis, uſus eſt *conſilio & opera Ruſtici cujuſdam nec Empirici, nec Veterinarii nomen merentis*, quæ de morbo ejuſque causâ futiliter nugatus ſit, enarrare pudet & tædet: propinavit *abominandos* neſcio *ex quibus herbis in aqua coctis paratos hauſtus* cum antea gratiſſima averſatus eſſet, hos avide inglutiit: capiti *ſacculos ſimilibus infarctos in aqua coctos* impoſuit, aliaque ſuaſa per plures ſeptimanas; deprædicabantur ſucceſſus à domeſticis, verum non diu poſtea omnia in pejus ruebant, unde clanculum ſe ſubtraxit, & à credulis ſummopere hominis temeritas deteſtabatur. Verum non ſufficiebat ſic turpiter deluſos fuiſſe, inſuper à fæmina compararunt *ſacculos contra atrophiam commendatos*: hanc duplicem credulis perſuadet, unam ſanguinis, alteram medullæ, ſub cujus nomine ipſum cerebrum comprehendit; hanc cum graviſſimis doloribus junctam & curatu difficilem dicit. In uno alteroque *ſacculo* aperto inveni *rad. filic. auriculam muris, gnaphalium montanum &c.* appendit circa novilunium; geſtandi per menſem, poſtea retrorſum ſtanti in aquam profluentem abjiciendi ſunt.

Menſe April. cum omnia in deterius lapſa eſſent, denuo *D. D. Stokari* opem, & tandem aliorum quoque implorarunt; nam habitus corporis valde contabuit, vires indies magis magisque deficiebant, cor ſubinde palpitavit vehementer cum dyſpnœa, extrema frigeſiebant, ſimulque hemicrania ſæpe vehementer ipſum excruciavit, materia quaſi purulenta ex aure ſiniſtrâ emanavit nunc parcius, nunc copioſe cum levamine: ſiniſter oculus manifeſte ſtrabiſmo afficiebatur, ut ambobus oculis ſimul apertis legere nequiviſſet, licet ambo clari & ſplendidi eſſent. Parotis ſiniſtra multo major evaſit, dura inſtar ſaxi, minus mobilis; dextra minor & magis mobilis. In præcordiis moleſtiam quandam paſſus eſt, quam teneſmo ſimilem vocavit, quæ erat anxietas quædam cum conſtrictione in præcordiis. Præter alia *abſorbentia, præcipitantia, antiſpaſmodica, & humores edulcorantia, diaphoretica, revellentia*, ſuaſus fuit *potus lactis caprini manè calide ad ℔j. Lac* pertulit bene, rediit appetitus, vires reſtaurabantur, diutius extra lectum perſiſtere valuit: hemicrania ſævior per longiora intervalla afflixit: cordis palpitatio emanſit: pallidus tamen & macilentus manſit: effluvium aurium rediit: ad tibias *veſicatoriis* adhibitis nares humidæ evaſerunt, alias ſiccæ. *Circa medium Julii* nullæ ſcrophulæ vel ſub axillis vel in inguinibus tangebantur, abdomen molle, nulla tenſio hypochondriorum aderat, bene pranſus eſt, non ſitiit; hucuſque nullum vinum bibit. Mane & veſperi bibit quoque *juſcula alterata herb. recent. chæref. beccabung. naſturt. aq.* præmiſſis *Pulv. ex diaphor. ♂tial. & ♃al. &c.* unde maximam partem *ante lactis potum* remiſerunt palpitatio cordis, pulſatio quædam hypochondrii ſiniſtri ſecundum ſpinam dorſi aſcendens, frequentia deliquia, frigus extremorum, anxietas, lentor muci fauces conſtringens &c. Hic mucus tam viſcidus & tenax erat, ut fauces ab illo conglutinatum iri timeret: *Poſt uſum juſculi alterati & continuato lactis potu* ſucceſſit exſcreatio ſputi fluidioris frequens & copioſa, ut nycthemeri ſpatio ad ℔iß. exſpuerit: iſta muci ex faucibus ejectio adhuc perduravit *Menſe Julio*: ab illa levamen ratione hemicraniæ & teneſmi ſeu conſtrictionis cum egerendi nixu & anxietate junctæ percepit: ſi aliquando diutius ſupprimebatur, ambo ſymptomata moleſtiora erant, ſputum hoc ſæpe provocabatur *gargariſmo ex fol. alth. ficub. in lacte & aq. coctis.* eoque potiſſimum mane adhibito, & protinus mucus copioſus ac tenax eliciebatur. *A continuato lactis potu ad finem Julii* ventriculus nec quicquam lædebatur, appetiit, non vomuit uſquam amplius, nulla cardialgia *à lacte* affligebatur, ventriculus non diſtendebatur, nulli audiebantur borborygmi antea non rari: ſemel diarrhæam paſſus eſt cum torminibus non diuturnam, nec hucusque

amplius

amplius rediit. Urina plerumque tenuis, clara, ſubpallida, quandoque pallidior: dum *lac* bibit, non raro ſubſidit in urina materia alba craſſa, prout in mictione chyloſa, ut *in Drawizii* Biber conſpicitur. Aliquando ſine fulcro ſolus hypocauſtum perambulavit: etiam rheda in campum vehebatur. *D.* 24. *Jul.* Hemicrania valde ſæviit, non quidem ſtatim à vectura, ſed demum poſt horas aliquot elapſas: affligebatur in vertice & occipite præcipue: circa coronalem ſagittalem & lambdoideam ſuturam *Sp. C. C.* illinebatur, unde manifeſte ſe ebullitionem ſentire, & catarrhum ſedari cum levamine dicebat. *Die* 28. *Jul.* Hemicrania ſumme illum excruciavit, à coronali ſutura ad nucham paſſus eſt tenſionem & lancinationem, & inde ſcapulam verſus punctiones: è naribus ad fauces traxit mucum turbidum grumis ſanguinis permixtum ad ℥v.

Menſe Auguſto Hemicrania ſolito more ſæviit, & dolor tenſivus à fronte ad occiput extendebatur cum ſolita lancinatione: illo tempore dimidiam partem faciei ſenſus formicationis crebro pervaſit: furunculus circa proceſſum maxillarem poſt aurem ſuppuratus brevi pure bene expreſſo ſine ulteriore noxa curabatur. Tumor parotidis ſiniſtræ major nodoſus, dexter minor durus & inæqualis: in illis patiebatur ſubinde punctiones, ſed per intervalla quandoque longa: in paroxyſmo ſæviore Hemicraniæ nullos dolores in centro tumorum, ſed juxta illos ad latera animadvertit. *D.* 13. *Auguſti* in toto cranio tenſionem & contorſionem quaſi manu fortiori factam ſentiebat cum dolore pungitivo verſus frontem, radicem naſi, tempora, cervicem: inde dolor exporrigebatur verſus ſcapulas, ut vix illas movere auderet; ſæviit per triduum diu noctuque: dormire nequiit; & ſi forte obdormivit aliquantulum, nulla inſomnia, nullæ artuum ſuccuſſiones eveniebant, quod tamen crebro *ante lactis potum* fiebat in fortiore paroxyſmo, unde territus expergefiebat: nullas pulſationes nec in occipite, nec ad latera colli ſenſit. Tandem à tot & tantis cruciatibus compulſus *Die* 14. *Aug. Setacei traductionem & d.* 17. *Auguſt. Arteriotomiam in tempore ſiniſtro* admiſit: nam utrumque remedium pridem ſuaſum detrectavit: veſperi dolor rediit, licet prægreſſa nocte dormierit. Toto hoc menſe *lactis potu* perrexit, non neglectis *veſicatoriis, errhino ex ſacchar. rad. Ir. Flor. ol. ſuccin. rut. d. abſorbentibus, anodynis & antiſpaſmodicis.* Pallidior & macilentior indies evaſit, ungues digitorum & auriculæ albebant: emaciabatur magis magisque: appetiit in prandio & comedit ſine moleſtia: alvus aperta, urina tenuis pallida. Ab emiſſo ſanguine ex arteria cum impetu proſiliente ad ℥v. nec quicquam debilitatur.

Menſe Septembr. Hemicrania graviſſime quandoque illum afflixit, incipi-

incipiendo à fronte per ſynciput ad occiput: paſſus eſt ſubinde tractum ab occipite ad medium dorſum: ſperavit cauſam *per ſetaceum* viam inventuram, quia multum puris cocti ſuppeditabat. Tumor in ſiniſtro latere colli multum auctus fuit, nuper inæqualis & nodoſus, nunc plane æqualis evaſit: dexter quoque crevit & nucem juglandem ſuperavit.

Circa finem Septembr. minus de hemicraniæ ſævitia conquerebatur. Mucus faucibus illabens toto hoc menſe permoleſtus fuit, tum ſua ſponte illuc ruens, tum *à potu lactis* mane aut juſculo calido commotus; non raro cum ſaliva os replevit, ut ad evitandam ſuffocationem ipſi ſurgendum & exſpuendum fuerit, noctu inprimis, unde ſomnus frequenter interrumpebatur: nares obſtructæ, unde *errhino adhibito* eoque ex naribus educto minus in faucibus moleſtus ſubinde erat. In prandio appetiit, non ſitiit: aliquando diarrhœam paſſus eſt, quæ brevi remiſit, ſequente alvo duriore: urina plerumque ſpicea, raro tinctior: pulſus frequens, celer, parvus, debilis; multum emaciabatur. *Ob mucum & ſalivam ad fauces confluentem copioſe de ſalivatione promovenda cogitabatur, authoritate potiſſimum Celeberrimi Rolfink. de capit. dolore Lib. II. S. 2. Art. 1. C. 26. præeunte: ita enim ille l. c. Terrorem incutit multis Salivatio, occupatis in excogitandis rationibus diſſuaſoriis. Inunctus ſub ſuo regimine convaluit, nulla Luis ♀reæ nota oneratus.* Lubentius dubii aſſenſerunt, cum *ſalivatio per ☿rium conciliata* ſcrophulis medeatur: Verum cum æger admodum emaciatus eſſet & lente febricitaret, non niſi cautiſſime inſtituendam concluſum fuit. Tunc quoque *ſuſpicio oborta eſt latentis Vomicæ Hypocraniæ Clar. Bootii de affectibus omiſſis C. II.* verum cum nulla cauſa violenta præceſſerit, nec cætera ſymptomata ab illo memorata apparerent, opinionem hanc deſeruimus.

Menſe Octobr. datus fuit *☿. dulc.* primo per dies tres *ad gr. v. hinc* ℈ß. aſcendebatur *ad ℈j. cum conſerv. roſar.* ſequebatur ſalivatio ſed non enormis, nec inde collectio muci tam moleſta ut pridem erat: cum tamen debilior evaderet, tormina pateretur, ſubſequente diarrhæâ. Manſit tamen Hemicrania nunc ſævior, nunc mitior, nunquam tamen penitus ceſſans. Tumores aliquantulum imminui, & rurſus inæquales ac nodoſos evaſiſſe notabatur, quod tamen potius totiûs habitûs conſumptioni adſcribebatur: appetitus perſtitit: urina pallida & clara.

Menſe Novembr. Hemicrania plerumque mitior erat: quamvis habitus & ſuperna tabeſcerent, pedes œdematoſi evadebant, tumor in ſiniſto latere colli acuminabatur; datis *millepedibus cum conſerv. roſar.* in urina mucus ſubſidit, quod etiam factum *decoct. rad. ononidis*: appetiit.

Menſe

Menſe Decembr. Tumor colli in ſiniſtro latere in apice acuminabatur, rubuit & in apice fluctuatio tangebatur ; minabatur exulcerationem, licet non doluerit, inſtar abſceſſûs maturi : in dextro latere augebatur & induruit inſtar lapidis. Circa hoc tempus revelavit nobis tumorem concolorem in latere dextro pectoris, indolentem palmo longiorem & unciis tribus largiorem, non altum & in ſuperficie planum, æqualem, attactum bene perferentem, aliquo modo mobilem : nec tunc nec in progreſſu morbi multum conqueſtus eſt de dolore aliquo hujus tumoris pectoris. *Die* 28. *Decembr.* livor ab aliquot diebus in tumore colli ſiniſtri apparens, magis conſpicuus erat, comitatus ardore circa livoris partem non crucigero ampliorem : deglutitio jam aliquot diebus impedita, difficilior evaſit, adeo ut 29. *Decemb.* tota nocte nec quicquam deglutire valeret, & hinc ipſemet æger apertionem tumoris urgeret, quam *Emplaſtrorum emollientium impoſitione* jam diu declinavimus. Impoſitum fuit mane *lapid. infernalis fruſtulum,* relinquebatur ad veſperam uſque : eſchara ſtylo perforata fuit : ichor prodiit, nullum pus : intruſo ſtylo ad uncias duas, caro ſenſu deſtituta occurrit ; ſequebatur aqua loturæ carnium ſimilis, talisque tota nocte emanavit ; tumoris moles & deglutitionis difficultas manſerunt. *D.* 30. *Decembr.* tumor aliquantulum minor apparuit, manente deglutiendi difficultate: ichor copioſus & ſubcruentus continue effluxit, lixivium redolens : eſchara perſtitit, ex ejus foramine ſtylo parato caruncula fungoſa apparuit : ſtrabiſmus oculi evanuit : febris intenſior fiebat veſperi, pulſus frequens, celer, parvus, debilis : appetitus imminutus.

D. 2. *Januar. Anno* 1694. Hucuſque ichor ſubcruentus emanavit, caruncula conſpectior. *D.* 3. *Jan.* in tumore ardorem permoleſtum cum punctione perpeſſus eſt, caruncula ſubſidit : minus ichoris effluxit : veſperi diarrhæa corripiebatur. *D.* 4. *Jan.* dolor tumoris remiſit, ichor paucus extillavit : magis vegetus quam ab aliquot diebus apparuit : tumor in ſiniſtro latere ſe ad claviculam uſque extendit. In prandio appetiit, comedit placentam ex carne & renibus vitulinis ac vitello ovorum, paneque in butyro frixis, unde cardialgiam à prandio ad veſperam perque totam noctem paſſus eſt. Caro circa eſcharam non attollebatur, nec caruncula ultra eſcharam aſcendit. *D.* 5. *Jan.* cutis in ambitu ab eſchara ſeceſſit, & in interſtitio caro fungoſa pullulavit non tamen alte, ichoris parum effluxit, nec fœtuit : pranſus eſt bene : œdema à pedibus per tibias & fœmora ad Os Sacrum pertigit : cutis magis magisque ab eſchara ſeceſſit ; hæc tamen firmiter adhuc fungo adhæſit. *D.* 7. *Januar.* Iſchuria correptus fuit cum dolore pedis dextri : fruſtra pubi applicabantur *ſacculi corticibus cæparum infarcti in aqua &*

 vino

vino cocti. Veſperi admodum debilis cum magna anxietate fuit. *d.* 8. *Januar.* urina *cathetere* educebatur, erat turbida: ulcus tumoris multum dedit ichoris fætidi: eſchara nondum excidit: adventante nocte brachiis non amplius uti valuit: fœces involuntarie elapſæ ſunt; dum ab adſtantibus mundandus ad latus inclinabatur, in leipothymiam incidit, ut brevi expiraturum crederent; vires tamen aliquantulum recuperavit: ubi aliquid de eſchara ſeceſſit, tegebatur pellicula alba: abdomen intumuit. *d.* 19. *Jan.* placide mortuus eſt.

Hora 10. *noctis cadaver à D. D. Alexandro Stokaro & D. D. Alexandro Pfiſtero, ac Filio meo Johanne Conrado Medico aperiebatur.* Cuti capillata ſublata undique, in ſyncipite dextro cutis cum pericranio palmi latitudine facile ſeceſſit, palmi latitudine etiam in ſiniſtro ſyncipite: prope ſuturam ſagittalem craſſior debito groſſii amplitudine, dorſum cultri mediocris æquans: ſub pericranio tam facile abſcedente nullus peculiaris ichor obſervabatur. Cranium foris nullibi carioſum: ſublatâ ollâ, dura meninge ſauciatâ in ſiniſtro latere multum ſeri effluxit. In dextro latere ſyncipitis crucigeri amplitudine dura meninx fortiter in parte poſtica adhæſit. *Dura meninx naturalis, rugoſior tamen ad latera corporis falciformis: huic meningi falciformi non procul à criſta galli oſſicula duo adnata erant, unum longum unciæ unius, latum fere unciæ dimidiæ, craſſities dorſi cultri mediocris: anterius prope æqualiter latum, verſus poſteriora anguſtius & in mucronem obtuſum deſinens: hoc membranâ totum obvolutum erat, exceptâ portione anteriore, criſtam galli verſus, nudior hæc pars ſerrata fuit, unus ex hujus ſerrati oſſiculi dentibus inſtar acus, denti viperæ ſimilis prominuit. Alterum oſſiculum brevius & anguſtius erat, anterius quoque denudatum & ſerratum, dentes tamen ejus minores & breviores, acuti tamen & pungentes erant. Ambo oſſicula non ultra unciam diſtabant à criſta galli: hæc & alia oſſa cranii in vicinia ſana erant, ut manifeſte conſtaret, illa non ab iis profecta ſeu in corpore falciformi nata fuiſſe.* In dura meninge vaſa turgida, & quaſi flatu diſtenta & plena videbantur: inter duram meningem & tenuem multum aquæ detinebatur: inter meningem tenuem & intra anfractus aqua quaſi gelatinoſa quoque copioſe redundavit. Alicubi tenuis meninx cum dura p. n. cohæſit, ſed facile ab illa avellebatur, ibique in ſuperficie meningis tenuis corpuſcula pellucida, magnitudine ſeminis milii granulata apparuerunt. Vaſa hujus meningis diſtenta, pellucida & quaſi flatibus turgida cum particulis cruentis conſpiciebantur. Ventriculi cerebri aquâ impleti erant: plexus choroidei ejusque glandulæ pallebant: glandula pinealis parva, pellucida, ſimilesque glandulæ ſem. papaveris albi magnitudine videbantur. Cerebrum depreſſius, maxime

in

in ſiniſtro latere apparebat: cerebellum naturalem conſtitutionem ſervavit.

Tumor ſiniſter maximus anterius faſtigiatus tegebatur cute, & veſtiebatur folliculo tenuiore; ad latera & verſus fundum utrumque involucrum craſſius erat, in fundo craſſitie prope parvi digiti, & quaſi ex lamellis compoſitum reperiebatur: contenta erant ichor fluidus ſubcruentus, & amurca ſpiſſa, ſubcruenta & flava. Tumori huic juncti erant alii minores, quidam nucis juglandis, quidam minore magnitudine præditi: cellulæ quaſi majores videbantur, continentes ſerum & ejus quaſi amurcam ſubcruentam. Verſus baſin tumoris ſubſtantia carnoſa, lardo ſimilis, qualem plerumque in cancris reperi. Baſis tumorum erat latiſſima, nam à colli vertebris expanſa erat, ad maxillam inferiorem in ſiniſtro latere & laryngem, & ſub illa verſus linguam: angulus obtuſus qui foris tangitur, in maxilla erat aſper, carioſus, albus tamen adhuc. Tumor in dextro latere colli aliquo modo mobilis accrevit in ſua baſi ſecundæ & tertiæ vertebræ colli: ibi proceſſus tranſverſi erant carioſi, aſperi, etiam albi ultra unciæ unius latitudinem: ejus quoque in fundo caro lardo ſimilis compacta, & folliculus quoque craſſus & denſus tenaxque erant.

Abdomine aperto, aquæ aliquid, ſed non multum occurrit: inteſtina ſana: omentum macrum: ventriculus oblongus, gracilis, non diſtentus à flatibus, tunicæ naturales; pylorus aliquouſque cum ejus antro ob gracilitatem inteſtinum quaſi apparuit: inteſtina, pancreas, lien ſanorum inſtar ſe habebant. Nullæ in meſenterio glandulæ aderant. Hepatis moles paulo major debito, figura naturali conformis, à ligamento lato dextrorſum longe lateque nigrum & quaſi ſphacelatum erat: in illo occurrerunt quatuor abſceſſus, duo propatuli, unus in parenchymate abſconditus; quartus in convexa magis conſpicuus: omnes continebant amurcam, fluidam albam cum cruore mixtam: unus ex his nuce juglande major fuerat: intus illorum ſuperficies verſus fundum aſpera & veluti exeſa apparuit: veſicula bilaria foris pallida & bile diſtenta erat. Veſica urinaria, utcunque urina educta & ante obitum excreta fuerit, denuo tamen impletâ urinâ occurrit. In renibus nulla labes reperta fuit.

Pectoris cute remota circa decimam coſtam in latere dextro tumor ſauciatus fuit: dum coſta vacillans carioſaque extrahebatur, multum aquæ cum grumulis ſanguinis cum ſubſultu quaſi, quales in ſingultu fiunt, derepente prodiit, ſerum erat lixivioſum flavum. Coſta carioſa in medio, quaſi ſerrâ diſſecta fuiſſet, videbatur & tangebatur. Circa tertiam coſtam etiam tumor aderat, dum vivebat, non obſervatus fuit, introrſum vergens ovi magnitudine, eo inciſo prodiit ſerum & amurca quædam, repertumque fuit os quadrangulare, latum & longum

longum latitudine coſtæ, à qua ceu carioſum abſceſſit. Remoto ſterno multum aquæ in pectore detinebatur, plus tamen in dextra quam ſiniſtra cavitate; omnis librarum novem fuiſſe credebatur. Pulmones nullibi exulcerati, nullibi accreti erant, niſi circa coſtam tertiam: molles, collapſi; nulla tubercula, nulli abſceſſus, nullum ulcus, etiam ibi, ubi coſtæ tertiæ adnatæ erant, reperiebantur; nihil purulenti in bronchiis occurrit. In pericardio multum aquæ limpidiſſimæ ſtagnavit. In cordis ventriculis nullum veſtigium polypi occurrit. Sanguis in ventriculis cordis & vaſis majoribus fluidus, rutilus ſed paucus reſtabat. Glandulæ ſubcutaneæ p. n. at exordia ſcrophularum nullibi animadvertebantur.

OBSERVATIO LXI.

Capitis Obtuſio.

NObiliſſ. *Dn. Georgius St.* ætatis annorum 31. ſtaturæ oblongæ, bene coloratus. Ad 24. ætatis annum ſanus vixit, nullumque morbum præter odontalgiam paſſus eſt: nunquam febricitavit, neque etiam *Pariſiis*. Temperanter vixit ſemper; nam à crapula valde læditur: inprimis vina generoſa nocent, ac caput ita inflammant, ac ſi prunam intra cranium accenderent. *In primo matrimonii anno*, *ſc.* 1665. dum cella effodiebatur in cæmeterio quodam antiquo, diu in foveâ repetitis vicibus permanens, ſubito laſſitudine ſpontaneâ correptus fuit, ut ægre incedere valuerit, duravit ultra octiduum, nunquam tamen propterea decubuit, nec medicamentis uſus eſt. Ante illud tempus *ſcil. anni* 1665. cum equo vehementer cecidit, caputque valide in fronte & ſyncipite citra vulnerationem alliſit, unde leipothymiâ correptus aliquandiu jacuit, ſuâ tamen ſponte ad mentem rediit, nec quicquam poſtea adverſi ſenſit. Bene ſe habuit *ad annum* 1668. Tunc temporis cum *Archigrammateum in Archivo* in ordinem redigendo juvaret, ac ſcrinia & ſcripta ſitu contracta perluſtraret, ſubito horrore quodam febrili cum æſtu & appetitûs proſtratione correptus fuit. Febris non diu perſtitit, at longo tempore appetitus imminutus cum carnium faſtidio permanſit. Ab illo tempore animadvertit capitis quandam obtuſionem & gravitatem, ac ſi caput nebulâ quadam impletum eſſet, non continuo ſed per vices, ac ſemper ebullitionem ſanguinis tunc circa tempus cibi capiendi ante, in, & poſt ſumptos cibos ſenſit, arteriæque carotides tam fortiter pulſarunt, ac ſi rumpere voluiſſent; interdum æſtus cum eruptione ſudoris accedebat, ſenſus formicationis quotieſcunque acceſſit, ultra momenta aliquot vix duravit, quo permanente vix pedem movere potuit in latere ſiniſtro, quod affectum fuit,

ac

ac in toto illo latere debilitatem animadvertit, quod in tempore diſtributionis ſcriptorum jam acceſſit: hoc ſymptoma modo in menſe, modo duobus, tribus & ultra menſibus ſemel recurrebat, primos acceſſus vehementiores exiſtimabat: fons hujus accidentis quoque in ſiniſtra parte capitis hæret, quod tamen abhinc annum ultra non amplius ſenſit, capitis dolore obtuſo nihilominus eum vexante. Ab incunabulis deliquia animi ſæpius paſſus eſt, quod eidem itidem accidit poſt longam vitam ſedentariam, ita ut aliquoties poſt horæ unius vel alterius equitationem de equo deſcendens linqueret; plerique quoque morbi cum deliquiis invadunt: ante ſeſquiennium cum ipſi vena ſecaretur, hoc quoque obvenit. *In Febr.* 1673. *poſt ſumptum pulv. diaph. cinnabar.* animo quoque linquebat; ſed vehemens illum invaſit deliquium *anno prætерito, menſe Julio*, arthritide tunc laborans, & tam dirum fuit, ac ſi pedibus ſuſpenſus caputque ſpongiis repletum fuiſſet. *Anno* 1673. *menſe Februar. incipiente* cum horrore ac calore febrili mutuo ſe excipientibus, ſubſequebatur arthritis vaga, quæ tribus ſeptimanis perduravit: præſente arthritide, totâ periodo nihil de capitis obtuſione &c. animadvertit. Ter tonſillæ inflammabantur per aliquot dies cum inappetentia, laſſitudine ſpontanea; nunquam autem ſuppurabantur. Præceſſit tonſillarum inflammatio aliquando arthritidem vagam. NB. A puero ſalivator erat ad hanc uſque ætatem. Poſtquam ab arthritide convaluit, capitis obtuſio rediit magis quam antea, quandoque tendebantur in temporibus arteriæ ſimul, ac ſi rupturæ eſſent: ſubinde formicationis ſenſum percepit. Capitis obtuſio *circa finem* 1673. *& principium anni* 1674. inprimis moleſtâ fuit cum imbecillitate quadam totius corporis. *Menſe Majo* 1674. poſt obitum duorum filiorum gravius afflixit cum tenſione & gravitate hypochondriorum, vigiliis, inappetentia. *Anno eodem circa finem Julii*, cum tota die in literis concipiendis occupatus fuit, veſperi horrore valido corripiebatur cum æſtu vehementi per d. 8. durante, poſtea ſubſequebatur arthritis vaga, cui ſe aſſociabant motus convulſivi artus ſuccutientes integrâ mente: dolores arthritici non tam ſævi erant ac in primo inſultu; nihilominus tamen articuli intumuerunt & rubeſcebant. Appetitus valde proſtratus erat, ſitiit maxime in principio. In hoc inſultu valde emaciabatur & debilitabatur, adeo ut morbo per ſeptimanas 10. durante demum ſeptim. 15. domo egrederetur, toto hujûs inſultûs tempore optime ſe in capite habuit; dum convaleſcere cœpit, ſenſim rediit capitis obtuſio. Obſervat, ſi attente in legendo & ſcribendo occupetur, ac ſenſus omnes uni alicui rei intendat, obtuſionem non ſentit; quamprimum vero ab opera ceſſat, redit & quidem multo gravius. Dum vehementius capitis obtuſio afflixit, noctu per 3. horas indormiſcere non poteſt, &

quando obdormivit, à ſomno non reficiebatur, & mane totum caput ſiccum erat, ac ſi Soli expoſitum fuiſſet: raro vel nunquam caput ſudat. Pridem hæmorrhagiæ narium obnoxius fuit, à duobus annis ſubſtitit, atque aliàs nares ſiccæ ſunt, quæ pridem fluidiores erant, id quoque à duobus annis.

Cum obtuſione capitis ita comparatum eſt: caput videtur fumo vel vapore impletum eſſe cum leviculi ponderis ſenſu: aures interdum tinniunt, & videtur ipſi, ac ſi aura ſubito tranſverſim ab aure una ad alteram rueret: oculus dexter aliquando ſubito obtenebratur per momentum, nuper per 3. Pat. Noſt. in hac obtenebratione lumen percipit, at objecta diſtinguere nequit. Putat memoriam deficere, cum nonnunquam rerum obliviſcatur: nullam vertiginem gyroſam patitur, at vel in ſummo æſtu, vel brumâ putat ſibi ſubito cadendum eſſe. In hac obtuſione nullum dolorem pungentem, pulſantem aut lancinantem ſentit, durat toto die; nunquam tamen minus affligitur quam poſt cænam, aliquandiu etiam poſt prandium & mane quando è lecto ſurgit. Hieme ſtupor ſupremum capitis ad tempora occupavit. Putat ſubinde, ſe hanc obtuſionem perfrictâ fronte abigere poſſe; exiſtimat etiam ſpiritus animales ſubito ab officio ſuo quaſi ceſſaturos, & omnia intra cranium collapſura. Quando in cibo, potu & vigiliis errorem committit, patitur in occipite dolorem vehementem, pulſantem & pungitivum, ac ſi cultris ſcinderetur, cum calore & ſiccitate quadam, ac ſi cerebrum nimis exſiccum eſſet. Debilior quoque nunc eſt & ſolito macilentior: nunc appetit, etiam carnes, à lacte læditur, ſapiunt fructus cocti, braſſica criſpa, piſces, nec ab his læditur, à cibo non gravatur, non ſitit, vix vini rubri menſ. quadrantem bibit. Alvus quotidie aperta: ſua ſponte raro ſudat mane; quandoque vero in paſtu. Literis addictiſſimus eſt & his unice delectatur. Exercitiis vix aliis quam obambulatoriis fungitur. A ſomno pomeridiano ſibi cavet, quamvis raro alias ad illum ſollicitetur. Aer turbidus, concluſus ipſi moleſtus eſt & magis quam ſerenus. Omnis exceſſus aëris ipſi nocet.

Reſolutio.

IN hac obtuſione capitis cerebrum ejusque intimos poros occupari p. n. ab humore quodam, probant capitis gravitas quædam cum levi ponderis ſenſu, apparentia ac ſi caput nebulâ oppletum eſſet, viſûs momentanea abolitio, formicationis ſenſus aliquot vicibus eveniens cum totiûs ſiniſtri lateris debilitate quadam, pridem moleſtior nunc mitior.

Humorem iſtum acrimoniæ alicujus participem eſſe evincunt vigiliæ cum capitis obtuſione junctæ, adeo ut nocte diu indormiſcere nequeat, & licet obdormiat, non tamen à ſomno reficiatur, ſenſus auræ ab una auris parte ad alteram ſubito ruentis, motus convulſivi arthritidem

tidem ultimâ vice comitantes, viſûs abolitio momentanea, certius e-veniens ob convulſionem quandam nervos opticos ſtringendo potius quam infarciendo: læſio à vino generoſo & vigiliis, à quibus non ſolum obtuſio augetur, ſed inſuper cephalalgia occipitis & ſenſus prunæ ardentis excitantur, remiſſio obtuſionis ſuperveniente arthritide vaga, quaſi ob μετάςασιν humoris acris, à capite ad artus feriæ concederentur. Acribus humoribus totam maſſam ſanguineam abundare, atque humores ab illa provenientes acrimoniâ conſequenter imbui docent temperamentum calidius, læſio à calidis &c. Leipothymiæ jejuno & poſt corporis exercitia evenientes, præcedentibus gravioribus ſymptomatibus capitis, in præcordiis & poſtea in toto ebullitionem quandam manifeſte ſentit. Cerebrum autem p. n. occuparunt hi humores, quia frontem & ſynciput graviter alliſit; bis auram malignam & ſpiritibus animalibus adverſam diu hauſit, dum in fovea in cæmeterio antiquo diu perſtitit, & ſcrinia perluſtravit literarum ſqualore & ſitu infectarum, cerebrum impenſis ſtudiis defatigavit, & non raro ſe nimio mœrore confecit. Cumulati intra cerebrum amplius fuerunt hi humores, quia præter conſuetudinem diu nares ſiccas habet, ſolemnis narium hæmorrhagia ſubſtitit, caput nunquam ſudat, exercitia omittit.

Indicationes igitur erunt humorem aqueum, qui imprimis potens eſt ſe poris cerebri inſinuare, abundantem imminuere, acrem & nervos vellicantem ac ſpiritus animales turbantem mitigare, in poris cerebri hærentem abſorbere, unâque operâ cerebrum roborare. Igitur *purgandus ſed blande*, nam ob proclivitatem ad leipothymiam ab irritantibus paulo fortioribus ſtatim læditur: quia vero nauſeabundus ſtomachus medicamenta paulo ingratiora reſpuit, potiones vix propinari poterunt. Ergo dandæ *Pill. cephalicæ, vel Crem.* ♀ *cum Diagryd.* nimirum bis in anno, aut etiam frequentius, ſi ſcilicet obtuſio magis urgeat. Hujus causâ etiam *Fonticulus apertus* ſervandus. Ad horum humorum imminutionem dari quoque poſſet ſubinde *ſudoriferum* eoque magis, quia ſudor ſuppreſſus eſt, *ex* ♃*io diaphoret. cum bezoard. miner.* prodeſſet quoque ad cavendam arthritidem vagam; dari poſſent bis in menſe. Ad abſorbendum intra poros cerebri humores ſimulque ad confortandum, prodeſſet *pulv. ex C. C. ph. ppr. cinnab. nativ. diaphor.* ♃*al.* Hæc non *unâ Formulâ* danda diuque continuanda. Ad bilem in præcordiis effervescentem compeſcendam, & imprimis formicationis ſenſum evitandum prodeſſet *Pulv. ſtom. Poter.*

Victûs ratio ita comparata ſit, ut nec his humoribus materiam præbeat, nec illos concitet; potius illos mitiget ac imminuat. Vitandus ergo aer frigidus, humidus, impurus. Cibi ſint euchymi: cæna parcior prandio. Exercitia frequentiora. Animi motus ad tranquillitatem compoſiti.

Excellentiſſ. D. D. Screta à Zavorziz ſequens ſuppeditavit Conſilium.

AFfectus, qui *Nob. Dominum* abhinc aliquot annis occupat, videtur ejus indolis eſſe, qui partes nerveas aliquantillum irritando ſeu convellendo vexat; quamobrem eundem nec veram Cephalæam, nec unum ex ſoporoſis affectibus eſſe judico, cum in illa dolores intenſiores, in hoc vero & major omnium actionum ſegnities atque major in ſomnum propenſio cum læſa reminiſcentia notarentur. Quo nomine vero præſens morbus appellari queat, *nullus* quod ſciam *Medicorum veterum*, qui aliàs titulorum ſtudioſiſſimi fuerunt, ſcripto conſignavit, quia tot convulſivos morbos non agnoverunt, quot noſtro ſeculo detexit *acutiſſimus Thomas Williſius*, uti omnibus notum eſt *ex ſua Pathologia cerebri ac nervoſi generis, ac ex Pathologia animali ejuſdem:* ante illum quidem *Joh. Baptiſta van Helmont* (prout in ejus *libris de aſthmate, tuſſi ac flatibus* luculenta adſunt teſtimonia) ac *Petrus Johannes Faber in Sapientiæ univerſ. libr. III. de Febribus* numerum horum morborum auxerunt, attamen propter illius temporis negligentiam in anatomicis *laudato Dn. Willis* æquari haud poſſunt. Ego itaque in præſentia rerum minus ero de nomine ſollicitus, modo conſtet, qualis ſit cauſa proxima ſeu materia hujûs affectûs, (utrum morbi vel ſymptomatis vocabulo exprimatur, vix curo) quâ bene perpensâ eo melius ac felicius *convenientia remedia* exhiberi poterunt. Cauſam ergo proximam exiſtimo eſſe acido-auſteriuſculum, tenue, ac parum volatile portionis in cerebro læſæ vel à caſu concuſſæ excrementum, ut ita vocare liceat, quod in capite tam obtuſum ac gravem ſenſum perpetuo alat, interdum vero copiâ peccans ac in fluorem adactum, & per tubulos nerveos ad articulos delatum arthriticos excitet dolores; ad nervos opticos & acuſticos tam motorios quam ſenſorios diffuſum in auribus quidem auram transverſim quaſi permeantem, in oculo vero dextro aliquot momenta durantem obfuſcationem pariat; ad medullam oblongatam pertingens ſenſum illum formicationis ac ſemiparalyſin in latere ſiniſtro ob ſiniſtram capitis partem forſan læſam faciat; excrementa narium inſenſilemque cerebri excrementorum exhalationem inverſo motu ad ſe alliciat; (unde & hæmorrhagia narium olim frequens nunc ſubſiſtit) ac in ipſos cerebri poros ſe inſinuans ibidemque ſpiritibus animalibus, ut & in corpore calloſo, occurſans ſpuriam illam vertiginem, quâ non gyrat, ſed ſe caſurum autumat, cum ſcotomia ac oblivione præſentium mentis objectorum fingat.

Cauſæ evidentes fuerunt primum caſus ab equo ante aliquot annos contingens, qui licet externe quoad viſum nullam maculam inuſſerit; nihilominus tamen ob fortem capitis in humum illiſionem cere-

brum

brum molliuſculum ita potuit concutere, ut inde aliqualis læſio ſeu ſolutio continui inibi exorta ſit, ubi poſtea tale excrementum acido-auſteriuſculum ac tenue nervoſo generi inimicum extillâre, & ſe quaquaverſum effundere debuit, quod ab initio ſtatim *per alkalia decocta vel potiones vulnerarias* abſorberi ac deleri potuiſſet. Caſui huic poſtea adhuc duæ acceſſerunt cauſæ externæ, quarum una fuit quotidiana in cæmeterio antiquo denuo effoſſo per aliquot horas præſentia; altera diuturna in conclavi aere humido ac fœtido quaſi inhabitatio, ubi ſcripta ſitu, pulvere, tineis ac blattis ſcatentia plurima evolvit, ac *cum D. Archigrammateo* in ordinem digeſſit; utrobique enim in febriles incidit invaſiones non diu durantes ſuâque ſponte iterum evaneſcentes, quæ ortum habuerunt ab exhalatione ab aere fracido, fætido & humido tam per inſpirationem quam per cutis poros ſe maſſæ ſanguineæ inſinuante, inibique effervescentiam illam p. n. excitante, quibus de cauſis poſtea ſanguis ipſemet in conſtitutione mobili ac ad deliquia animi prona, ut ſæpius experiebatur, paulo acidiorem induebat qualitatem quæ antecedentem præſenti affectui præbuit cauſam, quam interea fovebant mœror ob filios defunctos, vigilæ inaſſuetæ, amor ſtudiorum ac bonarum litterarum, ut & quædam ſollicitudo ob periculum vitæ, quod ſibi imminere putat; hanc ob rem ſæpius ebullitionem ſanguinis æſtumque cum ſudoris eruptione ac pulſu temporum forti patiebatur, nec non tribus vicibus inflammationem tonſillarum, quæ tamen aliis adſcribi poterit cauſis: à mœrore quoque inflationes hypochondriorum, inappetentia ac vigiliæ diu protractæ derivandæ ſunt, quia ab illo humores nimis exaſperari poſſunt. Subſultus in artubus durante arthritide, veræ convulſiones ab irritamento acido provectæ ſunt. Vinum generoſum ac acidum, ut & lac nocent, quia acidum excrementitium augent. Capitis obtuſus ac gravans dolor ceſſans durante arthritide, ac hac evaneſcente rediens redit vel à depletione materiæ morbificæ ex loco affecto per nervos in articulos, vel quia major dolor minorem obfuſcat. Induciæ poſt cibum ſumptum forſan originem debent ſpiritibus tunc ad concoctionem ciborum concurrentibus, quemadmodum & iidem diſtrahuntur à loco affecto, dum libris inhæret, vel colloquiis. Frictiones frontis exercitæ ibidem forſan vel aliquem formicationis ſenſum vel ſcotomiam indicant. Quia malum adhuc tolerabile, nullum portendit periculum, modo *debitis remediis ac conveniente diætâ* inſtructus ſit, ideo adhuc bene ſperandum eſt.

Prophylaxi ac therapeiâ hic opus eſt, quas junctim implere haud inconveniens erit. Indicatio præcipua eo redit, ut acidum tam in tota maſſa ſanguinea, quam in ipſis poris cerebri ſe inſinuans ac nervos vellicans, & ſpiritus animales turbans mitigetur ſeu infringatur, abſorbeatur, figatur ac è corpore eliminetur, ne denuo vel arthritis vel vel-

 licatio-

licationes illæ leves recondiantur, ſimulque providendum, ut cerebrum corroboretur.

Evacuationes fient *per hydragoga*, *cephalica ſpecifica, ut ſunt Pill. cephalicæ, vel cholagogum ſimplex* bis in anno, vel ſi obtuſio capitis urgeat, ſæpius; qua de cauſa etiam *Fonticulus apertus* ſervandus. Huic intentioni ſatisfacient quoque *Diaphoretica*, ſemel vel bis in menſe uſurpanda ad ſudoris elicium, quibus & arthritis præcaveri & reliqua ſymptomata averruncari poſſent. Ad mitigandum, abſorbendum, infringendum ac figendum humorem acido-auſterum, atque ad cerebrum corroborandum prodeſſent *cephalica mitiora* non calida, non frigida, ſed temperata, quæ vel *in forma pulveris, vel trochiſcorum, vel eclegmatis, vel aliâ formâ* exhiberi poſſunt. Ad bilem in præcordiis exæſtuantem compeſcendam utilis foret *pulv. ſtomach. ſpecificus : errhina* quoque *mitiora* prodeſſent. Interim ſtudio abhorremus *volatilia & narcotica quæcunque.*

Victûs ratio ita comparata ſit, ne his humoribus materiam præbeat, neque illos concitet; potius vero mitiget imminuatque. Vitandus ergo frigidus, humidus, impurus aer. Cibi ſint euchymi, cæna parcior, exercitia ſint corporis magis quam animi, niſi ſint res ludicræ: vitetur quoque exſpatiatio in roſcida ac pruinoſa prata. Mœror nocet ſumme.

Sub finem menſis Novembris 1675. noctu horâ 11. ſubito vehementiſſimi totiûs corporis æſtus cum validiſſima catarrhi in pectus defluxione (qualem antehac nunquam) ipſum invasêre, duravit æſtus 7. horis continuis, quibus elapſis, ingenti ſudore ſuperveniente, evanuit, ſucceſſitque ingens tuſſis cum rheumate in naribus, qui cum, defluxiones evehendo, valide caput ſubinde ſuccuterent, magna ſanguinis copia, tribus repetitis vicibus, per nares effluxit : Et quidem de hiſce accidentibus ideo bene ſperare cæpit, quod antehac hæmorrhagiæ narium obnoxius fuerit, easque tempore integræ valetudinis ſemper fluidiores habuerit, indeque non parum levaminis ſenſerit, hæcque omnia abhinc duobus annis prorſus ſubſtiterint. Sed hâc defluxione cum rheumate poſt triduum ceſſante, eadem erat capitis gravitas, atque adhuc durat, quæ ante fuit.

Menſe Septembr. 1676. paſſus eſt febrem Ungaricam : in principio ſtatim eruperunt maculæ, continuarunt, & nihilominus demum tertiâ ſeptimanâ convaluit. Poſt ſuperatam febrim vertigo, ſenſus formicationis, capitis perturbatio penitus ceſſarunt. Quamprimum obambulare, comedere & bibere cæpit, ſenſim affectus priſtinus rediit, qui talis eſt : mane quando ſurgit uſque ad prandium & horâ poſt prandium uſque

uſque ad cænam, maxime veſperi & horâ poſt cænam percipit in capite perturbationem quandam inprimis in fronte, ac ſi pars illa fumo plena eſſet, excitatque ſenſum non formicationis, ſed quaſi corpuſcula minima partem hanc perreptarent. Quando diu legit, diu ſcribit, diu ſtat in ſole, quandoque citra has cauſas externas ſuâ ſponte evenit ſibi ſubito inſtar fulguris, ut ſibi cadendum eſſe putet, non tamen cadit, aut nutat, inſtarque fulguris præterit metus iſte: aliquando etiam per momentum viſus quaſi perit in utroque oculo, aliquando in uno oculo, & tum viſûs amiſſio diutius perſeverat, ſcil. fere tam diu quam orationem Dominicam quiſpiam abſolveret: nullam circumgyrationem animadvertit. Caput non dolet. Perturbatio iſta mentis actionem nec abolet, nec imminuit, nec depravat; verum ſolummodo efficit, ut minus alacriter illas peragat, vel peragere ſe poſſe opinetur. Aures ſubinde tinniunt, & ab una ad alteram inſtar fulguris tranſit, ſed non frequenter. Quando in potu aut cibo excedit, maxime ſi vinum aquâ non dilutum bibat, occiput dolore pungitivo graviter affligitur, caputque totum æſtuat, ac ſi ipſi prunæ ardentes ſubjectæ fuiſſent. Nares nunc magis humidæ ſunt quam ante annum. Cutis capillata furfuribus abundat, circa verticem denſe conglomerati videntur. Oculi nunquam æſtuant. Putat intra cranium omnia arida & exſucca eſſe, atque exinde humidi nativi defectum atque diminutionem quandam ſuſpicatur, quod ſi reſtaurari poſſet, non parum ſe ſublevatum iri ſibi perſuadet. In toto latere ſiniſtro ſentit ſubinde formicationis ſenſum; *ab uſu* vero *thermarum Fabarienſium* vim viresque ejus diminuere animadvertebat. Jam ab aliquot diebus noctu in lecto ſenſit horrorem leviculum totum latus ſiniſtrum pervadere, ſubſequitur æſtus aliquis, non tamen febrilis, quem excipit ſudor. Nullam laſſitudinem ſpontaneam patitur. Interea ingenio, judicio, memoriâ & omnibus ſenſibus valet. Non eſt ſomnolentus; ſomnus autem utplurimum eſt irregularis, inquietus miriſque inſomniis turbatus, ac facile rumpitur, quandoque ſuâ ſponte interdiu & poſt meridiem nunquam dormit. Cætera bene ingerit, & egerit, nec ullum vitium in actionibus vitalibus & naturalibus patitur. Ab arthritide vaga à 3. annis immunis eſt. *D.* 18. *Mart.* 1677. in templo ſubito extendebatur digitus index dexter, quem inflectere aliquandiu nequit; extenſio conjuncta erat cum dolore.

Reſolutio.

DUo potiſſimum attendenda videntur in *Nob. Domini* valetudine afflicta. I. Totiûs maſſæ ſanguineæ proclivitas ad incendium; nam color faciei & reliquus habitus ac hæmorrhagia illum ſanguine abundare innuunt, quem augent victûs ratio plena & exercitiorum defectus ac functiones naturales omnes vegetæ; illum vero ad incendium procli-

proclivem eſſe indigitant 1. Febres continuæ non longo intervallo affligentes. 2. Arthritis vaga bis excrucians, primâ vice per tres ſeptimanas, ſecundâ per ſeptim. 15. quæ non tam à ſucco nervoſo acri circa articulos effuſo, quàm à ſero ex capillamentis arteriarum articulos irrorante fieri probant invaſio ab origine nervorum diſſita; tumor articulos occupans, primum concolor, poſtea rubens ejusque ſolutio per ſudorem. 3. Læſio à vino, & inprimis ſenſus prunæ ardentis capiti impoſitæ. 4. ſomni inquieti cum variis inſomniis. 5. Æſtus & ſudor debilitatem capitis conſequens, nam phantaſma adverſum cordi communicatum ſubitum motum inſtituit, unde aliquod incendium ſubitum oritur cum ſudoris expreſſione : licet non ſit leipothymia, at motus cordis ei contrarius eſt. 6. Senſus formicationis cum momentaneus ſit ejuſdem originis eſt ſcil. ab acrimonia, ac aſperſio illa arenoſa toti habitui & laſſitudo doloroſa. Non tamen hæc proclivitas ad incendium in ſanguine tanta eſt, ut humidum radicale conſumat, quia nulla adeſt febris lenta, imo nec minimum veſtigium; deinde habitus ſatis corpulentus licet non obæſus ſit : denique humidi radicalis defectus citra febrim non niſi effœtis quibusdam ſenibus in maraſmo ſenili obtingit.

II. Affectus eſt obtuſio capitis cum ſenſu nebulæ, fumi, tinnitu aurium, oculorum obtenebratione, debilitate metum apoplexiæ incutiente, cum aliqua ſenſuum internorum perturbatione. Quæ innuunt humorem quendam aqueum cum ſpirituoſo ſanguine ad poros interiores penetrante atque altius ſe inſinuante; non tamen copioſus eſt, quia illum non ſomnolentum facit, nec vertiginoſum. Aqueum probant ejus conſumptio à febre continua & arthritide vaga, refocillatio poſt ſomnum quietum, cibum aſſumptum, ſtudia intenſa. Anſam ingreſſui dederunt ſtudia intenſa, aer cæmiterii, perluſtratio ſcriptorum in ſcriniis diu aſſervatorum & ſitu corruptorum.

Igitur cavendum incendium ſanguinis, & aqueum abſorbendum ac cerebrum corroborandum, *Medicamento ex C. C. ung. alc. ♃ diaph. cinnab. nat. ſuperbibendo juſc. alterat. roremar. mace. Fonticulum apertum* ſervet.

Tota hujus morbi hiſtoria menſe Martio 1678. *miſſa fuit in Belgium Excell. D. D. Drelincurtio, & in Angliam famigeratiſſimis duobus Practicis D. D. Goodal & D. D. Stockam.*

Conſilium Cl. D. D. Drelincurtii.

Diæta.

I. Aer ſit purus, quantum poteſt, fugiatur aut corrigatur nebuloſus aut pluvioſus.

II. Cibus

II. Cibus ſit εὔχυμος, εὔπεπτος, πολύτροφος: Potus, vinum ὀλιγόφορον, odorum, tenue.

III. Somnus concilietur *Pill. de cynogloſſ.*

IV. Exercitio multo utatur ad ſudorem uſque; potiſſimum per horam ante paſtum.

V. Alvum conſervet liberam partim *Diæteticis lubricantibus*, partim *eccoproticis.*

VI. Mœrorem ceu peſtem fugiat.

Remedia.

Duo palmaria repudio, *ſcil.* 1. *Purgantia* & 2. *V. S.*

Balneo aut ſemicupio vel ſimplici vel refrigerantibus herbis alterato utatur: bis in die per hor. un. vel un. & dim. mane jejunus, & ſub veſperam per horam integram ante cœnam.

In ipſo balneo aſſumat frequens *Elix. propr. Par.* per octiduum circiter.

Poſtea utatur *Conſerv. ex fol. meliſſ. flor. pœon. mar. beton.* & *lil. convall. cum pulv. Irid. Flor.* & *ambr. gryſ.* circiter per 15. dies *magnitudine caſtan. major.* per horam ante paſtum; hauſtus vini rubelli modicus ſuperbibatur.

Utatur dein per aliquot dies ſeq. mane poſt ſomnum *Diaſcord. Fracaſt.* ℥j. *mixt. cum ♁ii diaph.* ʒij. aſſumendo modicum vini ſingulis vicibus.

Deinceps utatur etiam *Bezoardico utroque* inſuper hauſto etiam modico vino rubello.

Denuo aſſumat *Conſerv. è flor. calend. til. mar. roriſmar. ſalv. cum ambræ gryſeæ* & *moſchi bona quantitate.*

Vellet inſuper *Clar. Vir*, ut adhibeat *Extract. ſuccini vel per ſe vel ex ſyrup. pæon. vel calend. aut alio quovis cephalico dicto poſt conſervar.* & *aliorum remediorum uſum.*

Conſilium Medicorum in Anglia.

MOrbus *Ingenui* & *Doctiſſimi Viri* mihi videtur originem ſuam derivare partim à ſanguinis dyſcraſia, partimque à cerebri debilitate, unde ſpiritus animales corpuſculis heterogeneis & ſibimet ipſis maxime adverſis afficiuntur, ſymptomataque varia tam cerebri quam corporis producuntur.

Pro curatione hujus morbi *Doctiſſimo Viro* ita moleſti, proponam ego duas ſequentes medendi intentiones.

I. Ut morbi fomes, qui in ſanguine hoſpitatur, præſcindatur, ita ut cerebrum à novis materiæ morbificæ affluxibus immune perſiſtat. In hunc finem *phlebotomia, catharſis & fontanellæ* convenient; *apertio vaſorum hæmorrhoidalium per hirudines* circa plenilunium ex intervallis celebrata in hoc affectu maxime conducet; derivationis vero levaminisque præſentis gratiâ *ſanguis è venis jugularibus educatur*, *fontanella* ſatis ampla in crure excitetur, & *quoad catharſin* proponam ſequentem

℞. Mp. *è ſuccin. gr. xv. Aſæ fœtid.* ℈ß.
Reſin. Jalap. ſubtiliſſ. pulveriſat. gr. iiij.
Caſtor. in pulv. ſubt. redact. gr. ij.
Sal. ſuccin. volat. gr. vj. Balſ. Copaiv. q. ſ.

Ut F. Pill. No. v. bene deaurandæ. Cap. No. 11. *hor. ſomni, & iij. mane ſequenti, ſemel in ſeptimana; per* 4. *vices, minuendo vel augendo doſin pro ratione operationis.*

Quoad aerem, eligatur ſiccus & perflatus; vitentur ſtudia immodica & intempeſtiva, pocula veſpertina; præſertim vero triſtitia omnesque animi paſſiones violentæ.

II. Ut ſanguinis dyſcraſia auferatur, cerebrique debilitas nimiaque laxitas emendetur. Prioris gratiâ, *remedia potenter alterantia*, prout *ſucci vel expreſſiones herbar. recentium*, *acidulæ minerales*, *chalybeata*, (*ut Pill. vel ſyrup. de ſal.* ♂ *dulc. compoſit. ſec. præſcript. Riverii in cap. de Melancholia Hypochondriaca*) convenient.

Ad nimiam vero cerebri laxitatem & debilitatem roborandam, remedia indicantur, quorum particulæ ſubtiles & activæ ſpiritus animales vel recreant, vel à copula heterogenea vindicant, aut adſtrictoria quadam virtute præditæ, poros cerebri nimis laxos & apertos conſtringunt, unde in poſterum aditus materiæ morbificæ vix pateſcat.

In priori ſenſu *Sp. C. C.* ⊖ ✱ & *cranio humano vel ſuccino impregnatus*, commendatur, præcipue ſi *ad gtt. xv. in vehiculo appropriato* (*ut aqua ceraſ. nigr. pæon. m. vel ſalv. ſimpl.*) bis de die aſſumatur: horâque ſomni *pill. exiguæ è ſal. ſuccin. vel C. C. volat. & Balſ. Copaiv. compoſitæ*, deglutiantur.

In poſteriori vero ſenſu, *Flor. ſem. & rad. pæon. m. fol. viſc. querc.* præſcribuntur: mihi maxime placebit ægro proponere *Cereviſ. tenuem pro potu ordinario*, *in qua fol. viſc. querc.* (*vel ejus defectu communis*) *loco flor. lupuli incoxerint*, *& in doliolo* 4. *congiarum capaci ſuſpendatur ſacculus, cui indantur fol. ſalv. ſiccat. Mij. rad. pæon. mar. debito tempore collectæ, ſiccat. & inciſ. Sem. ejuſdem contuſ.* ℥iiij. *N. M. inciſ.* ℥ij. *Sem. dauc. contuſ.* ℥iij.

Si

Si ſpiritus animales nimis agiles & efferi, ita ut ſomnus eorum ferociâ & inquietudine impediatur, *ſyrup. è meconio ad ℥j. vel ʒx. in aqu. paralyſ. papav. rhœad. vel flor. nymph.* horâ ſomni aliquando aſſumatur. Ego in hoc caſu *pill. Matthæi* (*Empiricas licet*) non ſemel cum ſucceſſu laudabili præſcripſi.

Pill. ex Aſa fœtida conflatæ & ad ʒß. bis de die per ſpatium ſeptimanæ exhibitæ (licet medicamentum in prima exhibitione ſtomacho valde ingratum) levamen vix credibile in hiſce affectibus contulerunt.

Conſilium hoc approbatur à Goodal, Stokam,

Ad anni 1679. *Menſ. Martium* obtuſio capitis permanſit; mane & veſperi ſubinde vertigo titubans ipſum afflixit ſemper jejunum, nunquam ſtatim à paſtu, imo tunc ſemper melius ſe habuit: formicatio utriuſque lateris artus pervaſit. Interea carnoſus & robuſtus ac bene coloratus manſit.

Die 22. Mart. 1679. cum Cl. D. D. Screta concluſi.

I. Frequentes *purgationes* non tutas eſſe.

II. *V. Sectionem* non convenire *ante Majum.*

III. Nos non providere, quomodo *Balnea* prodeſſe poſſint: imo nobis ſuſpecta ſunt propter arthritidem vagam aliquoties moleſtam.

IV. *Succi herbar. recentium.* ſi ventriculus illos perferat, ſæpe melius maſſam ſanguineam emendant *acidulis*, certo ſecurius, ut & *Juſcula herb. recent. alterata*, maxime *menſe Majo.* Ejus loco utatur *hac Mixtura.*

℞. *Aq. ceraſ. n. betonic. fl. til.* āā. ℥iiij.
Syrup. fl. Paralyſ. fl. tunic. āā. ℥j.
Spir. ⊖ ✱c. ʒß. *Mſc.*
Doſ. Mane horâ 5. *cochlear. iiij.*
Horâ 7. *& veſperi hora* 5. *ſumat* ʒj. *hujus Trag.*

℞. *C. C. ph. ppr. Ungul. alc. ppr.* āā. ʒij.
Rad. pæon. ʒiij. *Galang. cubeb.* āā. ʒß.
Sem. pæon. ʒj. *Ol. N. M. expr. gr. iiij.*
Diaphor. ♃. ʒij. *ſacch. alb.* ℥iij. *Fl. roſ. r.* ʒiß. *Mſc.*

V. *Topica* omittat : *Cucuph. ex fl. roſ. r. ſalv. beton. lyſimach. ſuccin. C. C.*

VI. *Opiata* noctu non videntur ſumenda, cum aliàs dormiat.

VII. In victu veſcatur cibis boni ſucci. Vinum diluat *rad. chin. lign. viſc. quern.*

OBSERVATIO LXII.

Obtuſio Cerebri.

DOminus B. A. Sch. *Annor.* 24. facie ſubfuſca & pallida, ſtaturæ juſtæ, gracilis. Eſt hydropota, fructibus crudis delectatur, aliquando poma 40. cruda comedit & multum aquæ ſuperingeſſit. Queritur de viſûs caligine, quæ vera tamen non adeſt, nam videt diſtincte, ſed non ad diſtans, nulla nebula, nullæ muſcæ oculis obverſantur, viſus tamen perit, ſi diu legat, non ſi ſcribat, ſimulque tamen ſomnolentus eſt & obſervat ſtuporem quendam in capite, inprimis ſi negotia peragenda ſedente in ſenatu, item quandoque ſi menſæ aſſideat, ut diſcurſus minus prompte continuare valeat: oſcitandum tunc multum eſt. In occipite tenſionem ac conſtrictionem ſentit, ibique à tribus annis pulſationem magis tamen in dextro latere, cui plurimum incumbit. Sentit inde defluxiones fieri ad humeros, dorſum, Os Sacrum &c. Abutitur *pulvere Tabaci Mediolanenſis* : circa radicem naſi obſtructionem & coryzam quandam experitur. Multum ſalivat. Vox eſt ſubrauca & mucum per ſcreatum elicit. Oſcitatio imprimis moleſta eſt. Noctu inquiete dormit ad 3. vel 4. matutinam, aliquando per horas duas plane non dormit etiam per 3. horas non, tunc ſentit palpitationem: ſubſequens ſomnus eſt profundus & ſudor illum comitatur: inde ob varia tunc inſomnia Melancholicus fit. Sæpe uvula prolongatur. In dextra parte occipitis habuit tineam non ſerpentem nec valde latam, ſed non ultra ℥*ij*. & long. ℥*iij*. circiter, poſt quadrant. ann. vari in facie emergunt.

Anno 1690. paſſus eſt Gonorrhæam, Bubones in utroque inguine & ulcera glandis; curabatur *ſolis emulſionibus & caſſia*. Poſtea incidit in febrim continuam cum ſæviſſima lumbagine, unde rediit Gonorrhæa magis dolorifica. Curabatur *V. S. in pedibus* bis: *fame* : *decoctis* : tandem illam ſuſtulit *china chinæ infuſa*, cura tamen non fuit fida, ſed recruduit. Gonorrhæa diu duravit. *Mediolani* recidivam Febris contraxit abuſu ſaccharatorum, curabatur *ſolo cremore* ♀. contra Gonorrhæam uſus eſt ☿*io dulci*, unde ſalivationem imperfectam movit. *In Rhætia Splugenii* correptus fuit dyſenteriâ periculosâ : curatus *Curiæ Rhætorum à D. D. Baverio opiatis*, diarrhœæ pridem & nunc eſt obnoxius

xius. Ceſſante dyſenteriâ rediit gonorrhæa, ſponte quoque ſubſtitit. In dyſenteria variis catarrhis à capite obnoxius factus fuit. Ante biennium ex unico actu venereo rurſus gonorrhœam contraxit, quæ ſponte ceſſavit.

Appetitus plerumque eſt integer, niſi plus comederit, non gravatur: magis delectatur cibis die abſtinentiæ conceſſis, quam carnibus, & elixa præ aſſis ſapiunt. A paſtu ſubinde ſtatim gravatur, non autem 4. vel 5. horis à paſtu. Cibum non evomit, eructat ante & poſt paſtum multum. Alvus quotidie plerunque aperta eſt; quandoque fæces indurantur: inde dolent hæmorrhoides. Multum mingit, facile ſudat. Acclivia facile ſatis ſcandit. Raro tuſſit. Potus eſt aqua pura; hyeme *decoctum ſeminis aniſi*, aut aqua cui fruſtum panis infundit. Pulſus optimus eſt æqualis & naturalis. In pedibus ſubinde ardorem patitur. In orificio urethræ extremo apparet caruncula lenticulam æquans, quæ ſubinde dolet in principio mictionis. Paraſtata ſiniſtra varicoſior debitò. In urina obſervavi filamenta. Vertigine interdum ſed levi corripitur, ſi vero noctu equitet, corripitur illa, ut ab equo deſcendere & vomere cogatur. Oculi ſunt clari, ſplendidi; pupilla contracta, nihil quicquam in illa videtur obſcuri. Ratione officii, ceu *Sub-Prætor Cantonum Helvetiæ Comitatûs Badenſis* ſupremam judicaturam habentium, unde diu ſedendum, attente auſcultandum & omnia diligenter adnotanda ſunt.

Conſilium Medicum.

Affectus iſte nullo modo Caligo appellandus videtur, quum nullum vitium vel in ſenſibus vel ratione in oculis nervoque optico deprehendatur, nam cornea & humores oculorum perſpicui ſunt, nihilque opaci & turbidi conſpicitur & videt propius admota diſtincte, nulla nebula, nullæ muſcæ, aut flocci oculis obverſantur. Peculiari titulo *apud Practicos* deſcriptus hic affectus, quod equidem ſciam, non exſtat, ſed ſub generali nomine ſomnolentiæ comprehenditur, ego illum nunc ſpirituum animalium ſeu cerebri obtuſionem, quandoque perturbationem voco, & jam aliquoties curandus mihi obvenit: provenit ille ab humore vel vapore aqueo inhærente porulis cerebri, ibi ubi ſedes phantaſiæ exiſtit, ſpiritus animales torpidos reddente, ut minus ad ſua munia peragenda alacres ſint, unde ſomniculoſi Ægri in diſcurſibus & cogitationibus torpidi redduntur, ad oſcitationem irritantur, non raro oculis nictitant, in cogitando & diſcurrendo ignaviores fiunt. Humor iſte aqueus ad hunc locum per minutiſſimas arteriolas adfertur ex tota maſſa ſanguinea, nullo modo per orificium ſtomachi laxius ad cerebrum fertur: qui hoc ſtatueret *ex Medicis*, rideretur nunc ab illis, qui mediocriter *Anatomen* & œconomiam

miam corporis humani intelligunt. Humor iſte aqueus in maſſa ſanguinea *apud Nob. Dominum* redundat, quia hydropota eſt & indulget admodum fructibus crudis, illum redundare, probant quoque ſalivationes largæ, defluxiones à capite frequentes, non raræ uvulæ prolongationes, ſudores crebri & copioſi. Se potiſſimum *in Nobili Domino* in hunc locum effundunt humores iſti & detinentur, quia ingenium in hac juvenili ætate defatigat multis & graviſſimis negotiis, ſomno debito non reficitur, nam plerumque circa medium noctis interrumpitur, ut per horas 2. vel 3. non amplius indormiſcere poſſit, & ſi mane verſus indormiſcat rurſus, profunde dormit multisque inſomniis defatigatur potius, quam inſtauratur, unde etiam melancholicus fit. Forte etiam *Mercurius dulcis* imperfectam ſalivationem excitans aliquid ad ſtagnationem hujus humoris contulit. Humor iſte tenuis & paucus eſt, unde facile poris cerebri ſe inſinuat, brevi etiam recedit. Si craſſus & copioſus eſſet, coma produceret. Aliàs iſta obtuſio multos ſtatim à paſtu invadit, ſi intempeſtive ad legendum aliosque labores ſedentes ſe accingunt, quia potulenta crudiora adhuc ſanguini permixta, nec dum ſubacta ſunt: qui vero hujusmodi crudos humores diutius ſanguini admixtos habent, hanc obtuſionem patiuntur etiam mane & veſperi, imprimis ſi ſomnus nocturnus inquietus fuerit. Humores iſti acrimoniâ expertes non ſunt, nam in occipite quandoque patitur tenſionem; pulſationes & punctiones percipit, atque defluxiones ad cervicem, humeros & lumbos uſque ſunt dolorificæ: aliquando etiam tineam paſſus eſt: virulentiam ſubeſſe nullo ſigno deprehendere valui.

In curatione opera danda, ut humores iſti crudi, quantum poſſibile eſt ex tota maſſa ſanguinea eliminentur & in poris cerebri diſſipentur cerebrumque corroboretur. Contra hunc affectum nullum præſentius remedium comperi, quam cænam parciorem apud Literatos: item fugam lucubrationum & ſtudiorum intempeſtivorum ſtatim à paſtu, & ſomnum protractiorem nimirum non ſurgendo mane donec concoctio penitus peracta fuerit. Multos novi ad ſtudia prorſus à prandio ineptos fuiſſe, donec poſt 2. horas à prandio in ſella per quadrantem horæ ſedentes dormiverint. Id *Italis* in multis locis conſuetum eſt. In victu fugiendi piſces nimis viſcidi, ut tincæ, carpiones lacuſtres, barbi, anguillæ, cochleæ, paſtæ farinaceæ, abuſus fructuum crudorum, imprimis lactucæ criſpæ, quæ nocentiſſima eſt. Caput noctu contra frigus bene muniatur.

Decoctum Caffée magis commendarem, quàm *decoctum Theæ*, illud enim magis ſpirituoſum eſt, hoc plerunque effœtum: unde alii nunc magis ſuadent *folia tenera veronicæ, ſalviæ aut rorismarini ſummitates* pari quantitate, ut *Thee*, in aqua coctis addito parum ſacchari: Jubeo mane bibere, non poſt paſtum *Turcarum more*. Semper ſecum

geſtet

geſtet *has rotulas*, de quibus ſubinde ſumat unam atque alteram in ſenatu aut ubicunque locorum ſit, diu in ore detineat & deinde deglutiat imminente deglutitione.

℞. *Pulv. Analept. Frig. Mind. compl.* ʒij.
Pil. reg. compl. ʒj.
Spec. diambr. ʒß.
Ambr. gryſ. gr. v.
Confect. Alk. compl. ʒj.
Cum ſacch. alb. ℥iij. *ſolut in aq. roriſmar. ſ. q.*
Mſc. F. confect. in Rotul. d. ad ſcat.

Si obtuſio & vertigo frequentius affligerent noctu cubitum iturus ſumat *nucis juglandis magnitudine ſeorſim aut in aqua betonicæ ſoluto de hoc Electuario.*

℞. *Conſerv. roſ. r.* Genuæ in Italia *parat.* ℥ij.
majoranæ. ℥j.
Anthoſ. ℥ß.
Theriac. Androm. ʒj.
Bol. Arm. Or. ppr. ʒij.
Syr. violar. q. ſ.
Mſc. F. l. a. Elect. d. ad oll. fict.

Si defluxiones moleſtæ ſint, aut diarrhœam patiatur, ſumat cubitum iturus *tres vel quatuor pilulas Theriacæ cœleſtis cum ſyrupo violarum.*

Propter dolores hæmorrhoidum caute adhibeantur *Clyſteres*, aliàs gravius malum accerſeretur.

Pulvis Tabaci etiam humores ex naribus prolicit, inde etiam varia talia ſymptomata præcaventur, at hujus abuſus vitandus eſt. Si in radice narium à muco craſſo, viſcido & lento obſtructio fiat, *Lac recens aqua majoranæ dilutum*, & *cui parum ſacchari admixtum ſit*, *tepide* naribus attrahat, aut *Siphunculi ope* hoc blande injiciat.

Fonticulum in hac ætate nondum ſuaſerim : at prodeſſet *Scarificatio* alternis menſibus triduo ante vel poſt Novilunium. *Atque hæc bac vice ſufficiant : quibus D. T. O. M. benedicat!*

Scaphuſii d. 11. *Octobris* 1694.

Joh. Jacob Wepfer, M. D.

OBSER-

OBSERVATIO LXIII.

Perturbatio Cerebri.

NOb. *Dominus Joh. H. W. Tigur.* 32. annor. ſtaturæ longæ, gracilis, colore fuſco: cælebs: 8. annis *in Gallia* Mercator vixit. *Lugduni* percipit gravitatem quandam capitis unde minus promptus erat ad negotia, quæ ingenium poſtulabant, fiebat ſomnolentus & poſtea laſſus, duravit primo per horam dimidiam: 1685. incrementum ſumſit. *Lugduni* hujus causâ nullis uſus eſt medicamentis: uſus autem domi *opera D. D. Bürcklini*, dedit *pulv. diaphor.* nec attulerunt ſolidum robur. Poſtea uſus eſt *pulv. laxante* per integrum annum: *D. D. Ott* ſuaſit *Antiſplenetica & acidulas S. Mauritii:* bibit illas domi ſed ſine levamine: *à pulv. laxante per* 2. *Menſes* levamen ſenſit. Dum medicamentis uſus eſt, graviſſimis negotiis occupabatur, unde pejus habuit. Affectûs iſtius causâ diu uſus eſt *Cereviſiâ ſcil. ad tres menſes*, & diu merâ aquâ: hæc tamen non juvarunt. Iterum uſus eſt *Conſilio prioris Domini Medici*, ſuaſit *Electuarium.* Hinc aërem mutavit cum levamine, *ad Menſem Febr.* profectus enim eſt *Noribergam* variisque corporis exercitiis animum excitavit, unde nihil horum amplius percepit & ſanus domum rediit. *Menſe Februarii* 1691. veteribus curis animum defatigando, quas parere ſolent negotia mercatoria, rediit perturbatio animi ſcilicet poſt unius vel alterius horæ ſcriptionem aut rationes ducendo acceptorum & expenſorum, rediit malum *ad* 7. *Maji* 1691. *quo me convenit.* Cætera appetit, non intenſe ſitit, alvus aperta eſt, reſpirat facile, bene dormit, bene coloratus eſt: Extrema naturaliter calida, color unguium & labiorum rubicundus eſt. Pulſus etiam naturalis. *D.* 7. *Maji* 1691. *Weſterſpühel pedes Scaphuſium ivit ſine labore.* Patitur herniam varicoſam ſed plane indolentem. In victu moderatus eſt. Mœrore afficitur ob ineptitudinem ad negotia, quibus aliàs delectatur & in quibus occupari deberet.

Judicavi intra cranium ab intenſa cogitatione poros & vias ſpirituum animalium diſtortas atque ſpiritus in aliquam *ἀταξίαν* redactos fuiſſe, ut minus compoſite diu alicujus rei meditationi inhærere queat ſine magna perturbatione. Quia cætera ſanus eſt, & antea abſtractio à talibus negotiis juvit, ut jucundis & gratis ſine magna intenſione animi laboribus ſe dedat, ſuaſi ſcil. itinera, hac vice *Lindavium* ſuſciperet, poſtea biberet *Acidulas Deinaccenſes aut Göpping. &c.* Interea commendavi *hunc liquorem.*

℞. *Spir.*

℞. Spir. ⊖ ✱ ⊡. *ſpir.* ⊖ *dulc.* ãã. ℥ß.
⊖ ✱ *aromat.* ʒij.
⊖ *abſinth.* ʒj. ⊖ *vol. C. C. rectificat.* ʒß.
Aq. borrag. beccabung. ãã. ℔ij. *gramin.* ℥iiij. *Mſc.*

De hoc liquore mane cum juſculo carnium non ſalito cochl. ij. ſumere poſſet uſque ad acidularum curam. Vitet nimis ſalſa & fumo indurata; nimium aromatiſata. Item *purgantia &c.*

D. 13. *Auguſti* 1694. *aditurus Acidulas Deinaccenſes me convenit*, retulit *liquorem Anno* 1691. *menſe Maji ſuaſum* optime conduxiſſe. Hactenus *adiit Hollandiam, Angliam &c.* Uſus etiam eſt *Acidulis Swalbacenſibus, Thermar. Fabarienſium potu.* Ab itineribus melius ſe habet. Libris eſt deditus.

OBSERVATIO LXIV.

Perturbatio Cerebri.

DOminus Joſeph. Werner 50. annorum mediocriter carnoſus, bene coloratus, cuti albicans, *Pictor artificioſiſſimus.* Multas terras peragravit 30. annis, *Italiam, Galliam, Germaniam,* diverſisque in locis commoratus eſt & *in Auſtria. In Italia* optime vixit. Loca Septentrionalia evitavit ob aërem incongruum. In juventute paſſus eſt Odontalgiam, rediit ab aëre frigido & humido, in calido ab illa liber erat. Dum puer erat à frigore in leipothymiam incidit. Vinum Gallicum ipſum inflammavit: Cerevisiam *in Germania* non toleravit ventriculus. Defluxiones alias paſſus eſt. Doluit primum Frons, hinc occiput, ſemper ſimul dentes affligebantur, quando occiput occupavit, putavit ſe bene habere: quando nunc tædioſus eſt, collum quaſi obſtipum fit, aliàs caput pro lubitu movet. Nunc videtur medium caput quaſi ſtringi zonâ, ſi tunc caput movet & dolorem hunc excutere annititur; vertigine corripitur nunc abſque ullo dolore frontis aut occipitis aut nuchæ, eaque eſt gyroſa ſed momentanea cum viſûs obnubilatione: vertigo hæc etiam invadit, ſi capite inclinato deorſum terram verſus ſpectet, item ſi in lecto dorſo incumbat, præcedit illam tinnitus aurium ſimilis illi, qui leipothymiam antecedit, quem diſſipat digitis in aures immiſſis & valide commotis. Quando caput obſtipum eſt & veluti zonâ ſtringitur, tum inquietum fit & turbatur videturque diſruptum iri, viſus obfuſcatur, putatque ſibi cadendum, ac objecta moveri inſtar papyri; evenit, quando coactus in uno loco manet, quando diu & fortiter loquitur aut ſe multum movet. Vocat illum capitis &

Cc colli

colli ſpaſmum, frequentius jejuno ſtomacho evenit. Similem ſpaſmum ante 3. annos paſſus eſt in digitis manuum. A frigore læditur & cerebrum ſtatim perturbatur. Laſſitudinem ſubinde in artubus experitur; jam aliquandiu quando per plateas ambulat, putat pedes antrorſum ſe non poſſe promovere & ſibi retrorſum cadendum eſſe, unde accedente perturbatione capitis ſudor frigidus exprimitur ac pallidus fit, ut ſedere cogatur, ſed non diu durat. Odontalgia pridem præcipuus ipſius & maximus morbus erat, afflixit maxime hyeme; mitigari tamen potuit: ante annum ſe hemicrania jungebat: dextro latere maſticare nequit, ibi dentes nec calida nec frigida tolerant. Hac ſeptimana rediit Odontalgia cum tumore genæ & tuberculo in gingiva, inde appetitus proſternitur. Ob ventriculi debilitatem mane templum non adit, timet leipothymiam, cui à puero obnoxius eſt. Defluxiones ad fauces noctu ipſum angunt. Tempore hyemali multa itinera fecit, perfriguit valde inprimis in nucha & occipite. *Purgatu* eſt facillimus *à Pilulis D. D. Scretæ, à* ℞☽, *ab ovis induratis, à vino rubro & albo à lacticiniis &c.* Diarrhæam ſuſtulerunt *N. M. decoctum Caffee.* Mutationes tempeſtatum ſtatim intra cranium percipit, cœlo ſereno optime ſe habet, pluvio ſtatim malum & ſtupor redit. Veſcitur cibis optimis: vinum generoſum juvat paucâ quantitate. Ex levi cauſa anxius fit, conſtrictio fortius redit illa, quâ vinculum circumjectum putat, ceu à zona. Multum ſe legendo *varios Authores Gallic. Italic. Hiſpanic. &c.* exercuit. Nullos fructus crudos ſcil. poma, pyra &c. à 20. annis comedit. Eſum melonum cum ſacch. & pipere pertulit *Bernæ.* Actu frigida appetitum tollunt. *Medicamenta metallica & purgantia* ipſius ventriculus non tolerat. *Hæc mihi Bernæ coram narravit M. Aug.* 1686.

Conſilium exhibui d. 14. *Aug.* 1686. *Bernæ.*

CErebrum videtur afflictum in ſua medulloſa ſubſtantia, unde vertigo tenebroſa à lympha intima ſubeunte ſed pauca, quia tantum momentanea eſt: ob metum magis perturbantur ſpiritus animales, cùm metus tantus ſit, ut ſudorem exprimat. Ad recipiendam lympham laxiores poros medulloſos fecerunt intenſæ meditationes, odontalgiæ. Præter medullam cerebri etiam meninges & quidem nervi affliguntur à lympha acri, unde collum obſtipum, conſtrictio ceu à zonâ & vehemens odontalgia. Lympha in poris mitiganda, diſſipanda, partes laxæ roborandæ. Propterea ſequentibus utatur. *Summo mane* in lecto ſumat ʒß. *hujus pulv. cum aqua flor. tiliæ,* poſt *pulverem* maneat in lecto per horulam.

℞. Pulv. Marchion. ℥ß. *C. C. ph. ppr.*
Ung. alc. ppr. ſuccin. alb. pp. āā. ʒiß.
Lapid. Bezoard. Or. ℈ß. *Occid.* ℈j.
Ambr. gryſ. gr. iiij. Ol. d. roriſmar. gtt. iij.
Sacch. alb. ℥ß. *Mſc.*

Mane & veſperi inungat verticem *hoc Balſ. Cephal.*

℞. *Ol. N. M. expr.* ʒiij.
deſt. majoran. roriſmar. āā. ℈j.
ſuccin. rut. āā. *gtt. vij. Mſc.*

Odontalgiæ causâ tuberculum in gingiva maturandum & aperiendum: poſtea dentes adurendi, qui cavi ſunt. Odontalgiâ nimis ſæviente bihorio à parca cæna *ſumat hunc pulv.* ℞. *Pulv. Fol. ſenn. gr: xij. ſpec. arom. roſ. gr. xv. Mſc.*

NB. Lympha per ſe apud homines acris eſt, ob ſal volat. & fixum: acrior fit à temperamento, laboribus, victûs ratione &c. ad hanc mitigandam plurimum etiam faciunt *decoct. Thee, Caffeè, Chocolata &c.* Fugiat omnia viſcida, ut pedes & interanea animalium, piſces pleroſque, frixa, acida, pinguia, valde dulcia, aromatibus condita, ſalita valde. Bibat vinum maturum generoſum, ſi ſentiat ab illo inflammari, illud *hoc decocto* diluat. *coq. lign. viſc. quern.* ʒij. *in aq. Fontan. menſ. j.* contra frigus & omnes aëris injurias probe ſe muniat, in lucubrationibus & ſeverioribus meditationibus ſe moderet, animi tranquillitati, quantum vires ferant, ſtudeat.

Hiſce D. T. O. M. benedicat.

Joh. Jacob Wepfer, M. D.

OBSERVATIO LXV.

Perturbatio Spirituum animalium intra Cranium.

N*obiliſſ. Dominus N. N. Tigurinus Primarius Vigiliarum Magiſter Palat.* 39. annorum, ſtaturæ juſtæ, carnoſus, facie citrina præditus. Adhuc junior *Genevæ* paſſus eſt affectum, quem hypochondriacum *Medici dixerunt:* varia adhibuerunt remedia *Medici*, ſæpius brevibus intervallis V. S. fuit: *fronti, pectori, podici admoverunt hirudines: ſæpius purgarunt* ſine levamine. Elapſus *ex Medicorum manibus* ſponte

convaluit. *Arelati Gallorum* graviter bregma ſiniſtrum à caſu catenæ ferreæ vulneratum fuit, ſumme inde perturbabatur, ut vix mentis compos fuerit, vulnus demum poſt 8. ſeptimanas conſolidatum fuit: ab illo tempore circa locum affectum tempeſtatum mutationes prænoſcit. Capillitium denſum & prolixum geſtat, & tam moleſtum, ut illud ſæpe aliquot diebus pectinare non audeat: ardorem patitur in cervice, dolet ſubinde ſupra oculum dextrum. Capillitium nativum aliquando detondere cogebatur, unde melius habuit, nec pectinatio nocuit. Geſtavit diu factitium maxime dum in aula verſabatur. Vere 1683. ſumſit *potionem purgantem*, quæ intra biduum centies prope purgavit, dabantur poſtea *Pulv. adſtring. & roborantes*. *Menſe Octobr.* 1683. *mane ſumſit pil. meas cephal.* Purgarunt blande. Veſperi cum diu morari in cella cogebatur, ob vas vinarium perfluum, atque eo uſque donec vas illud depletum ac in aliud repoſitum fuerat, quod demum poſt aliquot horas fiebat: Noctu poſt ſomnum horarum duarum correptus fuit ſymptomate quodam, cujuſmodi antea per totam vitam nihil quicquam paſſus eſt, quod hactenus aliquoties nocte tertiâ vel quartâ nunc fortius nunc mitius rediit, ſemper poſt ſomnum duarum vel trium horarum. Ab hoc ſymptomate expergeſit & primum vertigine quâdam ſeu potius perturbatione quâdam corripitur, angitur, gravius quid imminere ſibi imaginatur, expalleſcit, extrema frigent, ſitit, bibit aquæ circiter menſ. un. ſudat largiter, verſus tempus matutinum rurſus indormiſcit, ſuaviter dormit, mane nihil adverſi ſentit. Cùm hoc autumno noctu ſuper ſcamnum dormiviſſet, mane ſtans ſubitâ quoque perturbatione correptus fuit, loquela vitiabatur, ut intelligi nequiret, digiti aliquandiu rigidi & extenſi manſerunt, poſtea motu quodam tremulo ſuccutiebantur. Obſervavit magis hoc evenire noctu, ſi *pilul. ex Ther. cœl. ℳ il. de Cynogl.* ſumat: magis prodeſt *ſpir. C. C. noctu ſumtus*. Cæterum omnibus ſenſibus internis & externis valet, niſi, quòd aures obtuſiores putet. Caput non eſt grave: interdiu nec gyroſam nec titubantem vertiginem patitur. Appetit, à cibo non gravatur, non nauſeat, nunquam vomuit, alvus aperta, urina eſt citrina. Reſpirat facile, montes ſcandit inter venandum ſine ullo impedimento. Pulſus eſt mediocris. Non eſt laſſus. Satis temperanter vivit, ad 20. ætatis annum hydropota fuit. Inſomnia multifaria patitur; maxime ſe volare ſomniat. Multum ſalivat. Pridem *fumo & pulvere Tabaci* utebatur: utrumque jam diu intermiſit. *Die* 29. *Menſ. Novembr.* 1683.

Reſolutio.

SYmptoma hoc aliquam affinitatem habere videtur cum incubo, quia tantum non ſemper in ſomno poſt unam alteramve horam evenit; idque

idque ob perturbationem quandam Spirituum Animalium propter motum quendam illorum impeditum. Motus impeditur tum à cauſa ſomni ordinaria, tum à læſione vel ab afflictione acceſſoria à vapore vini recentis, quem per longam moram in cella vinaria hauſit; vapores facilius, promptius & gravius læſerunt cerebrum, quod à vulnere bregmatis debilitatum & contuſione à catena ferrea ponderoſa non parum commotum fuit & adhuc tempeſtatum prænuntium animadvertit. Caput à nimio capillitio gravatur quoque, ſitis ſupervenit per accidens, quia à ſymptomate excitatur, quando natura in media coctione occupatur. Mane ſummo bene dormit, quia tunc ſpiritus animales non tam potenter ligantur. Dum ſuper ſcamnum dormivit nuper mane hoc ſymptoma evenit, quia non edormivit, nec vincula ſenſuum ſufficienter diſſipata fuerunt. In ventriculo vix cauſa latebit, quia appetit, à cibo non gravatur, non nauſeat, nec vomit, nec os amaricat. Suaſi 1. *Pulv. cephal.*

℞. Pil. Reg. compl. ʒij. *C. C. ph. ppr.*
Ungul. alc. pp. ♁ *diaphor.* ãã. ʒj.
Ocul. ♋ *ppr.* ʒij. *Succin. alb.* ʒj.
Ol. N. M. expr. gr. vj. Sacch. alb. ℥ij.
Mſc. F. Pulv. Doſ. Mane ʒj. *cum aq. roriſmar.*

2. *Purgetur ſemel in menſe Pilulis cephalicis.* 3. Noctu ſumat *ſpirit. C. C. rectif.* 4. utatur *pulvere ſternutat. ex pulv. ſternutat. pretioſo pulv. roriſmar. add. gt. j. ol. deſt. ſuccini albi.* 5. *Fonticulus* propediem in brachio ſiniſtro excitetur. 6. Capillitio detonſo crebro ſe pectinet *pectine buxeo* à Fronte incipiendo retrorſum. 7. Cæna ſemper ſit parcior prandio. *D.* 18. *Decembr.* 1683. *in brachio ſiniſtro Fonticulum inuſſi.*

Die 7. *Januarii* 1684. ſcribit ſe à tribus ſeptimanis *ex uſu medicamentorum* nihil adverſi ſenſiſſe, at *die* 6. *Januar.* ſcil. die novilunii toto die debile caput exſtitit: ſalivam acidam ex ductibus ſalivaribus in os ceu ab auribus & poſt uvulam in fauces effluere ſentit. *Pulverem Cephalicum* conſumſit, qui ſemper ultimis diebus debilitatem quandam per horam peperit. Capitis debilitas manet, commovetur à quovis ſonitu graviore ſcil. clamore, ſtrepitu forti: imo cibo & potu fortiore, ut perturbatio ceu vertigo nocte redeat & vix 3. vel 4. horas dormiat: ab hac perturbatione pedes incaleſcunt, veretur Convulſiones: *purgantia* non bene tolerat. Ab illo tempore perturbatio aliquoties evenit *ad diem ſcil.* 3. *Febr.* 1684. Incepit vel à ſenſu frigoris in planta pedis ſiniſtri, vel à dolore lumborum cum horrore, vel à formicatione circa verticem, evenit quoque ſumtis *ſuaveolentib. ambratis.* Item *à po-*

tu vini Abſinthites. NB. *Odorata ſcil. Balſ. Apoplect. Pulv. contr. flux. tam ſuaveolentia, quam fœtida, item ira, vinum, juniperin. paroxyſmum excitant.* Contigit hactenus non ſolum noctu ſed etiam interdiu: ceſſat à ſcreatu forti, aut epoto Cyatho vini. Præſente paroxyſmo angitur, tremit artubus, non amplius tamen digiti rigidi fiunt. Incipit plerumque à ſiniſtro latere quilibet prodromus perturbationis.

Die 5. & 6. Nobiliſſ. Dominum rurſus conveni. Ex recenſitis & omnibus rite examinatis confirmor magis obſtaculum quoddam in cranii parte interna latere, quod liberum ſpirituum animalium motum impedit, illos aliquo modo perturbat. Natales primùm debet contuſioni oſſis ſyncipitis à catena ante plures annos factæ; nam ab illo tempore tempeſtatem prænuntiam circa cicatricem percipit, deinde læſiones paroxyſmum præcedentes plerumque in parte ſiniſtra percipit. In apricum rurſus deduxit, vel potius obſtaculum auxit longâ in cella morâ, & hauſtus vaporum vini recentis aliquot horarum & diuturnius, nam ab illo tempore hæc perturbatio manifeſtior evaſit. Obſtaculum probant paroxyſmi etiam interdiu evenientes *à potu vini abſinthit. Juniperi, item ab odoratis rebus ſuaveolentibus aut fœtentibus valde, ab ira &c.* nam ſanguine & ſpiritibus celerius ab his motis ſtatim illum experitur. Eundem quoque accerſerunt *Pil. ther. cœl. pulv. cum pil. reg. compl. confect. alk. compl. in aqua meliſſ. mixt.* Nuper ſaccum farinaceum inter jocos farinâ infarctum ponderoſum valde dentibus arreptum per hypocauſtum geſtavit cum omnium ſtupore: paroxyſmum quidem non excitavit, at hinc defluxiones dolorificæ ad cervicem per dies 2. vel 3. durantes factæ ſunt. Senſus formicationis circa verticem ſedem mali non procul à torculari eſſe innuit, licet quoque ejus prodromos in planta pedum & lumbis ſenſu quodam frigoris præſentiat. Cauſam ſeu impedimentum non magnum amplius eſſe patet, quia interdiu illum abigit forti ſcreatu, hauſtu vini: digiti non amplius rigidi fiunt. Juvatur magis *à Spir. C. C. quam ab opiatis ſcil. ther. cœleſt. Pil. de cynogl.* Eſt robuſtus, vegetus, omnibus ſenſibus internis & externis valet. Ab hypochondriis malum ſcaturire plane non eſt probabile, quia nullum in his partibus vitium animadvertitur. Obſtaculum impreſſum à percuſſione cranii à catena vix removeri poterit, utpote malum inveteratum; at recens à vapore vini diu hauſti, quod tamen non valde odoratum eſſe debet, ne ſpiritus & ſanguinem magis exagitet. Propterea *ſummo mane ℥ß. hujus pulv. cum aqua flor. tiliæ ſumat.*

℞. C. C. ph. ppr. ℨ. Ung. alc. ppr. ℨij.
Pulv. rad. Pœon. Cinnab. nat. Hung. ãã. ℨj.

Ocul.

Ocul. ♋. *ppr.* ℥iß. *Matr. perlar. ppr.* ℈ij.
Ol. N. M. expr. gr. iij. Tab. man. Chr. perlat. ℥ij.
Mſc. F. Pulv.

Si noctu valde urgeat & terreat, ſumat *Spir. C. C. rectif. à gtt. vij. ad xij. cum eadem aqua*, cùm præſtiterit hic *opiatis, ther. cœl. & ſimilibus anodynis*, quæ malum auxerunt. Capillitium auferendum curet, geſtet artificialia: mane ſe diligenter pectinet. *Purgetur* Vere & Autumno *pil. cephal. aut aliis blandioribus*, poſtea V. S. *Fonticulum apertum* teneat.

Menſe Martii 1684. ſuaſi *pulv. laxant.* ℞. *Crem.* ♀ ℨß. *diagryd.* 🜂 *gr. iiij. Lap. prunell. gr. j.* ab hoc dejecit duodecies cum εὐφορία. Inde melius ſe habuit in corpore & capite: poſtea V. S. fuit, ſanguis erat rutilus cum ſtriis nigris pauca aqua. *Pulvis præcipitans* aliquoties ſumtus nullas turbas facit, ut alia medicamenta in capite.

Die 16. *Martii ſcribit ſeq.* Saliva adhuc copioſe effluit ex ore. Veſperi ſentit quandam debilitatem, unde apoplexiam timet, ſumto cibo metus & debilitas evaneſcit. Appetit, venando percurrit montes & valles ſine impedimento. A venere non multum læditur, debilitat caput ſed per momentum. Hodie in vertice doluit, ac ſi aliquid ſub cranio eſſet, ab attactu dolor exacerbabatur, cubitum iturus ſenſit obtuſionem quandam, dormivit ad 11. noctis: ſequebatur perturbatio cum ſenſu motûs intra caput, ac ſi aliquid teli inſtar exploderetur, ſequebatur dolor cervicis, Horror & anxietas cum metu apoplexiæ.

Die 17. *Martii* 1684. ſuaſi ut *Mane hora* 5. *aut* 6. *ſumat de pulvere nuper ordinato* ℨß. *cum aq. Flor. Tiliæ. Horâ* 7. *mane & horâ ante prandium atque horâ ante cœnam bibat* ℥vj. *Decocti Mſr. de l'Orme.*

℞. *Rad. cichor. Tarax. acetoſ. gramin.* āā. ℥ß.
Herb. Fragar. agrimon. āā. *Mj Flor. Borrag. Bugloſſ.* āā. *P. ij.*

Coq. in 4. *Menſ. aqu. fontan. lento igne horis duabus. Tandem affunde Menſ. j. aq. font. & ſtatim remove ab igne: frigefact. ſua ſponte col.*

Menſe Aprilis ſcribit decoctum rubrum & pulverem conduxiſſe, nec huc uſque perturbationem expertum fuiſſe: Ventriculo vacuo male ſe habet, patitur dolorem quendam conſtrictivum ac aliqua tormina unde caput debilitatur. Salivatio remiſit, niſi in potu excedat.

Die 19. *Decembr.* 1684. *Ipſum conveni*, hactenus nullam neque vertiginem neque perturbationem paſſus eſt; diu *nullis medicamentis* uſus eſt. *Præcautionis gratiâ ſuaſi pulv. Marchi. & cinnab. nativ.*

Die 31.

Die 31. *Decembr.* 1684. A tempeſtate mutabili percipit formicationem in vertice & ſyncipite, inde tendit ad dorſum, ubi percipit horrores, hinc dolores & æſtum, circa novilunium imprimis hæc patitur. Commendavi ipſi *Frictiones*.

Menſe Octobris 1685. Quamvis defluxiones ad cervicem, Os Sacrum & pectus fierent, nihil tamen de hac perturbatione jam à multis menſibus expertus eſt.

OBSERVATIO LXVI.

Perturbatio Spirituum Animalium ſequentibus Epilepſia, & Apoplexia funeſtâ.

DOminus N. N. 47. annorum, ſtaturæ longioris, gracilis, à puero agilis, ingenioſus, Juvenis omnibus exercitiis equeſtribus deditus, in illis plurimos, ſaltando quoque & geſticulando ad ſtuporem vincens. Variarum linguarum peritus, *Orator*, *Poeta*, *Mathematicus*, *Pictor* &c. Diu in *Galliâ*, etiam *Bataviâ* vixit: profundius meditans inter pingendum aut inter tractandum *Mathematica* aut inter componendum *Poema* quaſi in ecſtaſin incidit. Pridem Hemicraniam in ſiniſtro latere paſſus eſt, nunc rarius & potiſſimum à frigore, quod capiti noxium experitur, unde *Capillitium factitium* geſtat & caput noctu vittâ bene obvelat fere laneâ ſemper: odontalgiam ſemel expertus eſt: Hemicrania nullum ſtatum tempus obſervabat; plerumque veſperi ipſum invaſit: frequenter doluit in medio ſyncipite. Foveam triangularem habet circa regionem oſſis lambdoidei. Nullæ in capite nattæ obſervantur, quamvis plures ex hac familia illas hic habeant. Vertiginem titubantem pridem expertus eſt. Jam diu quoque mane, ſive noctu quiete ſive interruptim dormiverit, poſtquam ſurrexit perturbationem ſpirituum animalium & ſtuporem quendam experitur, ob quem ad negotia minus compoſitus eſt, imprimis in illis, quæ ingenii conſuetum & neceſſarium acumen poſtulant; quandoque hæc perturbatio veſperi evenit: non tamen quotidie illam animadvertit. Aures non tinniunt, quamvis cerumine abundet. Lumbago multis annis moleſta eſt: à duobus annis debiliores pedes ſunt, ſi diu obambulet ardorem in plantis permoleſtum ſentit, quandoque etiam brachia debiliora ſunt: nullum tamen formicationis ſenſum animadvertit. Expeditâ reſpiratione fruitur, pulſum habet in ſiniſtro carpo immerſum ut vix inveniri poſſit, in dextro vero facile occurſantem, nuper poſt 21. ictum, unus emanſit, hactenus pulſu rurſus explorato inter 60. ictus nullam intermiſſionem inveni. Somno pomeridiano raro indulget, niſi debilis ſit, ac tunc quidem non in ſella ſed in lecto ſomnum capit. Annis

Annis 20. in primo Matrimonio vixit in continuis litigiis, quæ quoque in ſecundo non deſunt, nam iracundior quoque eſt, ac naturâ erat: nam aliàs plane jovialis eſt & temperanter ſemper vixit. Officium, quo nunc à triennio fungitur, multùm moleſtiæ ipſi parit, utpote Præfectus N. N. pridem *Acidulas Deinaccenſes* cum fructu bibit. *Anno* 1689. *Menſe Junii* bibit domi *Acidulas Rippliſavienſes* mane: poſt meridiem multum occupabatur ſcribendo, unde vertigo titubans gravior ipſum afflixit, ac metum non exiguum incuſſit, ſupervenit tandem cholera, in qua multa bilioſa ſurſum deorſumque egeſſit: poſt 6. ſeptimanas *Menſe Auguſti* dyſenteriâ periculoſiſſimâ correptus fuit: ab illa curatus, perturbatio ſpirituum animalium frequentior & fortior evenit, hypochondria inflabantur, angebatur ſubinde circa præcordia, vomuit quandoque viſcida & acida, quandoque dulcia aut inſipida: non appetiit, comedit nihilominus: alvus quotidie aperta. In urina ſubſidet ſubinde ſedimentum viſcidum, aliquando furfures fuſci. Color faciei vividus manſit: habitus imminuebatur, prodiit in publicum. Uſus aliquandiu *mane cremore hordei cum pulvere præcipitante* cum ſymptomatum remiſſione: recruduerunt *Menſe Martii* 1690. *die* 16. *Martii* ſubito mane Alaliâ correptus fuit, ſonos quidem edere valuit, ſed nullas voces articulatas, ſymptoma tamen hoc brevi tempore duravit. Uſus eſt *liquore diaphoretico & cephalico*, *tabulis cephalicis* .. poſtea etiam *gelatina ex carnibus & pedibus vitulinis &c. Die* 9. *Aprilis* 1690. poſtquam ipſum examinaſſem & mihi rariora ſua artificioſiſſima oſtenderat, ſubito valde circa præcordia angebatur, ſudorque frigidus exprimebatur in fronte, circa 9. matutinam ſequebatur vomitus cum magno nixu, unde ceſſavit anxietas. *Die* 24. *Aprilis cum Tribunis plebis* in campum, fontium causâ, exſpatiatus eſt; in cæna paulò plus bibit, quàm conſueverat jam diu; quoniam *d.* 25. *Aprilis maturius* & nondum cænâ digeſtâ ſurgere cogebatur, Alaliæ quid rediit, certa verba non expedite aliquandiu pronuntiare valuit: anxietas cum nauſea, quæ aliquandiu emanſit, *d.* 26. *Aprilis* rediit, ſed non tam fortis uti nuper *D.* 28. *Aprilis.* Equitationem aliquo uſque tentavit, verum illam, imprimis ob perturbationem ſpirituum animalium tolerare nequiit.

Die 29. *Aprilis.* poſt meridiem dum ad ædes *Domini Conſulis* illum præſtolabatur, ſubito viſûs obtenebratione correptus fuit & aliquandiu legere nequiit, perturbatio ſpirituum animalium moleſtior fuit, huic viſûs vitio nullam anſam in prandio dedit ullo errore.

Reſolutio.

Spiritus animales intra cerebrum ſenſibus inſervientes, jam diu quandoque in ſuo motu impeditos, indeque perturbatos, nec ſenſibus in-

ternis & externis debite inſerviiſſe, manifeſtum fit ab ecſtaſi, quam incurrit, à profundâ meditatione inter componendum, pingendum, concipiendum &c. à vertigine titubante pridem, imprimis dum *Acidulas* bibit *Anno* 1689. non obſervatis legibus in hac cura debitis: ab ineptitudine ad cogitandum ſolito acumine mane poſtquam ſurrexit, quandoque etiam veſperi imprimis patet ex alalia brevi *die* 16. *Martii & d.* 26. *Aprilis*: ut & ex visûs obtenebratione *die* 29. *Aprilis*. Impedimentum motûs ſpirituum animalium in cerebri porulis productum fuit ab intenſis ingenii laboribus, unde ſpiritibus conſumptis crudior humor in illis perſtitit, vel illis ſe profundius inſinuavit; ab ira frequenti & vehementi quovis tempore ſive ante ſive poſt paſtum, unde ſanguis concitatius ad profundiora per capillares arteriolas adactus fuit, ſerumque poſt ſe reliquit; à tædioſo officio propter quod intempeſtive multumque ſcribere debet; imprimis etiam *ab illegitimo acidularum potu*: fovet quidem malum hypochondriorum diſpoſitio pravior. Cerebrum lubentius admiſit illuviem, quia frequenter dolet in medio bregmate & aliquando atrocem Hemicraniam paſſus. Medullæ aliquid horum jam accidere & impotentia pedum & brachiorum atque lumbago innuunt, licet adhuc ſenſus formicationis abſit.

Affectus hypochondriacus agnoſcitur ex illorum inflatione frequentiore poſt dyſenteriam perpeſſam, anxietate ſubinde adhuc affligente, ut nuper *die* 9. *Aprilis*, vomitu quandoque acido, ſatis violento, appetitu non quidem penitus proſtrato; tali tamen, quo quidem ad cibum aſſumendum non invitatur, comedit tamen in prandio & cæna. Affectus iſte originem ſuam debet choleræ & dyſenteriæ, & nunc magis pendere videtur à denudatione membranæ nerveæ ventriculi & coli, quàm à pravo fermento harum partium, aut notabili cacochymia, quia alimenta concoquit & fæces coctas egerit.

Indicationes igitur erunt, 1. reſtituendum eſſe Spiritibus Animalibus in cerebro & ejus medulla liberum commeatum, remotione obſtaculi, quod ſerum exiſtimo. 2. Cogitandum eſſe quomodo ventriculi & coli denudationes demulceri, & humores, ſi quod à vomitu vitium contraxerint, corrigi poſſint.

Quum *Thermarum Fabarienſium potus* à ſuis amicis familiaribus multum laudaretur, ſummo cum deſiderio has, ſi vires ferant, adire affectat futura æſtate: Harum potu legitime inſtituto ac cum omnibus præcautionibus adhibito utrique indicationi ſatisfieri, DEO volente, poſſet.

Hoc itaque Vere *menſe ſcil. Maji per* 15. *dies harum pilular. numero* 9. *aut* 10. *cum aqua flor. Tiliæ ſumat mane hora* 6. *vel* 7.

℞. *C. C.*

℞. *C. C. phil. ppr. Ungul. alc. ppr.* ãã. ʒj.
Diaph. ♃. *cinnab.* ♁*ii rectif.* ãã. ʒiß.
Ambr. gryſ. ſp. roſar. ſ. q. ſolut. gr. vj.
Ol. d. roriſmar. gtt. ij. Extr. beton. & *ſalv.* ãã. *q. ſ.*
Mſc. F. pilul. ex ʒj. *num.* 40. *conſperg. pulv. ſantal citrin.*

Dimidiâ horâ poſt ſumtas pilulas bibat hujus juſculi ℥iiij. *vel v. calide.*

℞. *Radic. caryophyll. recent.* ʒij.
Herb. recent. cochlear. naſturt. hort.
chærefol. majoran.
Flor. Paralyſ ãã. *Pj. ſem. fœnicul.* ʒj.
Paſſul. major. exacinat. ℥ß.
Inciſ. & *contuſ. Mſc. indantur lagenæ ſtanneæ:*
Affund. juſcul. carn. non ſaliti ℔iiß. *ebull. per quadr. hor.*
Poſtquam ſponte refrixerit, coletur citra expreſſionem.

Poſt potum per horam blande obambulet.

Finitâ hac *pilularum* curâ, antequam *Thermas Fabarienſes* adeat, *purgari* poſſet *hac potione.*

℞. *Fol. ſenn. ſ. ſ.* ʒiij. *Rhabarb. elect. Agaric. alb.* ãã. ʒij.
Crem. ♀. ʒj. ⊖ ♀. ℈j.
Herb. Beton. Flor. Acatiar. bugloſſ. ãã. *Pj.*
Sem. fœnic. ʒj.
Inciſ. & *contuſ. Mſc. infund. cum aq. fervid. q. ſ. in vaſe vitreo bene clauſo; ſtent per noctem in loco temperato, mane leni facta ebullitione, coletur citra expreſſionem.*

In colaturæ ℥v. *ſolv. Mannæ Calabr. el.* ℥iß. *Iterum coletur. Colaturam mane horâ ſexta ebibat ac poſt horas duas bis vel ter ad prandium uſque ſumat juſculum.*

Poſt tres dies *Venam in dextro brachio ſecandam curet* emittendo ℥iiij. *vel* ℥v. ſanguinis.

Ad iter ſecum ſumere poſſet. 1. *Balſamum Cephalicum.*

℞. *Ol. nuc. moſch. expr.* ʒiij.
deſt. majoran. roriſmar. ãã. ℈j.
rutæ ℈ß. *ſuccin. alb. gtt. vj.*
Balſam. apoplect. ℈j. *Mſc.*

Hujus pauxillo verticem illinat & quandoque illum odoretur. 2. *Elæoſaccharum,*

℞. *Sacch.*

℞. *Sacch. alb.* ℥*ij. Eſſ. ambr. ſicc.* ʒ*j.*
Ol. n. moſch. expr. ʒß.
deſt. roriſmar. major. ãã. ℈*j.*
cort. citr. gtt. vij. cinamom. gtt. ij. Mſc. diligenter.

Hujus ʒ*iij. vel* ℥ß. *permiſceat aq. flor. Til. vel ſaltem aq. font.* ℥*iiij. vel* ℥*v. de hac ſæpius ſumat cochl. j. vel ij.* præſente Alaliâ, visûs obtenebratione aut inſigni ſpirituum animalium perturbatione.

Si *ad Thermas* pervenerit & ab itinere quieverit *potum harum* incipiat mane à Libr. j. ſingulo mane Libr. j. adſcendat, donec ad Libr. 5. vel 6. pervenerit: in ſumma doſi maneat dies 8. vel 10. poſtea quotidie demat Libr. 1. ſi in ſumma doſi tot libras perferre non poſſet, libram unam aut duas paucius bibat, nec plus ingurgitet, quàm ventriculus optime tolerare valuerit, ac ipſe cum appetitu biberit. Ut ventriculus potum promptius toleret, comedet *fruſtulum Tabellar. aromat. Officin. A potu Thermarum* per unam alteramve horam blande obambulet, nolit nimium ſe movendo ſudorem violenter cogere: ſi libuerit, poſſet *ab harum potu* per duas aut plures horas lecto ſe committere & culcitrâ prope ſe cooperire, hoc enim modo *Thermæ potæ* aut per ſudores aut per urinas aut utrinque promptius ſecedunt. Si non, uti decet per urinas tranſeant, *ſumat circiter* ℈*j. hujus pulveris in primo Thermarum hauſtu* ac à potu in lectum decumbat.

℞. *Crem.* ♀ ʒ*iß.* ♀ ⊕*l.* ʒß. *lapill. ocul.* ♋. *ppr.* ʒ*ij.*
⊖ *Juniper.* ʒ*j. lap. prunell.* ℈*j. ol. d. ſuccin. gtt. ij.*
Sacch. alb. ℥*iß. Mſc. F. Pulvis.*

Si alvus non reſpondeat ſumat horâ unâ ante prandium *Maſſ. Pilul. Al. c. Rhabarb. gr. xiiij. ad* ℈*j. in pilul. format.*

Inſeſſu Thermarum pro ablutione corporis bis vel ter & qualibet vice vix ultra duas horas utatur ſed non ad excoriationem.

Veſcatur cibis boni ſucci & facilis digeſtionis: bibat vinum vetus moderate, ſi ſitiat vinum aquâ diluat.

Ab initio *harum Thermarum uſu* aquæ ingeſtæ non rite & ſufficienter nec per alvum nec per urinas ſecedebant, inde abdomen inflabatur ac anxietates permoleſtæ excitabantur ſine tamen vomitu, *pilul. aloë cum Rhabarb.* nihil effecerunt nec *pulvis aperitivus* urinas promovebat, tandem *potionem laxantem cum manna* ſimilem iſti, quam antequam *ad Thermas* abiret, ſumebat, præparare curavit ac uſurpavit, à qua copioſiſſime multis ſcybalis prius eductis ſine torminibus cum euphoria purga-

purgabatur, ſimul etiam urinæ in copia profluebant, unde multum allevabatur ac *Thermarum potum* cum optima tolerantia & optato effectu abſolvere potuit.

Initio menſis Julii 1690. Sanus domum rediit, itineris moleſtias optime pertulit: ab omnibus perturbationibus ſpirituum ac anxietatibus ſe nunc liberum & plane reſtitutum, uti ſibi videbatur, gloriabatur: per aliquot ſeptimanas in tali ſtatu permanebat ac de nulla moleſtia conquerebatur: propterea nullis aliis medicamentis præter diætam uſus eſt. *Die 3. Auguſti,* quum ſcribendo, ratiocinando aliisque, quæ officium ſuum exigebant, multum occupatus eſſet, denuò aliqualem ſpirituum perturbationem cum vertigine titubante ſed leni adhuc animadvertebat, propterea ipſi *hunc Pulverem* ſuaſi.

℞. *Pulv. Rad. Valerian. ſylv. Pœon. mar.* āā. ʒiij.
Ung. Alc. ppr. diaph. ♃. cinnab. ♁ij. āā. ʒj.
Ol. d. roriſmar. gtt. ij. ſacch. alb. ℥iß. *Mſc. F. Pulv.*

Doſin a ʒß. *ad* ℈ij. *mane & veſperi cum aq. fl. til. ſumat,* ſuperbibat *infuſum herbæ* Theæ: Diætam ulterius ſtrictè obſervet.

Die 30. Auguſti, inter ſodalitium honeſtum animi recreationis cauſa commoratus correptus fuit vertigine: perturbabatur, ut animi ſenſa exprimere nequiret. Angebatur valde, ſudavit, ex ſodalitio ivit ad ædes proprias, poſt ſumptum juſculum vomuit, circa 10. noctis loquebatur quidem *cum ſuo Medico,* manſit tamen perturbatio. Circa noctis medium rediit anxietas cum vomitu & tanta perturbatione, ut neminem agnoſceret: largiſſime minxit, querebatur de capitis & axillæ dolore: iſta ſenſuum internorum ligatio continuavit. Ante tertiam matutinam ſ. vehementiſſimos paroxyſmos epilepticos paſſus eſt, inter unum & alterum paroxyſmum & aliquandiu poſt ultimum jacuit inſtar trunci, reſpiravit cum ſtertore; fortiter compreſſis digitis & *liquore ex euphorb. aceto mixt.* naribus illito, nullum ſenſûs indicium præbuit, ac ſi forti apoplexia tactus fuiſſet. Ante ſ. matut. ceu à profundo ſomno expergefactus brachia in altum ſuſtulit, & ceu è ſpectro territus inconditas voces emiſit, illaque quaſi fugere annitebatur: tandem quietior factus fuit, omnes artus movit: intra biduum ſenſim vires recuperavit, ut ſuis negotiis more ſolito fungi potuerit.

Die 18. Novembr. Ante meridiem ſenſit ejaculationes quaſdam in buccæ parte dextra cum aliqua punctione, timebat aliquem inſultum: pranſus eſt de hepate ſuillo, abiit ad præfecturam ſuam, ibi ſcripſit, circa veſperam ſtimulabatur ad ſeceſſum, ex verecundia propter adſtantes ſuppreſſit alvum, ſequebantur tormina, mox omnia aſſumta vomuit: corripiebatur vertigine, poſtea artus rigebant, ſupervenit

 ὀπισθό-

ἐπιςότονος, mox fortiſſima quaſi apoplexia ſequebatur: *ab excitantibus adhibitis*, movit brachium & pedem ſiniſtrum ac totum latus dextrum immobile perſtitit, os diſtorquebatur, verſus noctem ſoporatus jacuit, utrique carpo & tibiæ utrique ſub genubus *veſicatoria* applicabantur. Sequenti die ad mentem rediit, adſtantes agnovit; brachium pedemque dextrum movit: utitur *mixturâ cephalicâ cum liquore C. C. ſuccinat. &c.* Ante hunc inſultum præceſſit ira vehementiſſima, qualem nunquam antea paſſus eſt, cauſa zelotypia.

Die 5. Decembris denuo in dextro latere Hemiplegiâ corripiebatur, ſenſus ac motus in toto hoc latere abolebantur, ut digitis fortiter compreſſis nihil ſenſerit, nec hos moverit: tandem fortiſſimâ Apoplexiâ ſuperveniente *Die* 14. *Decembr.* 1690. *mortuus eſt.*

OBSERVATIO LXVII.

Perturbatio Mentis.

N*Obiliſſima Domina N. N. 63* annorum. Plethorica, Bronchocele affecta, plurium liberorum mater: multis curis exhauſta à pluribus annis, catarrhoſa, nephritidi obnoxia, aliquot calculos excrevit, ab equitatione aut motu corporis nimio cruenta mingit. *Circa principium Maji* 1680. veſperi horruit, ſubſequente æſtu: rediit ter alternis veſperis. *Die* 8. *Maji* data fuit *portio purgans ex infuſ. ſenn. rhabarb. &c. add. manna*, unde aliquoties dejecit. Veſperi in obambulante obſervata fuit quædam diſtorſio oculorum, cum faciei pallore: quando loquebatur, rebus ſua nomina imponere nequiit, quod ipſamet animadvertit, panem vocavit carnem &c. *Die* 9. *Maji* melius habuit. *Die* 10. *Maji Vena ſecta fuit*, ſanguis erat laudabilis. Circa veſperam rediit oculorum diſtorſio & iſta memoriæ hallucinatio. Circa octavam noctis prandium evomuit, doluit tunc quoque regio renis & ureteris dextri. Lectum petens, ſenſit anxietatem quandam cum ſudore prope frigido eoque largo. Tum prægreſſis diebus, tum ſequentibus quidquid negotiorum ſuſceperat, tractavit lente: incedens pedes altius attollebat, quam conſueverat, ac ſi hæc provincia ipſi impoſita eſſet, ut altius ſolitò incederet; loquebatur non bene cohærentia. Aliquando ſitiit, aliquando minus: urina nunc valde tincta nunc pallida alternatim. Imprimis moleſtus fuit ſudor in lecto cum anxietate, propterea noluit penitus decumbere, obambulavit, aut toto die fere ſedit. *Fonticulus* & impetigo humida circa aream papillæ ſiniſtræ exaruerunt. Comedit

dit interea & bibit vinum dilutum in paſtu: dormivit. Symptomata hæc nunc mitius nunc fortius continuarunt *ad diem* 15. *Maji.*

Miſi *Doneſchinga doſ. ex* ♃*io diaphoret. Bez. miner.* ſumat mane & veſperi. Item parent *aq. cordial. ex infuſ. cinamom. addita doſi ex antimonio diaphor. &c. cum corall. rubr. ppr.* ℈*j. & pauxillo ſacchari.* His continuatis *ad d.* 22. *Maji* à 17. hujus menſis & fuga vini melius habuit & prope convaluit. *Die* 22. *Maji ipſam conveni:* Pulſus erat naturalis: urina non amplius tincta: cænavit bene: quamvis dies ille æſtuoſus valde eſſet, ipſaque mane hypocauſtum calefaciendum curaret, primumque ibi vinum rurſus conceſſiſſem. Noctu dormivit. Hactenus nullam paſſa eſt vertiginem, nec diu Cephalalgiam.

Die 23. *Maji* urina bene colorata laudatiſſimum habuit ſedimentum, pulſus naturalis: in paſtu bene comedit, tota die extra lectum manſit. Nullum vitium animadvertebatur in loquela, quamvis jamdiu memoriam debiliorem adſtantes agnoverint; imo jam ante annum ſimilem perturbationem mentis obſervarunt poſt ſomnum pomeridianum impeditum, evanuit vomitu & diarrhœâ. Idem factum in paroxyſmo nephritico. Noctu optime dormivit, non ſudavit.

Die 24. *Maji.* urina optima fuit, ut & pulſus: anxietas evanuit. mentis compos eſt & promptior in omnibus actionibus animalibus. *Diſceſſurus ſequens conſilium exhibui.*

Reſolutio.

PRimarium vel maxime conſiderandum videtur ſymptoma *in Nobiliſſima Domina Matrona* eſſe perturbatio illa ſpirituum animalium ob quam memoria hallucinabat, oculi pervertebantur, tardius unam alteramve operam peragebat, quàm aliàs promptiſſime peregit, & altus ille ingreſſus illæque ſine vertigine vel gyroſa vel titubante, etiam absque cephalalgia, licet aliàs in hoc paroxyſmo afflixerit, ſed per breve tempus manentibus his ſymptomatibus. Acceſſit pallor, anxietas & ſudoris largi expreſſio in lecto decubuæ, ſed ſine dyſpnœa, ac ſi cor ob hanc ſpirituum perturbationem ſpiritibus defraudatum aliquandiu fuiſſet.

Cauſa proxima eſt cerebri quædam imbecillitas, quam introduxit negotiorum multitudo & gravitas, quæ vel viri cordatiſſimi cerebrum ultra viginti annos durantia defatigare potuiſſent, & ſomnus pomeridianus, cui non rarò indulgere cogebatur, propter noctes inſomnes: debilitas conſiſtere videtur in occupatione pororum laxiorum cerebri ab humore aqueo ibi, ubi præcipue memoriæ ſedes eſt, unde nec vertiginem

ginem nec cephalalgiam patitur. Hac vice interruptio major facta eſt propter inſultum febrilem, agitationem humorum *à purgante*, quod *manna* ingrediebatur, quam aliàs abhorruit & ſemper adverſiſſima ipſi fuit, *Venæſectionem* & paroxyſmum nephriticum in hoc paroxyſmo etiam gliſcentem; nam doluit circa regionem renis & ureteris dextri & vomuit.

Quoniam *in anno Climacterico magno* verſatur & hæc debilitas à multis annis invecta eſt, Cerebrum imprimis corroborandum ſeu humor iſte, qui ſe poris inſinuavit, abſorbendus *Pulvere tali.*

℞. *Radic. Pœon.* ℥ß. *nuc. moſch. macis. ana.* ʒj.
Cinamom. acut. ʒij, *Cubebar.* ʒß.
Diaph. ♃. ʒiij. *C. C. ph. ppr. ung. alc. ppr. ana.* ʒij.
Succin. alb. ppr. ʒj. *ſacch. alb.* ℥iiij. *Mſc. F. Pulv.*

Sumat mane ʒj. *in lecto cum aqua roriſmar. vel majoranæ vel ſalviæ, veſperi* ʒß. *cum alterutra aqua nominata.*

Vertex inungatur *Balſamo cephalico mane & veſperi.*

Si *purgatione* indigeat, utatur *pilulis meis cephalicis*, quibus cum fructu antea utebatur idque noctu poſt cænam parcam: aut *decocto ex fol. ſenn. ſ. ſ. Rhabarb.* 🜄 *vin. alb. paſſul. prun. Damaſcen. abſque ſaccharo aut manna.*

Si nephritis urgeat, utatur frequenter *ol. amygdalarum dulc.* Inungat locum affectum *unguento nutrito*, alvum ſubducat *clyſtere anodyno. Emplaſtrum ex oleo olivar. melle, cremor. lact. ana cochl. iij. Mſc.* non improbo, quod *à Nobiliſſima Domina Matrona* laudatur. *Præſervationis gratiâ* uti poſſet *pulvere meo nephrocatartico, ſem. hyperici ſemel in ſeptimana.*

Si ob inſultus febriles, animi motus aut ab alia humorum perturbatione ſymptoma vehementer urgeat, omittat vinum, bibat *emulſionem:* utatur *♃io diaphor. cum Bezoard. miner.* imprimis quietem à negotiis quærat, imo plane illis nuntium mittat.

Si cordis debilitas urgeat, paretur *aqua cordialis ex infuſo cinamomi adde pulv. ex corall. r. pp. ſang. drac. ♃io diaph. matr. perl. ſacch. &c.* Paretur *nodulus* nari admovendus *ex Bacc. juniperi, caryophyll. rutæ.* Propter impetiginem areæ mammæ ſiniſtræ paretur *Emplaſtrum ex butyr. acet. madefact. cum oleo lini.*

Die 26.

Die 26. *Junii* 1680. Mane correpta fuit cephalalgiâ cum horrore & ſtimulo ad vomendum atque eructationes, quamvis nihil excreverit: tunc totâ nocte doluit in latere, dolor fuit pungens & exacerbatus à verſione corporis aut ab inſpiratione forti, ut exclamare cogeretur, dubium an pleuritis an nephritis? urina miſſa eſt turbida cum ſedimento craſſo ſeu mucoſo ſeu purulento.

Miſi *Ol. amygd. dulc. ſyrup. pect. & anodyn. Item pulv. febril. & antipleurit. ung. anodyn.* Brevi intra paucos dies reconvaluiſſe videbatur.

Die 17. *Julii* 1680. Correpta fuit catarrho ſuffocativo cum aſthmate vehementi. *Die* 18. *Julii* creſcente aſthmate *Filius meus adveniens* ipſam moribundam circa meridiem invenit: veſperi exſpiravit. Ob Bronchocelen difficilius ſemper reſpiravit.

OBSERVATIO LXVIII.

Perturbatio quædam Vertigini ſimilis.

Nobiliſſ. *Dominus N. N. Pr. ſupr. Meſskirchii*, natus eſt *Anno* 1642. *menſe Februar.* ſtaturæ juſtæ, carnoſus, temperamenti plane ſolaris. Pridem vertiginem paſſus eſt, quæ *uſu medicamentorum* remiſit. *Anno* 1682. cùm in diebus canicularibus Rhedâ *Leodio Bruxellas* veheretur, ſubito quadam perturbatione capitis correptus fuit, unde graviter commotus ac ſibi gravius quiddam imminere veritus eſt; propterea ex rheda exſiliit & pedes *Bruxellam* per horas duas contendit: in hoſpitium perveniens cibum averſatus eſt, ſitiit bibitque, non tamen multum ultra ordinarium. Præceſſerunt iſtam perturbationem negotia graviſſima, quæ multam & continuam prope animi agitationem & contentionem requirebant; quibus diu adhuc poſtea invigilare cogebatur. Perturbatio iſta poſthæc ipſum ſæpius invaſit, nullum ſtatum tempus obſervat, invadit ipſum frequenter poſt primum ſomnum quod plerunque 4. vel 5. horis durat & non raro ipſum expergefacit: quando poſt primum ſomnum indormiſcere vult, ipſum cum terrore excitat; brevibus intervallis aliquando ſæpius: corripitur illâ quandoque mane, circa meridiem etiam, poſt meridiem imprimis ſi equitet, atque equitans ſomno affligatur; ſi rhedâ vehatur: ſi ſtans diu *cum Illuſtriſſimo Domino* confabuletur: nuper *ſcil.* 20. *Novemb.* 1682. in principio prandii illâ terrebatur, dum ſubito feneſtram verſus proſpexit multaque lux derepente oculos illuſtravit. Frequentius ipſum invadit, ſi in potu excedebat, quamvis non inebrietur, quod alias nunquam fit, licet plus quàm alius biberit; item ſi ingenium mul-

tis negotiis defatiget: corripitur quoque illâ, ſi ante Confeſſionem intentius meditetur; item in templo magnâ populi frequentiâ, ſi per flumen equitet, terretur. Perturbatio hæc prorſus momentanea eſt & vix tam diu durat, quàm quis 10. numeraret. Cum illâ ita comparatum eſt, ſubitò conſternatur & ita turbatur, ut neſciat, quid ſibi ſubitò eventurum ſit, nec poſſit malum exprimere aut deſcribere; nihil in gyrum rapi ipſi videtur, nec titubat; ſemel ſibi cadendum putaſſet, niſi ſe proximo pariete ſuffulciſſet; ſtatim evaneſcit, ſi ſemet excitet ac malum maſcule excutiat, ſi apricum aërem captet, ſi frontem perfricet, quod 20. *Novembr.* & aliis vicibus fecit, ſi colloquendo aut vociferando paroxyſmum attraxit: in illo viſus non obfuſcatur nec objecta duplicia videt, at cor quaſi ſtringi videtur, unde non raro expalleſcit, ſudor frigidus exprimebatur, aliquando etiam pulſus intercipiebatur diu, non tamen ſemper expalleſcit. Putat in paroxyſmo fieri quandam phantaſmatum confuſionem & obnubilationem; nihilominus in illo omnibus ſenſibus valet ac ratiocinari valet: terretur tamen quia gravius quiddam timet: nam *Dn. Pater* 42. ætatis anno forti apoplexiâ mortuus eſt, qui largius tamen bibit & diu antea tremulus fuit. Poſt paroxyſmum nullam laſſitudinem aliamve labem animadvertit. Caput nullo prorſus genere doloris aut moleſtiæ afficitur: ingenio, judicio & memoriâ excellit, graviſſima negotia prompte & ſine magno labore perficit; ob ingenii facilitatem tantum non illis propterea obruitur: nullum quoque vel minimum vitium in ſenſibus externis animadvertitur, ut nec in aliis actionibus naturalibus & vitalibus: agilis eſt, nunquam otioſus. Nunquam ſomno pomeridiano indulget. *A purgante* horâ ſomni & *V. S.* quod ter hucuſque & primâ vice in ipſis diebus canicularibus factum fuit, aliquandiu ceſſavit. Uſus quoque eſt *cephalicis conſerv.* &c. *A confect. cubebar.* nimium incaleſcit.

Reſolutio.

PErturbatio hæc videtur fieri à ſpirituum animalium quadam commotione, & quidem ob quandam exploſionem humoris cujuſdam heterogenei medullæ circa thalamum opticum inhærentis ab acceſſu ſanguinis arterioſi recenter allati: nam ſubito & ex improviſo fit, ſubitoque evaneſcit: illam lux derepente oculos illuſtrans excitavit; quod etiam facit vociferatio, equitatio, vectio &c. conſpectus multitudinis in templo. Heterogenei aliquid huc allectum & detentum fuit ab intenſa meditatione; cumulatur à compotatione &c. Malo occurrendum, ne epilepſia magis quam apoplexia ſuperveniat: de cujus invaſione non tantopere timendum cùm omnibus ſenſibus valeat, nec capite gravetur vel doleat; eoque magis timendum de epilepſia videtur, quia oculi

oculi ſtringi & trahi introrſum videntur. Cor in conſenſum rapitur ob objectum terrificum phantaſiæ oblatum & præconceptum metum ex *Patris* obitu.

Proderunt 1. *Pulv. Anti Epilepticus.*

℞. *Rad. Valerian. ſylv.* ℥iij. *Pœon.* ℥ij.
♁ *diaphor. Diaphor.* ♃ *al.*
Cinnab. nativ. Hungar. ungul. alc. pp. ana. ℥j.
C. C. ph. pp. ℥ij. *pil. reg. compl. num.* j.
Ol. deſt. roriſmar. gtt. ij. *ſacch. alb.* ℥ij.
Mſc. F. Pulv.

De hoc pulv. mane ſumat ℨß. *cum aq. flor. Til.* per 2. ſeptimanas; poſtea in ſeptimana bis per aliquot menſes. 2. Triduo ante Novi- & Plenilunium duabus horis à parca cæna *ſumat Pil. meas cephal. ad gr. xviij. aut pilul. è ſuccin. Crat.* 3. *Venæſectiones* conſueto tempore non omittat. 4. Interdiu unam alteramve *harum Rotular.* in ore detineat ac ſenſim deglutiat.

℞. *Specier. Diambr. Diamoſch. ana* ℨj.
Pulv. Marchion. ℨiß. *Extract. lign. al.* ℈ß.
Balſam. Cephalic. gr. v. confect. alk. c. ℨiß.
Sacch. alb. in aq. fl. til. ſolut. ℥iiij.
Mſc. F. Confect. in Rotulas.

5. In victu fugiat frixa, pinguia, dulciaria, ebrietatem &c.

Contra hanc perturbationem uſus eſt *Acidulis æſtate* 1683. *& rurſus* 1684. *Dainacco menſe Junii* 24. 1684. *ſcribit.* Se in itinere æſtuante cœlo ante & poſt meridiem hanc perturbationem percepiſſe cum anxietate circa cor: quamprimum equitando oculos claudit, id ipſi evenit cum vertigine, quam exclamando tollit, imprimis ſi imaginatione illam augeat. Ante abitum *ad acidulas* prolixe de ſuo affectu ſcripſit *ad Filium meum Johannem Conradum*, qui *methodum acidulas bibendi* præſcripſit, ac *neceſſaria medicamenta* miſit.

Nuper *Ulmæ* paſſus eſt hanc perturbationem fortius quam unquam: nam *cum Excell. D. D. Beutelio* colloquebatur, ſubito ſpirituum talis perturbatio facta eſt, ut fortiter exclamarit, aliquid grave ſibi imminere atque ita perterritus fuit ab hoc phantaſmate, ut circa præcordia & hypochondria ſtringi & ſpiritum aliquantulum intercipi putaverit, ac in utroque hypochondrio doluerit. Hactenus quoties intenſe de hac perturbatione cogitat, protinus adeſt: petit ut adſtantes cum

ipſo colloquantur: hac ratione ipſam propulit hactenus, aut evitavit. Eſt momentanea, nec in illa titubat aut in gyrum aliquid verti percipit: excepta unicâ illâ vice *Ulmæ*, ubi ab hujus perturbationis phantaſmate valde perterritus caput vix erectum tenere valuit: alloquio tamen ſtatim evanuit. *Acidulas Deinaccenſes* bibens bis ipſum in die purgarunt, reliquum per urinas & ſudores ſeceſſit: cæterum affectus ab illis non imminutus fuit, nam hactenus varia itinera etiam æſtuante cœlo ſuſcipere cogebatur & continuo graviſſimis negotiis occupatur. Ante menſem, & quod excurrit, valde territus fuit à paroxyſmo epileptico, quem *Famulus Einſidlæ* perpeſſus eſt. Summo proin mœrore etiam obrutus fuit *Die 26. Julii* 1684. cum nova allata eſſent *Illuſtriſſimum Dominum Fridericum Comitem de Fürſtemberg in obſidione Budenſi in excurſione à Turcis crudeliſſime trucidatum fuiſſe.* Nuper ſcabiem quandam contraxit in lecto. *D. 29. Jul.* 1684. *quo ipſum conveni*, lumbagine correptus fuit: ſumto *Extracto Bezoardico* ſudavit ac ſequente die melius habuit.

Perſuadebatur *Ulmæ* perturbationem ſpirituum provenire ab affectu hypochondriaco. *Die* 30. *Julii* ipſo bene examinato deprehendi illum bene ingerere, in ventriculo concoquere, cocta tum ex ventriculo tum ex inteſtinis ſine ullo vitio egerere, nec de ullo ſymptomate afflictorum ventriculi, inteſtinorum conqueri: urinam habet naturalem, ut & pulſum, non vomit, non eructat, non dolet, bene coloratus & carnoſus eſt, unde concluſi hunc affectum prorſus non dependere ab hypochondriis ſed ab obſtaculo intra medullam cerebri *vide ſupra. Suaſi tales trochiſc. ambratos.*

℞. *Cinnab. nat. Hungar.* ℈iiij. *C, C. ph. ppr.* ʒiß.
Pulv. rad. pœon. ʒj. *Ung. alc. ppr.* ʒiß.
Eſſent. ambr. ſicc. ʒij. *Confect. alkerm. c.* ʒiij.
Sacch. albiſſ. ℥iij. *F. c. mucilag. tragac. aq. ceraſ. extract.*
L. A. Trochiſci.

De his M. & V. x. aut plures ſumat, ſuperbibat mane *decoct. Caffeè*, quia dum meridiari nunc ſolet, quandoque brachia ſuccutiuntur.

Contra ſcabiem utatur *lacte virginis in quo aliquid* ☿ *dulc. coct. fuerit. Menſe Septembr.* paſſus eſt imbecillitatem pollicis manus dextræ.

Die 6. Octobr. 1684. ſumſit *doſin pulveris Cornachini*, purgabatur cum levamine ac multum bilis eduxit.

Die 8. *Octobris* ſanguis V. S. emiſſus pulcherrimus fuit: ſequentibus diebus in cibo & potu multos exceſſus commiſit, nunc à diebus 8. caput grave eſt, item confuſum ac debile: mane quando ſurgit, eructat,

ructat, ſentit æſtum volaticum per totum corpus: in manu dextra ſentit debilitatem aliquam & noctu in tota illa manu ſpaſmum. Gravitatem capitis comitatur quaſi deliquium animi, quod repellit fortiter ſcreando & alia cogitando, torquetur continuo negotiis odioſis. Perturbationi accedentia nova ſymptomata ſc. Confuſio quædam & debilitas capitis ac manus dextræ, item noctu ſpaſmus indigitant plus nunc humoris ſeroſi medullæ cerebri inſtillatum fuiſſe hactenus, quam dum ſimplicem perturbationem effecit: idem acre eſſe ſpaſmus manus oſtendit. Vergere illud verſus medullam ſpinæ præter ſpaſmum imbecillitas Brachii docet. *Suaſi*, ut ſingulis ſeptimanis ſumat ʒß. *pulver. cinnabarin.* continuet *trochiſc.* Si excedat in prandio, parum cænet. Sumat *pil. è ſucc. Crat.* ℈j. ante cænam: *Frictionem brachii* non omittat, præſtat *inunctionibus.* NB. Ipſe exceſſus evitare nequit.

Die 6. Novembr. 1684. cum *Olendorffio* equitaret inter orandum & cantandum bis vel ter levi perturbatione correptus fuit prægreſſo inter equitandum ſomno: durante ſomnolentiâ poſt perturbationem aures clarè tinniebant, viſus obfuſcabatur, ſtatim apoplexiam imminere verebatur, ſenſit brachium dextrum convelli & in altum torqueri; expalluit, brachiis manibusque tremuit, penitus perſuaſus eſt vel apoplexiam vel convulſiones ſibi imminuiſſe ac in nervum erupturas fuiſſe, niſi ſtatim brachium dextrum extra pallium protruſiſſet, Frontem perfricuiſſet, ac *aquam Reginæ Ungariæ* odoratus fuiſſet. Symptoma, perfrictio & *odoratus aquæ* durarunt per 3. P. N. Iter equitando continuavit: manſit debilitas ab apprehenſione, quam vix excutere valuit: animadvertit mentum vel potius labium ſuperius tremorem aut diſtorſionem quandam paſſum fuiſſe. Poſt ſymptoma per 2. horas *Neuſoram* equitavit, ibi ſumſit *doſin* 1. *pulv. cinnab.* hinc per 2. horas ſcripſit. Evenit hoc *prope Sulgam* horâ 10. antemeridianâ jejuno prorſus ventriculo. Pridie in cæna multum bibit ad horam 11. noctis, parum comedit, non tamen ebrius evaſit: antequam cubitum ivit, aliquoties *pulv. Tabaci Hiſpan.* naribus attraxit, nocte non ultra 4. horas dormivit. Magis ſibi metuit, quia putat ſe verſari *in anno Climacterico.*

Poſt longam meam domo abſentiam reſpondi *D. 20. Decembr.* 1684.

SYmptoma hoc non intra terminos perturbationis manſit, acceſſiſſe aliquid convulſivi patet ex torſione & in altum ſublatione brachii, Tremore & diſtorſione menti vel potius labii ſuperioris: non procul aberat ab epilepſia, quia viſus obfuſcatus fuit, aures clare tinnierunt, expalluit, manibus & brachiis tremuit: nondum in epilepſiam evectum fuiſſe

fuiſſe, patet, quia mente conſtitit, pallii alam excuſſit, frontem perfricuit, *aq. Reg. Ung.* odoratus eſt, iter continuavit. Pallor & forte tremor metui adſcribi debet, ut & ſuperſtes debilitas. Cauſa gravioris paroxyſmi erant potatio largior in prægreſſa cæna in multam noctem, ſomnus brevior, ob quos errores cumulatæ fuerunt cruditates heterogeneæ intra medullam cerebri. Ad illius cumulationem forte ſymbolum contulit, *pulv. Tabaci Hiſpan.* acrimoniâ ſuâ inſigni potenter irritans: cruditates in nervos eruperunt à ſomno inter equitandum, ſatis copioſas cumulatas teſtantur tinnitus aurium ſonorus, oculorum obfuſcatio, motus convulſivi, ſed nondum ad illam copiam aut malignitatem evectæ fuerunt, ut epilepſiam excitare valuerint. Symptoma hoc *Monitorium peremptorium* videtur eſſe, ut accuratiorem diætam non ſolùm in cibo & potu, ſed etiam in negotiorum tractatione in poſterum obſervet. *Tabaci pulvere* parcius utatur ſtatim à paſtu. *Pulverem cinnabarinum* frequentius & ſtrenuius mane ſumat ſcil. ter quaterve in ſeptimana aut neceſſitate urgente quotidie mane, qui 15. *Septembr. talis præſcriptus eſt.*

℞. *Limat. C. C. crud. Ebor.* ãã. ʒij.
Cinnab. nat. Ung. quam pulcherrimam Viennâ nactus eſt, ʒiij.
Succin. flav. ʒj. *Nuc. moſch.* ʒß.
Sacch. alb. ℥ij. *Mſc.*

Doſis ʒß. in ſeptimana ſemel; ſi vero perturbatio frequentius eveniat, ſumat quotidie per aliquot dies. Interdum *mane & interdiu unam alteramque Tabellam* ſumat.

℞. *Spec. Diambr. diamoſch. c.* ãã. ʒj.
Cubeb. ʒß. *Extract. xyloal.* ℈j.
Conſerv. anth. ℥ß. *Balſam. apopl. gr.* iiij.
Sacch. alb. in ſ. q. aq. pœon. ſolut. ℥iij.
Mſc. F. Confect. in Rotulas.

Subinde etiam ſumat *Trochiſc. ambrat. Aq. Reg. Hungar.* in promtu habeat *ut & Balſ. cephal.* Hoc tempore *purgantia* non conveniunt. Si malum ingraveſcat, *Fonticulus* neceſſarius eſſet. *Annus climactericus* ipſum non affligat: Literatis periculoſus cenſetur 63. ſed ſine fundamento.

Die 3. Januarii 1685. *ſcribit.* Mane ſpaſmo manus dextræ correptus fuit, in quo manus torquebatur & niſi ſiniſtrâ ſuccurriſſet, putat totius brachii contorſionem facturam fuiſſe: jam à ſemeſtri obſervat debilitatem circa pulpam pollicis dextri, unde manu non amplius poſſet patinam attollere ut pridem in menſa: an à ſubluxatione an vero à decubitu in humerum & brachium dextrum?

Reſpondi

Reſpondi. Attendat ſpaſmo, an ulterius eveniat? contra illum valent *pulv. Cinnabarin. trochiſc. &c.* ſi non remiſerit, addenda eſſent alia *ſc. rad. val. ſylv. pœon. &c.* Quando ſcribere poteſt ſolito more, non magnifacienda illa pollicis debilitas. Continuet ſolummodo *frictiones* brachii dextri, & *in uſu præſcriptorum medicamentorum internorum* pergat.

Perturbationes iſtæ cum reliquis ſymptomatibus exceptâ brachii debilitate remiſerunt. *Anno* 1687. bibit *Acidulas Ripplifavienſes*, coram *Filio meo* de his nihil amplius conqueſtus eſt, ac ſe ſanum eſſe dicebat. Contra brachii debilitatem *Filius meus* ſuaſit, ut hoc *ventri animalis recenter mactati & adhuc calentis* immittat, *ac vino calido, cui ſalv. ſerpill. roſmar. majoran. &c. incocta ſint*, abluat; quod ipſi profuit, ut inpoſterum de hac non tantas querelas amplius moverit. Continuò graviſſimis etiam tædioſis negotiis occupatur.

Menſe Aprilis 1707. *fortiſſimâ Apoplexiâ correptus brevi mortuus eſt.*

OBSERVATIO LXIX.

Vertigo gyroſa per conſenſum cum perturbatione Capitis.

NObiliſſima quædam Matrona *N. N.* 56. annorum, obæſa, poſtquam menſes exaruerunt, facta. Peperit 17. vicibus. Ab annis tribus aliquid nephritici patitur. Faciei Eryſipelati à multis annis obnoxia. Abundat ſero acri tenui, quamprimum *unctuoſa* cuti admoventur puſtulæ ſeroſæ urentes emergunt. Ante ſemeſtre mane ſurgens quandam vertiginem titubantem ſed momentaneam experta eſt. Ante dies 14. ter noctu quamprimum indormivit vertigine gyroſa corripiebatur, ut inde cum terrore quodam expergeſieret, anxia aliquandiu vi ſibimet illatâ vigil manſit, rurſus indormiſcens nihil amplius ſenſit. Ab aliquo tempore bene appetiit. *Die* 19. *Decembr.* 1683. cænavit de carne vitulina pingui cum renibus & artocreis minoribus, poſt 10. noctis cubitum ivit, dormivit cum inſomniis moleſtis. *Die* 20. *Decembris* circa 7. ſurrexit, propter neptim baptizandam in publicum prodiit flante Euro, tempeſtate frigida; multa ſatagebat, ut noſtræ ſolent Matronæ, dum infantes baptizandos ad templum comitantur. Inter eundum hilaris fuit, in templo vix concione ad medium perductâ dum attentius Præconi auſcultat, ſubitò viſus obtenebratur ac rotam nigram vaſtam oculis verſari putat, mox tamen viſum recuperat, ſed brevi redit cum afflictione quadam circa præcordia & expalleſcit, ſibique admodum male eſſe aſſidentibus conqueritur: dum ſurrexit, niſi ſuſtentata

fuiſſet,

fuiſſet, humi cecidiſſet. Itaque ante 9. matut. è templo exire conſtituit, ſubnixa ab aliquot fœminis cum labore ad vicinas ædes perducta fuit: omnia in gyrum volvi videbantur & oculis rota nigra obverſabatur, neminem adſtantium vidit, & audivit & loquebatur; querebatur de ſumma debilitate, & ſibi cor defecturum, expalluit, membra extrema frigebant. Ad lectum delata ſtatim rurſus incaluit, coloremque faciei naturalem recuperavit: omnes artus movit tum in tum extra lectum. Poſt 9. matut. dabatur *cochl. j. vel alterum.*

℞. *Aq. meliſſ.* ℥iiij.
cinam. bugl. ʒvj.
Eſſent. caſtor. ʒß. *Ol. d. Succin. gt. j.*
Tab. man. Ch. perlat. ʒiij. *Mſc.*

Ante 9. mat. data quoque *aq. cinamom. parum & de cupediis ſaccharatis & aromat.* Tum *ante ſumtam aquam c. Eſſ. caſtor.* tum poſtea ad vomitum ſtimulabatur, tandem magno nixu evomuit mucum pellucidum ſpumeum & fruſtula aliquot *cupediarum:* ſumto juſculo vomitus quoque ſequebatur copioſi muci. Poſt 10. matut. adſtantes vidit rurſus & ſubridens me alloquebatur. Quamprimum autem ſe movebat, rediit hæc vertigo tenebricoſa & gyroſa ac aliquoties ſimilem mucum evomuit ad 2. pomeridianam. Aliquoties mingere cogebatur ad minimum ter: ſemper querebatur de cordis debilitate. Circa 5. veſpertinam domum in ſella portabatur; in lectum locata adhuc ſemel vomuit. Continuavit *uſu mixt. aq.* ſubinde ſumſit juſculum. Noctu non dormivit, attamen minus afflixit vertigo, ſi quieta manſit, vidit, loquebatur; attamen à motu rediit vertigo ſed non amplius tenebricoſa: de debilitate querebatur, quamvis pulſus robuſtus & plenus erat & rite calebat. Poſt medium noctis dormivit cum virium refectione.

Die 21. *Decembr.* conquerebatur potiſſimum de debilitate: Vertigo non niſi moto corpore ſed mitior & brevior redit. Urina ſtatim ab emiſſione turbida, ſubſidentibus quaſi luto ſoluto & aliquot arenulis. Pranſa eſt juſculum & poma aſſa. Pulſus eſt naturalis. In paroxyſmo naribus admovebantur, nunc *Balſam. ſuccin.* nunc *ſpir.* ⊖ ✱ nunc *Pil. Hyſterica.* Præcordia inungebantur *Balſ.*

℞. *Ungent. pomat.* ℥j.
Ol. Nuc. Moſch. expr. ʒiij.
deſt. chamom. ℈j.
menth. abſinth. āā. ℈ß. *Mſc.*

Veſperi dolebat pars dextra Cranii, cum pridie doluiſſet occiput & cervix. Jam ab aliquot annis hyeme caput vehementer doluit, unde ſe

frigus

frigus tolerare non poſſe, ſæpe dixit. Frequenter ipſi globulus mucoſus gryſeus tenaciſſimus faucibus adhæret, quem forti ſcreatu & ſæpius iterato prolicit, unde ad vomitum aqueum plerumque ſtimulatur. Poſt cænam aliquandiu extra lectum in ſella ſedit: Noctu dormivit.

Die 22. *Decembr.* mane in lecto nullam vertiginem ſenſit, extra lectum ſedendo aut ſtando omnia ſub pedibus fluctuare & cedere videbantur. Vertigo gyroſa & tenebricoſa plane ceſſavit, nec amplius tam debilis eſt. *Aquam Cephalicam ſeu Hyſtericam* bene tolerat. Alvus occluſa, urina turbida, ab aqua frigida affuſa claruit tota ſine ſedimento arenoſo. Non amplius vomit. Suaſi, ut pergeret *Aquâ hyſtericâ præſcriptâ & Balſamo ſtomachico.* Bibat rurſus vinum quia non ſitit & à biduo nihil prorſus bibit, ſumſit autem ſæpius juſcula. Veſperi ultra horam dimidiam extra lectum manſit, fluctuatio minus moleſta erat imprimis ſi erecta ſedit. Hucuſque dorſum non doluit, cum aliàs lumbago permoleſta ſit. Ad fauces crebro nunc mucus quaſi frigidus delabitur.

Die 23. Noctu profunde dormivit, poſt ſomnum delaſſata erat in omnibus artubus: ſedens vertiginem animadvertit, ſitiit: veſperi ſine ullo incommodo per integram horam extra lectum fuit, niſi quod inter ſurgendum vertiginem momentaneam ſenſerit. Suaſi ut *juxta aquam hyſtericam & balſam. ſtomach. mane & veſperi* ʒj. *de hac Tragea cum pane toſto & vino emollito ſumeret in poſterum.*

℞. *Radic. pœon.* ʒij. *ſem. pœon. excort.* ʒj. *cinamom. acut.* ʒij.
Cubeb. ʒj. *nuc. moſch. C. C. uſt. ppr.* ℥ß.
Sacch. alb. ℥iij. *Mſc. F. Pulv.*

Die 24. *Decembr.* Ante mediam noctem parum dormivit, poſt hujus medium ſomnus erat placidus & ſuavis ſine inſomniis. Vertigo non adeo ipſi moleſta eſt, niſi vehementius ſe moveat, nec tenebricoſa nec diu durans eſt. Alvus occluſa, *clyſterem* renuit, applicito *ſuppoſitorio mellito* multas fæces induratas dejecit cum magno levamine.

Die 25. *Decembr.* Inter cænandum prope duas horas extra lectum degit, ab initio menſæ accumbens mappa verſicolor viſui obveniebat cum aliquali vertigine, ſumto autem juſculo refocillabatur, ac vertigo cum viſûs hallucinatione evanuerunt. Totam noctem edormivit, vertigo nunquam moleſta erat; ſola incedere nequit. Dorſi dolor omnino remiſit: non ſitit. Appetitus antea imminutus indies augetur.

Die 26. *Decembr.* De vertigine non multum conquerebatur: vegeta erat in lecto, extra hunc autem paulo imbecillior attamen ſine vertigine.

tigine. Alvus ſuâ ſponte aperta eſt, urina naturalis. In cæna loco vini bibit aquam cui *conſerva roſ. rubr.* commixta erat.

Die 29. *Decembr.* Optime valuit: urina pallida, pulſus naturalis, tota nocte dormit, de vertigine nihil queritur. *Sumat mane & veſperi Trag.* ʒj. ſubinde maſticet *conſ. cubeb.* ſi debilis ſit, *ſumat aquam hyſtericam cochl. j.*

Die 5. *Januarii* 1684. nihil amplius ſenſit: voluit in publicum prodire: diſſuaſi ob ſummum frigus brumale.

Vertigo hæc non videtur habuiſſe ſtabilem cauſam intra cranium, ſed aliunde acceſſiſſe & ſpiritus animales perturbaſſe. Quia in paroxyſmo multum muci magno nixu repetitis vicibus vomuit, quia quoque maximam partem victu tenui in primis diebus, ablutione muci juſculis, abſterſione & roboratione *aq. hyſter.* ceſſavit, credibile eſt, cauſam in ventriculo hæſiſſe.

Ab hac vertigine talibusque ſpirituum perturbationibus immunis vixit ad annum uſque 1690. *quo ſub finem Octobris Dyſenteriâ maligna Epidemice graſſante ac aliquibus Matronis funeſtâ mortua eſt.*

OBSERVATIO LXX.

Vertigo gyroſa & titubans.

G*Eneroſus Dominus N. N.* 45. annorum, ſtaturæ juſtæ, carnoſus colore fuſcus, facie rubra & capillis nigris præditus, jam prope à 5. annis patitur vertiginem: in primo inſultu videbatur vapor frigidus ex ventriculo ad cerebrum aſcendere, objecta inſtar rotæ in gyrum verti videbantur, non diu duravit: at immediate ſequebantur palpitatio ſeu tremor quidam cordis, verberatio & repetitus impulſus in latere utriusque hypochondrii, mœror, inappetentia aliqualis, proſtratio virium, forte ob metum gravioris mali imminentis. *Innumeris* uſus eſt *medicamentis*, unde reliqua ſymptomata remiſerunt, exceptâ vertigine, quæ ſupereſt, verùm non tam vehemens ac erat: interea prope continuè capitis quandam perturbationem animadvertit, cui accedit vertigo titubans ut ſtare non poſſit: *die* 4. *Octobris* 1687. *Stuttgardiæ* dum *cum Sereniſſimo Domino Adminiſtratore* colloquebatur poſt meridiem in hypocauſto ob illam humi proſtratus fuiſſet, niſi vicina ſella obſtitiſſet. A duobus annis tinnit auris ſiniſtra tum præcipue, quando tumultum aliquem audit, aut ſi corpus aut animus nimium moveantur: ab illo tempore quoque quando ad ſomnum ſe compoſuit, aliquando quater aut

aut quinquies ſuccutiebatur, ut indormiſcere nequierit, quod plerumque non fiebat, donec ſudor frigidus emerſit, illo autem ceſſante poſtea placidiſſime dormivit. Multis legationibus defunctus eſt *ad Reges, & Principes potentiſſimos* in rebus graviſſimis. Cervix & occiput quandoque dolent: ſentit quandoque etiam in collo, in palpebris, in genis aliisque partibus capitis & faciei vellicationes ſed momentaneas, triſtitiam & metum, imprimis à ſiniſtro nuntio, ut totus contremiſcat, licet res prævifa aut parvi momenti fuerit. Nuper per integram horam dimidiam partem capitis & faciei in ſiniſtro latere ſtupor quidam obſedit, ut paralyſin timuerit; cujus cauſa *Empl. Williſii* impoſuit toti capiti *ex rad. & ſem. pœon. caſtor. viſc. q. Emplaſtr. de beton. gumm. ammon. tacamah. balſ. copaib. add. camph.* cum fructu. Experitur ſubinde ſtuporem quendam in dentibus vel ceu à mole graventur. Antequam vertigine hac afficiebatur, diu ſcorbuto ægrotavit, vixit enim diu in *Anglia, Hollandia aliisque locis ſeptentrionalibus*, nam gingivæ cruorem fundebant, dolebant artus cum laſſitudine, puſtulæ hinc inde emergebant, pruritum in ano ſenſit, unde putavit ſe lue venerea affectum, quod tamen *Medici* negabant.

Fonticulos duos habet unum in brachio à principio morbi, alterum in cervice ab anno.

Ex quo ante annum me convenerat, uſus eſt *Pilul. meis cephalic. alterantibus ex C. C. ph. pp. ung. alc. pp. ſuccin. pp. cinnab. nativ. ambr. Extr. pœon. &c.* Item *Rotul. ex ſpecieb. diamoſch. diambr. ung. alc. extr. xyloal. conf. alk. c. &c.* Item bis *Acidulis Egranis*, etiam *Remediis aliis antiſcorb. & cephal.* Reliqua ſymptomata non curat, cum vere evanuerint: unice de vertigine ſollicitus eſt, quæ ipſum quoque decumbentem in lecto & in ſomno invadit. Cæterum robuſtus & vegetus eſt: bene appetit, in prandio multum comedit, quia parum aut nihil cænat: à cibo non gravatur: hor 4. vel 5. à paſtu ſcilicet tempore anadoſeos nullam moleſtiam in præcordiis ſentit: non eructat, nunquam nec poſt paſtum nec jejuno ventriculo vomit. Alvus quotidie aperta eſt, à flatibus non multum patitur. Reſpirat facile. Pulſus bonus: in paroxyſmo immutatur, etiam à terrore, ab objecto adverſo, à triſti nuntio, licet prævifo. In diæta non peccat, at ut ipſe fatetur, forte in nimia quantitate & varietate medicamentorum & tractatione negotiorum graviſſimorum. Ajebat ſe neque ab ira, neque mœrore in corpore gravius ut pridem affici: ſemper negotia tractat, nunc tædioſisſima ratione litis *cum quodam Principe.*

Excell. D. D. Gmelin Stuttgardiæ 1687. *ſuaſit* 1. *Pilulas de ſuccino Crato-*

Cratonis ad lunæ phaſes ſumendas. 2. *Pulverem cephalicum* per menſem integrum ſumendum.

℞. Pulv. analept. fr. Mind. ocul. ♋. ppr.
Corn. Alc. pp. corn Rhinocer. pp. āā. ʒij.
Ægagropil. cinnab. nativ. ſel. āā. ʒß.
Succin. alb. pp. ʒj. Ambr. gryſ. gr. vj.
Tab. man. chr. perl. ʒij. Fol. ☉ n. iij. Mſc. F. Pulv.
Sumat mane ʒß. cum aliquot cochl. hujus mixtur. aquar.

℞. Aq. ceraſ. nigr. dulc. fl. til. Pœon. āā. ℥iß.
Syr. flor. tunic. ℥ß. conf. Alk. c. ʒß.
Elæoſacch. ſuccin. ℈j. Mſc. d. ad vitr.

3. Poſt horam ſuperbibat *juſculum alteratum* hoc modo paratum.

℞. Juſcul. carn. non ſaliti Menſ. ß.
Rad. pœon. viſc. quern. āā. ʒiij. Ebulliant.

Hujus juſculi colati fervidi ʒv. affund. Manip. j. naſturt. aq. aut hortenſ. aut cochlear. aut chærefol. aut borrag. rec. ſem. aniſ. cont. ℈j. coletur & exprimatur.

4. Poſt paſtum utatur *Trageâ.*

℞. Flaved. cort. aurant. ʒj.
Tunic. intern. ventricul. gallin. ocul. ♋. ppr.
Corall. rubr. pp. pulv. analept. fr. Mind. āā. ʒij.
Sem. aniſ. ʒj. ſacch. perlat. ℥iiij. Mſc. F. Pulv.

5. Horâ ſomni ſubinde ſumat *harum pilul No.* 4. *vel* 5.

℞. Extract. Bezoar. Camerar.
Pœon. rut. ſalviæ āā. gr. iiij.
Caſtor. xyloal.
Cinnab. nativ. ſelect. āā. ℈j. Mſc. F. Pilul. granum j. ponderant.

6. *Aquam Antiapoplecticam,* de qua præſente perturbatione aut vertigine *unum alterumve cochl.* ſubinde ſumat.

℞. Elæoſacch. ſuccin. ʒiß.
Eſſ. caſtor. ʒß. ⊖ volat. oleoſ. ℈iß.
Aq. Epilept. Lang. ceraſ. nigr.
Fl. til. borrag. āā. ℥j. Mſc. d. ad vitr.

Suaſum

Suaſum quoque fuit *Emplaſtrum* tale.

℞. *Succin. Thur. maſtich.* ãã. ℥iß.
Galban. opoponac. ãã. ℈j.
Pulv. viſc. quern. ℥ij.
Ambr. gryſ. gr. vj. Moſch. gr. iij.
Sem. Pœon. ℥ß. *Ladan.* ℥iß. *ol. n. m. expr. par. ſ. q. Mſc. F. Empl.*

Aſpergatur extenſo ſuper alutam *pulvere cubebar.* pro capite imponendo.

Excell. D. D. Prof. Lipſienſ. Bohn. ſuaſit *errhinum ex ſpecieb. Diambr. pulv. caſtor.* quo porro utatur.

Maſticet crebro *cubebas & maſtichen* imprimis mane.

Die 5. *Octobris* poſt inſultum vertiginoſum impoſui *Empl. veſicatorium* veſperi toti cuti capillatæ inſtar cucuphæ, nullas veſicas excitavit, niſi ubi extremus limbus cutim in occipite rugoſam attigit prope nucham: nullos dolores ſenſit exceptis quibusdam punctionibus: *Chirurgus* reliquit 13. horis impoſitum *Empl.* quod multum ſeri eduxit.

Die 6. Octobris poſtquam ſurrexit, permoleſtam ſtranguriam perpeſſus eſt & veſperi cruenta eminxit, alvus erat occluſa. Suaſi *Emulſ. ex amygd. dulc. excort. ſem.* 4. *frigid. maj. ſem. papav. alb. cum aqua malv. & ſyrup. de Alth. Fernelii. Clyſterem emollientem:* pro potu *decoctum hordei & fol. Alth. Clyſterem* ſtatim rejecit: appetitus proſtratus erat: noctu dormivit.

Die 7. *Octobris* Stranguria fere remiſit: appetitus rediit &c.

Die 8. *&* 9. *Octobris* nihil de Stranguria querebatur, alvus rurſus reſpondet.

Die 10. *&* 11. dolores in nucha & occipite remiſerunt, ut & vellicationes in collo & facie. Heri cubitum iturus ſenſit levem vertiginem, quam præceſſit perturbatio quædam ſpirituum. Cutis capillata in occipite imprimis & ſyncipite mollis & tomentoſa, poſt applicationem *Empl. veſicatorii* magis adſtricta ut cranio affixa videretur: *hodie &* 12. *Octobris* ajebat caput quoque non amplius tam grave eſſe.

Analyſis.

AFfectus, de quibus *Perilluſtris Dominus* conqueritur, videntur originem ducere à cauſa quadam ſtabili intra cranium & quidem in parte medulloſa cerebri profundius immerſa: nam prope continuò ex-

 peritur

peritur quandam capitis perturbationem, frequenter vertiginem eamque nunc gyroſam nunc titubantem, etiam quando decumbit, imo ſubinde in ſomno: auris ſiniſtra continuo nunc magis nunc minus tinnit; nuper quoque dimidii lateris ſcilicet ſiniſtri ſtuporem capitis animadvertit: quando non ita pridem indormiturus erat, ſuccutiebantur artus; doluerunt quoque ſæpe occiput & cervix: in facie hinc inde, in palpebris, in collo vellicationes quasdam momentaneas ſenſit. Cauſa hæc nullo modo poteſt eſſe ſanguis extravaſatus, vel ſtagnans, quia longe alia ſymptomata produxiſſet etiam alia ſigna adeſſent; ſed ſerum, quod ſolum cum ſanguine ad caput defertur, quatenus poros quosdam cerebri irrorat præter naturam & ſpirituum animalium motum impedit ac perturbat. Nullo modo ſunt vapores ex ventriculo, liene, pancreate aliisque partibus & viſceribus ex hypochondriis exhalantes in cerebrum, cum impoſſibile ſit, tales baſin cranii permeare, ut jam *omnibus Anatomicis* innotuit. Negari tamen nequit, ſi multæ cruditates in ventriculo, inteſtinis alibive lateant, quin chylo permixtæ & cum ſanguine confuſæ ſerumdeterius reddant: verum dum *Perill. Dnum* examinavi, nulla ſymptomata hypochondriaca expiſcari potui: nam appetit, cibum bene tolerat, licet multum in prandio comedat; 4. vel 5. horis à paſtu, quando craſſior chylus diſtribuitur, nullam moleſtiam in præcordiis obſervat; non vomit, raro eructat, alvus quotidie aperta eſt, fœces ſunt naturales. Licet aër per inſpirationem large ad pulmones pervenerit, nullum tamen vitium contraxiſſe, vel inde concludo, quia facile ſemper reſpirat & licet ſubinde cor tremat, ipſe angatur, mœrore afficiatur, tamen hæc non proveniunt à diſpoſitione quadam præternaturali, cum pulſus ſit naturalis & cor non tremat, nec ſibi metuat, niſi præcedat vertigo ſive ſpirituum animalium perturbatio, unde ſibi deterius imminere timet, aut triſtis nuntius, adeo ut hæc ſymptomata potius ſint ἐπιγινόμενόν]ι, non ſignum gravioris morbi cor & pulmones occupantis. Serum exiſtimo eſſe, quod profundius ſe poris medulloſæ partis cerebri immerſit, quia *Perilluſtris Dominus* cerebrum vehementer negotiis nimiis & graviſſimis etiam vigiliis frequentiſſimis defatigavit, atque ſpiritus animales meditationibus maxime ſeriis nimium conſumſit, unde harum partium tonus fibrarum labefactatus ejusque virtus elaſtica ob acquiſitam laxitatem etiam imminuta fuit, adeo ut ſerum per arterias cum ſanguine affluens non tam prompte propellatur & ſtagnando aliquas moras nectat: forte etiam in itineribus ad loca diſtantiſſima caput cum cerebro valde ſuccuſſum fuit, & procul dubio diætam, quam amat, non ſemper ſervare potuit.

Non autem multum ſeri adhucdum ſe cerebro inſinuavit, nam viſus in hac vertigine non obſcuratur, nec objecta dupla obverſantur, quæ aliàs ſimpla ſunt, non vel rariſſime cadit, non ſomnolentus

eſt:

eſt: memoria ac judicio valet, diu ſcribere poteſt ſine ulla perturbatione.

Tum ad curationem tum ad præſervationem à graviori cerebri morbo ſerum ab illo revellendum & derivandum atque latitans abſorbendum, ac cerebrum cum ejus fibrarum tono corroborandum erit: Verum id lente ſuccedit & magnam diligentiam poſtulat, quia cauſa hæc duriſſimis oſſibus obvallata eſt, & ad illam medicamenta non niſi per ambages penetrant.

Ex revellentibus ſunt 1. *purgantia:* laudantur ab omnibus meritò *pilulæ de ſuccino Cratonis.* Utiles quoque comperio *pilulas cephalicas frequenter mihi uſitatas*, quas alternis menſibus autumnalibus, hybernis & vernis ſcil. *ab Octobre ad Aprilem* triduo ante vel poſt novilunium duabus horis à parca cæna *num. viiij. x. xj. in congruo vehiculo* exhibeo, quæ ſine turbis ſequenti mane ſerum à capite revellunt & blande per alvum ſubducunt. Nimius & frequentior abuſus *purgantium* nocet ac parit affectum hypochondriacum, propterea conveniunt hæc per longiora intervalla ſc. alternis menſibus exhibita & quidem blandiora. 2. *Veſicatoria* brachiis applicita ſimul utrique: quæ convenirent ſi ſtupor rediret aut ſi vertigo frequenter indormituro aut in ſomno eveniret. 3. *Cucurbitæ cum ſcarificatione* alternis menſibus ante vel poſt novilunium nulla ſignorum habita ratione, quarum tres dorſo & poſt quodlibet olecranum una affigendæ forent. 4. His annumerari poterunt *Fonticuli*, qui ambo aperti ſervandi. 5. Illis adduntur quoque *apertiones hæmorrhoidum*, quæ conveniunt in autumno. 6. *Clyſteres* videntur ſupervacui, cùm alvum quotidie apertam habeat: verum quoque tales apud quoſdam in cenſum veniunt & ſæpe imprimis ſi ſymptomata graviora imminent, magnam opem præſtant, at nolim illos nimis frequenter adhiberi, ne inteſtina nimium debilitentur. In gravi perturbatione & ſtupore invaleſcente parari poſſet *clyſter ex decocto cephalico add. Hiera picr.* ☽ &c.

Derivant & ex vicinia ſerum à cerebro abducunt 1. *Veſicatorium* in modum cucuphæ toti cuti capillatæ detonſis forfice, non cultro raſorio, capillis impoſitum: verum non tamdiu relinquendum ut nuper ſcilicet 13. horis, ne ſtranguriam excitet, ſufficient 8. horæ. Si vero præter exſpectationem illam efficiat, ſtatim *Perilluſtris Dominus* ſumat crebro *de mixtura ex oleo Amygdal. dulc. ſyr. de Alth. Fernelii aqua malvæ.* Noctu *emulſio paregorica* præſto ſit. Si vertigo valde urgeat, bis in menſe illud applico, aut ſi mitior ſit ſemel in menſe in autumno, hyeme & vere, rarius æſtate. 2. *Errhina* etiam his annumerantur, qualis

qualis eſt *pulvis diambr. cum caſtoreo* Excell. *D. D. Bohnii.* 3. *Apophlegmatiſmi* ſcil. maſticatio *cubebarum, galang. maſtich. &c.* mane non à cibo.

Abſorbent & cerebrum hujusque fibrarum tonum roborant atque harum elaſticitatem extra paroxyſmum reſtaurant, internè *meæ pilulæ cephalicæ alterantes* hoc modo compoſitæ.

℞. *C. C. ph. ppr. ungul. alc. pp.* ãã. ℨij.
Diaph. ♃. *pil. reg. compl.* ãã. ℨiß.
Cinnab. nat. Hung. ſel. ☿ *ij. rectif.* ãã. ℨj. ⊖ *vol. viper. gr. viij.*
Extr. xyloal. ℈ß. *cum balſ. copaib. & peruvian.* ãã. *q. ſ.*
Mſc. fiant. pilulæ ex ℨj. *No.* 40. *conſperg. pulv. cinam. d. adſcat.*

de his per integrum menſem in autumno, hyeme & vere ſingulo mane capiat *num.* 9. *vel* 11. & veſperi horâ ante cœnam *num.* 7. *cum aqua ceraſor. dulc.* mane dimid. horâ *à ſumtis pilulis* aut *juſculum alterat. ſuperius ab Excell. D. D. Gmelino* ſuaſum aut *infuſum herbæ Theæ* ſuperbibat.

Aut *loco pilular.* conducit quoque *pulvis nuper à D. D. Gmelino* ſuaſus.

Externe *cucuphæ ſiccæ ex cephal. paratæ* potius quàm *Empl.* conducunt.

In paroxyſmo utatur *rotulis cephalicis his*

℞. *Spec. Diambr. diamoſch. d. contr. Apopl. Auguſt. c.* ãã. ℨj.
Conſerv. fl. Tunic. ℨiij. *confect. alk. comp.* ℈iiij.
Extr. xyloal ℈ß. *balſ. apoplect. gr. v.*
Sacch. alb. in ſ. q. aq. ceraſ. n. ſolut. ℥iiij.
Mſc. F. confect. in Rotul. D. ad ſcat.

Balſamo cephal. verticem, tempora & nares inungat, ſubinde etiam unum alterumve *cochl. de mixt. Excell. D. D. Gmelini* ſumat.

Sudorifera in hac cura non conveniunt: ſi vero ſudor ſpontaneus mane ſuperveniat, non ſupprimendus eſt. *Balnea* magis nocerent, quam juvarent: nec *acidulas* adeo tutas comperi in talibus affectibus, nec ſuaderem, niſi alius affectus illas poſtularet.

Diæta porro accurate obſervanda: victus ſit ex cibis boni ſucci & facilis digeſtionis. Bibat vinum Moſellan, Nicrin. nimis generoſa & ſulphure imbuta nocent, hoc *decocto ſem. fænic. aut lign. viſc. q.* diluat. Cœnam non prorſus omittat, ſed hæc ſit parca. Mane prodeſſet juſculum pro jentaculo, ſi nec *Pilul. ceph. alterant. nec pulv. ceph.* utatur.

D. T. O. M. omnia ſalutaria eſſe jubeat!

Stuttgardiæ d. 13. *Octobris* 1687.

Joh. Jacob Wepfer, M. D.

OBSER-

OBSERVATIO LXXI.

Vertigo gyroſa & Arthritis vaga.

Nobiliſſima Domina Maria Secunda P. ſtaturæ mediocris; dum adhuc cælebs erat, frequenter capite doluit: dolor potiſſimum erat in fronte: erat carnoſa & bene colorata: nupta fuit 1684. *menſ. Jun. Anno* 1685. *menſ. Jul.* putavit partum 14. diebus ante ſtatum terminum acceleraſſe casû in genua. Sub finem quintæ ſeptimanæ è puerperio, quod ſanum erat, prodiit in publicum, ac *Altorffii apud Uranios Templum Capucinorum* in loco editiore ſitum adiit; inde correpta fuit dolore iſchiadico, hinc arthritide vaga: curata fuit intra 14. dies ſudore ſpontaneo largiſſimo. Fœtus ſupervixit ſeptim. 14. convulſus obiit. 1686. abortiit, excluſo abortu ovi anſerini magnitudine ſex circiter ſeptimanarum. *Anno* 1687. octodecim circiter ſeptiman. gravidæ menſes rurſus fluere cæperunt: fluxus ſanguinis avertebatur *V. S. elect. adſtringente, Ung. Comitiſſ. &c.* Verum non penitus ſiſtebatur, itaque quintâ ſeptimanâ ab hæmorrhagiæ hujus principio abortiit *d.* 17. *Decembr.* 1687. Embryonem credidit fuiſſe 21. ſeptiman. vixit duabus horis.

Circa principium Martii 1688. tempore Quadrageſimæ in templo primum correpta fuit vertigine, cum jejuna eſſet & diutius precibus in genua decumbens vacaſſet: ab illo tempore ſæpius vertiginem paſſa eſt jejuno ventriculo & poſt paſtum in lecto, & extra illum, interdiu & noctu. In Autumno 1688. rurſus concepit: in principio conceptionis mane vomuit primis menſibus: nullum cibum faſtidiit, dum gravida erat, vertigo permoleſta quoque fuit. *Anno* 1689. *d.* 24. *Aprilis* feliciter enixa eſt ſtato tempore puellam: lochia rite fluxerunt: puerperium ſanum erat, ſextâ ſeptimanâ elapſâ prodiit in publicum; nonâ ſeptimanâ à partu correpta rurſus fuit arthritide vaga, cujus cauſâ *Nob. Dn. Maritus d.* 20. *Jun.* 1689. *ad me ſcripſit*, rogans, ut quantocyus iter maturem. Cum autem tam cito, ac expetit, proficiſci haud potuerim, *miſi d.* 25. *Jun.* contra hanc arthritidem 1. *Pulv. antiarthrit. ex ♁ diaph. C. C. ph. pp. ung. alc. pp. Pulv. analept. frig. Mind. inc. cinnab. ♁. ⊖ volat. lumbr. Laud. opiat. Ol. N. M. expr. Sacch. Detur M. hor.* 5. *& V. hor.* 4. *cum aq. beton.* 2. Sumat ſæpe *cochleare unum de hac mixt. cord,*

℞. *Aq. borrag. buglojj.* āā. ℥ii ß.
♁ *diaphor.* ℈j. *Bezoard. miner. gr. v.*
Pulv. Marchion. ℈j. *Syrup. de rub. Id.* ʒvj. *Mſc.*

3. *Theriac. cœleſt.* ℈j. *M℞. de cynogl.* ℈ß. *F. Pil. No. xxx. Doſ. altern. noct. No. iij.* Potus ſit *decoct. rad. chinæ.* *Horum uſu* arthritis remiſit. Hactenus fruſtum lumbrici lati excrevit, quod ipſi quoque aliquando evenit, dum adhuc cælebs eſſet.

D. 12. *Jul.* 1689. *ipſam Altorffii apud Uranios conveni*: arthritis vaga ab aliquot diebus remiſit; reliquias tamen adhuc aliquas percipit: doluerunt lumbi adhuc ut putat à decubitu permoleſto in paroxyſmo arthritico, ob quem ſe aliquot diebus movere nequiit, nec corpus verſare licuit, ut excoriationem timeret: mane quandoque manus impotentes ſunt, ut nihil tenere aliquandiu poſſit: magis magisque vis redit, hodie ſurrexit, inceſſit & aliquot horis in ſella ſedit. Jam ab aliquot diebus bene appetiit, ſubinde nimium, non ſitit: bibit hucusque nunc *Decoct. chin.* nunc meram aquam, cui fruſtum panis toſti immergitur: alvus aperta, fæces coctæ & compactæ. Urina pallida cum ſedimento tenui, *d.* 13. *Jul.* flavior tenuis cum ſedimento laudâbili: pulſus naturalis. Cum *d.* 13. *Jul.* mane lateri dextro incumberet, percepit palpitationem cordis. Reſpirat bene, & non adeo alto ſitu decumbit. Caput nunc non dolet, doluit autem poſt invaſionem arthriticam non ſolum in fronte, ſed quoque in occipite. Ab arthritide macilentior facta eſt. Lactavit infantem uſque ad invaſionem arthriticam: menſes quoque eruperunt, dum lactavit: ſudat facile. Diu noctuque crebro ſumit juſcula & ſubinde ova ſorbilia, quibus mire delectatur.

Cum vertigine ita comparatum eſt: A prima invaſione hucuſque vertigo nunc fortius nunc mitius illam afflixit, in forti afflictione, quam imprimis vertiginem vocat, in principio videtur aer ipſi foris in aurem inflari, unde non ſolum tinnitus, ſed & mirus & ſonorus tumultus in auribus oboritur, ſequitur mox vertigo gyroſa fortis, ſimulque putat caput retrorſum caſurum, viſus plerumque nunc prope obtenebratur, nunc obfuſcatur; tunc frons firmiter tenenda, aut manibus utrumque tempus premendum; ſi in principio tinnitûs id fiat, quandoque vertiginem evitat non tamen ſemper: præſente vertigine inclamat adſtantes, ut *aq. antapoplecticam, acetum aliave odorata* naribus admoveant, ut faciem frigidâ conſpergant; ipſamet apicem linguæ *aquâ ſpirituoſâ* illinit, maſticat *caryophyll. cubeb. &c.* durat paroxyſmus nunc brevius, nunc longius, ſed non ultra dim. quadrant. hor. Ceſſante tinnitu & vertigine, expalleſcit, ſudor frigidus exprimitur, angitur & cor affligi queritur. Gravior paroxyſmus invadit ipſam mane jejuno ſtomacho, poſt paſtum tam à prandio quam à cæna, etiam noctu poſt primum ſomnum, adeo ut perpetuo diu noctuque ſui curam habendam petat, jubet candelam accendi, ſibi ſuccurri importune petit. In uno die ter & amplius ipſam invaſit: aliquando tamen tribus ſeptimanis ipſam non invaſit,

invaſit, & ex quo *pulv. antiarthrit.* uſa eſt, ab illa immunis perſtitit. Aliquando *purgans* egregie opem tulit, aliquando paroxyſmum accelerare opinatur. Mitior vertigo titubans eſt: prope continuo illam animadvertit, ſi extra lectum exiſtat & obambulet, in illa ſibi cadendum putat, niſi ſe firmet, licet nunquam ceciderit. Cæterum omnibus ſenſibus externis & internis optime valet. Jam diu conſuevit odorari & naribus trahere *ſpiritus odoratos inflammabiles, ſpir. ceraſ. &c.* NB. Hydropota diu fuit. Ob metum paroxyſmi ægre ſola manere vult, ſive decumbat, ſive in hypocauſto ſit.

Die 13. *Jul.* hor. j. ante prandium dedi ℞. *Gialapp. Sacch. alb. ana.* ℈ß. *Oc.* ♋. *gr. iiij. Mſc. F. Ps.* Paravi ℞. *Aq. flor. til.* ℥iiiß. *Eleoſacch. hyſter.* ʒij. *Mſc.* ſumſit ſubinde *cochl. j.* ſic ſenſim deſueſcet juſculis, quæ nimis crebro danda erant hucuſque. Ter inde dejecit, ſed nihil de lumbrico lato, purgavit ſine torminibus, verum humores in artubus turbavit. Noctu dedi *Theriac. cœleſt. gr. iij.* non multum dormivit. *Die* 14. *Jul.* urina tinctior erat tenuis tamen cum laudabili ſedimento: *hor.* 6. *mane dedi* ʒß. *pulv. cephal. cum aqu. fl. til.* Poſt juſculum ſumptum melius habuit. Poſt meridiem ob abundantiam pediculorum ſe pectinandam curavit, quod cum labore fiebat, quia capilli intricatiſſimi erant, nox inquieta fuit.

Die 15. *Julii.* Arthritis gliſcere cæpit: præceſſit dolor nuchæ & lumbago vehemens, inde afflixit olecranum dextrum & genu. Veſperi aliquid ſimile ſuffocationi ab utero evenit; querebatur potiſſimum aliquid cor obruiturum & reſpirationem impediri: alte collocari debuit in lecto: urina tinctior fuit; facies tamen non expalluit: pulſus frequens celerior, ajebat calorem per totum dorſum aſcendere: angebatur valde: circa 10. noct. rediit tinnitus aurium & mox vertigo gyroſa: caput erat comprimendum, non potuit ipſamet corpus verſare, quamvis ſæpius ob cordis imminentem oppreſſionem aut ſuffocationem ut opinabatur aliter locandum fuerit cum magno labore: afflictio hæc duravit ad 12. noct. hodie menſes redierunt mane, veſperi mutabantur in fluorem album. Poſt 12. noct. dormivit. *Die* 16. *Jul.* mane urina valde tincta erat, ſtatim turbabatur, depoſuit ſedimentum cinnabar. pulſus frequens celeris; ſudavit: dolor in dextro latere mitior, corripuit articulos ſiniſtri lateris: vinum ſuſtuli. *Mane dedi pulv. ex Cinnab.* ♃ *cum Magiſt.* ♃ *diaph.* pranſa eſt bene de Damocapra: bibit *Emulſ. amygd. d.* Imminente ſuffocatione odorabatur *nodulum ex Bacc. juniper. rut. caryophyll. aceto macerat. Pil. hyſtericam* faſtidivit.

℞. *Matr. perlar. pp. Ocul.* ♋. *ppr.* āā. ʒj.
Camphor. gr. vj. Sacch. alb. ʒvj.
Mſc. F. Pulv. ſubtil.

℞. *Hujus Pulv.* ʒiß. *add. Theriac. cœleſt. gr. vj.*
Cinnab. Stutgard. gr. vij. Magiſter. ♃ *diaph.* ʒj.
Aq. fl. til. ℥v. *Mſc.*

De hac mixt. dedi V. hor. 5. *cochl. iij.* Quando ſe à ſiniſtro latere ad dextrum volutat, cor palpitat: doluit valde in articulo indicis ſiniſtri prope metacarpum, intolerabilem dixit. Non niſi levi & tenui tegumento vult operiri: noctu bene dormivit, dolores multum mitigabantur. *Die* 17. *Jul.* pulſus adhuc frequentior, urina paulo tinctior cum ſedimento craſſo, ſumpſit *mane hor.* 5. *cochl. iiij. Mixt.* item *veſperi hor.* 5. *rurſus.* Index manûs ſiniſtræ tumuit & rubuit, minus doluit; veſperi tumere cæpit carpus & pollex ſiniſter, noctu bene dormivit & multum ſudavit. *Die* 18. *Jul.* urina minus tincta: dolor in dextro latere remiſit, in ſiniſtro tolerabilis: ſitis adhuc moleſta eſt.

Reſolutio.

DUos nunc experitur affectus *Nob. Domina*, quorum uterque curam Medicam poſtulat, atque ita remedia attemperanda ſunt, ut ſimul utrique affectui proſpiciatur atque occurratur. Nunc viget arthritis vaga eaque recidiva, cui acceſſit nuper vertigo gyroſa, aliàs ipſam citra arthritidem jam ultra annum frequenter affligens.

Arthritis originem ducit à ſero ſanguinis acri, ſalſo, in articulis ſtagnante, à quo per arterias allato partes circa articulos naturaliter alias & cum commodo partis irrorantur; ſi vero ſtagnet, nec ut decet reſorbeatur à vaſis lymphaticis & venis, dolores hos arthriticos parit, quandoque vehementes, ſi valde ſalſum ſit. Serum heic ſalſum eſſe admodum teſtantur doloris vehementia, ſedimentum urinæ cinnabarinum, pulſus frequentior, celerior, febricula dolorum comes, ſitis; non tamen eſt acerrimum, quia in prandio appetit, fæces alvinæ coctæ, facile ſudat &c.

Vertigo an mere per conſenſum eveniat, num vero ob vitium & labem aliquam intra cranium contingat? aliquo modo controverſum eſt. Labem tamen intra cranium eſſe, ob quam ſpiritus animales in motu ſuo naturali impediuntur, vel ex indole hujus vertiginis apparet, nam gyroſa eſt, aures valde tinniunt cum ſuſurro quodam paulo ante vertiginem tum illa præſente, oculi quandoque obfuſcantur, omnia intra cranium ſurſum deorſum-

orſumque volutari putat, quod non niſi ob labem aut vitium aliquod conformationis in vel circa ſedem ſenſûs communis fieri poteſt: hanc ſententiam confirmant & cauſam etiam domeſticam intra cranium deliteſcere probant 1. Cephalalgia præcipue frontem jam à multis annis affligens. 2. Ipſa vertigo jam ultra annum gyrando moleſta; titubans vero prope hucusque affligens. 3. Invaſio ejus ante & poſt paſtum, etiamſi nullus error in victu commiſſus fuerit, & antequam coctio inceperit, cum aliàs vertigo ventriculi causâ eveniens à paſtu ſtatim ſedetur, aut demum finitâ coctione à depravatione nidoroſa contingat. 4. Mitigatio vertiginis à forti temporum compreſſione; imo evitatio paroxyſmi ſi mature imminenti hac occurratur; dum compreſſis arteriis temporalibus evitatur ulterior ſpirituum perturbatio ab impetuoſo ſanguinis affluxu per carotides externas. 5. Non leve argumentum labis intra cranium abſconditæ ſunt oppreſſio quædam cordis, anxietas & ſuffocationis metus, ob quæ ſymptomata ſudor frigidus exprimitur; indicio namque ſunt nervos paris vagi circa ſcaturiginem ſuam vellicari ab humore quodam & ad motus ſpaſmodicos concitari: *qua de re videantur Willis in Anatom. Cerebri, & Vieuſſens Neurologia aliique.* Vitium ſeu labes hæc videtur eſſe anguſtia quædam, non à veſiculis vel hydatidibus, aut aquâ in ventriculis cerebri, quia gyroſa vertigo non eſt continua; ſed ab oppilatione tubulorum, vel à compreſſione ab aqua aliqua ibi ſtagnante intra poros cerebri: unde negari nequit, ad paroxyſmum vertiginoſum excitandum aliquid aliunde accedere, idque ſolum mediantibus arteriis; nam quidquid ad cerebrum adfertur, tantummodo per illas ad illud accedit: hoc communicari poterit à ventriculo quia *Nobil. Domina* intempeſtive extra paſtus comedit, licet cibi ſint boni ſucci; aut ab inteſtinis, nam lumbricos latos in illis fovet; aut à fermentatione maſſæ ſanguineæ, nam aliquoties magis afflixit circa menſium fluxum, quæ eo fortius evenit, dum menſes non rite fluunt; quin etiam arthritidi vagæ nuper acceſſit, in qua notabilis ſeri deſpumatio, *ut Piſo loquitur*, cum aliqua febri catarrhali fit.

In hac arthritide vaga ſerum acre mitigandum, & circa articulos ſtagnans diſſipandum eſt. In vertigine humor obſtruens & premens abſorbendus, & ſimul genus nervoſum roborandum erit, cavendo ſemper novum ad hæc loca acceſſum.

Contra arthritidem vagam hac vice utatur *Mixturâ ſupra d. 16. Jul. memoratâ:* de hac ſumat *mane hor. 5. veſp. hor. 4. & noctu hor. 9. vel 10. cochl. iij. vel iiij* Si debilis ſit, detur ſubinde *cochl. j. ℞. Aq. fl. til. cui parum ſpir. ✱c. arom. add. ℥v. Elæoſacch. hyſter. ʒij. Mſc.* Dum affligit arthritis, vitet vinum, bibat *decoct. rad. cichor. aut emulſ. amygd. d. ſimpl.* Veſcatur cibis boni ſucci: maneat in lecto: corpus

 contra

contra frigus bene muniat : *lintea calida perfumata pulv. ex maſtich.* & *bacc. junip. Pellis leporinus* imponatur. *Moxa* quoque utilis eſt: *alia topica* fugiantur. His pergendum, donec penitus ceſſaverit, & aliquandiu poſt domi manendum eſt; imprimis donec periodus menſium tranſierit.

Ob vertiginem ad cauſam illius penitus exſtirpandam ſingulo *mane* ʒß. *pulv. cephalic.* danda *cum aq fl. til. aut pœon.* idque longo tempore, morbi nervini tarde cedunt. In paroxyſmo dandum ſubinde *cochl. j. vel ij. aq. hyſtericæ ſupra memoratæ:* naribus admoveat *aut pil. hyſtericam, aut nodulum ex Bacc. junip. rut. caryophyll. aceto macerat.* In vehementi paroxyſmo appoſui *Veſicatoria* poſt olecrana aut in carpis. Maſticet *confect. cubebar.*

Si menſes, profligatâ prorſus arthritide, cunctentur, *V. S. in pede* prodeſſet. Si vegetior evaſerit, ſemel in ſeptimana ad eliminandos lumbricos latos hora ante prandium ſumere poſſet.

> ℞. *Gialapp. gr. vj. vel. viij. Ocul.* ♋. *pp. gr. iiij.*
> *Sacchar. alb.* ℈ß. *Mſc. F. pulv.*

In victu vitet omnia ſuccum viſcidum lentum præbentia, ut piſces nimis viſcidos, carpiones, tincas, anguillas, carnem ſuillam, paſtas farinaceas, lactucam: item quæ facile nidoroſam corruptelam contrahunt, ut in butyro frixa. Vinum ſemper diluat. Intra paſtus raro comedat aut bibat. Exercitia corporis perutilia ſunt. Non ſurgat mane, antequam concoctio peracta ſit.

Die 15. *Mart.* 1690. A 4. Septimanis libera eſt à vertigine: mane dolet ventriculus & caput: appetit, poſt meridiem bene habet, obambulat. Hactenus diligenter uſa eſt *pulv. cephalic.* Bibit ſemper aquam. Contra lumbricos latos *pulv. ex Gialapp.* &*c.* non niſi ſemel uſa eſt ſine effectu. *An hoc vere purgandum, V. S. aut quid agendum ventriculi* & *capitis causâ?* Nec macilenta nec obæſa eſt, attamen robuſta ſatis: pallet.

Suaſi ℳ. *aloet. c. rhabarb.* per vices: *V. S. d.* 16. *aut* 21. *Maj. Pulv. Jalapp.* nihil efficiet, niſi repetatur. Pergat *pulv. cephalic.*

Nobiliſſ. Domina Vere 1690. uſa eſt *Pill. D. D. Wipflin*, quæ ſimul eduxerunt lumbricos latos : V. S. parum ſanguinis profudit: brevi poſt rediit vertigo: quando ſe optime habere putat mane, redit vertigo, imprimis ſi per dimidiam diem nihil habet, de quo conqueratur. In vertigine putat ſolum ſub ſe hiſcere ſibique cadendum videtur:

tur: evenit ſi legat, intenſe cogitet aut rationes ſubducat. *D. 9. Jul.* 1690. dum in templo erat, graviter ipſam afflixit & anxit. Mane quando evigilat, valde circa præcordia angitur, ſubinde ad vomitum ſtimulatur; ſubinde parum muci amari ejecit; quamprimum eructat, anxietas minuitur. Caput prope continue dolet in occipite & temporibus: obvelat valde caput linteis. Si tarde cubitum eat, & horâ 9. mane ſurgat melius habet. Anxietas poſt horas 2. vel 3. ſponte ſæpe ceſſat. Ab obambulatione melius habet. Mane hora ſeptima, in prandio, hor. 2. pomer. & in cæna ſumit juſculum: appetit ſatis bene, potus eſt aqua, in qua *Bacc. junip. ferment.* quandoque bibit aq. part. v. vin. part. j. Menſes rite fluunt, poſtea aliquandiu fluor albus permoleſtus eſt. Subinde ſentit reliquias arthriticas. Tolerat *confect. alk. & hyacinth. compl.*

Die 20. Jul. 1690. ſuaſi *pulv. cephalic.*

℞. Pulv. analept. fr. Minder. compl. ʒiij.
Ocul. ♋. *pp. C. C. ph. ppr. Ungul. alc. pp.* ãã. ʒij.
Succin. alb. pp. ʒj. ⊖ *volat. Succin. gr. ij.*
Ol. N. M. expr. gr. iij. Sacch. alb. ℥iiß.
Mſc. F. Pulv. ſubtil. add. Fol. ☉ *No. ij.*

Item *Trag. temperat. poſt paſtum,* ſumendo *ex cinam. N. M. Mac. galang. Limat. C. C. Ebor. ſantal. rubr. ſacch. Vin. medicat.* in principio paſtûs *ex rad. caryophyllat. Herb. beton. pimpin. meliſſ. card. b. fl. borrag. bugloſſ. calend.* Loco juſculi prodeſſet *mane decoct. Caffeè,* veſperi juſculum omittat, ſumat *de conſerv. roſar. r. cum confect. alkerm. de hyacinth. pulp. pom. citr.* Multa *Purgantia* nocent.

Die 1. Novembr. 1690. A pulv. cephal. vertigo nunquam tam fortis rediit, attamen mane ſæpe illam aliquo modo percipit, ſequente ventriculi dolore uſque ad prandium: poſt meridiem caput plerumque valde dolet in temporibus ac occipite, ac ſi rupturum eſſet cranium. In autumno ſumſit *purgans*, quod rurſus lumbricos latos eduxit, Appetit ſatis bene: *à vino medicat. & Trag.* non multum opis ſenſit.

Die 22. Novembr. commendavi *Pulv. cephal.* rurſus *die 20. Jul.* miſſum, hoc utatur bis in ſeptimana. Propter ventriculi dolorem & cephalalgiam poſt prandium bibat *Coffee mane* non poſt meridiem. A paſtu utatur *Trag. ex cinamom. N. M. C. C. Corall. &c.* Quia adhuc lumbricos egerit, bene faceret, ſi alternis menſibus, niſi gravida eſſet, ſumeret *lene purgans à D. D. Wipfflin* ordinatum, nam & illi debilitant ventriculum, & cauſa ſunt vertiginis ac cephalalgiæ.

Die

Die 28. *Aprilis* 1691. Ipſa hactenus bibit *decoct. Coffee: pulv. cephal.* etiam uſa eſt: nuper triduo ante plenilunium *à ſumpto laxante* excrevit lumbricum latum; ab hoc tempore melius ſe habuit: nunc à 10. dieb. quartâ vice vertigo cum cardialgia & debilitatibus moleſta erat, attamen non ultra dim. quadrant. hor. durans, ſudorem exprimebat uti in leipothymiis; ſemper tamen ſibi præſens erat: in ſiniſtro latere ſi caput comprimit, levamen ſentit, poſt vertiginem caput grave eſt, etiam præcordia, uti ante annum: laſſa eſt in artubus, ab obambulatione in domo parum remittit, ſed mox laſſitudines redeunt cum cephalalgia. Mane ſi evigilat, ſatis bene ſe habet, poſtea dolet ex ventriculo, cui ſuccedit dolor capitis: interdum etiam noctu, antequam cubitum eat, aures tinniunt ac vertigo ſequitur. Lateri dextro incumbere nequit, nec in illo latere decumbens dormit. Interdum arthriticos dolores in digitis ſed leves animadvertit; præſentibus iſtis doloribus ſi flatus elidit, mox alleviatur. Menſtrua rite fluunt, aliquando nares ſanguinem fundunt. Carnes bene tolerat; noctu ſero cubitum it. Deeſt *Pulv. cephal Elæoſacch. hyſter.*

Reſpondi & miſi pulv. cephal. cum Elæoſacch. ſuaſi *purgans & V. S. menſe Majo:* ipſi *decoct. Coffee* ulterius commendavi: utatur *infuſo laxante ante V. S.*

Die 25. *Junii* 1691. *Nob. Dn. Maritus* narravit, illam jam 8. ſeptiman. gravidam eſſe. Illi ſuaſi 20. ſeptimanis V. S. vigilat: mane vertiginem patitur. Suaſi *Pulv. cephal. Trag. poſt paſtum: Balſam. cephalic.*

Die 19. *Novembr.* 1691. *ſcribit:* Uxor gravida, in manu ſiniſtra V. S. inſtituit 11. ſeptim. conceptionis. in 20. ſeptimana illam intermiſit, nunc 27. ſeptimanar. gravida eſt. An V. S. & quando inſtituenda? Vertigo ſubinde ſatis moleſta eſt absque tamen leipothymia. Quomodo ante & in puerperio præcavenda ſymptomata, ſcil. vertigo, debilitas, & arthritis imprimis, quæ in duobus ultimis puerperiis bis in 6. ſeptiman. invaſit. An propter lumbricos latos rurſus *Pilul. Dn. D. Wipflin* ſumendæ, quas jam à 6. menſibus omiſit? An infantem lactare debeat? Hactenus ſatis commode vixit, niſi quod ſubinde vertiginem paſſa ſit: bene appetit.

Reſpondi die 28. *Nov.* V. S. nunc non, at paulo ante puerperium proderit: nunc nulla medicamenta conveniunt præter *Pulv cephal.* quia bene appetit, non opus habet *Tragea.* Ipſa infantem lactet. Primis diebus bibat *decoct. caſſ. lign.* In tertia ſeptimana utatur *Trag. temperata communi:* ſi aliquid arthritici emergat, ſtatim *noctu* ſumat

3. &

3. *& mane* 2. *pill. theriac. cœleſt.* ſi plane emergat, utatur *Pulvere anti-arthrit. pridem ſuaſo.* Nunc *Pill.* contra lumbricos latos non conveniunt, nec ſtatim à puerperio, imprimis ſi infantem lactet, illas differat *ad Martium*.

Die 24. *Febr.* 1692. feliciter enixa eſt puellam: puerperium bene peregit: lactat infantem; bibit *decoct. Caſſ. lign.* Poſt 3. ſeptimanas *Tragea* uti cæpit: Arthritidem gliſcentem ſtatim fugavit *theriac. cœleſt.* bis vertiginem fortem experta eſt, quæ brevi evanuit. V. S. ante partum omiſit, quia ex inſperato partus evenit. Quid lumbricorum latorum & vertiginis causâ agendum? An *purgans, V. S.* neceſſaria ſint? *An thermæ Valleſiæ vel Fabariæ conveniant æſtate?*

Poterit *purgare* conſueta ratione, ſed eo die non lactet. *Vena ſecetur ſub finem Aprilis vel principium Maji.* Propter vertiginem utatur ſubinde *Tragea temperat.* eoque magis quia caput debile eſt, nec legere nec nere valet.

D. 26. *Maji* 1692. Infans ſponte ſemet ablactavit, unde mater pejus habuit: querebatur de laſſitudine: vertigo bis rediit, doluit ventriculus: mane ad vomitum ſtimulabatur: menſes large fluunt, ſuccedit fluor albus cum lumbagine. *Purgata fuit & vena ſecata. An Thermæ Valleſianæ an Badenſes adeundæ?* Eligat quas voluerit: non balneet ultra 5. horas. Suaſi *Trag. miſi Elæoſacch. & Pulv. cephal.*

OBSERVATIO LXXII.

Vertigo titubans.

N*Ob. Dominus N. N. Veldkirchenſis* 40. annorum, mediocriter carnoſus, ſtaturæ juſtæ, cum rubore ceu guttæ roſaceæ in facie: 13. annis in matrimonio vivit: 7. liberorum pater eſt. *Friburgi in Brisgoia* ante plures annos tinnitu gravi afficiebatur: *fumo candelæ & vapore decocti* auribus receptis *per infundibulum* educto liquore convaluit. *Ann.* 1684. *circa finem Januarii* obnubilationi antea ipſi frequenti, ſupervenit vertigo titubans, quam antea nunquam expertus eſt, lectum petiit, non ceſſavit penitus, mitior quidem erat, ſi quietus jacuit, quam primum verò corpus verſavit, aut caput movit protinus fortior aderat: obnubilatio tamen emanſit; quamdiu decubuit, duravit quamdiu manſit in cubili frigido. Lectus ſternebatur in hypocauſto, unde melius habuit, vertigo tamen non penitus evanuit. In vertice, ſyncipite & occipite ſenſum frigoris percipit prope continuo, ac videbatur levi-

 cule

cule ſe excoriatum eſſe, ter ſolum cum dolore capitis ſed non vehementer. Vulnus grave in manu dextra inflictum fuit pridem *Friburgi* cum hæmorrhagia larga. Uſus eſt *operâ D. D. Rœdelmejeri & D. D. Remi*, qui ſuaſerunt *aquas calidas deſtillatas cum ſpir. ceraſ. nigrorum, purgantia &c.* Quamprimum in publicum prodit, ſubinde rurſus vertigine afficitur, ſed non ut ad latus caderet, at ſemper nutabat in latus dextrum, ſine obnubilatione. Per tres ſeptimanas nec ſcribere nec legere auſus eſt, tum ob vertiginem tum ob tenſionem in vertice & quaſi conſtrictionem quandam. Metuit ſemper Apoplexiam: præſente titubatione terretur admodum, à terrore non excitatur palpitatio cordis, ſed quaſi ejus punctio quædam: Poſt tres ſeptimanas rarius in lecto vertigo ipſum invaſit, ſed ſi obambulavit, magis tamen foris quàm domi: imprimis tempeſtate frigida, caput enim penitus frigus tolerare nequit: ſi ex alto proſpexit etiam vertiginem accerſivit, nihilominus tamen ſine titubatione audebat per pontes anguſtiores incedere *in Rhætia D.* 15. *Junii* 1684. profectus eſt *ad acidulas Fidricenſes:* in ſummo bibit *menſuras tres acidularum*, ſexies uſus eſt *inſeſſu*, nunquam ultra 2. horas. Poſtquam domum rediit multum quidem mitigata fuit, ſed nec dum penitus remiſit: levior nunc eſt, quia melius & placide dormit, quod antea ob terrores non potuit.

Die 6. *Octobris* 1684. *me convenit.* Appetit bene, non bibit ultra menſuram dimid. vini rubri, ſi plus bibat caput dolet: à cibo non gravatur, non multum eructat, nunquam vomit: *poſt potas acidulas* alvus plerunque aperta eſt, antea conſtipationi obnoxius erat, alvus per dies 2. & 3. occluſa quandoque manſit. Urina potûs quantitati reſpondet, facilis eſt ad ſudorem. Pulſus eſt naturalis, reſpirationem putat difficiliorem eſſe, quamobrem decubitum etiam altiorem elegit: interea acclivia facile non ſolum ſcalas, ſed & montes ſcandit. Audit bene, videt acute, etiam præſente vertigine cæteris quoque ſenſibus externis valet. In paroxyſmo putavit memoriam hebetari, attamen omnium recordatur & res nominare valet: mens ſemper integra manſit. Auris dextra tinnit inſtar vini fermentantis, in illa ut & in ſiniſtra multum ceruminis viſcidi inveni. Artubus pro lubitu utitur, brevi tamen delaſſatur. Puncturas quandoque in manibus ſentit, attamen rariſſime. *Poſt potas acidulas* nocte imprimis multos flatus elidit. A finito *acidularum potu* multum muci craſſi viſcidi mane imprimis emungit. E naribus ad fauces multum aquæ defluit, quod putat è cerebro emanare & de hujus aquæ deſcenſu admodum anxius eſt. Multum oſcitat. Calor quidam ſecundum latera colli ad caput aſcendit: putat eſſe vapores calidos ab hypochondriis ad caput aſcendentes: aſcenſus iſte vacuo & pleno ventre fit. Cum obnubilatione viſûs ita

compa-

comparatum eſt: ſubito nebula oculis obverſatur & ſe per nebulam objecta intueri putat, ita tamen, ut objecta diſcernat, durat quandoque per 10 12. Pat. Noſt. poſtea ſubito evaneſcit, viſus inclareſcit & caput aliquantulum dolet: ſæpe intra 3. vel 4. ſeptimanas illam non experitur: evenit imprimis quando à motu incaleſcat & ſi poſt motum illum quieſcat, idque pleno & vacuo ventriculo. Jam à ſex annis hoc ſymptoma animadvertit Propter hoc ſymptoma non diu ſcribere aut legere audet, aliàs acute etiam in diſtans videt, oculi ſunt clari. Titubationis phantaſma, quod tempore bacchanaliorum hujus anni acceſſit, *poſt potas acidulas* non amplius tam vehemens eſt, non tamen penitus evanuit, ſæpe in uno die pluries accidit, momentaneum tamen prorſus eſt, accerſitur ab inceſſu aut ſi exempli gratia in convivio aut aliàs meditabundus ſedeat, ſive jejuno ſive pleno ventriculo, frequenter ſi à motu incaleſcat, non autem ſi equitet. Tam ab obnubilatione quam à phantaſmate ita perterretur, ſcilicet ob metum imminentis apoplexiæ, ut cor quaſi pungatur, quæ punctio utroque ſymptomate terribilior poſtea evadit, & mœrorem poſt ſe relinquit. Aliàs à plurimis annis anxius & ſollicitus eſt in omnibus ſuis negotiis: ad mœrorem valde pronus eſt & omnia ſibi graviora imaginatur, & hanc ob cauſam non raro ad lachrymarum profuſionem proritatur, unde caput obtuſum fit & grave pondus cordi impoſitum opinatur. Iracundus eſt, ira tamen brevis.

Reſolutio.

TAm in obnubilatione, quàm in titubatione intra cerebrum vitium latere exiſtimo, in obnubilatione propterea, quia diu nec legere nec ſcribere poteſt, nullo vitio in oculo apparente; in titubatione quia ex levi occaſione decies vel duodecies in die evenit. Obnubilationem generari puto vel à vapore vel tenui ſero copioſius per capillamenta arteriarum irruente, quàm decet, ob tenuitatem cito fit & cito evaneſcit, ob copiam poſtea caput aliquantulum dolet, meningibus aliquid à corpore vaporoſo aut aqueo patientibus. Titubatio fit propter obſtaculum quoddam liberum ſpirituum motum impediens & phantaſma caſûs futuri imaginationi repræſentans: Obſtaculum videtur eſſe pauxillum ſeri coagulati in poris medulloſæ ſubſtantiæ hærens ſemperque præſens, quia ſæpius in die evenit ac ſymptoma ſolâ intenſâ cogitatione attrahit. Sero & vaporibus aditum & detentionem aliquam paraverunt connata anxietas & nimia ſollicitudo in negotiis ſuſcipiendis & peragendis, mœror non rarò Lachrymas exprimens. Fortè profuſio ſanguinis poſt manum vulneratam cerebrum quoque debilitavit. Vitia hæc ab Hypochondriis accerſere mihi veroſimile non videtur: In ventriculo enim & Inteſtinis nullum vitium obſervatur, nam concoquit, à cibis non gravatur, excernenda bene ſeparantur, teſtantur id fœces alvinæ rite conſtitutæ: idem etiam fit in Epate, Liene, Pancreate, Glandulis

Meſenterii, Renibus &c. nam urina naturalis apparet, facile etiam & ſine ullo incommodo ſudat: non dolet in Hypochondriis. Ex ſolo mœrore non conjiciendus eſt affectus hypochondriacus, ſic enim omnes falſæ imaginationes hic morbus eſſent. Serum propterea, ſi quod abundet, conſumendum; à cerebro derivandum; coagulatum reſolvendum & abſorbendum, ſtagnans diſcutiendum & partes labefactatæ roborandæ ſeu tonus fibrarum reſtaurandus.

Utatur alternis menſibus triduo ante Novilunium *pilulis meis cephalicis ad* ℈j. quas noctu cubitum iturus ſeu bihorio à parca cæna ſumat. Alternis etiam menſibus triduo ante vel poſt novilunium nulla ſignorum habita ratione *ſcarificet*. *Fonticulum apertum* ſervet.

Venæſectionem bis in anno Vere & autumno adminiſtret: quâlibet vice ultra ℥iiij. effluere non ſinat.

Obſtacula auferri poſſent & tonus fibrarum labefactatus roborari *pulvere cephalico tali*.

℞. *Pil. reg. compl. pulv. cryſtallin compoſ. āā. ʒij.*
Ungul. alc. pp. C. C. ph. pp. āā. ʒiiß.
Cinnab. nativ. Ung. ſelect. ℈iiij. ol. d. ſuccin. gtt. ij.
Extr. caſtor. gr. iij. ſacch. alb. ℥j. Mſc. F. Pulv.

De hoc pulv. mane ſumat ʒß. ad ℈ij. cum aqua betonic. vel ex hoc pulv. confici poſſent rotulæ addend. conf. alk. c. ʒij.

Singulo mane dimid. hor. *à ſumto pulvere* bibat *hauſtum juſcul. herb. beton. & flor. til. alterat.* Æſtate *acidulæ* repetantur. *Balſamum cephalicum* vertici inungat. Mucus narium promovendus *lacte naribus attracto*. Aures mundandæ *turunda linea*. *Spiritus* 🜹 ✱ ⊡. naribus ſubinde admoveatur. Geſtet *Capillitium factitium*. Vitet piſces, paſtas farinaceas, lactucam &c. Spiritus vini & ſimiles nocentiſſimi.

OBSERVATIO LXXIII.

Vertigo titubans.

NOb. D. *Suſanna G--- Baſileenſ. Vidua D. J. M.* 47. annor. coloris ſubfuſci: carnoſa, octo liberorum mater, difficulter peperit, puerperia bene peregit: aliquando per d. 3. doloribus partûs affligebatur. Nunquam ægrotavit. Appetit bene, non tamen ad ſatietatem comedit, non ſitit, nunquam vomit, à cibo non gravatur, raro eructat, non ſalivat, mane & per noctem os ſicceſcit: diluebat vinum aquâ,

quâ, nunc purum bibit. Pridem conſtipata erat, ut tertio quoque die *clyſtere* opus haberet; ex quo *Thermas Fabar.* ante 6. annos bibit, alvus aperta eſt. Urina naturalis eſt, quandoque habet ſedimentum craſſum. Menſes rite fluunt, ſi anticipant, pejus habet, dolent tum lumbi atque inde aliquid caput petere putat: facile ſpirat. Cor pridem palpitavit, nunc non amplius; dolet fere continuo in hypochondrio ſiniſtro, dolor eſt quaſi tremulus & palpitans, augebatur pridem valde à terrore, adventu peregrinorum in ædes & ignotorum, ideo illis præſentibus non uſa eſt menſâ communi, excitabatur anxietas quædam & hinc augmentum doloris. Dolet in occipite, dolor eſt obtuſus cum aliqua fermentatione, quæ omnia ſurſum deorſumque verſari videntur, non continue ſed per vices; imprimis mane, quando obambulat, ceſſat: hyeme dolor & perturbatio hæc moleſtior eſt quam æſtate. Antequam obambulet, videtur omnes ſenſus ſopitum iri: nunc poſt jentaculum, imprimis poſt prandium melius habet vixque animadvertit. Hæc perturbatio quandoque conjuncta eſt cum vertigine gyroſa aut titubante, ſæpe maxime poſt mœrorem tam valida eſt, ut etiàm in lecto affligat cum tremore, ſudoris expreſſione & metu apoplexiæ, putat tum aliquid à lumbis ad occiput aſcendere. Extra graviorem perturbationem legit, ſcribit. A tribus annis non domo egreſſa eſt ob anxietatem & metum invaſionis. Poſt mariti obitum ante 8. annos per ſemeſtre in lecto manere cogebatur, nam erecto capite omnia in gyrum vertebantur: cauſam adſcripſit nimiæ lachymarum profuſioni.

Ante biennium per integrum annum in publicum prodiit. *Ante annum* imminentibus menſibus ter hæc perturbatio rediit, unde rurſus domi manere cogebatur. *Ante tres menſes* ob multas illachrymationes ex obitu Filii rediit vehementior, unde iterum domi manere cogebatur. Ob difficile puerperium Filiæ oblita perturbationis domo exiit quandoque currit. Nunquam plane ceſſat tamen. *Ante* 20. *annos* ob Fratris obitum multas lachrymas profudit, tunc incepit, ac iterum remiſit. *Ante* 14. *annos* invaſit ipſam in templo, conabatur perturbationem vincere, at invaluit. Ab illo tempore unâ atque alterâ vice rurſus in templo invaſit, unde ſibi ab illo timuit, ex mera imaginatione. Aliquando vertigine corripiebatur ſubſequente vomitu bilioſo. In viſu & auditu nullus defectus obſervatur, multum obambulat, nere valet: ſi animum excitat bene habet. Paſſa eſt ſubinde obdormitiones artuum. Defluxiones labuntur ad humeros, interſcapulia, lumbos, coxam dextram. Prodeſt contra illàs *Empl. Norimb.* Sudare poteſt, pridem largiſſime, emerſere puſtulæ, nunc non amplius tam largiter. Odontalgiam diu multumque paſſa eſt. Uſa eſt *Thermis Helv. Acidulis Schwalb. Griesbaccenſib. Thermis Fabarienſ. vin. Med. Trag. Pil. Eſſent.* ⊖-

A D. Emerico accepit *pilulam* vomitum enormem concitantem. *Juſc. alterata :* bibit *lac caprinum : Balſam. fœnicul. V. S. ſcarificatione* utitur. Uſa *operâ D. Joh. Dan. Horſtii : D. D. Joh. Küefferi. D. G. H. Weiſchii. imprimis Excell. D. Verzaſchæ Cognati & Medici ordinarii.* Temperatiſſime vivit. Prodeſt *V. S. in pedibus. Scarificationes* juvant contra defluxiones.

Reſolutio.

PErturbatio & obtuſio, quam *Nob. Domina* imprimis mane ſingulo fere, quando ſurgit, percipit, interdiu vero nonnunquam in templo, aut poſt mœrorem ingentem paſſa eſt, videtur vertigo quædam eſſe plerumque titubans, rarius gyroſa. Hujus cauſa proxima eſt impeditus aliquomodo motus ſpirituum animalium. Sedes cauſæ proximæ videtur eſſe intra calvariam, & quidem in occipite, cum continue ibi percipiat quandam gravitatem. Obſtaculum videtur eſſe aliquid ſeroſi tum ſe medulloſæ ſubſtantiæ in poſtica parte cerebri & cerebelli immergens, tum foris aliquomodo comprimens, aggravans corpora medulloſa & ſinus laterales ſpirituum & ſanguinis motum impediens. Nam originem traxit à multa & larga diuque continuata lachrymarum profuſione ob frequentem mœrorem graviſſimum, quem ex Mariti, Fratris & Filiorum obitu concepit, unde vaſa ſanguifera ad cerebrum & cerebellum tum intra anfractus tum in cerebro valde dilatata fuerunt, largius ſanguis has partes alluit, ſimulque ſerum irrupit. Hanc vaſorum dilatationem quoque graviſſimi nixus in difficillimis aliquot partibus auxerunt. Tale ſerum profundius ſe immerſiſſe, ac quotidie poros cerebri ac cerebelli ſubintrare veriſimile fit ex obtuſione & gravitate quotidie poſt ſomnum mane eveniente & ceſſante quotieſcunque obambulat, & mature jentaculum aſſumit, imo poſt prandium plane evaneſcente : deinde, quia à neglectu motùs hyeme, aut mœrore aut imaginatione augetur, cum tunc omnia torpeant, non vero ſi ſemet excitet, aut alia cura admodum ipſam impellat : tertio quia profuerunt *Thermæ Fabar. potæ* quæ alibi ſerum evacuarunt, vias obſtructas etiam intra cerebrum reſerarunt. Serum quoque extravaſari inde veriſimile fit, quia ſemper dolor gravativus adeſt, ac *Nob. Domina* patitur defluxiones ad humerum, interſcapulium, lumbos, coxas. Juvant *Scarificationes.* Cumulat in toto ſerum ob vitam magis ſedentariam vel certe exercitia ſerum tollentia neglecta.

Affectus non penitus incurabilis cum cœtera vegeta ſit, temperatiſſime vivat, levamen ſpiritibus excitatis & inſtauratis protinus percipiat, & gravior vertigo ſolummodo eveniat poſt mœrorem aut imaginationem fortiorem.

In

In hoc affectu ſerum à capite revellendum tum foris, tum intra poros ſtagnans abſorbendum ac cerebrum roborandum, ac viæ obſtructæ reſerandæ ſunt, quod hac ratione præſtabitur.

1. Ante & poſt novi- & plenilunium duabus horis à parciore cibo ſumat *7. vel 9. pil. cephalic. hujus modi.*

℞. *Extr. pil. Cochiar.* ℨj. *Extr. Caſtor.* ℈j. *Extr. xyloal.* ℈ß.
Ol. d. roriſm. gt. ij. ſp. ceraſ. n. q. ſ. Mſc. F. Pil. N. 45.
de ☉ *conſp. pulv. ſant. r. D. ad ſc.*

2. Sumat *hujus pulveris cephal. mane hor. 6. & veſperi hor. 5.* ℨß. *cum aq. fl. til. beton. roriſmar. aut ſimil.*

℞. *Rad. Pœon.* ℥ß. *Galang. Cubeb.* ãã. ℨj. *Cryſt. v. mont. pp. Ung. Alc. pp. C. C. ph. ppt. Oc.* ♋. *ppr.* ãã. ℨij. *Cinnab. nat. opt.* ℨj.
Ol. N. M. expr. gr. iiij. Tab. man. Chriſt. perlat. ℥iij. *Mſc. F. Ps.*

3. Utile eſſet, ſi mane ſuperbiberet *hauſt. Juſc. alterati* ℞. *Roriſmar. aut beton. aut fl. til. aut hed. terreſt. p. j. ebull. in juſc. carn.* ℥v.

4. Æſtate repetere poſſet *Potum Thermar. Fab. calide:* nec *acidulæ ſpirituoſæ* damnandæ.

5. *V. S. in pedibus* Vere & Autumno non negligenda.

6. *Scarificationes* alternis menſibus triduo ante & poſt novilunium *ſusque deque habitis ſignis zodiaci* utiles ſunt.

De diæta nihil monendum, cum temperanter vivat: id ſolum monendum, mœrorem & imaginationem ſiniſtram generoſe excutiendam, cum manifeſte excitato animo aut ab imaginatione avulſo paroxyſmi minus moleſti ſint.

DEUS omnibus gratioſe benedicat.

Baſileæ d. 9. Martii 1679. Joh. Jacob Wepfer, M. D.

Die 26. Maji 1683. ſcribit Baſileâ Excell. D. D. Burcardus: Honeſtiſſima Matrona Vidua tibi nota prægreſſâ hyeme frequentius dolore obtuſo & gravitate in poſtica parte capitis afflicta fuit, eoque non continuo, ſed per vices recurrente, maxime tempore matutino, & poſt prandium ſæpius rurſus evaneſcente, urina tum valde craſſa erat, ægra triſtis, qualis adhuc eſt pro more, cæteras actiones habet integras: menſtrua adhuc patitur, ſed non ſemper ſtato tempore. Cum ante hac corpus humoribus craſſis videbatur repletum, & ſerum interdum in cere-

bro

bro ſtagnare animadvertebam, poſt attenuantia & præparantia medicamenta, *pilul. tuis cephalic.* purgata eſt ſæpius, *V. S.* & *cucurbitulis* ad revulſionem uſa eſt tempore convenienti & *pulv. cephalic.* ad temperandum, abſorbendum & roborandum hoc ſucceſſu, ut à menſibus nonnullis dolor quidem minus ſit frequens, ſed tamen recurrat, cujus gratia rogaris ab ea, *tuo* velis adeſſe *Conſilio* circa agenda, urinæ jam ſunt naturales cæteræque actiones integræ. *Da veniam currenti calamo & fave* *Excellentiſſ. Nominis Tui*

Cultori perpetuo

J. R. Burcardo, M. D.

Reſpondi d. 28. *Maji.* 1683. *Dnæ Matronæ* dolor occipitis gravans videtur originem ducere ab impedimento quodam circa ſinus laterales cerebri. Impedimentum hoc attenuandum *cephalic.* item revellendum & imminuendum. Hâc æſtate *V. S.* & *purgantia* vix locum habent, proderit 1. *Pulv.* quem utilem in memet & aliis expertus ſum.

℞. *C. C. ph. pp. Ungul. alc. pp.*
Ocul ♋. *ppr.* ā̄ā̄. ʒiij. *Diaphor.* ♃ *al.* ʒij.
Cinnab. ♁ ʒj *Tab. man. Chr. perlat.* ℥iß.
Mſc. F. Pulv. ſubtil.
Doſ. mane ſummo ʒß *cum aq. betonic.*

Aromata ſtudio omiſi. 2. *Potus Thermarum Fabarienſ.* 3. *Fonticuli.*

Die 2. *Junii* 1683. *Dn. Filius retulit*, illam pati in occipite ſenſum quendam ceu fluctuantis aquæ: ob pondus hoc caput quandoque erigere non audet, omnia in gyrum verti videntur: unde caput diu in ſitu illo detinet quo erat ante vertiginem. Vertigo quoque accerſitur forti loquela domeſticorum. Sæpe manus & pedes frigent etiam tempeſtate calidiſſima, durat frigus non raro ad horas 3. Raro domo egreditur, frequentat tamen quandoque templum; at non raro evenit, ut in via ſubſiſtere cogatur. Bibet *Thermas Fabarienſes.*

In itinere 1. mane ſumat jentaculum, parcius prandeat, liberalius cænet: non ſurgat ante coctionem peractam. 2. Sumat ſubinde *Fruſtulum confect. Aromat. confect. cubeb.* 3. Si debilis, permiſceat *Elæoſacch. Cordial.* ʒß. *cum* ℥iij. *vel* ℥iiij. *aq. betonic. meliſſ. fl. til. aut* ▽ *fontan.* Naribus admoveat *Balſam. ſuccin. Rut. aut ſpir.* ⊖✳c.

Bibat in ſummo ad menſ. iß. Si non tranſeat, primo hauſtui *add.* ℈j. *vel* ʒß. *Pulv. aperitiv. ex Ocul.* ♋. ♀ ⊖ *lat* &c. ſi conſtipata, utatur *Pilul. Marocoſt.* ante prandium *ad* ℈ß. *vel* ℈j.

OBSER-

OBSERVATIO LXXIV.

Vertigo titubans.

REv. *D. N. N. Decanus de S. Pierre le Jeune à Strasbourg d. 4. Januar: 1686.* A 3. vel 4. annis certis temporibus anni, imprimis hyemem verſus certam vertiginem ſeu ſtuporem capitis animadvertit, quia verò brevi duravit aut *uſu Medicamenti* & *V. S.* evanuit, nec dum ætatis provectioris erat ſcil. 46. annor. affectum non magni fecit. Nunc vero vertigo hæc & ſtupor capitis ita invaleſcunt, ut viſus hebetetur; caput ſemper antrorſum vergit, vix ſine fulcro ſtare poteſt aut audet, nec meditari, nec capite laborare valet, nam ſtatim inde malum augetur, ſimul pedes delaſſantur: quando ſedet, decumbit, aut humi moratur, ſi nihil ſerio cogitet, levamen experitur. Cibum & potum bene appetit: alvus aperta eſt: non tamen ultra 4. horas dormit.

Analyſis.

VErtigo hæc non eſt gyroſa, ſeu in qua omnia in gyrum ſecum verti putet, ſed titubans, nam caſum timet, unde non audet ſine fulcro incedere, caput antrorſum inclinat. Cauſa proxima non eſt extra cerebrum, ſed in ipſiſſimo cerebro, nam non poteſt ſine mali exacerbatione aliquid ſerio cogitare, aut ingenium labore aliquo fatigare; caput ſemper obtuſum eſt, levamen experitur ſi ſedeat, decumbat & quidem humilius, quam forte pridem ſolebat: pedes delaſſantur. Cauſa proxima videtur humor quidam aqueus intra cerebrum ſtagnans, nam talis præter ſanguinem hic vel ſolus poteſt colligi: nondum profunde medulloſam ſubſtantiam ſubiit, quamvis viſum hebetare incipiat, nam adhuc, ut ex literis conjicio, memoria & judicio valet. Quomodo aquoſus hic humor huc allectus & quam ob cauſam detentus fuerit, non conſtat ex literis, cum nullam mentionem faciat temperamenti & vitæ generis: quia tamen non multum nec ultra 4. horas dormit, conjicio hanc labem à nimiis & intempeſtivis ſtudiis imprimis lucubrationibus contractam fuiſſe.

Aquoſus iſte humor magno & pertinaci ſtudio à cerebro avellendus & educendus eſt ac cerebrum roborandum, ne quid deterius ſuperveniat. Itaque ſemel in ſeptimana ſumat I. *pilul. meas ceph. purgantes mane ad* 10. *vel* 11. *etiam* 13. II. extra illum diem *ſingulo mane* ſumat *ſex pilulas roborantes.*

℞. *Pil. Reg. compl. No. j. Succin. alb. ppr.*
Cinnab. nativ. cinnab. ♄ii. āā. ʒj. Extr. xyloal. ℈j.

Extract. ſalv. ℨij. *Ol. d. roriſmar. gtt. ij.*
Mſc. F. c. ſ. q. Balſam. Peruv. pilul. ex ℈j.
No. 40. conſperg. pulv. ſantal. citrin.
cum cochlear. ij. hujus liquoris.

℞. *Aq. roriſmar.* ℥vj. *Spir. bezoard. noſtr.* ℨij.
Syrup. fl. paralyſ. ℥j. *Mſc.*

A pilulis ſumtis abſtineat ad minimum duabus horis. III. *Fonticuli* excitentur in utroque brachio, non in pedibus propter periculum eryſipelatis. IV. Mane & hora ante cænam veſperi per horam dimidiam ſe pectinet *pectine buxeo*, à fronte retrorſum. V. V. S. niſi valde plethoricus ſit, nihil quicquam prodeſt, imo nocet, ſi largior adminiſtretur. VI. Si non cedat, neceſſarium eſt *Veſicatorium* tale: capillis capitis forfice, non cultro raſorio ablatis, toti cuti capillatæ imponatur *Empl. Veſicat.* pelli teneri inductum, cubitum ituro firmetur, ne decidat, relinquatur 8. horis, poſtea imponatur *linteum butyro oblitum M. & V.* donec non amplius manet. Si non cedat ſemel vel bis repeti poteſt ſine ullo periculo aut noxa. Veſcatur cibis boni ſucci & facilis digeſtionis; ſtudioſe vitet, quæ ſerum augent, ſcil. piſces viſcidos, fruct. crud. acetaria: paſtas farinac. & quæ caput replent, ut allia, cæpas, ſinapi &c. Vinum diluat *decoct. rad. chinæ.* Vitet ſummopere lectionem & ſcriptionem mox à paſtu, cæna ſit parcior prandio, nullo autem modo incænatus lectum petat.

Die 17. Januarii ſcribit, ſe uti *pilul. empl. veſicat.* V. S. curabit quia plethoricus eſt.

An Acidulæ conveniant? an pediluvia proſint?

Reſpondi d. 4. Jan. V. S. ſi Plethoricus ſit, admittat. *Pediluvia* proſunt, *ex ſalv. Majoran. beton. cum* ⊖ *in aq. & vino. Acidulæ* non ſemper tutæ ſunt. Scribat de effectu *veſicatorii.*

Die 23. Maji ſcribit: Veſicatorium conduxit, ab 8. diebus melius ſe habet. *Vena ſecabatur*, ardua negotia nondum tractare audet: in nare dextra obſtructus eſt. *Veſicator.* reiterabit.

Die 6. Jul. reſpondi & ulteriorem uſum *veſicator.* commendavi. *Fonticulum* in brachio d. excitet. Naribus *lac tepid. cum ſaccharo* trahat. *Menſ. Decembr.* 1686. *Dnus Eſchenbruch* narravit illum optime valere, prodire in publicum ſine fulcro, de vertigine nihil conqueri.

Menſ. Jul. 1687. *Filio meo Med. D. in acidulis Rippliſavienſibus narravit* ſe à vertigine immunem eſſe ac optime valere; *veſicatorium* imprimis ipſi conduxiſſe. Bibit *acidulas ſolum ad* ℔ß. potius quietis causâ. *Anno* 1693. *ſanus me Scaphuſii convenit.*

OBSER-

OBSERVATIO LXXV.

Vertigo titubans ab Hydrocephalo.

VIr egregius 25. annorum jam ab anno integro laboravit certâ quadam vertiginis ſpecie, quâ haud equidem ſubjecta circumrotabant, ſed ipſe ceu temulentus, titubans, & ni alicubi ſe fulciret, lapſurus incedere cogebatur. In lecto cubans ſibi optime valere videbatur: cæterum caput & facies cumprimis ſubtumida, lingua gravis, ſtupor mentis, velut ebrii, cephalæa. Variis uſus medicamentis cum à *Medicis* tum *horum ſimiis*, nullo aut parvo cum effectu, meum imploravit auxilium *die* 6. *Maji* 1689. Judicavi adeſſe hydropem cerebri, & affectum illi plane ſimilem, quem deſcribit *Platerus Obſ. Libr.* 1. *p.* 96. & difficillimam fore curam prædixi, nec niſi longo tempore, ſi Deus adnuere velit, perficiendam. Ordinavi ſeq. mane jejuno ſtomacho ℈j. *pulv. maſticatorii;* linteo obvolutus, & ori inditus tam diu maſticetur, donec pituitam amplius nullam attraxerit.

℞. *Rad. imperat.*
Cort. ſamb. int. āā. ℥ß.
Fol. Laur. ʒiß.
Sem. ſinap. ſtaph. agr. āā. ʒj.
Caryoph. arom. ℈iiij.
Maſtich. ℥vj.
Mſc. F. Pulv. Groſſ.

Ore, poſt abſolutam maſticationem colluto aſſumat *ſequentis pulveris* ſextam decimam partem *in cochleari decocti* mox deſcribendi, cujus inſuper *poſt aſſumtum pulverem* ℥iiij. hauriantur.

℞. *Sterc. pavon.* ℥iß. *rad. Doron. ver.* ʒij.
Cinnab. nat. ʒj. ☉ *fulmin.* ʒß.
Mſc. F. Ps. div. in 16. *p. æq.*

℞. *Raſ. lign. Guajac. Lentiſc.* āā. ℥ii. *ſaſſafr.* ℥j.
Rad. chin. in tal. conciſ. ʒvj. *Bacc. Coffe ppt.* ℥iiß.
Herb. ſalv. roriſm. āā. *Mij. paſſul min.* ℥iiij.
Diger. per 24. *hor. cum menſ. iiij. aq. font. eoque vaſe clauſo ad remanent. Menſ. iij.*

Cum nares jam diu ſint obſtructæ *errhini ſequentis* portionem tepidam è manu cava ſubinde attrahat (quod *errhinum* in omni narium

etiam contumaciſſima obſtructione eſt nobile, à me frequentiſſime uſurpatum additis interdum in pertinaci blennæ viſciditate *elaterii granis duobus.*)

℞. *Aq. beton. Majoran.* āā. ℥j.
Man. calabr. ʒj. *Vitriol. alb.* ʒß. *Mſc.*

Quoties vult erectus incedere *nodulum ſequentem* in vertigine proficuum odoretur.

℞. *Rad. Doronic. ver. Irid. fl.* āā. ℥ß.
Cubeb. coriandr. pp. cardam maj. āā. ʒij.
Fœnugr. ſem. angelic. āā. ʒj.
Mſc. F. P. groſſ. ſyndoni inſuendus.

Noctu antequam itur cubitum *pediluvio ſeq.* utatur.

℞. *Flor. chamom. Herb. beton. puleg.* āā. *Mij.*
coq. ex aq. fluv. in qua ſæpe querni titiones extincti.

Alternis triduis lotionem capitis adhibeat *ex lixivio querno* cui ſequentia incocta.

℞. *Herb. ſalv. beton. majoran. roriſm.* āā. *Mj.*
Fol. laur. flor. lavend. āā. *Mß.*
Bacc. Laur. Juniper. āā. ℥ß.

Poſt lotionem *ſuffitus* capitis, eaque veſpera intermittatur *pediluvium*: nonnunquam *cucurbitulæ* qua ſiccæ, qua ſcarificatæ etiam in nucha. Cibi condiantur *Chærefolio;* maſticet frequenter *confectionem cubebar.* ſit exſiccantis diætæ ſtudioſus: his medicamentis cum ad 20. Junii diligenter uſus fuiſſet, quid profecerim propemodum ipſe ignoro: aliâ igitur viâ rem tentaturus, ordinavi ſequentia. *Pilulas* primo *purgantes hydragogas.*

℞. *Extr. Cathol.* ☿*ii dulc. rit. par.* āā. *gr. xxiv.*
Magiſt. gumm. gutt. gr. iv.
Mſc. F. Pil. xxx.

Poſt purgationem *in decocto diuretico* ſequenti mane, pomeridie autem ex jure ſumat *mixturæ talis triginta guttas.*

℞. *Spir.* ⊖✳*ci arom.* ʒiij.
Eſſ. ſuccin. ♀*ſat.* ʒj. *Mſc.*

Decoctum eſt tale, ordinatum à me, quod urina parum procederet.

℞. Hord.

℞. *Hord. mund. cicer. rubr. ana.* ℥ij.
Sem. alth. malv. ana. ℥ß.
Mil. ☉. *petr. Maced. ana* ʒiij.
Fic. ping. N. x. Sebeſt. n. viij.
Raſ. Glycyrrh. ℥ß.
coq. in ſ. q. aq. font. colat. ℔iiij. *add.*
Syr. 5. *rad. pap. errat. ana* ℥ij.

Sumatur mane *cum antecedente mixtura* & noctu per ſe *quarta pars menſ.*

Pro ſtomacho roborando ſubinde *nucis myriſticæ quantitas de Electuario.*

℞. *Carn. nuc. Ind. cond.* ℥ß.
Conſ. roſ. r. beton. fl. tun. ana ʒvj.
Conf. alk. ʒj. *Rob. rib.* ʒv.
Ol. Caryoph. gt. iiij. ſyr. coral. q. ſ. Mſc.

Maſticetur mane ſtomacho jejuno *paſtillorum ſequentium unus.*

℞. *Fol. nicot. Laur. ana* ʒij.
Rad. imperat. ʒiß. *pyrethr.* ʒß.
Sem. ſinap. ⊖✱*ci depur. ana.* ℈ij.

Excipiantur pulveriſata maſtiche in mortario calido piſtillo calente, fiantque globuli ʒß. *ponderantes.*

Die 29. *Jun.* cum de inſigniſſimo capitis dolore conquereretur, ordinavi *Unguentum* fronti crebro applicandum ſuper linteo.

℞. *Ung. popul.* ℥j. *ping. caſtor.* ʒiij.
Ol. hyoſc. expr. ʒij. *Croc.* ℈j.
Op. in ſp. vin. ſol. gr. vj. Mſc.

Quinque *Veſicatoria* unâ vice eidem applicare juſſi in nucha, duobus brachiis & duabus ſuris, è quibus flaveſcentis ſeri vis incredibilis prolecta. Urgenti tunc ſiti occurſum *emulſione* tribus doſibus adſumenda.

℞. *Sem. cucurb. melon. ana.* ʒiij. *pap. alb.* ℥ß.
Aq. fl. paralyſ. endiv. nymph. borrag. ana. ℥iiß.
F. l. a. Emulſ. add.
Pulv. bez. Senn. ʒj. *Jul. roſat q. ſ.*

Pro alteranda cereviſia juſſi, ut ſingulis hauſtibus adderet *pulviſculi ex ana.* ⏀ ♁*iat.* & *ſacch. cand. alb. momento.*

Die 6. *Jul.* cum difficulter purgaretur præſcripſi *Pilulas* virtute auctiores.

 ℞. *Extr.*

℞. *Extr. Panchym. Croll.* ☿*ii dulc. ana gr. xxv.*
Magiſt. Gumm. gutt. gr. v. ſcammon. gr. iiij.
Cum tinct. ♀*i. F. Pil. N. xxx.*

Hæ *d. 9. Jul.* unâ vice aſſumtæ ne ſemel quidem alvum moverunt, hauſto vero pomeridie *decocto ex* ℥*iß. fol. ſenn. cum prunis dulcibus* facto, ſedes vix ternas extorſi.

Cum adhuc ex capite doleret, *emulſionem pro epithemate capitis* fronti applicari juſſi.

Caſus hic mihi miſſus fuit ab Excell. D. D. Lentilio Phyſico Nördlingenſi, qui addit, quod medicamenta hucuſque ordinata plane nullum præſtiterint effectum, interea quoque plenariam nunc fere aphoniam cum ſurditate adeſſe, quanquam vires ſint integræ & appetitus ſibi fere nimium conſtet; affectum vero nihil aliud eſſe quam hydrocephalum internum, hinc *ſalivationem* ☿*rialem tanquam extremum utcunque anceps remedium* meditatur, cui aſſentiuntur & Æger & Conſanguinei, *meum* tamen hac de re prius expetit *judicium*, quod ſequens dedi.

Salve plurimum Nobiliſſime & Excellentiſſime Domine, Collega Honoratiſſime.

Literas tuas, *Excellentiſſ. Domine.* nuper hic accepi. Juvenis ægri ſymptomatum ſyndromen, vertigini junctam, non ab occluſione levi pororum & ductulorum ſpirituum animalium illorum motum præpediente pendere, ſed ab aqua intra cranium ſtagnante *Tecum* ſentio: à pure aut ſanguine extravaſato hæc non expectanda ſunt: utcunque enim ſimilia pariant, at breviorem apoſtrophen faciunt, cum ſymptomatibus quoque atrocioribus. Aqua hærere & cumulata fuiſſe videtur in ventriculis cerebri & ſpatio inter utramque meningem, non circa cerebellum, quia viribus ultra annum valuit, & nimium potius, quam minus appetiit. Aqua hæc ſymptomata excitare videtur, non intima cerebri madefaciendo ſed potius ejus medulloſam ſubſtantiam, thalamos opticos, nervosque acuſticos & linguæ dicatos premendo, nam ſi quietus jacet, vertiginem non percipit, ſed ſi ſtet, aut caput erigat; tunc enim, præter vertiginem titubantem inſtar temulenti vacillat, & capiti ferendo impar ſibi videtur: ſi intima irroraſſet, pridem apoplexiæ ſuccubuiſſet: *Univerſalia ſcil. purgantia, pulveres cephalici, decocta lignorum : particulares evacuationes per maſticatoria & errhinorum beneficio facta* non rejiciendæ, utcunque via ex ventriculis cerebri & interſtitio meningum in fauces & nares nondum ſatis cognita ſit, ſec. *Schneid. de Catarrh. Diſſert. Generi mei D. D. Brunneri de glandula pitui-*

tuita-

tuitaria: Nec improbandi ſunt *fonticuli*, illisque ſimilia *ſetacea*, nec *ſcarificationes* ſiccæ vel humidæ: ſemper enim aliquid cauſæ antecedenti ſubtrahunt. Quoniam vero hæc hactenus nihil effecerunt, an aliquid boni *à ſalivatione per ☿ium commota* exſpectari poſſit? vehementer dubito: notum enim eſt *☿ium* generi nervoſo valde inimicum eſſe, atque Aurifabros ab illo tremulos reddi. Non poſſum non hoc etiam addere, *Mercurium foris artubus illitum intra cranium repertum fuiſſe à Petro Caſtello & aliquando caſu à me: cum aliquando ſepulchrum Comitis cujusdam, ultimi Illuſtriſſimæ ſuæ Familiæ, aperiretur, famulus quidam calvariam arripuit, ac ſceptra ligonibus æquari attollendo dixit, vix illa levicule mota ex oſtio magno, per quod ſpinalis medulla deſcendit, elabitur pulvis niger cum mercurio vivo currente in magna copia: hunc ex lue venerea Venetiis ante plures annos deceſſiſſe protinus comperi.* Potius ergo ſuaderem *veſicatorium totius capitis capillatæ parti imponendum.* Paradoxum hoc videbitur. Attamen & tutum & proficuum hoc remedium expertus ſum. Si non attingat partem cutis calvam aut depilem, nullam veſicam excitat, nilominus incredibilem aquæ copiam ex poris proliciet. *In ſimili caſu in viro ruſtico 40. annorum, in alio 30. annor. feliciſſimo cum ſucceſſu; imo in alio caſu apud Illuſtriſſimum quendam Comitem, & ante biennium hic quoque ob vertiginem in quinquagenario quoque Viro Illuſtri id auſus ſum.* Rationem agendi, & quomodo juvet, nolo multis nunc explicare: ſi DEUS vitam conceſſerit, publici juris hoc faciam. Sufficiat nunc modum applicandi indicaſſe. *Univerſalibus* præmiſſis, nec *cephalicis* neglectis, capilli cultro raſorio detondeantur: *Emplaſtrum veſicatorium Aug.* inducatur, vel linteo vel pelli, ad craſſitiem pennæ anſerinæ, imponatur toti cuti capillatæ, ſinatur, *inſtar cucuphæ*, probe firmatum, ne loco cedat, ad horas 8. vel 10. Poſtea auferatur: Caput detergatur linteis teneris, poſtea tegatur *folio braſſicæ capitatæ butyro perlito*: id bis vel ter quotidie, donec nulla amplius aqua emanet: ſinatur cuticula ſicceſci: videbitur multis poris prædita, ſeu poro, licet nullas vel ſaltim minutulas veſiculas *emplaſtrum* excitarit. Repeto *hujus emplaſtri* impoſitionem tet quaterve, imo, donec ſymptoma remiſerit. Plura non addo. *Vale Excell. Domine* cum tota Familia, viveque feliciter

Stuttgardiæ, inter negotiorum tumultus d. 8. Octobr. 1689.

Excell. T.

ad Officia paratiſſimus

Joh. Jacob Wepfer, M. D.

OBSER-

OBSERVATIO LXXVI.

Vertigo titubans cum Incubo profundo.

AMpliſſimum ac Reverendiſſimum Dominum Abbatem N. N. Anno 1686. D. 27. Julii conveni. Eſt annorum 45. ſtaturæ longæ, carnoſus, pallidus. In pueritia diu ſcil. ad annum 14. ſuæ ætatis non bibit vinum: delectabatur fructibus crudis. Mature *literarum ſtudiis* conſecrabatur *Veldkirchii*, poſtea *Weingartæ*, quibus gnaviter operam dedit; in victu, quamvis debito motu deſtitueretur, perrexit, nec à frigidis datâ occaſione, deſtitit: Jam 25. ætatis anno, de cruditatibus ventriculi querebatur diu, quæ variis ac prope ſimilibus ſe exſeruerunt ſymptomatibus illis, cum qualibus nunc conflictatur. Perveniens *ad Mariæ Montem in Tyroli* ac gaudens vino generoſiore optime ſe habuit, quamvis ibidem 4. annis indulſerit fructibus crudis, acetariis, carnibus ſalitis & fumo induratis, caſeo, biberitque vinum glacie frigefactum. *Salisburgi* inter ſimiles errores à vini potu ſpirituoſi ſane vixit, licet per aliquot annos *profeſſorio munere* functus fuerit & fere ſedentariam vitam duxerit. Quamprimum *Weingartam* rediit vinumque Bodamicum minus ſpirituoſum bibit, ſymptomata hæc rurſus gliſcere cæperunt. *Anno 1684. ſub finem Decembris Viennam* cælo frigidiſſimo, accelerato itinere profectus ibique duobus menſibus commoratus eſt: ob negotia inordinate vixit atque ob ædes poſt obſidionem miſere deſtructas male locabatur & toto tempore vix unquam ſe veſtibus exuit: pranſus eſt & cænavit tardiſſime, nullâ ſtatâ horâ obſervatâ, in conviviis varietate ciborum deliquit: inde bruma ſæviſſima *in Tyrolim*, rhedâ vectus, fere obriguit & in hunc uſque diem quandoque valde dolet in Tali dextri parte externa ſub malleolo, ubi tamen nec tumor nec macula conſpicitur, pertingit ad plantam tali. Symptomatum, quæ nunc patitur, anſam fuiſſe putat hanc perfrigerationem, quæ tanta erat, ut dum è rheda deſcendere conabatur, humi proſtratus fere fuerit, & aurigæ quinque pedum digiti ſphacelo corriperentur.

Ab illo tempore hucuſque inordinate vixit, pranſus eſt ſæpe hora 12. cænavit hora 8. aut 9. ſapuerunt imprimis cibi frigidi, ſcil. carnes aſſæ ferinæ & domeſticæ, ſalſæ, fumo induratæ, fructus crudi, acetaria, caſeus, vinum ceraſorum nigror. acidor. vina frigidiſſima geluque frigefacta Bodamica: non multum bibit: exceſſus abhorret, quamvis multum vini citra ebrietatem toleret. Hac æſtate ſtructuræ novæ ædis plurimum interfuit, etiam ſummo mane ac vix vaporem extinctionis calcis evitavit, quin plurimum ejus hauſerit. Vigiliæ quoque ipſi permoleſtæ fuerunt, ut ſæpe hor. 3. matut. ſurrexerit. Symptoma, quod

jam

jam aliquandiu ſæpius paſſus eſt, primarium, ita ſe habet; ante paſtum aut poſt paſtum ſudor frigidus primum in fronte erumpit, caput vix geſtare valet, putat ad latus caſurum, imo ſemet totum humi proſtratum iri, niſi ſe ſuſtentaret aut ſederet, ſive præ debilitate ſive præ tædio artus movere & loqui detrectat aut languide movet; expalleſcit, caput turbatur; de vertigine conqueritur, non gyroſa ſed titubante, nuper quoque dolor gravativus mammam ſiniſtram & partem ſub ſcapula in oppoſita parte invaſit, ac ſi defluxio illuc quædam præcipitata fuiſſet. Cor nunquam palpitaſſe obſervavit: in paroxyſmo omnibus ſenſibus valet, nec aures tinniunt, nec viſus obſcuratur, durat paroxyſmus ad quadrantem horæ, nunquam continue per integram horam, niſi quod poſt brevia intervalla in una hora aliquoties redierit: correptus fuit in uno die nunc ſemel nunc bis, nunc ter: intra biennii ſpatium nunquam frequentius illo corripiebatur, quam in principio canicularium hujus anni, quo tempore abutebatur fragorum eſu & ſubinde hauſtum aquæ bibit. Mitigabatur ructibus emiſſis aut muco craſſo forti ſcreatu elicito, aut juſculo ſumto & vini pauxillo ſuperingeſto: quamvis ipſum quoque in paſtu invaſerit. Dum nuper hoc ſymptoma permoleſtum fuit, ſumſit *veſperi Pilulas de ſuccin. Craton. gr. xiiij.* quibus addita fuerunt *gr. v. magiſt. gialapp. & ſeq mane gr. xviij.* unde per triduum blande purgabatur deorſum & *potâ* poſtea *limonat. cum aqua & vino paratâ* multum muci evomuit, atque inde hucusque ſymptoma hoc non rediit. Aſthma plerunque hyeme aut cœlo frigido ipſum invadit noctu, in principio ſomni, nunquam interdiu evigilantem, expergefacit ipſum ita ut in ſomno, vel quamprimum expergefit excutiat integumentum ac vi quadam projiciat in pavimentum cubilis, ac celerrime è lecto ſe proripiat & ad feneſtram aut januam currat; quamprimum ipſum aura afflat recens, ſtatim paroxyſmus ceſſat citra ullam ſputi rejectionem: durat non diutius, quam quis orationem Dominicam bis vel ter recitaret; poſtea lectum repetit ac ſuaviter dormit.

Die 26. Julii. Ante cænam reperi pulſum eſſe æqualem, paulo frequentiorem. In cænæ principio poſt juſculum hordeaceum frons maduit: continuavit cænam, comedit de carne vitulina & ferina aſſa frigefacta aliisque cibis aſſis calidis cum appetitu: bibit vini Bodamici ℔*iß.* vini Rhenani Hambaccenſis ℥*vj.* Lectum petiit hora 9. bene dormivit: à cibo non gravabatur, non eructavit, non affligebatur in illo tempore, quo chylus craſſior diſtribuitur, ſomnus erat placidus, decubitus humilis.

Die 27. Julii. Mane de nullo ſymptomate prorſus querebatur: pulſus erat robuſtus, plenus, æqualis, Hypochondria mollia, plane non inflata: maduit, imprimis in pedibus, etiam ibi, ubi doluit talus à per-

frigeratione. Urina quantitatem potûs ſuperavit, erat colore & conſiſtentia naturalis. Mane alvum ordinate ſolvit: ſcreatu mane mucum è faucibus prolicit, qui ſæpe gryſeus aut niger eſt. In acclivium aſcenſu reſpiratio paulò difficilior fuit, nunc facilior eſt. Caput non dolet. Eſt valde difficilis ad medicamenta ſumenda, etiam negligens illorum, quæ ad manus ſunt *Ex. gr. Trag. liq. cordial. &c.* NB. Poſt paroxyſmum leipothymiam minitantem ſtatim iterum alacris fit, obambulat, munia ſua, ceu nihil paſſus, probe obit. Hæmorrhagiæ narium à puero obnoxius fuit, *Fonticulus* nuper excitatus parum ichoris fundit. Hodie pranſus eſt bene: poſt prandium obambulavit: acclivia ſcandit abſque moleſtia: in prandio nares ſanguinem ſtillarunt, præceſſit dolor capitis ſed levis. *Ejus Domina Mater* dum junior erat, admodum convulſionibus hyſtericis obnoxia erat & jam ſenex experitur globulum circa verticem oberrantem cum ſenſuum perturbatione.

NB. Quando errorem in victu commiſit indeque ventriculus lædebatur, unius diei abſtinentiâ vitium *citra medicamenta* corrigebatur. Nuper paroxyſmos acceleravit *Acidularum potu.*

Veſperi inviſit cæmentarios terram fodientes pro cella vinaria: à vapore terræ novæ verſæ expalluit ac paroxyſmus imminuit. Hæmorrhagiam narium ſed parcam paſſus eſt, cænavit parum, dormivit ad medium noctis ſtatimque rurſus indormivit.

Die 28. *Julii.* Mane alacris fuit. Hæmorrhagia circa 8. matut. rediit, ut heri veſperi ante & poſt cænam; coloratus tamen manſit. Multum hodie obambulavit, pranſus eſt & cænavit optime, plane nihil adverſi ſenſit, & color faciei vividus manſit; noctu bene ſe habuit.

Reſolutio.

AFfectus primarius & præcipue attendendus eſt vertigo titubans, nam illo ſubito invadente, *Reverendiſſimus Dominus* putat caput vacillare atque quaſi in alterutrum latus caſurum, imo niſi ſederet aut ſe fulciret, crederet ſe humi proſtratum iri idque cum capitis aliqua perturbatione: expalleſcit ſimulque ſudor frigidus exprimitur, partim à terrore ſymptomatis aliàs terrifici, partim ob compatientes nervos cardiacos, quam ob cauſam quoque artus delaſſantur, & ad motum ignaviores fiunt ac tædium loquendi obvenit. Sedes cauſæ proximæ non eſt ventriculus; nam etiam præſente hoc ſymptomate appetit, aſſumta ventriculus tolerat, concoquit, concoctum per pylorum emittit, inteſtina ſine ulla moleſtia ſuſcipiunt, detinent, donec chylus ſeparatus & diſtributus ſit, nam nullam diarrhæam & nulla tormina patitur, alvus quotidie officium ſuum rite facit, nec eſt talus à perfrige-

ratione

ratione *in itinere Viennenſi* læſus, nam hoc ſymptomate corripiebatur jam ante hunc tali dolorem: nec eſt cor, nam ſive in cordis auriculis, ſive in ventriculis, ſive in parenchymate lateret, hactenus nec leipothymiam nec cordis palpitationem ſupterfugere licuiſſet, nec hucuſque pulſus æqualis perſtitiſſet: ſed vera ſedes cauſæ morbificæ eſt in confinio cerebri & cerebelli, ubi etiam nervi cardiaci ſcaturiunt, non altior & profundior medulloſæ ſubſtantiæ cerebri & cerebelli portio, nam vertigo hæc non eſt gyroſa & in paroxyſmo omnes ſenſus integri manent, viſus non obnubilatur, nec aures tinniunt. Confinium hoc cerebri & cerebelli pati confirmat aſthma ſeu potiùs incubus fortior, quem *Reverendiſſimus Dominus* hyeme in principio ſomni experitur, ac revera illæſis pulmonibus evenit, nam quamprimum ſe è lecto proripit ac recentiore aurâ, apertâ januâ & feneſtrâ afflatur, ſubito citra ſputi rejectionem per tuſſim à ſymptomate hoc liberatur ac lectum repetens reliquo noctis tempore placide dormit.

Cauſa proxima eſt humor tenuis & crudus minusque ſpirituoſus: tenuem eſſe apparet inde, quia ſymptoma hoc ſubito invadit & brevi iterum evaneſcit; crudum minusque ſpirituoſum conſtat inde, quia evenit poſt uſum & abuſum crudorum minusque ſpirituoſorum, nam dum *Reverendiſſimus Dominus Mariæbergæ & Salisburgi* vixit, ultra 15. annos ab hoc ſymptomate immunis fuit ipſemetque animadvertit, ſi diætam accuratam obſervet, ſe minus ab hoc ſymptomate terreri, & dum in principio canicularium hujus anni æſtuante cœlo nimium fragis & potui aquæ indulſit, affectum frequentius, quam unquam eveniſſe, quod tunc vino Auſtriaco magis ſpirituoſo fruebatur, non contigit, licet ſubinde fructibus horæis uteretur. Humores iſti tenues & crudi ſymptoma hoc efficiunt, dum in cerebelli & cerebri baſin effuſi, ſpiritus animales contaminant & illorum motum aliquo modo impediunt. Ad hæc loca perferuntur per arterias carotides internas in minutiſſimos ramulos in baſi cerebelli & cerebri diremptas ac hoc confinium irrorantes. Recipiuntur ob loca hæc debilitata à ſtudiis intenſis, diu pridem continuatis, à negotiis graviſſimis & laboribus ingenii concatenatis, à vigiliis, à perfrigeratione inſigni capitis *ab itinere Viennenſi*, nam hactenus ſymptoma invaluit: forte etiam hæreditaria adeſt diſpoſitio, nam *Domina Mater* convulſionibus hyſtericis admodum obnoxia fuit. Frequentius ſymptoma *Reverendiſſimum Dominum* corripit, quia in maſſa ſanguinea plurimas particulas crudas cumulat, nam delectatur cibis frigidis & cruditatibus multifariis præditis, ſcil. fructibus crudis, vino gelato, etiam Bodamico, quod ob ſal acidum connatum *ipſemet Reverendiſſimus Dominus* minus ſalubre experitur, item acetariis, carnibus ſalitis, fumo induratis illisque actu frigidis ut & aliis, quæ ad cumulationem cruditatum faciunt.

 Symp-

Symptoma hoc *benedicente DEO*, corrigi & aufferri poterit, quia cito invadit brevique evaneſcit atque poſtea *Reverendiſſimus Dominus* ſtatim ad ſolitos labores alacris ceu nihil tale paſſus, redit, quia quoque ad evitandum malum plurimum conferre diætam ipſemet animadvertit.

Scopi igitur erunt in medendo, crudorum humorum à capite revulſio, derivatio, è maſſa ſanguinea eliminatio, novæ accumulationis præcautio & cerebri cerebellique roboratio. In curatione tamen aliud agendum in paroxyſmo, aliud extra paroxyſmum.

In paroxyſmo ſpiritus animales ſtatim excitandi ac obſtaculum, illorum motum remorans, aufferendum. Hanc ob cauſam ſtatim maſticet *cubebam vel nudam vel ſaccharo incruſtatam, aut caryophyllum;* odoretur *Balſam. cephalic.* ac ſi paroxyſmus fortis ſit, *ſpiritum* ⊖ ✱ *urinoſum*, qui potenter ſpiritus excitat: ſæpius ſumat *cochl. unum alterumque aquæ cephalicæ.*

℞. *Aq. ſerpil. beton. roriſmar.* āā. ℥iß.
cinamom. cydoniat. aut bugloſſat. ℥ß.
Eſſentiæ diaphoret. ʒij.
Ol. deſtill. roriſmarin. gutt. ij. Tab. man. chr. perlat. ℥ß. *Mſc.*

Eſſentia diaphoretica hoc modo paretur.

℞. *Lixivii clari parati ex cineribus ſerpilli combuſti* ℔iij.
Fuligin ſplendent. puriſſimæ ℔j.
⊖ ✱ *puriſſ.* ℥iij.
Mſc. digerantur bene clauſa hor. 24. in vaſe vitreo in loco calido poſtea filtrentur per chartam Emporeticam, colaturæ
Add. ſpir. ceraſor. nigr. ℥ij. *ſpir.* ⊖ ✱ *urinoſ.* ℥j.
C C. rectif. ℥ß.
Aq. cinam. ſpirit. ℥ij. *Mſc. ſerventur in vitro bene clauſo.*

Si jejuno ventriculo eveniat, detur juſculum cum hauſtu vini.

Balſamus Cephalicus in paroxyſmo odorandus etiam temporibus & vertici illinendus hoc modo paretur.

℞. *Ol. nuc. moſch. expreſſ.* ℥ß.
deſt. rutæ, majoran. roriſmar. ana. ℈j.
lavendul. ſuccin. ana. ℈ß:
Balſ. peruv. ℈iiij. *Mſc. diligenter d. ad pyxid. eburn. aut argenteam.*

Extra

Extra paroxyſmum, quia tota maſſa ſanguinea abundat cruditatibus, *purgantia* convenient *in Autumno*, *Hyeme*, *Vere atque in Æſtatis principio*, nimirum ſi ſymptoma crebrius invaderet *ſingulis menſibus* triduo ante novilunium, duabus horis poſt parcam cænam ſumat ſeptem *Pilulas cephalicas* & lectum petat: ſi verſus mane alvum non bis terve ſubducant, circa ſextam matutinam rurſus deglutiat 7. *vel* 8. *pilulas cephalicas*: ſi vero diu liber à ſymptomate hoc aut ab incubo fuerit, ſufficiet, ſi alternis menſibus his uteretur, quæ ita parentur.

℞. Mpil. *cochiar.* ℥iß.
Trochiſc. Alhandal. ʒiij.
Spec. diambr. diamoſch. ana. ʒiß.
Indantur cucurbitæ vitreæ, affund. ſpir. vin. q. ſ. digerantur In loco calido vaſe bene clauſo per dies 4. *poſtea coletur per chartam emporeticam. Inſpiſſ. ad conſiſtent. extracti: add. ol. d. roriſm. gtt. vj. Ex* ʒj. *formentur pilulæ Num. xxx. de* ⊙ *conſpergantur pulvere ſantali rubr. d. ad ſcatul.*

Quoniam *Reverendiſſimus Dominus* ſanguine abundat, *Venæſectio* neceſſaria erit *Menſe Septembri, Februario & Majo*: qualibet vice emittantur ſanguinis unc. 5. vel ad ſummum unc. 6. ex brachiis.

Scarificatio alternis menſibus triduo ante & poſt novilunium, nullâ ſignorum habitâ ratione utilis erit, inciſa cuti & quinque cucurbitis affixis;

Fonticulus apertus ſervetur; ſi minus puris fundat, indatur ſubinde *globulus ex cera viridi cui cantharides permixtæ*.

Cerebri roborandi causâ *Reverendiſſimus Dominus ſummo mane*, aut quamprimum licet *ſex pilulas nervinas* aut caput & nervos roborantes *cum cochl. j. vel ij. aquæ cephalicæ ſuperius deſcriptæ & tot horâ ante cænam* deglutiat, hoc modo parandæ.

℞. *Pulv. antihect. Pot. ſeu diaphor.* ♃. ʒij.
Cinnab. nativ. Hungar. ♁*ii rectif. ana.* ʒj.
C. C. phil. ppr. ungul. alc. ppr. ana ʒij.
Ambr. gryſ. ℈ß. *Extract. agallocb.* ℈ij.
Ol. d. roriſmar. gt. iiij.
Extr. ſalv. beton. ana ʒiß.
Mſc. F. cum ſ. q. mucilag tragacant. Pilulæ ex ʒj. *Num. xxxx. conſpergantur pulvere ſantali citrini d. ad ſcatulam.*

Hyeme quoque prodeſſet *potus Caffee aut chocolatæ præ infuſo Theæ.* vitet aerem nebuloſum, pluvium frigidum, contaminatum vapore calcis. Cibos crudos, duros, viſcidos, ſalitos, fumo induratos ſummopere. Bibat vinum vetus bene maturum & noctu ſubinde hauſtum vini Rhenani. Motus corporis ſumme utiles: nocent ſtudia poſt paſtum & lucubrationes, item ſomnus pomeridianus ſtatim à prandio.

Die 25. Octobris 1686. ſcribebatur Reverendiſſimum Dominum optime valere.

Excellentiſſimus ac Ampliſſimus Dominus Johannes Conradus Brunnerus, Archiater Palatinus de eodem Reverendiſſimo Domino Abbate in Locis ſuis communibus ſequentia adnotavit 1694. &c.

Reverendus & Gratioſiſſimus Dominus N. N. Abbas in W. Ætatis 53. annor. ſtaturæ proceræ, florido corporis habitu & vultu præditus, multorum ſtudiorum, temperamenti ſanguinei. *Mater* apoplexiæ inſultus plures paſſa eſt, quibus tandem occubuit. *Dominus Frater* penes lectum in genua decumbens apoplexiâ extinctus repertus fuit. Amavit frigida, acetaria, glacie frigefacta, carnes etiam aſſas frigefactas, non amavit cibos fervidos, inde noxam percepiſſe ipſemet exiſtimat: à decem annis orthopnœam ſiccam, *Incubum profundum Venerandus noſter Wepfferus denominans*, paſſus eſt, adeo ut noctu è lecto ad captandum aerem ſeſe proripere cogeretur, quo percepto ſtatim melius ſe habuit. *Venæſectio* bis quotannis adminiſtrata fuit. Eandem orthopnœam ſiccam 18. ætatis anno paſſus eſt dum ſtudiis *Dilingæ* navabat operam: Intervalla nonnunquam habuit magna, rediit identidem: à crudis comeſtis, verbi gratiâ nucibus avellanis paroxyſmus concitatus fuit. A biennio penitus ceſſavit, ut ſaniſſimus ſibi videretur. Ab anno & quod excurrit, rurſus vertiginem nunc gyroſam etiam patitur, præſertim à *menſe Septembr.* 1693. jejuno præcipue ſtomacho, à ſumto juſculo mitigatur: in gyrum agi videntur objecta, oculis obverſantur corpuſcula rutilantia, ſudore prorumpente cum imminente leipothymia: caput vacillare etiam videtur: duravit olim paroxyſmus circiter horam, nunc brevior exiſtit: evaneſcente paroxyſmo recte ſeſe habet ad omnia. *Circa initium menſis Junii 1694. præſens vidi paroxyſmum:* vivido faciei colore conqueſtus eſt de debilitate cum vertigine, mox ſudore prorumpente, duravit per mediam horam, ſumto *liquore ſpirituoſo cum Tinctura ſuccini* evanuit ſenſim & ad ſe rediit. Hyeme præcedente noctu ſubito evigilans ſenſit ingentem capitis perturbationem, ut advocatus fuerit *Medicus: exhibitâ Tincturâ ſuccini* cum ligaturis ad ſe rediit; verebantur graviora & fortem apoplexiam.

Die 8.

Die 8. *Julii* 1694. *Reverendiſſimum Dominum Abbatem conveni in Hoffen prope Buchhornam ad lacum Bodamicum.* Vivido colore faciei apparet, vegetus & alacris in actionibus ſuis, nulla ſomnolentia, nec torpor, nec languor apparet. Appetit, plus tamen in prandio quàm in cæna, nullam ſentit cardialgiam, non ſitit, neque bibit extra paſtum: vinum bibit generoſum Nicarinum merum ad Libr. 3. vel 4. in prandio atque cæna: dormit horas 4. vel 5. Alvus aperta quotidie, excreta juſtæ conſiſtentiæ probe cocta ſunt. Urina naturalis cum laudabili ſedimento: pulſum habet fortem & robuſtum nonnihil citatiorem: libere reſpirat. Dolor nullus capitis adeſt, neque torpor, nec ſomnolentia infeſta eſt, finito paroxyſmo omnes functiones & munia obit: os nullo peregrino ſapore eſt imbutum. Laudant *Venæſectionem in brachiis & pedibus.* Contulerunt imprimis *acidulæ Schwalbaccenſes*, ſed parciori doſi nec ultra Libr. 1. aut Libr. un. & dimid. quotidie potæ, inde vero paroxyſmus emanſit ac ad prandium uſque jejunare potuit, id quod antea non licuit. *Ab acidularum potu* ſatis bene valuit uſque ad Autumnum: iter fecit *Reverendiſſimus D. Veldkirchium*, ibi minus bene valuit: accuſabant vinum & aerem minus liberum, rediit *in Hoffen* ibique melius degit.

Menſe Decembr. 1694. *rurſus Reverendiſſimum Dominum Weingartæ inviſi:* identidem recurrebat paroxyſmus vel ſcotomia, ut citra baculum incedere metueret: dicebatur tamen longe melius ſe habere ac antea & ſolſtitium brumale accuſabatur. *Die* 29. *Decembr.* 1694. Totâ die belle ſeſe habuit, adfuit *Reverendiſſimus Dominus Præſul Zweyfaltenſis,* ſolito more comedit, nec exceſſum ullum commiſit. Veſperi circa horam ſeptimam inter colloquendum de arduis & adverſis pedem ſiniſtrum ponderoſum atque ſtupentem obſervavit, incedere non potuit, reptando tamen motus rediit, ut huic iterum inſiſtere valuerit, mox autem intra horæ quadrantem motum iterum amiſit: lingua quoque nonnihil titubabat & labium ſiniſtrum reſolutum obſervabatur.

NB. Sæpius ſtuporem pedis ſiniſtri ſenſit ſed evanidum: facile riſit & iterum involuntarie lachrymatus fuit poſt hemiplegiam. NB. Hernioſus eſt & magna mole dependent inteſtina, ut ſcrotum in ſacculo de collo ſuſpendere ſit neceſſe.

Die 9. *Januarii* 1695. *denuo Reverendiſſimum Dominum conveni.* Sedebat in Sella floridus facie, manum autem dextram movere non potuit excepto pollice, quem vel leviter commovit: pedem etiam dextrum valde ponderoſum attollere vix valuit. Compoſito erat vultu atque diſcurſibus ſatis promptus, hæſitabat ſemel memoria, ſubriſit quoque facile; lingua tamen non ea promptitudine eſſe videtur, quâ olim

olim: heri vertiginis paroxyſmum ſenſit. Cæterum appetit, non ſitit, bibit *decoctum lignorum* & vini nonnihil; alvus reſpondet: Urina naturalis: ſudat facile præſertim in latere affecto: noctu propter difficilem decubitum minus quiete dormit, corpus enim verſare non poteſt, ſed manet inſtar trunci: pes ſiniſter inſigniter tumet. Aliàs capite non dolet, nullam nunc ſentit vertiginem, imo melius ſeſe à factâ metaſtaſi habere ſibi videtur; noctu propter moleſtiſſimum decubitum parum dormivit. *Die* 10. *Januarii* 1695. Pulſus magnus, fortis & robuſtus fuit: parte faciei dextrâ ſenſus minus viget: labium quoque ridendo reſolutum verſus dextram partem trahi videtur: urina naturalis: bis ſponte dejecit. Circa prandium male ſe habuit, expalluit, refriguit, debiliorem multò ſeſe ſenſit, cum vertigine nonnulla, nec appetitus conſtabat in prandio: mox tamen ad ſe rediit ac novas vires acquiſivit; dormivit, ſudavit atque inde ſeſe multum recollegit: in cæna bene comedit, ſumſit *pilulas ex extr. caſtor.* ⊖ *ſuccini volatili ana. gr. v. cinnab.* ♁*ii gr. vj. cum balſ. peruv. q. ſ. F. pilul. Num. vij.*

Die 11. *Januarii* 1695. nocte prægreſſa bene dormivit *mane* ſumſit *talem pulv.*

℞. *Spec. contr. Apoplex. c.* ℨß.
Sal. ſuccin. volatil. gr. v.
Cinnab. ♁*ii rectif. gr. iij.*
Mſc. F. Pulv. cum aq. flor. tiliæ. aſſumend.

Pulvis aſſumtus vomitum bis cievit cum torminibus & dejectione: error detectus fuit, lapis enim Smaragdi præparatus in ſpeciebus contra apoplexiam viridi æris tinctus erat, ac vomitum in aliis quoque movit. Sacculos fervidos plantis cephalicis infarctos applicuimus artubus reſolutis, *cum frictione* abhinc *pannis calidis atque ſpiritu juniperi, ceraſorum nigrorum, camphora, ſapone nigro &c.*

Die 1. *Februarii* 1695. *redii Weingartam.* Belle ſucceſſit negotium uſque 21. *Februarii.* Motus artuum crevit, ut manum pedemque admodum movere valuerit. Subita enim poſtea facta fuit perturbatio cum leipothymia atque debilitate inſigni, loquela pene amiſſa fuit. Febriles quaſi paroxyſmi apparuerunt cum ſiti, dejectâ appetentiâ, & urinâ tinctâ, turbatâ; reputarunt ſeri deſpumationem factam fuiſſe febri catarrhali ad partem debiliorem, inde novum paroxyſmum apoplecticum comitatum fuiſſe cum loquelæ vitio & impedimento. Suaſerunt 1. *Pulverem ex diaphor.* ♂ *ſal. ſuccin. volatil. cinnab.* ♁*ii &c.* 2. *Liquorem omiſſis ſpirituoſis vinoſis cum tinctura ambræ &c.* inde ad ſe rediit.

Hodie

Hodie pedem atque brachium ſatis bene attollere potuit, ſed vitium in loquela animadvertitur: appetit à biduo, urina tamen adhuc eſt turbata: pulſus tantillo celerior: diaphoreſis nunc liberior quàm antea, vini nonnihil à biduo conceditur.

Cogitata Excell. D. D. Brunneri.

STupor pedis ſiniſtri, incedendi impotentia, brachii quoque reſolutio, cum nonnullo loquelæ impedimento aut difficultate, luculenta ſunt, quam diu veriti ſumus hemiplegiæ indicia, quam & gravior quoque minabatur vertigo, quâ ab annis multis laboravit *Reverendiſſimus ac Gratioſiſſimus Dominus Præſul.* De cauſa vertiginis diu dubitatum fuit, utrum per conſenſum ſtomachi, an per idiopathiam ex male affecto cerebro originem duceret? hoc minabatur affectus *Matris atque Fratris* apoplexiâ defunctorum, illud vero affectiones infimi ventris innuebant. Modo autem litem dirimit, ac alia phænomena confirmant remque extra omnem dubitationis aleam ponit affectus, qui nuper ſupervenit, & cauſam circa genus nervoſum hærere ſatis ſuperque convincit; uti *Venerandus Senex Wepferus noſter* jam ante octo annos *in conſilio ſuo exhibito* probe animadverterat. Etenim niſi obſtructis aut compreſſis tubulis nervorum non tam diu durare poſſet hemiplegia, quia per conſenſum, quod rarius fit, facta, ſublatâ ſpirituum perturbatione ocyus ceſſat & ſolvitur, & debito per nervos ſpiritus ſenſûs motûsque authores influunt. Impediuntur autem ſpiritus, nec influxu ſuo potiuntur aut propter tubulos, per quos vehuntur, obſtructos aut preſſos ac coarctatos; id quod potiſſimum ſero aut ſanguine extravaſato effici, experiundo & cadavera diſſecando didici. *Apud Reverendiſſimum Dominum* ſanguinis effuſionem factam fuiſſe minus veroſimile videtur. Rupto enim vaſe ſanguifero aut arteriola, id quod vidi, ſanguis impetuoſe profunditur, adeo ut fiſſam viderim ſubſtantiam cerebri & rimam egiſſe ex vi & impetu ſanguinis prorumpentis, quam effuſionem cita mors ſecuta eſt. Extant equidem plura indicia ſanguinis abundantis *apud Reverendiſſimum Dominum*, qui intumeſcens aut commotione animi aut aliâ occaſione facile regurgitare poteſt & circulationem ſanguinis in cerebro difficiliorem reddere, nec parvi pendendam eſſe hanc cauſam ego quidem exiſtimaverim. Quia autem ſtupor prius inceſſit pedem, mox brachium ſiniſtrum, ut non niſi raptare ſeu trahere potuerit pedem, tandemque immobilis manſit, probabile eſt à ſero extravaſato dicta ſymptomata proveniſſe. Necdum tota cerebri ſubſtantia uvida & flaccida apparet, aliàs non polleret *Reverendiſſimus Dominus* ſenſibus tàm internis quàm externis; ſomnolentus etiam magis atque torpidus videretur, id quod hactenus obſervatum non fuit. Veroſimile eſt, lympham

aut ſerum in ventriculis cerebri accumulatum vertiginis olim & ſpirituum animalium perturbationis cauſam fuiſſe; nunc autem premendo medullæ oblongatæ caudicem ſiniſtrum hæc ſymptomata impotentiam nempe ſeu paralyſin pedis manûsque ſiniſtræ ſive hemiplegiam intuliſſe; farciendo & coarctando tubulos, qui ſpiritus in ſanis ad partes exteriores vehere ſolent. Cauſa hujus congeſtionis & colluviei ſeri partim hæreditaria videtur partim acquiſita. Et frequentius obſervatum fuit, certas familias apoplexiæ præ aliis magis obnoxias eſſe, quæ quidem hæreditaria diſpoſitio, in vaſorum conformatione ſerum non tam prompte percolantium conſiſtere videtur, eſtque forte anguſtia eorundem: lenteſcente autem ſenio lympha facilius obhæreſcit, obſtructiones parit & accumulatur. Utrum vaſa ſanguifera, an vaſa lymphatica, fruſtra hactenus in cerebro quæſita, an glandula pituitaria ſit? dubitatur.

Robur cerebri & fibrarum tonus fractus fuit & enervatus intenſis ſtudiis atque cogitationibus, unde facilius modo admittitur ſerum nec tam maſcule expellitur admiſſum uti pridem. Accedit ætatis ratio, cujus occaſione ſerum magis lenteſcit: Hyems quoque ſymbolum ſuum contulit, quâ ſeri emiſſoria occluduntur & ipſum lenteſcit, nec excretoria ſua tam prompte pervadit: abundans igitur verſus partes ad congeſtionem proclives reſtagnat & regurgitans accumulatur.

Serum igitur attenuandum, revellendum, derivandum & eliminandum: obſtructiones reſerandæ: cerebrum tonusque fibrarum roborandus.

Propterea ſumat *Reverendiſſimus Dominus* triduo ante novilunium & plenilunium *duabus horis à parca cæna vij. aut viiij. pilular. cephalic. à Venerando noſtro Wepfero menſ. Julii 1686. præſcriptarum.* Identidem *Clyſteres revellentes* urgente neceſſitate applicentur. *Venæſectiones* ſtatis temporibus non omittantur. *Veſicatoria* multum etiam prodeſſent. *Fonticulus* apertus ſervetur. Cerebrum eâdem operâ atque nervi roborandi ſpiritusque reficiendi erunt: hac de cauſa ſingulis lunæ phaſibus *bihorio à cæna* ſumat *doſin pulv. cephal. cum aq. fl. til.*

℞. *Spec. contr. Apoplex. Auguſt. c.* ʒß.
Specif. ceph. Mich. ℈ß.
⊖ *vol. Succin. gr. iij. Mſc. F. Pulv.*

Proin *Mane & Veſperi* deglutiat *pilul. cephal. roborant. num. vij.*
Cum aq. fl. til. ex ung. alc. ſuccin. alb. ppr. cinnab. ♁*ii.*
⊖ *vol. ſuccin. caſtor. &c. cum ſucciſ. beton. & ſalv. āā. q. ſ.*
In pilular. formam concinnat.

Quod ſi paralyſis non ceſſerit, *Scamno ſudorifero atque cura ſimili*

mili ſerum nervis penitius impactum reſolvendum & eliminandum erit.

Die 28. *Jul.* 1695. *ſcribit D. D. Arneſt Filius:* Quidquid hactenus *Reverendiſſimo Domino meo* & nobis conſequendæ ſanitatis affulſerat ſpei, fere ademit, quæ proxime affluxit, eclipſis, quo tempore ſine prævia, ut refert, obſervatione ſub liberiore polo morabatur. Hinc repentina & inſignis corporis alteratio vires adeo proſternebat, motum localem ademit, ad leviuſculum corporis exercitium leipothymiæ mox imminebant, appetitus dejectus erat cum continua & copioſa ſalivæ excretione, urinis & pulſu à ſtatu naturali ne quicquam recedentibus, niſi quod priores pallidiores ſolito eſſent. Cum itaque nullius tumultuariæ febrilisque effervescentiæ ſublateret ſuſpicio relata ſigna imminutam ſanguinis fermentationem, hinc productas morbo ſe proles clare innuebant. Propterea *cum Excell. D. D. Wachtero* heic commorante *in Conſilium vocatus ♂ialia ſuaſimus ac veſicatorium* vertici applicandum repeteret urſimus: continuabat *uſum Martial.* aliquandiu: verum inſignis virium proſtratio, conſuetæ leipothymiæ, appetitus fere abolitus intentionem mutare, ac ſolis roborantibus, cordialibus & cephalicis inſiſtere coegerunt. Hunc in finem conceſſis *liberalioribus juſculis gelatinoſis*, quotidie recenter paratis, *liquoribus confortantibus, pulvere & pilul. cephalicis ordinariis, epithematibus aliisque internis atque externis uſurpatis* in tantum profeci, ut enarrata hæc phænomena remiſſiora appareant ac exercitia melius ſuſtineat. Interim perſtat continua hæc ac copioſa ſalivæ excretio vel ptyaliſmus, unà cum appetitu proſtrato. Quæ vero per alvum exonerantur excrementa, plane concocta & juſtæ conſiſtentiæ apparent. *Quid rebus ſic ſtantibus ulterius agendum ſit? ab Excell. Veſtra edoceri cupio. Vale. &c.*

Die 8. *Auguſti* 1695. *Reſpondi* & ſuaſi ut 1. *pulv. cephalic. ex ſpec. contra Apoplex. ſingulis lunæ phaſibus pergant.* 2. *Pil. ceph. ex caſtor. ung. alc. ſal. vol. ſuccin. cinnab. quotidie ſumat.* 3. *Pilul. ceph. purgant. uſum* ſtato tempore non negligant. 4. *Veſicatoriis* inſiſtant. 5. *Cum decocto Coffeè mane, unâ horâ poſt ſumtas pilulas nervinas, liq. C. C. ſuccinat. aut ⊖ vol. ol. ceph. aliquot guttas hauriat.* 6. *Juſculis conſummatis dictis* reficiatur ut hucuſque. 7. *Frictiones ſolitas* non intermittant ſed ſtrenue his pergant. Proximâ data occaſione valetudinis ſtatum reſcribant. *Vale &c.*

OBSER-

OBSERVATIO LXXVII.

Vertigo titubans cum Motibus convulſivis.

R. D. *Jod. Car. Mauritius Cyſatus* 42. annor. ſtaturæ brevioris, mediocriter carnoſus: colore faciei rubicundo præditus: manus plenas ex rubicundo flaveſcentes, ſubhumidas & frigidas plerunque habens. Bene educatus domi & in ſcholis fuit. Hæmorrhagiam narium frequenter paſſus eſt ad 40. ætatis annum. Febrim intermittentem per 7. ſeptimanas ſuſtinuit. *In Italia* inſultum febris continuæ expertus eſt; tollebatur *bolo ex caſſia. V. S.* dum parochiæ præerat, rarius vini potu exceſſit, bibit vinum crudum *Tugienſe*, quod ob ſtomachi debilitatem diſſuadebatur. Colicam aliquando paſſus eſt. *Canonicus factus* vinum generoſius bibit & ſubinde ejus potui pluſculum indulſit. Semel bisve in anno *purgabatur vino medicato*. Ter Vere *Vena ſecabatur*. Bene comedit, bene bibit ac dormivit. Alvus aperta eſt, ſæpe bis terve dejecit. Ante annum ſcabioſus fuit, curabatur *unguent. nutrito*. Vomitus matutinos crebro paſſus eſt eosque aqueos, ſuſtulerunt hoc ſymptoma *Acidulæ Sulzenſes*. Nunquam cordis palpitationem expertus eſt. In acclivium ſcanſu dyſpnœam animadvertit. Abuſus eſt *Pulv. Tabac. pro ſternutatorio*. Ordinarie non doluit: nuper in hoc dolorem ſenſit. Semper difficilem reſpirationem habuit in acclivium aſcenſu, nec pocula vaſta exhaurire uno tractu potuit. Quò decubitus in lecto humilior eſt, eò melius indormiſcit, altiorem non perfert. Non quidem in lecto ſemper ſudat, at ſudare poſſet, ſi ſe ad illum componeret. Pacati eſt ingenii, non facile iraſcitur, iraque brevi præterit: Melancholicus potius eſt, nec multorum verborum. Jam aliquandiu difficilius audit, nullum habet cerumen. Tempore autumnali tinnitum aurium diu percipit. Viſus optimus eſt.

Die 20. *Decembr.* 1677. mane in templo ſedenti ſubito imi pedes frigebant indeque horror aſcendere ad ſuperiora videbatur: frons & pedes ad attactum frigidi tangebantur ac pedes ad medullam gelidos putavit: manus autem & dorſum calebant: dum ſurgere & domum properare conabatur, pedes corpus ſuſtentare non poterant: ſimul vertiginem titubantem experiebatur: perſtitit in templo per horam dimidiam. Interea audivit, vidit, loquebatur. Dabatur *Panacea, aq. tepida cum ſale*, unde vomuit, eodem die *Vena ſecabatur*.

Die 25. *Decembr.* circa medium noctis in lecto rediit paroxyſmus cum frigore pedum & frontis, vertigine titubante & æſtu circa pectus ante & retro.

Die

Die 2. *Februar.* 1678. Mane dabatur *vomitorium*, quod violenter operabatur. Inde uſque ad paſcha aliquot paroxyſmi R. D. invaſerunt prioribus ſimiles, quibus acceſſerunt ſuccuſſiones brachii d. & pedis ſiniſtri, poſtea amborum brachiorum & pedum promiſcue: non obſervarunt certam periodum aut tempus, nam jejuno & pleno ventre etiam in lecto ipſum invaſerunt. Poſt paroxyſmos tandem caput dolere cœpit potiſſimum circa verticem, dolor eſt tenſivus & conſtrictivus, pertingit usque ad tempora. Dolor iſte per triduum duravit. *Menſe Maji ad* 12. *uſque* Paroxyſmi validiores erant ac unquam. *Die* 12. *Maji* dum prandium auſpicatus eſt, vertigo advenit cum viſûs aliquâ obtenebratione ac artuum omnium ſuccuſſione, æſtu thoracis, ſudore frigido capite diffluente. Caput jam per d. 8. dolet in ſummo ſyncipitis & circa verticem, dolor ſibi ſemper ſimilis eſt. *Die* 15. *&* 16. *Maji* bene ſe habuit, ſenſit defluxiones ad cervicem fieri, ſine tamen motûs impedimento. In omnibus paroxyſmis ſemper mens & ſenſus omnes tum interni tum externi conſtant.

Die 16. *Maji* 1678. *ipſum cum Exc. D. D. Cyſato conveni Monaſterii.* Bene coloratus & carnoſus erat: Manus ſublividas & actu frigidas ac humidas habuit, quamvis cœlum æſtuaret. Bene pranſus eſt, nec multum bibit. Pulſus naturalis. In urina multum ſal. rubri tum ſubſidit, tum ſedimento permiſcebatur. Cænavit bene, quum diutius aſſideret menſæ per totum pedem ſiniſtrum paſſus eſt ſenſum formicationis: qui ſurgenti & obambulanti protinus remiſit. Noctu bene dormivit. *D.* 17. Mane pulſus naturalis, tardus & æqualis. Urina prima tinctior cum ſale rubro. 2. pallidior.

Die 20. *Maji.* Dolor capitis & vertigo remiſerunt, coloratior evaſit. Ante prandium levicula vertigo eaque momentanea rediit. Vegetior nunc eſt in omnibus. Leviculum tractum ſenſit in cervice.

Reſolutio.

Affectus *Rev. Domini* videtur eſſe generis nervoſi & quidem potius convulſivus quàm reſolutivus, nam ſenſus intenſi frigoris in pedibus, quo etiam medullam congelatam putavit, ſubitò obveniens, non factus fuit, iteratis paroxyſmis, ob motum cordis ceſſantem, nulla enim leipothymiæ ſigna multò minus ſyncopes aderant, colorem faciei retinebat, ſenſibus conſtabat, imo potius ob validum cordis motum in toto pectore ante & retro, ac in hypochondriis & in manibus præter ſolitum æſtuabat, ob validiorem cordis motum & ſanguinis propulſionem; ſed evenit frigus ob corrugationem convulſivam fibrillarum nervearum arterias crurales ambientium & obvolventium, quibus acceſſit vertigo, manifeſto indicio, quod genus nervoſum patiatur. In progreſſu

 mani-

manifeſtius & clarius affectus ſe ſigna morbi convulſivi prodiderunt, nam huic pedum perfrigerationi acceſſerunt tandem ſuccuſſiones involuntariæ artuum primum brachii dextri & pedis ſiniſtri, poſtea promiſcue amborum brachiorum & pedum, imo totius corporis, cum vertigine fortiore & aliquando viſum obtenebrante, ac cephalalgiâ circa verticem tendente & conſtringente cum æſtu aliquo ad tempora pertingente, accedente quoque tinnitu aurium, non obſtructo meatu auditorio à cerumine.

Locus affectus videtur eſſe intra cranium, quia ſtatim in principio his ſymptomatibus adjungebatur vertigo, quia quoque in progreſſu ſe convulſivi motus in omnibus artubus exſeruerunt, & acceſſit tandem dolor ſyncipitis circa verticem & partes vicinas, impedito ſcilicet regreſſu ſanguinis ob conſtrictionem circa torcular: affligitur autem nondum cerebrum & cerebellum circa radices medullæ oblongatæ, ſed circa medullam oblongatam, quia hactenus mens & ſenſus omnes integri in omnibus paroxyſmis perſtiterunt nec quicquam epileptici paſſus eſt.

Cauſa proxima eſt humor aliquis acris generi nervoſo inimicus, qui profundius medulloſæ ſubſtantiæ ſe inſinuavit, & quandoque ſubſtantiam illam vellicavit ac ad has corrugationes ſtimulavit. Hujusmodi humores produxit ob temperamentum, quod calidum & humidum eſſe ex multis conſtat. Eidem copioſum fomitem præbuit potus vini generoſioris debito largior ab annis duobus, cum antea vinum oligophorum *Tugienſe* bibere conſueverit. Cumulavit illum ob vitam ſedentariam & neglectum exercitiorum. Profundius humor ſe inſinuavit, quia aliquando poſt largiorem potum ſe ſomno dedidit; nam poſt illum exceſſum primum paroxyſmi emerſerunt. Facilius quoque ſe humor immergere potuit, quia R. D. melancholicus eſt, & apoplexia & epilepſia ſeu morbi convulſivi ſunt affectus *Nobiliſſimæ Familiæ* quaſi hæreditarii ac diſpoſitionem ad illos affectus connatam obtinent.

Affectus neglectus in epilepſiam degenerare poſſet: at quia moriger eſt, evitari poterit & integræ valetudini reſtitui.

Humor iſte à cerebro revellendus & evacuandus eſt, quod commode fieri poteſt 1. ⊖ *polychreſto cujus* ℞. ℥ß. *infund. per noctem in aquæ beton. vel ſerpill. vel flor. tiliæ* ℔j. *mane add. ſyrup. flor. paralyſ.* ℥j. *Mſc. Ebibat intra horæ ſpatium omnem liquorem iſtum mane: dari poſſet bis in menſe ſc. triduo ante Novi- & Plenilunium.* Si paroxyſmi crebrius invadere pergerent, ſemel in ſeptimana poſt parcam cænam dari poſſet *pilular. cephal.* ℈j. *vel gr. xxij.*

Fonticulus alius in brachio dextro excitandus eſſet, ſi paroxyſmi incre-

increbreſcerent. *Scarificationem* alternis menſibus triduo ante vel poſt Novilunium admittat. Sufficiet *bis in anno ſc. Vere & Autumno venam ſecare*, niſi plethoræ moleſtia *tertiam venæſectionem* urgeat.

Deinde humor acris circa medullam oblongatam ſtagnans edulcorandus & abſorbendus eſt, quod optime præſtabitur *medicamentis antiepilepticis temperatis internis & externis. Interna* ſint *Ex. gr. Pulvis antiepilepticus talis.*

℞. *Pulv. Marchion.* ʒiij. *Antihect. Pot.* ʒij. *Chelar.* ♋. *pp.* ʒiß.
Ungul. alc. ph. ppr. ʒij. *C. C. ph. ppr.* ʒiß. *cinnab. nativ.* ʒj.
Tab. man. chriſt. perlat. ℥iß. *Mſc. F. Pulv.*

Doſis mane hora 5. *& veſperi hora* 5. ʒß. *cum aq. flor. til. cochl. ij. vel iij.*

Vel omiſſis Tabulis perlatis cum conſerv. roſ. rubr. anthoſ. Fl. paralyſ. āā. ℥ß. *Nuc. moſch. condit.* ʒij. *add. pulv. ſuperius deſcript. & ſyrup. de beton. vel fl. paralyſ. parari poſſet conditum, cujus* ʒij. *cum aq. flor. til. ceraſ. nigr. ſatur. purpur. cochl. iij. mane & veſperi ſumere poſſet.* Proficuæ quoque eſſent *hæ Tabellæ* de quibus *mane maxime in templo* 3. *vel* 4. *etiam plures,* item ſubinde interdiu ſumere poſſet.

℞. *Spec. Diambr. diamoſch. pulv. March.* āā. ʒj.
Antihect. Pot. ℈ij. *conf. alk. c.* ʒj. *balſ. apopl. gr.* iiij.
Conſerv. anthoſ. ℥ß. *cum ſacch. alb. in ſ. q. aq. fl. til. ſolut.* ℥iij. *Mſc. F. confect. in Rotul.*

Externe geſtet *Cucupham.*

℞. *Fol. & flor. beton.* ʒiß. *C. C. uſt.* ʒj. *Maſtich.* ʒß.
Mſc. F. Pulv. inſpergatur goſſypio & inſuatur Cucuphæ.

In paroxyſmo naribus admoveatur, non illinatur, *Balſamus Cephal.*

℞. *Ol. N. M. expr.* ℥ß. *ol. d. roriſm. majoran. lavend.* āā. ℈ß.
d. Succin. gt. iiij. *rutæ gt.* vj. *Balſ. Peruvian.* ʒij. *Mſc. dilig.*

Item *Nodulus.*

℞. *Rad. Galang. cyper. rotund. caryophyll.* āā. ʒj.
Fol. rut. lavend. āā. ʒij. *Inciſ. craſſiuſcule.*

Indantur duobus nodulis ex ſindon. rubr. immergantur aceto forti ac crebrius naribus admoveantur.

Sæpius detur *Cochl. j. vel plura hujus aquæ.*

℞. *Aq.*

℞. *Aq. flor. til. pœon.* āā. ℥*ij.* *Epil. Lang.* ℥ß. *cinamom. bugl.* ʒ*vj.*
Pulv. March. ʒ*j. ol. d. ſuccin. alb. gt. ij. chamom. gt. iij.*
Tabul. man. chr. perlat. ℥ß. *Mſc.*

Subinde obambulet, mox iterum ſedeat atque ita alternet, donec paroxyſmus præterierit.

Diligentiſſime ſtrictior diæta obſervanda: Veſcatur cibis boni ſucci & facilis digeſtionis: vitet omnia flatulenta ſcil. piſa, fabas, raphanos, lactucam, ſynapi, omnia valde ſalita, aromatibus nimium condita; quæ facile nidoroſam corruptelam patiuntur, ut frixa, placentæ, ſaccharata. Aliàs vinum nocet, quia tamen manus frigidas habet, nunc tuſſiculam patitur, bibat vinum *Rheïnovienſe* minus ſcil. fumoſum; diluat illud *decoct. lign. viſc. quern.* Se ſubinde obambulando exerceat imprimis à paſtu, nec ſtatim ſe ad ſomnum poſt cœnam componat. Animum ad hilaritatem pro viribus excitet, nihil enim mœrore in hoc affectu nocentius eſt.

Die 18. *Jun.* 1678. *D. D. Cyſatus ſcribit. Reverendiſſimus Dominus* in templo vertigine correptus fuit, ut domum à duobus ducere cogeretur. *An pulvere pergendum & acidulæ propinandæ?* utrumque improbat *Köberlinus Chymicus Empiricus.*

Die 16. *Julii reſpondi. Pulverem* miſceat *cum conſerv. roſ. rubr. anthoſ. fl. paralyſ.* āā. ℥*iß. N. M. condit.* ʒ*ij. pulp. pom. citr. N. j. vel ij. tota doſis pulveris, omiſſis Tab. man. chriſt. perlat. doſis nuc. jugland. magnitudo mane & veſperi.* ſuperbibat *aq. fl. til. cochl. aliquot. Acidulæ* bonæ, ſi penetrarent, alias vertiginem augerent. *Chymicus* nobis adverſus, quia putat non à relollaceis recrementis noſtra purgata eſſe, ſua autem ſuperfiniſſima, at cur non illis perrexit, aut ſi meliora novit, cur non pridem ſuaſit, aut cur, antequam digito morbum locumque affectum monſtravimus, *ſua ſpecifica* non dedit, imprimis dum ipſi medebatur, ſic *Vobis* ſumptuum compendium feciſſet *Egoque* itineris tædio ſublevatus fuiſſem. *Iſti ciniflones* non poſſunt non ſuggillare *Medicos*, qui plerunque bonis alias ſuis medicamentis uti neſciunt, cum corporis œconomiam non intelligant, nec morbos agnoſcant nec cauſas proximas norint.

Reverendus Dominus Carolus Jodocus Mauritius Cyſatus, ex quo ab illo diſceſſi bis ſemper poſt meridiem paſſus eſt vertiginem, ut ceciderit ſcil. 24. *Jul.* & 9. *Aug.* utraque vice præceſſit tinnitus aurium cum obauditione quadam: Uterque inſultus citiſſimè deſiit; nihil omnino Convulſivi paſſus eſt, at Viſus obtenebratus fuit: prima vice mente valuit, ſecundâ vice turbabatur aliquo modo, at totus inſultus citius deſiit;

deſiit, quam ſi quis abſolviſſet dimidiam Orationem Dominicam. *Die* 20. *Septembr*. hora 6. matutina ſenſit tinnitum aurium, ſupervenit vertigo, lectum petiit, ceſſavit: ſumſit hora ſeptima juſculum, poſt horam illud rurſus evomuit; ante vomitum vertigo rediit, poſt hunc remiſit ut aliis vicibus. In medio prandii & cænæ doluerunt tempora cum conſtrictione quadam, ut è menſa ſurgere cogeretur, obambulavit, nulla ſupervenit vertigo. Noctu optime dormivit.

Die 21. *Septembris* 1678. *quo ipſum Beronæ conveni, optime habuit A* 15. *&* 20. *Maji* 1678. Præter hos inſultus nullos ſimiles expertus eſt. Primus paroxyſmus contigit illo tempore, quo *Acidulas* bibit, uſus eſt illis per 21. dies: minus erant ſpirituoſæ. Interea vero fere continuò dolet in fronte cum calore aliquo, dolor hinc extenditur ad ſynciput, verticem & occiput: dolor eſt tolerabilis, conjunctus cum æſtu & tenſione abſque pulſatione aut punctione; quandoque etiam quaſi ejaculatio quædam fit ac ſi vertiginem paritura eſſet. Valet ingenio, memoria & judicio; uti pridem ſcribit, legit, diſcurrit ac pridem ſolebat. Non ſomnolentus eſt, nec dormit interdiu, ac noctu optime. Raro aures tinniunt, ſubinde vertiginem paſſus eſt, ſed brevi tranſeuntem, nec cadere cogebatur. Aliquando poſt cænam circa præcordia anxietatem quandam experitur citra vertiginem aut cordis palpitationem aut dyſpnœam. Quandoque artus ſed rariſſime & mitius, quam pridem ſuccutiuntur. Appetit imprimis carnes: non ſitit, nec hactenus unquam potu exceſſit. Non niſi ſemel hactenus vomuit, non eructat. Alvus quotidie aperta eſt, nulla unquam tormina patitur.

Uſus eſt hactenus *pulvere antiepileptico uſque ad uſum acidularum*, poſtea *bis terve doſin* ſumſit. *Ante venæſectionem ſub lingua* uſus eſt *clareto purgante*. Obambulat, ſacris intereſt & celebrat ſine impedimento. Bene coloratus & robuſtus eſt: in campum exſpatiatur: ſumma omnia ſua munia ſani adinſtar obit.

Die 22. *Septembris* mane ajebat caput aggravatum eſſe cum aliqua obauditione, tenſione in fronte & ad latera occipitis: imo caput ſemper aggravatum ſenſusque minus alacres eſſe dicit ac pridem & dum ſanus fuerat. Urina fuit optima. Diu *nullis uſus eſt medicamentis*: bene habuit: ſacris functus eſt.

Reſolutio.

CUm continuet prope tenſio quædam ſecundum ductum ſinus tertii, ſcilicet à criſta galli ad torcular & ad latera occipitis ſecundum progreſſum ſinuum lateralium à vertice verſus inſertionem venarum jugularium: cùm tenſio hæc cum ardore aliquo juncta ſit, concurrente

 non

non raro aliqua corrugatione & conſtrictione, neceſſario aliquod obſtaculum his in locis erit, ſanguinis motum alacriorem impediens; non enim cum pulſatione aut punctura jungitur, quod indicio eſt arterias meningum non valde tendi, attamen illud non parvum eſſe poterit, cum inde frons æſtuet ſudorque exprimatur; cum continuo caput aggravatum cum quadam obauditione, cumque non raro vertigo gliſcat, bis cum obtenebratione & caſu.

Neceſſarium igitur duxi *continuationem medicamentorum*, quæ jam per ſex ſeptimanas omiſit.

Suaſi itaque cum *pulverum* pertæſus ſit, *pilulas aperientes & ſanguinem edulcorantes*.

℞. *Diaphor.* ♃. ♂. ãã. ℥ij. *Cinnab. nativ. ung. alc.* ãã. ℥iß.
🜔 *ſuccin. volat.* ℈ß. *Ambr. gryſ. gr. viij. ol. d. ſuccin. gt. ij.*
Cum ſucco beton. inſpiſſ. q. ſ. Mſc. F. pilul. ex ℥j. *No.* 40.

De his mane hor. 8. *& veſperi hora una ante cænam ſumat qualibet vice Num. viij. cum aq. fl. til.* Sumat ſemel in ſeptimana aut ſummo mane aut bihorio poſt cænam *doſin pulveris antiepileptici conſueti. Purgetur ante Novilunium pilulis meis cephalicis. Vena in pede ſecetur.*

Per plures menſes ſatis bene ſe habuit, vertigo non tam frequens nec tam diu durans redierat, nunquam hactenus cecidit, nec artus niſi raro & levicule ſuccutiebantur. *Menſe Junii* 1679. ipſum invaſit paroxyſmus ſed non tam vehementer uti ante annum dum *Lucernæ* eram. Suaſi tunc ut *pulveris antiepileptici & pilular. aperientium uſum* repeteret, nec *pilulas cephalicas* negligat: diætam accurate *in Conſilio* deſcriptam obſervet.

OBSERVATIO LXXVIII.

Vertigo titubans cum aliis Symptomatibus.

Nobiliſſimus Dominus St. P. Rhætus Viennæ natus: ſtaturæ mediocris, habitûs carnoſi, facie lata & labiis craſſis præditus. Colorem faciei vividum & ſubrubicundum habens. Puer adhuc parentibus orbus fuit. Pupillus multa pertulit. *Tiguri* apud ſenem phthiſicum valde moroſum per 7. annos multa ſuſtinuit. *In Rhætia* per 2. annos vixit *apud Dominum Vedroſium*, apud quem ſemel in ſeptimana carnes dabantur illæque fumo induratæ. Poſtea *Baſileam* pervenit: ibi primum ad compotationes invitabatur; hinc *Argentinam* conceſſit, ibique non

minus

minus poculis indulſit. *Cum D. D. Thabore in Ducatum Mechelburgenſem* profectus eſt atque aliquot annis ibi permanſit: victu uſus eſt ibi conſueto ſc. ſalitis & cereviſiâ : abuſus ſæpius ſuillâ ſalitâ crudâ ſuperbibendo cereviſiam, vinum, ſpiritum vini. Hinc *Batavos* adiit per dimidium annum, commoratus eſt *Lugduni Batavor.* hinc aliquandiu *Amſtelodami in Hollandia ab Joh. Antonio van der Linden* ſumſit *potionem purgantem,* quæ ipſum 30. ſurſum purgavit, unde ſummopere debilitatus fuit. *In Angliam* profectus per *6.* ſeptimanas incarceratus fuit: rebellione quadam ibi gliſcente : liber factus rediit *in Bataviam;* hinc *Gieſſam ad D. D. Thaborem* ubi per duos annos hæſit : tandem adiit *Argentinam,* ibi rurſus per duos annos perſtitit ac *Gradum Doctoratûs in Jure* aſſumſit. *Viennam* redux graves proceſſus habuit ſuâ & fratrum demortuorum causâ adverſus patruum , quo multis modis ingenium defatigavit ac rem per ſummas contentiones peragere cogebatur. Poſtea itinera *in Italiam* ſuſcepit. *Viennam* redux mercatoriam exercere cogebatur, quæ multum hujus ignaro negotii peperit. *Anno* 1668. ſenſit in brachiis & pedibus dolorem quendam lancinantem ac ſi periostia affligerentur, ut & in fronte intra interſtitium ſuperciliorum formicationem cum tenſione ad medium naſum & utrinque ad genas extenſa. *Viennæ* 1671. *D. D. Stuber* credidit eſſe ſcorbutum : ſuaſit *balſ. verum orient. ſeu opobalſamum verum ſingulo mane gut. v. cum juſculo,* unde malum auctum: hinc pervenit *ad curam ſudoriferam ac in laconico ſudavit* largiter. Mitior quidem dolor factus fuit, ſed brevi vehemens rediit : perſuaſit itaque ipſum *ad inunctionem ☿ialem :* ſalivavit ſtrenue: dolor non ſublatus fuit: macilentus admodum ac debilis evaſit. *D. D. Piliot* ſanguinem emiſit, qui deſtituebatur fere omni ſero, erat aduſtus niger; itaque commendavit *potum lactis aſinini & balneum tepidum aquæ communis,* unde vigor rediit meliusque ſe habuit. Aliquando dolorem punctorium in hypogaſtrio & perinæo ſenſit per tres menſes: verebantur veſicæ calculum: dolor hic ſua ſponte remiſit. Poſtea rurſus itinera multivaria ſuſcepit, ac non raro curſoria vocant per poſtam : proceſſibusque juridicis multivariis & graviſſimis ſæpe vacavit. *Anno 1677. in Feſto S. Bartholomæi in Monaſterio quodam* vini Tokavienſis pluſculum bibit: paulo poſt punctionem in radice linguæ, etiam in apice perſenſit cum tractione involuntaria labii imprimis inferioris. Ad ſymptoma hoc aufferendum domum redux bibit *Acidulas Schwalbacenſes. Circa medium Januarii* 1678. correptus fuit paroxyſmo de quo in hunc uſque diem conqueritur. Nimirum paſſus eſt ſtridorem quendam ſeu ſonum, ac ſi ſtramen conciſum attereretur intra occiput, cui acceſſit

ceſſit quandoque exploſio ſubita quædam, ac ſi telum transverſim ab uno latere ad alterum emitteretur cum punctura aliqua: exploſio hæc ac ſenſus attritionis bis terve in die accedebat, crebrius noctu & decumbenti evaſit: ab exploſione hac valde terrebatur, adeo ut facies juberet, incaleſceret, ſudorem exprimeret, & quandoque cordis palpitationem excitaret: quando poſt cænam indormiſcere cæpit, ſubito terrore expergefiebat, cum maxima moleſtia: terror iſte poſtea ſublatus fuit *emulſione noctu potâ.* Ab exploſione ſæpe citra motum convulſivum ob terrorem pedes ſuccutiebantur pridem. Ob exploſionem conjectus fuit in metum gravioris mali, unde ſe lecto credidit cum mali exacerbatione: videbantur quandoque ſcarabæi quaſi occiput permeare. Quando ſurgebat à duobus ſuſtentandus erat, ne caderet, tum ob ſenſum attritionis quaſi ſtramineæ & vertiginem nutantem ad latera & in occipite incipientem: duravit hæc calamitas *ad principium Martii.* Miteſcebat ſi aura lenis ex auribus efflabatur: quandoque etiam verum aurium tinnitum ſed brevem expertus eſt. Attritio ſtraminea & vertigo permanſerunt toto anno reliquo, aderant ſtatim mane è lecto ſurgenti; Poſt prandium finitum remittebant ad quartam veſpertinam, poſtea redierunt, nec à cæna, ut à prandio ſopiebantur: cubitum ituro ambo ſymptomata moleſtiora fuerunt. Aliquando miteſcebant epotis tert. quadrant. vini vetuſti ſc. 20. ann. Auſtriaci, item à muſica & ſaltatione. Incedit & equitat ſine moleſtia: quamprimum ſtat, protinus augentur, maxime diu à paſtu, ſi ſtet, cogitur inniti pedi ſiniſtro. *Anno* 1679. rediit paroxyſmus vehemens cum exploſione *circa medium Januarii,* acceſſit involuntaria genuum concuſſio, quam impedire nequiit: item formicationis ſenſus in plantis pedum circa tendinem magnum, in fæmore & brachio ſiniſtro potiſſimum: aliquando etiam in dextro latere: duravit exploſio hæc bis terve interdiu & crebrius noctu invadens *ad finem Februarii.* Manſerunt tamen hucuſque formicatio, attritio & vertigo. 1680. *circa medium Januarii* rediit paroxyſmus ille vehementior cum exploſione, non tamen ut antea tot ſeptimanis decubuit. In hoc paroxyſmo evenit involuntaria tractio pollicum utriusque manus in & extrorſum, atque animadvertit cutim capillatam circa verticem aliquandiu plane ſtupidam, attingensque ligneam putavit: ceſſavit *circa finem Februarii.* Hactenus aliquando doluit vehementer totum brachium ſiniſtrum, ut illud ad caput attollere nequierit: lumbaginem quoque paſſus eſt, ob quam ſe incurvare non potuit. Dum puer erat etiam adultior ſævam cephalalgiam paſſus eſt. *Ab infuſo purgante* per 20. annos ab illa immunis erat. Ab aliquot annis rediit atque ſæpe intra annum vel ſexies invadit: dolor eſt vehementiſſimus conſtrictivus, tenſivus, pulſans, videtur quandoque

doque ac ſi intus duo pugni concuterentur, durat 24. horis; aliquando longius. Invadit ipſum ſi calefacto & æſtuante corpore bibat *Julepum refrig.* aut poſt medium noctis vinum, aliquando citra cauſam externam: ſuſtulit illam aliquando pollutio nocturna ſubitò, quod etiam obſervavit *D. Piliot.*: quandoque hauſtus vini vetuſti: ſemel *ſpir. lavendulæ cum ol. d. ſuccin.* vertici illitus, poſtea non amplius.. Appetit optime, imo ſæpe nimium, ſi parce comedat, attritio, vertigo ac formicatio magis affligunt. Bibit Menſ. tert. quadrant. vini aquæ diluti: bis in die comedit. Non vomit, ſtatim poſt potum eructat. Ab ebrietate ſtudioſe à 17. annis ſibi cavit. Mane dolet ventriculus, emiſſo ructu ceſſat. In faucibus ſubinde mucus hæret, quem dum ſcreatu elicere conatur fere vomitum movet: aliquando mucus tenuis ſubfrigidus per fauces ad gulam deſcendit cum levamine. Alvum ſemel vel bis indies exonerat: quandoque aliquid fermentativi in fæcibus obſervatur. Urina naturalis eſt; aliquando aliquid nephritici per 3. horas paſſus eſt. Sanguis eſt laudabilis cum ſero flavo acri. *D. D. Müllerus* exploravit ipſius indolem aſperſo pulvere & liquore: ſudat facile. Reſpirat optime: remigando & currendo fortius ſibi prope leypothymiam & cordis palpitationem accerſit, quæ etiam à terrore evenit. Sæpe gingivæ cum lingua incaleſcunt ſine odontalgia. Dormit bene ſæpe nimium ſc. ab hora 12. noctis, quo cubitum *more Viennenſi* ire ſolet ad 9. matutin. Pulſationem in Hypochondrio ſiniſtro quandoque ſentit: ſedere diu nequit: obambulando meditatur, legit, dictat &c. Viſus eſt acutiſſimus, ut & auditus: memoria & judicio vel maxime valet. Caput plerumque obtuſum eſt & quaſi vacillans. *Variis medicamentis* uſus eſt potiſſimum *purgantibus multivariis*, *etiam vomitoriis*, *clyſter. emulſ. Julep.* Quidam *Büchler Balneator* parat *Arcan. corallin.* præſtat contra luem ♀. & ℞. ℥ii *fuſcam ponderoſam Linzii. Tincturam* per plures dies ſumſit *mane gt. v.* ſed ſine juvamine: magis profuerunt *cinnabarina ex conſil. D. D. Mülleri Vien. ac D. D. Tzernelli Vien.*: Item *Extr. dauræ cum cinnab.* ℥ii. *liquor ceph.* Nuper *cinnab. nat. cum diaph.* ♃ nullam opem attulerunt. *Ab Extr. dauræ* humor bilioſiſſimus acerrimus cum juvamine educebatur. Jam prope à 4. annis uxoratus eſt: à venere non læditur. *An thermæ Fabarienſes vel Carolinæ adeundæ?* harum ultimas in ſimili caſu profuiſſe dicit. *Me convenit St. Blaſii* 1680. *d.* 26. *Apr.* *Die* 28. *Aprilis* 1680. In via prope *Waldshutum* narravit propter formicationis ſenſum in fronte *Fonticulum* excitatum fuiſſe in brachio ſiniſtro, quem geſtavit per biennium; cum non juvaret conſolidatum fuiſſe, nec hac vice ſe *Fonticulum* habere. Aliquando *venas hæmorrhoidales apertas fuiſſe ſanguiſugis*, quæ maximam vim ſanguinis eduxerint

ac noctu in lecto ſua ſponte ruptas ultra menſuram ſanguinis emanaſſe cum magna virium proſtratione: aliis vicibus nihil vel parum ſanguinis eduxiſſe : *à Scarificatione* in dorſo tandem meram aquam eductam fuiſſe, ac illo tempore multum ſeri flavi ex nare ſiniſtra ſtillaſſe, cum alias ſiccas nares habeat; idque cum levamine. Alias quoque fronti, temporibus, genis &c. *Hirudines* applicandas curavit, ſenſit aliquando quaſi flatum aut auram per dorſum aſcendere.

Reſolutio.

VAria *apud Nobiliſſ. Dominum Ægrum* concurrunt capitis ſymptomata, ut à quo hic affectuum concurſus denominandus ſit, hæream. Vertigine inſignire lubet, quia fere continua eſt & pleraque cætera ſymptomata, de quibus imprimis conqueritur, ab eadem cauſa proxima pendent & eundem prope locum primario affectum agnoſcunt. Vertigo autem hæc non eſt gyroſa ſed titubans, unde caput quandoque vacillare putat & ille ad latera nutat, & caſum timet, niſi fulcris ſuſtentetur, parieti innitatut, aut niſi ſiniſtro pede firmet, ſi ſtet; ſtanti enim plerunque protinus imminet, unde ſemper ſtationem longiorem declinat & plerunque obambulando ſua negotia peragit, etiam meditando & legendo ambulat.

Locus affectus videtur eſſe circa crura medullæ ex cerebro oriunda aut emergentia, non procul ab origine nervorum auditoriorum & intra anfractus cerebri: nam non ſolum his in locis vacillatio quædam & nutatio ſpiritibus imprimitur, & in paroxyſmo imbecillitas quædam artubus inferioribus, ut non niſi ſuffultus incedere valeat, imo in labiis, pollicibus manuum, genubus aliquid convulſivi evenit, ſed etiam ſtridor continuus percipitur, ceu à ſtramine attrito ſub vertice & oſſis lambdoidei medio, & quandoque ſenſu exploſionis terretur ſubitaneo an à flatu, ſpiritu vel ſimili ſubito commoto in cavitate aliqua ſive anfractus ſive ſpatiolum aliquod intra membranarum plicaturas ſit.

Cauſa proxima videtur eſſe lympha aliqua hic p. n. ſtagnans, cum nullus alius humor ſine gravioribus ſymptomatibus innocue ultra annos hic commorari poſſit, nec alius totus diſſipari poſſet inſtar ſeri protinusque regenerari, ut malum nunc inducias concedere, nunc rurſus integrum redire poſſit, nam aliquando pleraque ſymptomata imo poſt prandium etiam ſtridor & vacillatio ceſſant, quæ tamen redeunt veſperi: ſeroſum eſſe probant levamen à deſtillatione muci tenuis frigidi ad fauces & evacuatio ſeri flavi per ſcarificata ulcuſcula & ejuſdem largior extillatio ex nare ſiniſtra : quod etiam probare videntur defluxiones ad humeros & lumbos nunc ſupervenientes. Flatus hîc ſolos cauſari abſonum foret, cum nec tam diu coërceri poſſint, aut ruptis repagulis potius cephalalgiam eamque brevem, quàm hujuſmodi ſymptomata

mata excitarent. Serum hoc p. n. in dictis locis ſtagnans aliquomodo medulloſam ſubſtantiam propter tenuitatem ſubire ac motum ſpirituum animalium impedire præter vertiginem titubantem, & motus impotentiam aliquam in paroxyſmo, probant formicationis ſenſus in toto habitu, potiſſimum brachio ſiniſtro & volâ pedis ſiniſtri, item ſtupor cutis capillatæ in vertice; forte huc pertinet ſenſus ſcarabæi per occiput decubuo reptantis. Idem tamen ob acrimoniam ſalinam irritare demonſtrant motus convulſivi genuum ſeu potius femorum, pollicum ambarum manuum, terror dormituro noctu eveniens, ipſa exploſio ac ſi telum transverſum per occiput jaculetur cum punctione quadam, ſubſequentibus rubore faciei, ſudoris expreſſione & quandoque cordis palpitatione, quæ non unico terrori attribuenda videntur: & ipſa formicatione in fronte, aliquid irritaminis latere probant tenſio ad medium naſum imo ad utramque genam ſe diffundens. Exploſio innuit exagitationem particularum ſalino-heterogenearum vel nitro-ſulphurearum in cavitate aliqua detentarum.

Non tamen ſerum in hæc profunde ſe inſinuat, aut ſpiritus irritando valde perturbat, nam omnibus ſenſibus externis & internis valet, imo ingenio & memoria excellit, ac in motu animali validus eſt & ſine impedimento imo cum levamine ambulat & equitat, Si currat, aut remiget fortius in leipothymiam vere & palpitationem cordis incidit, verum hoc, antequam hæc ſymptomata animadvertit, pridem evenit.

Non operoſe in generationem ſeri maſſæ ſanguineæ aut ſeorſim per vaſa lymphatica ad venas redeuntis inquirendum videtur, nec in ſcenam fabula de hypochondriaco affectu introducenda, cum citra ullum vitium viſcerum imi ventris naturaliter & ut in ſaniſſimis producatur, nam nullum exceſſum in cibo & potu committit, appetit, aſſumta tolerat & concoquit; non illud p.n. cumulat, cum ſuperfluum per urinam, ſudorem & inſenſibilem tranſpirationem excernat & ſanguis V. S.emiſſus laudatiſſimus appareat: Peccat vero hoc loco & acrimoniâ, dum in illo p. n. ſtagnat & ſpirituum animalium motum impedit & acrimoniâ ſalinâ vellicat. In dictis locis ſtagnat ob porulorum & cavernularum laxitatem, quam induxiſſe videntur ſenſim variæ occaſiones, antequam ad hanc, quam nunc obtinent, pervenerunt. Prima erat vomitus enormis *in Hollandia* & trigeſies *à potione purgante* excitatus, à quo procul dubio ipſum cerebrum valde ſuccuſſum fuit. Deinde labores animi intenſi & continuati *Viennæ* ob proceſſus juridicos graviſſimos; ab his enim laboribus diu noctuque continuatis in locum ſpirituum conſumtorum ſuccedunt liquores aquei mole ſua tandem porulos dilatantes aliisque locum parantes, maxime ſi multæ noctes inſomnes accedant. Præterea *Mercurius* culpâ non caret, quia *foris inunctus* ſanguini permiſcetur ac intimos aditus adit, unde ſæpe tremores

mores & paralyſes excitat, quod optime norunt aurifabri. Denique his colophonem impoſuit *vinum Tokavienſe* ſubtiliſſimum & omnia penetrans, nam poſt hujus potum ſtatim puncturas in radice linguæ ſenſit ut & in ejus apice; cujus maleficium auxerunt *acidulæ intempeſtive potæ*; brevi enim poſt has ſecuta eſt ſyndrome ſymptomatum de qua nunc conqueritur.

Acrimoniam ſalſo-nitroſam ſerum connatam habuit, quæ forte acrior eſt ob temperamentum ſanguineo-cholericum; auxerunt illam *victûs ratio Mechlenburgica* ad ſcorbutum producendum apta: *vina Alſatica & Auſtriaca, opobalſami abuſus, intempeſtiva cura ſudorifera*, adeo ut vane comminiſcantur, neſcio, quæ obſtructiones meſenterii, pancreatis, lienis, hepatis &c. eo magis, quia nullum in hypochondriis vitium animadvertitur, nec pulſatio in ſiniſtro hypochondrio quandoque pleno ventre eveniens tanti ſit, ut magni illud portendat.

Cephalalgia, quæ quinquies vel ſexies in anno evenit propter potum *Julepi refrigerantis* æſtuante corpore, aut vini poſt medium noctis aut citra cauſam externam, durans 24. horis, quandoque ulterius, indicio eſt, aliquando ob conſtrictionem quandam motum ſanguinis impediri, nam ſubito invadit ſubitoque recedit, ut merito irritamini ſimili adſcribenda ſit, manente prope continuo quodam obtuſo capitis ſenſu ob copioſius ſerum intra cerebri anfractus. Pollutio nocturna ſemel juvit vel cephalalgiam ſuſtuliſſe creditur non aufferendo cauſam, ſed indicando illecebram ablatam fuiſſe. Obſtaculum hoc ſymbolum quoque ad laxitatem confert.

Vertigo iſta *Nobiliſſ. Domini* cum aliis ſymptomatibus juncta non exiguam ſui curam poſtulat, minatur enim graviora ſcil. epilepſiam, cum jam motus convulſivi gliſcant & morbus annuam periodum obſervet: imo etiam apoplexiam cum formicationem ſentiat & pridem obſtupuerit cutis in vertice: inſuper ægre cedit more morborum nervinorum, eoque difficilius, quia cauſa profundius recondita eſt, & *medicamentorum virtus* non niſi per longas ambages ad locum affectum pertingit. Non tamen de curatione deſperandum eſt, utcunque lentum ſucceſſum experturus ſit, nam cætera ſaniſſimus eſt & robuſtus. Diætam exacte obſervat nec *medicamentorum aliorumque remediorum uſum* reſpuit.

In hoc affectu aliud *extra paroxyſmum*, aliud *in paroxyſmo* vehementiore agendum eſt.

Extra paroxyſmum ſerum attemperandum, imminuendum, à cerebro revellendum & in loco affecto conſumendum ſimulque genus nervoſum roborandum eſt. *Purgantia* ſerum imminuunt & à capite avellunt,

avellunt, non tamen nimis crebra ſint nec calida & fortiter irritantia. Proderit *tale Vere & Autumno.*

℞. Radic. polypod. quern. ℥ß. caryophyll. ʒij.
Cortic. citr. ʒj. Herb. beton. fl. til. ãã. ℈j.
Semin. fœnicul. Pœon. ãã. ʒj.
Fol. ſenn. ſ. ſ. ℥ß. Rhabarb. el. Gialapp. ãã. ʒij.
Agaric. alb. ʒiß.
Tamarind. paſſul. maj. exacin. ãã. ℥j. crem ♀. ʒij.

Inciſ. contuſ. coq. in aq. fontan. ℔j. vin. alb. ℔ß. in vaſe clauſo vitreato coletur citra expreſſionem. Bibat tribus diebus horis matutinis doſin calide.

Vomitoria non uſque adeo tuta ſunt, eoque minus quia anſam huic malo dederunt.

Venæſectio conveniet *Vere & Autumno*, ſed non ſit largior, cum affectum augeat: ſufficiat unc. 5. vel 6. ad ſummum emiſiſſe.

Scarificationes alternis menſibus proderunt ante novilunium.

Fonticuli licet malum non exhauriant, ſemper tamen aliquid nocituri ſubtrahunt.

Imprimis utile erit *antiepilepticum edulcorans & abſorbens ſimulque genus nervoſum roborans*, cujusmodi erit *hic pulvis.*

℞. Radic. valerian. ſylv. ℥j. Pœon. ℥ß.
Diaph. ♃. ʒiij. Cinnab. ♁ii. ʒj.
C. C. ph. ppr. ungul. alc. pp. ãã. ʒij.
Ol. Nuc. Moſch. expr. gr. iiij. Tab. man. chr. perlat. ℥iiß.
Mſc. F. Pulv. Doſis mane ʒj. cum aq. fl. til.

Mane & Veſperi verticem inungat *Balſamo apoplectico aut balſamo ſuccini, rutæ &c.*

Thermarum & acidularum potus remedium ſunt prope Empiricum, de quibus non multa polliceri licet: attemperant, eluunt & non raro obſtacula perruunt, & hac ratione opem ferre poſſunt: ſi vero ſtagnent, affectum augent, ut poſt puncturam in radice linguæ *Schwalbaccenſes* fecerunt, quamprimum igitur ſentiet affectum augeri, illis nuntium mittat.

Vitet aërem frigidum, humidum, pluvioſum, nivoſum. Nocent cibi viſcidi, lenti, caro ſuilla, anſerina, anatum, animalium adultio-

ultiorum: Piſces viſcidi, ſcil. anguillæ, carpiones, tincæ &c. Paſtæ farinaceæ, caſeus: abuſus fructuum horæorum, in acetariis imprimis lactuca. Salita, aromatibus condita, ſaccharata, frixa in butyro &c. Bibat vinum, quod non nimis ſpirituoſum & ſulphureum ſit: diluat illud *decocto ligni viſci querni.* Exercitia ſint moderata: non ſtatim à paſtu ſcribat, legat, aut cubitum eat.

In Paroxyſmo ſpiritus animales imprimis refocillandi: ſumat tunc *pulverem antiepilepticum mane & veſperi hora* 5, ſubinde ſumat *cochlear. j. aut plura hujus aquæ.*

℞. *Aq. flor. til. Pœon. ſatyr. purpur.* āā. ℥iß. *cinnamom. bugl.* ʒvj.
Eſſ. caſtor. liquor. C.C. ſuccin. āā. ʒß.
Ol. deſt. ſuccin. roriſmar. āā. *gt. j. Tab. man. chr. perl.* ℥ß.
Mſc. d. ad vitr.

Singulis quatuor horis vertex inungatur *Balſamo ſupra nominato.* Si valde ſæviat exploſio, caput radatur circa verticem, plus quam palma tegi poſſit: imponatur *emplaſtrum veſicatorium.* Noctu ſumat *Emulſionem conſuetam.* Injiciatur ſubinde *clyſter revellens.* Vitet vinum, bibat *decoctum rad. chin. aut lign. viſc. quern.*

Poſtquam *Scaphuſio Baſileam* profectus eſſet *circa finem Aprilis,* Ibi per dies tres ſenſit in pectore ante retro tenſionem etiam ſenſum palpitationis quendam fere continuum: tunc ſymptoma intra cranium fere non animadvertit, hoc ceſſante, palpebræ intumuerunt cum motu tremulo involuntario. Dum hæc ſymptomata durant mitius in capite ſe habebat. Symptomata hæc ſex diebus perſeverantia ſuſtulerunt *pilulæ D. D. Joh. Ulrici Mülleri Lindavienſis, ex aloe, extr. dauræ ſ. hellebori nigri veri Alpini & cinnab.* ♃ii. *Hæ pilulæ* alvum apertam detinent, in fine dejectionis mucus ſincerus aliquando ante alvi fæces excernitur, maxime ſi utatur *pilulis:* illæ aliquando hæmorrhoides cœcas excitarunt cum dolore & ardore, non raro illas aperuerunt cum levamine. Si præſente capitis afflictione patiatur tormina circa umbilicum, ſolutâ alvo melius habet: ſi ſua ſponte citra hæc tormina alvus ſolvatur, pejus ipſi in capite eſt, Poſt potum multum flatus eructat copioſe non tamen vomit. *Pulvere meo antiepileptico* per 14. dies uſus eſt, optime ipſum juvabat, poſtea autem hunc nauſeare cœpit, multum inde eructavit maxime poſt potum: *potiuncula laxativa ſupra deſcripta* multum ipſi profuit, ac omnia ſuſtulit, item vinum rubrum conduxit. *A ſcarificatione* nullum levamen percepit. Si æſtuante corpore, vinum aquâ copioſius lymphatum aut cereviſiam bibat, caput valde dolet: ſi ad hilaritatem bibat non ad ebrietatem, ut nuper inter amicos fecit, per triduum optime ſe habuit. *Die* 31.

Die 31. *Maji quo me Scaphuſii convenit*, veſperi indormituro ſæpe artus ſuccutiebantur involuntarie, unde ſomnus valde turbabatur: eadem nocte Incubo obruebatur.

Die 1. *Junii.* Mane pulſus & urina naturaliter ſe habebant: item color faciei. Poſt prandium ambulatum ivit. Cum nuper appetitum amiſiſſet *Spir.* ⊖*l.* ♂. *ſeu* ⊖*l. magis volatil.* illum egregie reparavit, *ſumpt. gt. xv. aq. permixt.* Noctu ſumſit *emulſionem anodynam:* hac nocte indormituro nulla evenit ſuccuſſio: NB. cauſa ſuccuſſionis erat *purgatio à prunis laxativis.*

Die 2. *Junii* bene ſe habuit. Urina optima: carnoſus & vegetus eſt, ſtridorem tamen ſemper ſentit.

Profecturo hanc methodum & *uſum thermarum Fabarienſium* præſcripſi: 1. *pulver. antiepilept. mane* non ſtata hora, ne ſomnus turbetur, ſumat ʒß. & ſi aſſueverit rurſus ʒj. *imprimis Autumno*, *Hyeme & Vere cum aq. flor. til. aut ſimili:* ſi fieri poteſt, maneat aliquandiu in lecto; ſi negotia non concedant, ſurgere poterit, modo duabus horis ad minimum maneat jejunus.

2. Nono vel decimo quoque die *loco pulveris mane* ſumat 5. *vel* 6. *aut* 7. *harum pilular.*

℞. *Maſſ. pilul. F. F.* ʒij. *Extr. hellebor. nigr.* ʒß.
Diaphor. ♃. ℈iiij. *Cinnab.* ♁*ii rectif.* ℈ij.
Cum. ſ. q. ſucc. beton. inſpiſſ. fiant pilulæ ex ʒj. *Num.* 40.
De ⊙ *conſperg. pulv. ſantal. citrin. d. ad ſcat.*

3. Si appetitus pereat ſumat *Roris* ⊖*l. gt.* 15. *cum aqua fontana aut decocto chinæ vel lign. viſc. quern.* bibat veſperi hora ante cænam.

4. *Mane & veſperi* inungat verticem *Balſamo Cephalico.*

5. Antequam *Thermarum Fabarienſium uſum* auſpicaturus eſt, *purgetur decocto ſupra deſcripto ex fol. ſenn. Rhab. agar. Tamarind. &c. Venæſectio* omittatur.

6. Bibat primo die *mane Thermarum Fabarienſium cyathum ad* ℥vij. quotidie addatur cyathus donec ad 7. talium pervenerit. In ſumma hac doſi maneat dies 12. Poſtea deſcendat ſcilicet quotidie unum talem cyathum detrahendo. Veſperi pro lubitu bibat cyathos duos.

7. Ad quemlibet hauſtum comedat *Fruſtulum harum Tabellarum ſeu morſell.*

 ℞. *Amyg-*

℞. *Amygdal. dulc. excortic.* ℥ß.
Nuc. moſch. condit. ʒiß. *Z. Z. condit.* ʒß.
Cinamon. acut. ʒij. *Cubebar.* ʒß.
Rad. pœon. pulv. ſuccin. alb. pp. āā. ʒj.
Santal. rubr. ʒij. *ſacch. alb.* ℔j. *ſolut. in aq. fl. acat. ſ. q.*
Mſc. F. confect. in Morſell.

Poſt potum obambulet: ſed non nimis fortiter, ne elangueſcat.

8. Si *aqua Thermar.* ſtagnet nec ſufficienter per urinas aut ſudores &c. evacuetur, *primo cyatho* admiſceat ℈j. *ad* ℈ij. *hujus pulveris aperitivi.*

℞. *Cryſtallor.* ♀. *Ocul.* ♋. *ppr.* āā. ℥ß.
♀. ⊕*lat* ʒj. ⊖ *Juniper. ononid.* āā. ℈iiij.
Tab. man. chr. perlat. ℥j.
Mſc. F. Pulvis detur ad ſcatul.

9. Si alvus tardet, ſumat 5 *Pilulas* horâ unâ ante prandium.

Dum *Thermas* bibit, omittat *uſum pulveris antiepileptici.* In hac *Thermarum Fabarienſium* cura diætam ſupra indigitatam exacte obſervet. *Finito potu Thermar. harum* bibat rurſus *hauſtum decoct. purgantis.*

DEUS T. O. M. omnia hæc ſalutaria Nobiliſſ. Domino eſſe jubeat!

Scaphuſii d. 3. *Junii* 1680. Joh. Jacob Wepfer, M. D.

OBSERVATIO LXXIX.

Vertigo titubans cum variis Symptomatibus.

N*Ob. Dn. Mar. Magdalena Pf. ex Familia Cl. Uxor Generoſi Dn. Colonelli Pf. Lucernatis* : ſtaturæ mediocris, rarioris texturæ, albicans : 24. annorum : ſemper appetit, bene comedit & dormit; multum aquæ ſeorſim bibit, vinumque aqua diluit: novem liberorum mater, ſemel abortum paſſa eſt. Juvenis ulcera capitis manantia habuit ; Fonticulus ſeu membrana circa concurſum ſuturæ coronalis & ſagittalis diu non obduruit, mollis ſcil. adhuc, poſtquam nupta fuit: hodie adhuc ſcrobiculus ibi tangitur profundior debito. A multis annis pedes fere continuo frigent & ſimul ſudant. Hemicraniæ obnoxia diu fuit, paſſa eſt illam per dies 3. ſæpe 4. Conſuevit jam diu in aere nocturno tempore æſtivo verſari, ſeque radiis lunaribus exponere; raro

raro enim ante medium noctis lectum petit: mane diutius in lecto moratur. Ante 17. annos ſecundâ vice gravida primum vertigine correpta fuit. Poſtea 15. annis ab ea libera perſtitit. Ante 9. annos poſt quartanam diuturnam Hydropica facta curabatur *purgantibus*. Ante biennium rediit vertigo, ſed mitis, ut illam non magnifaceret. Ante annum dimidium ſcil. hoc anno 1678. fortius illam afflixit in & extra lectum, imprimis ante & poſt menſium fluxum, quamvis rite manarint. Primum duravit quadrantem horæ, videbatur ipſi, ac ſi terra ſub pedibus recederet, ſibique ſupine cadendum eſſe, ſudorem undiquaque expreſſit; viſum tamen & intellectum nunquam amiſit.

Ante 6. ſeptimanas denuo tali paroxyſmo obruta fuit, ut humi cecidiſſet, niſi ſuffulta fuiſſet; duravit per horam dimidiam, totum corpus maxime artus ſudore frigido diffluebant quaſi. *Die* 23. *Auguſti.* rurſus illâ correpta fuit domum ex prædio rediens hor. 7. veſpertinâ, eâdem ratione ut nuper: ſtatim ergo lectum petiit: hor. 9. in lecto vehementior paroxyſmus ipſam invaſit cum ſudore frigido totius corporis, magna anxietate, palpitatione cordis ipſi inſolitâ. Paroxyſmos præcedit tinnitus aurium & videtur ſurſum capillis caput trahi. *D.* 30. *Aug.* Paroxyſmus ipſam ſepties veſperi invaſit. *Die* 1. *Septembr.* legendo literas, duplices apparebant ſingulæ. Poſt meridiem aliquot horis extra lectum permanſit, cænavit bene, poſt cænam ſurrexit rurſus, beneque toleravit: id obſervat, quoties decumbit, aliquid intra cranium ad ſitum capitis inſtar aquæ ex uno loco in alium delabi: nocte optime dormivit: circa medium noctis ſumſit juſculum.

Die 2. *Septembr.* 1678. *ipſam Lucernæ conveni*: Paroxyſmi rationem prolixe explicuit. Vertigo nunc ſenſim invadit, & illâ præſente ſi foras ædes ſit, aliquandiu adhuc incedere & domum properare valet, nunc ſubito ingruit: & tunc æſtus per dorſum ad caput aſcendit, mox præcordia invadit cum anxietate maxima, & protinus vertigo affligit, poſtquam aliquandiu paroxyſmus ipſam afflixit, artubus tremit, ſudor frigidus exprimitur, nauſeat, ad vomitum inanem ſtimulatur, plerumque vomit aſſumta, aut mucoſa & aquea, ſimulque fere ſemper alvus bis terve ſolvitur, eâ ſolutâ nihilominus plures flatus explodit. Vertigo eſt gyroſa, titubans, & vacillans: aliquando omnes tres ſpecies vertiginis in uno paroxyſmo adſunt; quandoque ſola vacillans ſeu ex uno latere in alterum nutans, & putat caput inſtar navis ad latera à fluctibus percuſſæ nutare ac vacillare, quando titubans eſt, putat ſibi ſupine non prone nec in latera cadendum eſſe. Nuper acceſſit cordis palpitatio, antea nunquam ipſi nota. In paroxyſmo oculi nunquam hactenus obtenebrati fuerunt, nec mens obſcurabatur. Appetitus integer manſit. Dolet ſubinde occiput & vertex, dolor potius gravativus quam tenſivus ac pungens. Reſpiratio integra manet: pul-

ſus præſente paroxyſmo nuper turbabatur; nunc naturalis eſt. Urina prope naturalis cum ſedimento arenoſo, paulo tinctior quia forte decumbit. Hac veſpera indormire ante primam non potuit, & quando obdormiebat, ſtatim inſomniis vexabatur, ac ſi vertiginem pateretur & cum ancilla cecidiſſet, unde perterrita mox expergeſiebat: poſt hor. 1. noctis ſuaviter dormivit.

Die 3. *Septembr.* mane urina erat naturalis cum ſedimento bono, multo ſabulo rubro. Pulſus robuſtus: hor. 6. ſumſit *pill. diaph. cum ſucc. beton. inſpiſſ.* hor 8. debilior juſculum petiit. Menſes ſubſtiterunt ſcil. die quarto, quod aliis quoque vicibus evenit, ſi non obambulavit ſed decubuit. Subinde heri & hodie ſternutavit. Nares jam aliquandiu ſiccæ ſunt, quæ pridem maxime prono capite limpidum mucum large ſtillarunt, ac naſum rubrum effecerunt, imo prope excoriarunt. Querebatur de oris amaritie ac temporum dolore. NB. Jam à longo tempore verſata eſt in pulvere dirutorum ac cadentium murorum, dum ædium ſtructuræ præfuit; tum pulverem hunc, tum exhalationes oleoſas pigmentariorum frequenter hauſit. Præterea magna ſollicitudine rei domeſticæ præeſt, dum *Generoſus D. Maritus* militiam Gallicam ſequitur, ſemperque magna anxietate ac mœrore ob dubiam martis aleam excruciatur ipſamet aliàs generoſa. Ab 8. matut. dormivit fere ad 10. antimerid. Expergefacta dicebat caputq́ ſibi debile eſſe, & ceu aquam intra cranium fluctuare. Pranſa eſt 11. bene: poſt prandium ſubito vertigo ingruit cum erubeſcentia faciei, tinnitu aurium, citra ullam pulſus immutationem, ſed brevi duravit. *Die* 4. *Septembr.* mane alacrior fuit, quam unquam: urina prorſus naturalis cum ſabulo flavo & albo copioſo, plane non tincta: pulſus bonus. Mane *Fonticulum* inuſſi. Subſtiterunt menſes: pranſa eſt optime: alvus movebatur *Suppoſitorio*. Poſt prandium aliquot horis extra lectum manſit: cænavit optime: noctu bene dormivit. *Die* 5. *Septembr.* mane urina bona, minus ſabuloſa: pulſus laudabilis. NB. narravit, quamprimum aſſiſtat foco, ſtatim vertiginem cieri intuitu apertæ flammæ, aliàs non; nam hypocauſta tolerat. Hodie primum ſumpſit *Elect. ex pulv. cum conſerv. mixt.* Mane & veſperi, & paulo poſt *Gelat. C. C.* Pranſa eſt bene & cænavit: ante & poſt meridiem diu extra lectum perſtitit: nunquam vertiginem experta eſt. Multum dormivit ante meridiem *poſt ſumptum Elect.* quod ob dulcedinem nullas turbas movit. Antequam ſe ad ſomnum compoſuit, plures cognatorum ipſam convenientes & circa lectum ſtrepentes anſam vertigini dederunt non gyroſæ ſed vacillanti, in qua quorſumcunque caput movebat, aliquid movebatur, quod inſtar navis nutabat: in occipite videbatur ſe conſtringi & premi forti manu: duravit paroxyſmus per horam dimidiam: ad alvum ſtimulabatur

ſed

ſed inani ſucceſſu: cor non palpitavit, nec ſudor frigidus erumpebat. Nocte poſtea bene dormivit ad hor. 4. matut. quamvis aliquantulum brachium circa *Fonticulum* doluerit. *Die 6. Septembris* mane ſummo ſumpſit *Elect. hor. 7. Gelat.* poſtea rurſus dormivit: urina optima: pulſus bonus: nullas reliquias vertiginis percepit: alvus ſuâ ſponte ſolvebatur. Subinde in os ſumit *Sief quoddam nigrum amariuſculum ambram redolens*, quod *Galli Gachou* vocant, halitum ſuavem reddit, os ſalivâ implet. Veſperi *poſt ſumptum Elect. & Gelat. C. C.* ante hor 5. ipſam invaſit vertigo fluctuans ſeu nutans, quandoque gyrans, ſudorem frigidum in fronte & pedibus exprimens cum pulſu quaſi retracto & magna anxietate, manus & naſus frigebant; cor tamen nunquam palpitavit: ad alvum ſtimulabatur, fæces erant pultaceæ ſubflavæ: mox quoque vomitus urgebat, quo ſolum mucum egeſſit viſcidum iteratis vicibus, nihil vero cibi, imo ne minimum quidem ciborum ſaporem animadvertit: dimidiâ horâ poſt vomitum os amaricavit. Vertigo diu ante vomitum afflixit, ſcil. hor. dimid. ceſſante vertigine ſomniculoſa erat: obdormiens terrebatur ac artus ſuccutiebat ſubito, poſtea diu multa exſpuere cogebatur. NB. Quando vertigo aliquandiu vehementer afflixit, antequam penitus remiſit, ſenſit conſtrictionem, coarctationem & attractionem quandam in occipite, ac putavit cirrhos trahi manu: cænavit parcius, noctu bene dormivit. *Die 7. Septembr.* eadem adhibita fuere medicamina, iisdemque vexabatur ſymptomatibus, niſi quod poſt cænam increbuerit anxietas cum ſudore, vertigine, in hac anxietate pulſus erat debilis, aliquoties incepit cor palpitare, ſed non tam vehementer ut aliàs: has turbas adſcripſi *Elect. Mixt. aquar.* cui *ſyrup. additur*, nam *ſyrupi* alia vice hæc quoque effecerunt. *Die 8. Septembr.* ſumſit *Elect.* ſed *ſine aq. cum ſyr.* veſperi ſumſit *Pillul. ♃al. No. v.* bene ſe habuit & dormivit optime. *D. 9. Sept.* adhuc melius ſeſe habuit. *Die 10. Septembr.* parum querebatur de vertigine: abſque tamen anxietate; diu extra lectum perſtitit. Ex quo dulcia penitus omittit, melius habet, nullibi dolet, manifeſte vires recuperat.

Reſolutio.

AFfectus, de quo imprimis conqueritur *Nobil. Domina*, quique ipſam maxime anxiam reddit, eſt vertigo. Quoniam in curatione hujus ſymptomatis plurimum refert ſcire, an *per Eſſentiam*, an vero *per conſenſum* oriatur; ante omnia indagandum erit, num hæc vertigo eveniat cerebro & in confinio ejus cerebello primario ita affecto, ut non ſolum ſpiritus animales turbentur atque ad motus inordinatos adigantur, unde omnia vel circumgyrari, vel natare aut vacillare videantur,

verum

verum etiam nervoſum genus circa originem ad motus ſpaſmodicos adigatur, unde anxietas, vomitus, diarrhœa, tremor artuum, cordis palpitatio; extremorum frigus aliaque eveniant? anne autem pars nervoſa extra calvariam ita affligatur, ut vel per communicationem flatuum, aut vaporum, vel propter generis ſocietatem ſpirituum animalium motus intra cerebrum & cerebellum pervertatur, ſimulque nervorum principium aliqua ex parte ad motus ſpaſmodicos ſollicitetur?

Si omnia attendam, exiſtimo cerebrum & aliqua ex parte cerebellum, ubi cum cerebro mediante ponte jungitur, potius affectum eſſe primario, quam ſecundario à parte aliqua nervoſa extra calvariam locata, cerebrum tamen & cerebellum in conſenſum rapiente, nam 1. plures ſimul actiones læduntur ſæpe in momento, quod non niſi ab affectione ſpirituum animalium, quæ cauſam præſentem intra cranium habet, contingit, nimirum illarum perturbatio, unde vertigo, & nervorum vellicatio, unde motus ſpaſmodici, quorum effectus ſunt vomitus, conſtrictio veſiculæ bilariæ & hinc eveniens diarrhœa, palpitatio, tremor artuum, anxietas circa præcordia, ſudor frigidus, dum pyloro conſtricto cor pene in motu elangueſcit. 2. Nuper poſt paroxyſmum in epiſtola literæ duplices viſui ſiſtebantur. 3. Capite in latera moto ſenſum fluctuationis ſenſit; retrorſum moto aliquid retro ferri ad occiput putat: inter incedendum vertigine præſente ſibi quoque retrorſum & ſupine cadendum putat, imo fere ſupina proſterneretur niſi ſuſtentaretur. 4. Caput plerumque dolore gravativo circa occiput & in vertice afficitur. 5. Inſomnia de vertigine non penitus ſpernenda, cum expergefacta terreatur adhuc. 6. Pridem diu habuit nares multum muci ſtillantes, nunc ſicciſſimæ ſunt. 7. Duratio mali ultra annum. Cerebrum circa confinia cerebelli atque illud ipſum affici, indicio ſunt actiones læſæ partium, quæ participes ſunt paris nervorum vagi, ſcil. cor, ventriculus, inteſtina &c. tremor artuum, qui fit nervis medullæ ſpinalis affectis. Non circa thalamos opticos affici conſtat inde quia nunquam viſus obtenebratur, mente valet.

Non vero per conſenſum oriri patet enumeratione partium illarum, quæ aliàs afflictæ non raro vertiginis aliarumque cerebri perturbationum cauſæ exiſtunt: nam primo non poteſt hic culpari ventriculus, cum probe appetat: & licet vomat, tamen & vomitum cerebro affecto, ſano ventriculo, ſæpe evenire notiſſimum eſt; deinde ille non ſemper evenit. Os amarum fieri poterit propter prægreſſum vomitum: nec accuſari poterunt inteſtina, cum nulla tormina experiatur, nec verminoſa ſit: nec imputari malum poterit hepati, quod non obſtructum, imo ſæpe obſtructum vertiginem tamen non gignit, *ut in multis ictericis obſervatur.* Lieni multa innoxie imputantur, cum non niſi optimo ſanguine immediatius quam ullum aliud viſcus è corde potiatur;

nullus

nullus vero alius humor ad illum perferatur. Uterus quoque inſons videtur, cum menſes rite fluant: nec in teſticulis virus aliquod latitabit, cum nulla ſuffocatio uteri obſervetur, nec vel minimum indicium ſeminis corrupti aut turgeſcentis appareat.

Cauſa proxima non eſt merus halitus aut fumus, cum vertigo ſæpe diutius perſeveret, quam ut tenui & facile diſſipabili corpori adſcribi poſſit: ſed humor aliquis non ſolum altius ſe immergens, ſed foris quoque incumbens, cum manifeſte fluctuationis ſenſum percipiat, & illa jam viſum duplicatum paſſa ſit. Humor iſte aqueus eſt, quia penitus vertigo evaneſcit: ſed non mere aqueus, quia ob acrimoniam quandam prædictos motus ſpaſmodicos excitat tam in partibus, quæ nervos paris vagi accipiunt, quam quæ medullares ſuſcipiunt, ut artus &c. Illum ſuppeditat ſerum ſanguinis, quo illa abundare videtur, quia jam ante 9. annos hydropem paſſa eſt; pedes ſemper etiam in æſtate fervidiſſima madent; frigidam crebro nec parce bibit; non multis exercitiis utitur. Receptum & collectum fuit intra cranium ob cerebrum & cerebellum debilitatum à partubus frequentibus, curis magnis, cum rem domeſticam præcipue curet abſente *Nob. D. Marito* graviſſimis periculis expoſito, & hac vice maxime, dum in reparandis ædibus occupata, pulverem calcarium murorum cadentium, & vapores pigmentorum frequenter haurire cogitur; ad cumulationem ſeri non minimum contulit mora longior in aere nocturno, expoſito capite ſæpe radiis lunaribus: imprimis vero ſuppreſſio ſtillicidii aquei narium jam ab aliquot menſibus. Hæcque omnia validius cerebrum infeſtare potuerunt, quia illud à primis incunabulis imbecillius nacta eſt, nam non ita pridem ei jam Matri fonticulus induruit. Effluvium ſeroſum intra cranium promovent & accelerant menſtrua, quibus præſentibus & imminentibus aliàs fermentatio in tota maſſa ſanguinea contingit; deinde mœror; forte etiam aeris anomalia, intuitus flammæ &c.

Quia vertigo hæc non continua eſt, ſed longa intervalla habet, nec ſemper terrifica ſymptomata à motibus ſpaſmodicis pendentia ipſam comitantur, nec dum tenebricoſa eſt, quia quoque quilibet paroxyſmus etiam longiſſimus non ultra dimidiam horam durat, ſignificatur illam non à profundius radicato humore, aut jam â veſiculæ incluſo humore pendere, atque affectum extirpari poſſe; at non negligendam eſſe, cum à dimidio anno crebrius invaſerit.

Indicationes ergo erunt humorem à cerebro revellendum & evacuandum; in cerebro corrigendum, abſorbendum ſimulque illud roborandum eſſe: cavendo ſemper, ne novus humor repullulet atque in cerebrum redundet.

Extra paroxyſmum ſerum & ſuperflua lympha à cerebro revellitur 1. *Purgantibus* ſcil. ℞. *Crem.* ♀ ℈j. *Diagryd.* ♁*rat.* *gr. iij.* *Lap. prunell.*

 gr. ij.

gr. ij. Mſc. F. pulv. ſumitur horâ ante prandium ſemel in ſeptimana, quando gliſcit paroxyſmus & ſi os amareſcat, aut *Pill, Cephal.* quarum ℈*i.* ſingulis menſibus mane vel duabus horis poſt parciorem cænam triduo ante vel poſt novilunium ſumere poterit. 2. *Fonticulo* in ſiniſtro brachio excitato. 3. *V. S.* vere & autumno in brachiis. 4. *Scarificatione* alternis menſibus triduo ante vel poſt novilunium, non ſingulis menſibus, quoniam hac ratione vertigo acceleraretur. 5. *Veſicatoriis,* quæ imprimis neceſſaria forent, ſi tenebricoſa evaderet: applicari poſſent cum ſucceſſu poſt olecranum, non in cervice.

Serum ſuperfluum mitigari, abſorberi in cerebro illudque ſimul roborari poſſet. 1. *Pulv.*

℞. *Rad. pœon.* ʒ*ij. C. C. ph. ppr.*
Ung. alc. ph. ppr. ãã. ʒ*iij. diaph.* ♃*al.* ʒ*ij.*
Cinnab. nat. ʒ*j. Cryſtall. veri ſæpius igniti & in aq. beton. extincti* ʒ*ij.*
Lap. Bezoard. or. ʒ*j. Ol. N. M. expr. gtt. iiij.*
Tab. man. chr. perlat. ℥*iß.*
Mſc. F. P. Doſ. man. hor. 5. & veſp. hor. 5. ℈*j. vel* ʒ*ß. cum mixtura hac.*

℞. *Aq. fl. til. pæon.* ãã. ℥*ij.*
Epilept. Lang. ʒ*ij. ſyrup. de pœon.* ℥*ß. Mſ.*

Ex hujus *pulv.* ℥*j. omiſſis tab. perlat.* parari poſſet *Condit. add. Conſerv. roſar. r. anth. fl. tun.* ãã. ℥*j. fl. paralyſ.* ℥*ß. N. M. condit.* ʒ*ij. cum ſyr. flor. paralyſ. q. ſ. Mſc. F. Elect. Doſ. M. hor. 5. & veſp. hor. 5. portio jugland. magnitudine:* ſuperbibat *juſc. alterat. roremar. major. &c.* Ex eodem *pulv.* parari poſſent *Pill. Rotul. Trochiſc.* pro lubitu, quorum vehiculum ſit vel *juſc. alterat.* vel *mixt. aq. cephalic.* 2. Hor. 7. vel 8. matut. ſumat *Gelat. C. C.*

℞. *Limat. C. C. crud.* ℥*iij.*
Infuſ. in aq. font. ℔*ij. calide hor.* 12. *Add.*
Herb. roriſmar. meliſſ. ãã. *Mij. Mac.* ʒ*ß.*
Paſſul. maj. exac. ℥*iß. Conſerv. roſar. r.* ℥*j.*
Coq. ad conſumpt. dimid. Colatur. Add.
Confect. alkerm. inc. ʒ*j. Mſc.*
Doſ. cochlear. ij.

ſuperbibatur *juſcul. alterat. herb. cephal.* Hanc præferrem *decoct. Coff. Chiocol. Thee.* 3. Poſt paſtum ſumat ſemper ʒ*j. Trag.* cum pane toſto & vino madido.

℞. *Pulv.*

℞. *Pulv. ſtomach. Birckm.* ℥j.
Galang. Mac. Nuc. Moſch.
Cubeb. ā͞ā. ʒß. *Succin. alb. ppr.*
C. C. uſt. ppr. ā͞ā. ʒj. *Santal. r.* ℈ij.
Sacch. alb. ℥iij. *Mſc. F. P.*

4. Noctu cubitum itura ſumat *Theriac. Smaragd.* ʒß. melius faceret, ſi noctu omitteret juſcula.

Extrinſecus M. & V. inungatur vertex & cervix *Balſam. cephalic.* prodeſſet *cucuph. ex ſummitat. majoran. fl. roriſm. beton. roſ. r. ſuccin. maſtich. ana* ʒß. *Goſſypio inſperſis. Sternutatoria* caute & non niſi mitiſſima congruunt.

In paroxyſmo ſæviore cum palpitatione cordis, anxietate, extremorum frigore ſtatim darem ℞. *bezoard. Dan. Lud. a* ʒß. *ad* ʒj. *cum aq. meliſſ.* ℥iß. *ſyr. de rub. Id.* ʒiij. *Mſc. pro unica Doſi.* Deinde ſubinde refocillarem ipſam *aq. hac cordial.*

℞. *Aq. meliſſ. majoran. roriſmar. ana* ℥j.
epilept. Lang. ℥ß. ℞. *Succin.* ℈ß.
Eſſent. caſtor. ℈ij. *Ol. deſt. chamom. gtt. iij.*
Tabul. man. chr. perlat. ℥ß. *Mſc.*

odoretur ſubinde *Balſ. cephal. Nodulum ex caſtor. caryoph. rut. bacc. junip. aceto immerſum.* Cordis regioni imponatur *Epithem. ex ſpec. cord. temperat. It. ſacculi ex meliſſ. vino conſperſi.* Non negligenda *ſuppoſitoria, clyſteres cum Hier. Salvatellæ ſectio* perdurante palpitatione cordis. Mitigato paroxyſmo pergatur ſuperioribus. In diæta veſcatur cibis boni ſucci; vinum diluat *decoct. chin. fl. til.* Vitet aerem nocturnum. *Lucernæ d. 6. Septembr.* 1678.

D. D. Cyſatus ſcribit: Hactenus uſa bis in die *Pil. d.* 19. *Septemb.* rediit vertigo citra cordis palpitationem, at cum tremore & frigore pedum. *D.* 20. dedit *Clyſter.* educti copioſi flatus: bis vomuit mucoſa, appetit &c. tribus ſeq. diebus optime ſe habuit & in publicum prodiit absque damno. *Die* 24. *Septembr.* bene pranſa, inviſit Affinem; veſperi rediit vertigo titubans cum tremore artuum, dolore vermiculante circa originem nervorum: copioſe minxit: bis alvum ſolvit cum flatibus. Data *aq. cord.* injectus *clyſter.* dedit etiam *Crem.* ♀. Inſtant menſes. Paroxyſmi nec tam frequentes, nec tam longi, ſed breves. *Quæritur an præſcriptis pergendum? affirmatur.*

D. D. Cyſatus d. 10. *Octobr.* 1678. *denuo ſcribit: Nob. Dominæ*

ſexto hujus Menſis redierunt menſes ſine dolore ac coloris optimi, ſomnus non niſi poſt primam noctis adeſt. *Die* 7. *Octobr.* & 8. ſenſit certos dolores circa orificium ventriculi ſuperius, unde ſubſequente nocte vomere coacta fuit ter cum aliqua titubatione ſine tremore artuum & palpitatione cordis. *Die* 9. *Octobr.* inter prandendum comedit de pomo cydon. cocto & ſaccharo conſperſo, exinde maximas inquietudines paſſa, ut & titubationes. *Die* 10. *Octobr.* bene conſtituta eſt. Utrum *V. S.* conduceret *præmiſſo leni purgante.*

Reſpondi d. 14. *Oct. Doneſchingæ : Nobil. Domina* audacter pergat *Pill.* ſi dulcia ferret, ſuaderem ipſi *Trag. ex pulv. ſtom. B. C. C. ph. pp. Limat. ebor. add. Ol. N. Moſch.* aut detur *Ol N. M. expr. gtt. ij. vel iij.* in quolibet paſtu *cum cochl. juſcul. Purgari* poterit propediem: ſeligatur *mitiſſimum*, quid ſi purgaretur *Pill. cephal.* poſtea *V. S.* emittantur ℥*v.*

D. D. Cyſatus d. 26. *Oct.* 1678. *rurſus ſcribit: Nob. D. Colonella* jam ab octiduo, dum cubitum ibat, in lecto titubationem ſenſit cum dolore circa principium nervorum absque tremore tamen, antea bene habebat, ſed rurſus Famulus adfuit ille nequam, cum quo litem habuit, ſuſpicabar bilem commotam fuiſſe, exinde amarorem oris habuit, bene tamen ſemper appetebat, exhibui *crem.* ♀. *c. diagr.* ♃*rat.* duodecies blande fuit purgata. *Die* 24. *Oct. vena pedis* circa pollicem *præmiſſo clyſtere aperta fuit*, cum id *Nob. D. Maritus* in literis urgeret: illo die ſatis bene habuit uſque ad veſperam; in lecto rediit titubatio cum anxietate circa pylorum & cor. *Die* 25. ſat debilis erat ob illas anxietates: hor. 4. pomer. rediit vertigo gyroſa, poſtea titubatio, noctem pene inſomnem habuit. *Die* 26. melius habuit ratione titubationis, ſed cordis anxietates durant. Audio nunc ſuſurros hinc inde, qui *aq. benedict. Ruland.* deprædicant, me inſcio poteſt propinari, culpam nullam feram. Miſit *Melitenſ, magnus Prior Elix. propr. Par. Romæ paratum*, ſed ejus uſum reſpuit. Quid in hoc caſu agendum *Reſponſum & Conſilium* exſpecto.

Reſpondi die 31. *Octobr.* Quia titubatio rediit poſt animi motum ex objecto famuli nequiſſimi, quia quoque *à crem.* ♀. & *diagryd.* poſt tot evacuationes amaror oris & titubatio, & anxietas non remiſerunt, imo *poſt V. S.* acceſſit vertigo gyroſa brevis quidem, at permanente titubatione, credo plurimum bilis circa præcordia ſtagnare: quam tolleret optime *vomitorium. Aquæ bened. Ruland.* præferrem *Oxyſach. Emet.* quod *à* ℥*iij. ad* ℥*vj.* damus; quando vomitus urget & difficilis ſit, habeatur in promptu juſculum. Poſtea ad capitis & nervorum roborationem, quia imprimis circa illorum originem dolet, & principium nervo-

nervorum in conſenſum rapitur, quia omnia alia faſtidit *tales pillul.* parari poſſent.

℞. *Diaph.* ♃*al.* ʒij. *Cinnab. nativ.* ʒß.
Extract. caſtor. ℈j. *Extract. xyloal.* ℈ß.
Ol. ſuccin. d. gutt. iij. ſucci. beton. inſpiſſat. q. ſ.

Miſc. F. Pill. ex ʒj. *No.* 40. *Doſ. M. hor* 6. *& V. hor.* 5. *No. V. cum aq. cephal. deſt. Elix. propr. Par.* non rejicio.

D. D. Cyſatus d. 30. *Nov.* 1678. *ſequentes ad me dedit literas: Nob. D. Colonella* hucuſque omni die ſub ingreſſum lecti titubatione uſque ad mediam noctis vexabatur ſubinde cum, ſubinde ſine anxietatibus circa præcordia: vertigo gyroſa ab ultimis datis bis tantum aderat brevi evaneſcens; vomitus pituitoſus quarto quoque die redibat, exinde ſequebantur ſymptomata præcedentia. *A. D. D. Joh. Rud. M. Med. Epiſcop. Baſ. petierunt conſilium,* qui vult morbum hunc eſſe paſſionem Hypochondriacam, & cauſatur hepar calidum, avidius chylum craſſius arripiens, unde obſtructiones, à quibus oriantur mirabiles & incomprehenſibiles effumationes ad diaphragma, cor, caput &c. Cauſatur quoque uterum propter mariti abſentiam. Non putat vertiginem fieri per Eſſentiam, quia non continue, nec pari vehementia affligit. Tertio addit cerebrum frigidum congelans vapores, unde coryza naſum exulcerans, & retento humore fluctuatio. *Allegat Hipp. S. III. aph.* 17.

Ex Pharmacia ſuadet 1. *aperit.* inter quæ *diaph.* ♂*tial.* ⊖ ♀ ⊕*l.* 2. *Pot. Helmont.* ℞. *Rad. curcum.* ʒiij. *Rhabarb.* ℥j. *Fl. calend. chelidon. ana Pij. Croc. NB.* ʒiß. *Coloq. gr. vij. Coq. in vin. alb. & aq. ana* ℔j. *Doſ.* ℥v. Mane 3. *Syr. ex ſucc. cochlear. naſturt. aq. beccab. ana Miij. Rad. raph. ruſt.* ℥ß. *aron.* ʒiij. *Pom.* ☉*ant. No. II. exprim. ſucc. Miſc. ſine coctione Doſ. cochl. iiij. M. & V. add. poſſ. ſp.* ✳. *gtt. ij.* Superbibat *Juſcul. alterat. cichor. ſcorzon. petroſ. tarax. raſur. ebor. agrim. hepat. nob. &c. cum Gallo decrep. cocto.* Commendat quoque *Sp.* ✳. *ſpir.* ⊖ ♂. *Bez.* ♂. cum hoc facit *Pill. ex extr. hepat. n.* 4. *Panac.* ☉. *cum conf. alk. inc.* ℞. *corall.* ℞. ☉. *Topica ſacc. cord. ſicc. Balſ. cephal. cucuph. Pulv. beton. pro Tabaco : Balſ. ſtom.*

Ex Chirurgia improbat *V. S. ſcarif.* laudat *fontic.* in brachio, nucha. In diæta prolixus eſt.

Nob. Domina hactenus nihil ex prædictis adhibere voluit: triduo ante plenilunium exhibui eidem *Pill. cephal. cum modico magiſt. cran. hum. & ſal. ſuccin. vol.* poſt parcam cænam, optime hinc *purgata* fuit.

 Fluor

Fluor albus per tres hebdom. copioſe apparuit: heri *veſicat.* applicavi optimo ſucceſſu, nunc melius habet, & ſymptomata omnia evanuerunt exceptâ titubatione ad veſperam.

Reſpondi intra cranium circa pontem in confiniis cerebri & cerebelli cauſam titubationis hærere; me confirmat diuturnitas mali & continuitas ſcil. *à menſe Aug. hucuſque*, tempus & modus invaſionis ſcil. noctu quando decumbit, duratio particularis ſcil. permanens à momento decubitus ad mediam noctem, accedente ſubinde anxietate quadam. Nollem tamen negare, ventriculum toties ad vomitum ſollicitum mane, quoque ægrotare, quod confirmant vomitus quarto quoque die eveniens, & fluor albus. Non tamen à ventriculo propterea titubationem evenire dixerim, quia quoque interdiu, vel jejuno ſtomacho, vel quoque una atque altera hora poſt prandium contingeret.

Clar. Dn. M. philoſophandi ratio plane non arridet, imo rideretur à modernis, antiquatam opinionem de obſtructionibus in meſenterio & de vaporibus ſpleneticis in ſcenam producens: certe ignorare videtur chyli diſtributionem, quæ fit è vaſis minimis per majora in unum coaleſcentia: Si chylifera obſtructa eſſent; fluxus cæliacus: ſi ſanguinea, inflammatio & hanc Hemitritæus ſequerentur. Et ſi tantus æſtus in hypochondriis, cur *vin. medicatum & ſyr. calefacientem* ſuadet? Hæc vix ſuaderem *Nob. Dominæ*, vererer ut camerina his magis moveretur quam exhauriretur.

Utinam perſuaderi poſſet *Nobil. Ægra ad pulv. antiepilept. nuper præſcriptum*, procul dubio, ſi illum continuaſſet, malum hoc jam evictum eſſet. *Excell. D. V. uſum* denuo perſuadeat. *Purget* illam bis in menſe *Pill. cephal.* ante novi- & plenilunium duabus horis à parca cæna, *dando* ℈j. *vel. gr. xxij.* Hæc etiam valebunt contra fluorem album, contra quem quoque uſurpari poſſet *Trag. ſtomach. nuper ordin. Repetito Veſicatoriorum uſu* revelletur humor à cerebro egregie.

D. 13. Jan. 1679. Nob. Dn. Colonellam conveni Lucernæ. Appetiit hactenus bene, cibus ſapuit: non aggravabatur à cibo. Ex quo diſceſſi ſæpe hucuſque vomuit, nunc mane jejuno ſtomacho, nunc poſt cibum, ſemper mucum; ſemel acidum aliàs inſipidum: nunc amarum. Vomitum antecedit anxietas & vertigo, ſi ſedeat titubans, ſi incedat gyroſa. Poſt vomitum melius habuit in ventriculo & capite: alvus ſemper aperta, fœces naturales: flatus ſemper animadvertit. In urina multum muci ſubſidit, quandoque arenulæ rubræ, ſemper copioſa. Reſpiratio in acclivium aſcenſu paulo difficilior, palpitatio cordis à quatuor ſeptiman. remiſit; in acclivium aſcenſu illam ſentit, ſed à quiete ceſſat. Pulſus bonus & æqualis eſt. Vertiginem quod attinet, eſt illa ti-

cub ans

tubans & gyroſa; titubans ſe repræſentat inſtar fluctuationis alicujus, ac ſi antrorſum & retrorſum moveretur: quando ſedet, putat inferiorem truncum antrorſum & retrorſum moveri: quando decumbit, moveri videtur caput ſolum hoc modo: quando ſiniſtro lateri incumbit, ubi *Fonticulum* habet, minor adeſt hæc fluctuatio (vacillatio, nutatio) non tamen abeſt: putat quoque in ſomno ſe hanc fluctuationem pati, quia hujuſmodi inſomnia obveniunt. Vertiginem gyroſam præcedit ardor in dorſo, ubi ſtomachus eſt, qui inſtar fulguris verſus pylorum ejaculatur quaſi, hinc putat ſubito ad caput pertingere, tunc protinus adeſt vertigo gyroſa, ac ſudor in toto exprimitur, quem anxietati adſcribit, ceu hujus ardoris comiti. Vertigo durat non longius, quam quis precationem Dominicam abſolveret; poſt hanc manet tamen tremor artuum & debilitas per d. 8. quem itidem adſcribit anxietati & metui: obſervat tamen hanc gyroſam imminui & rarius invadere. Intra ſ. ſeptiman. bis rediit, una vice poſt paſtum, alterâ vice jejuno ſtomacho ob tardantem menſium fluxum. In utraque aure patitur ſonitum ceu cicadarum, in dextra tamen magis quam in ſiniſtra. Caput non dolet, videtur tamen ſtringi circa frontem: ſenſibus optime valet, ingenio, judicio, memoriâ excellit. Pridem ante mediam noctem indormiſcere nequiit, à d. 14. ſtatim indormiſcit & bene dormit; ab hoc tempore autem conſueverat noctu ſumere, quantum 2. cuſpides cultri capiunt *Pulv. calam. arom. & helen.* cubitum itura, unde hactenus vomitus pituitoſus remiſit. Fluctuatio illa major eſt clauſis oculis; quamprimum vero illos aperit, melius habet, at hac ratione putat ſe avertere poſſe gyroſam. Menſes rite fluunt, bene colorati: fluor albus præcedit & ſequitur: nuper doluit dorſum ſummopere; à *balneo vaporario* rediit fluor albus cum levamine lumbaginis. Fluor primo erat viridis, ſubniger; nunc albus, pellucidus, mitis eſt. Pedes ſemper humidi ſunt & frigent, non tument: bene colorata eſt, carnoſa. Quando incedit ſibi retrorſum cadendum putat: non poteſt diu ſtare. *A V. S.* nuper valde lædebatur; nec bene tulit uſum *Pill. cephal.* A dulcibus & odoratis malum valde exacerbatur. Ex naribus raro aliquid emungit & vix unquam, niſi *pulv. ſternutatorio* utatur. Semel ſumit in ſeptim. *Pill. opiatas Exii gr. j. vel gr. iß.* unde die ſequente melius habet. *Die* 13. *Jan.* dedi *Pill. j. Extr. colocynth. cum* ℞. *aloët. cum rhab.* erat vix *gr. ij.* inde octies mucoſa cum euphoria dejecit.

Reſolutio.

VErtigo titubans, fluctuans & vacillans eſt læſio imaginationis, ob quam ſtanti phantaſma adeſt totum corpus retrorſum ſubſtracta humo aut aſſeribus lapſurum, ſedenti truncum corporis, & decubuæ caput

caput ſolum hac ratione retrorſum moveri; quamvis interea nec totum corpus, nec truncus, nec caput vel vacillet vel tremat. In gyroſa omnia in gyrum verti exiſtimat. Quia titubans diu noctuque & continuo adeſt, neceſſum eſt præſentem adeſſe cauſam, quæ non eſt vapor, qui brevi diſſipatur; ſed humor illeque aqueus, qui alicubi ſpirituum animal. motum impedit: hic enim ſolus exſtillare poteſt intra cranium citra alia & graviora ſymptomata: non occupat medullarem ſubſtantiam, quia omnibus ſenſibus optime valet, imprimis ſenſibus internis. Non copioſus eſt, quia præter quandam conſtrictionem non dolet capite. Hic in tota maſſa ſanguinea redundat, unde vomitus mucoſus, fluor albus, reditus coryzæ, copioſa mictio, quamvis non multum bibat. Effuſioni anſam dederunt intenſæ cogitationes, excandeſcentiæ, lachrymationes, coryzæ diuturnæ ſuppreſſio &c. debilitatum caput fuit lucubrationibus, mora ſub radiis lunaribus &c.

Serum hoc abſorbendum, revellendum & ſimul caput roborandum: abſorbendum *continuato uſu hujus Pulv. cujus* ʒß. *ſumat. M. hor.* 7. *& V. hor.* 4.

℞. *Rad. pœon. Valerian. ſylv.* ãã. ʒiij.
galang. calam. arom. ãã. ʒj. *aron. pp.* ʒß.
Cubebar. ʒj. *Cardamom.* ʒß. *Succin. alb. pp.*
Ocul. ♋. *pp. C. C. ph. pp. ana* ʒiß.
Sem. pœon. ʒij. *viſc. quern.* ʒiij.
Mſc. F. Pulv. ſubtil.

Inſtantibus menſibus ſumat per d. 3. *Mane & Veſperi Pillul.* ♂. *No. V.* Illis ceſſantibus, ſumat per d. 3. *pill.* ♃. *Man. & veſp. No. V.* ſemel ſumat in ſeptim. *Pil. j. ex* ℳ. *aloët. c. rhab. & extr. colocynth.* Semel in ſeptim. ſumat etiam *Pil. j. Exii.* Singulis noctibus utatur *Pulv. calam. arom. & helen.* Pergat uſu *Balſ. cephal. cucuph.* Perfumentur Vittæ *Pulv. ex maſtich. ſuccin. bacc. junip. fl. lavend. roriſm.*

D. D. Cyſatus ſcribit 12. *Febr.* 1679. *Pulvis* bene contulit. Redeuntibus menſibus rediit vertigo gyroſa brevi tempore durans. Averſatur nunc *pulv. ex illo cum tragacanth. parat. pill.* quas libenter ſumit. *An pil. hyſter.* ante fluxum menſium conveniant? Appetit, bene dormit: circa ingreſſum lecti titubatio non amplius adeſt.

Die 18. *Februar.* Ante reditum menſium ſitiit cum inappetentia: aliàs vegeta: titubat abſque ſymptomatibus. *Nob. Dominus Maritus Pariſiis conſuluit nonnullos Medicos de hoc morbo, qui tale mittebant conſilium, uſque dum ad interrogata poſſint reſpondere, verbā hæc ſūnt:*

Permul-

Permulta petimus, quæ majorem lucem & perfectiorem notitiam propoſitæ nobis ægritudinis afferent; antequam autem reſponſum accipiamus, ne longior mora & exſpectatio tædium pariat *Nob. Ægrotanti*, exiſtimamus & *calidiora medicamenta* & *validiora purgantia* ipſi non parum nocitura fore: indiget *Clyſmis plurimis refrigerantibus* & *emollientibus*, in quibus *mell violatum* diſſolvatur; in ipſa vertiginis acceſſione ejuſmodi *enema* injiciatur, paulo antequam lectum petat, inditur *aliud enema ex ſola aqua tepida abſque ullo melle.* Ubi primum bruma non amplius ſæviet & aquilonia aeris conſtitutio in auſtrinam vertetur, blandiſſime purgabitur ægra *ex ſeſcuncia medullæ caſſiæ recenter extractæ* & *mundatæ, quæ in ſeri lactis* ℔j. *diſſolvetur pro duplici doſi mane ſumenda, unâ horâ intra utramque interpoſitâ.* Repetat *eandem catharſin* poſt biduum, *addita etiam ſyr. Regis Sabor. ſeſcuncia.* Poſt quatriduum ita *ſemel iterumque purgabitur iisdem medicamentis ſcilicet Caſſ.* & *ſyr. Regis Sabor.* Parabitur ipſi *decoct. pullaſtri, quatuor. ſem. frigidor. maj. ad* ℥j. *in* ℔vj. *aq. puriſſ. ad tertiæ part. conſumptionem*, jejuna bibat mane *duos hujus decoct. cyathos tepide*, alios etiam hauriet pomeridianis horis longe à paſtu. Interim convenientem victûs legem ſervabit, in cæna à vino & carnibus abſtinebit; offa ipſi tunc cum pane ſiligineo conceditur, aut ovum ſorbile. In prandio vinum dilutum & carnes euchymas ſumet. Longiori lectioni pariter atque animi meditationi, quantum poterit valedicat, ac mentis tranquillitati ſtudebit. *Hæc illi. Nob. Domina lubens, quid ad hæc Excell. Veſtræ judicium ſit, expectat;* brevi, ut audio, *aliud conſultum* aderit.

Reſpondi. Si pill. loco pulv. ſumpſerit, bene faciet. Quia menſes imminentes turbas faciunt, bene faceret, ſi ante illorum invaſionem ſumeret *pill. hyſter. In conſilio Pariſienſium reperi veriſſimum eſſe illud, quod ipſis objicit D. Moliere in Comœdia Maladie imaginaire: in omnibus morbis apud ipſos oportet clyſterium donare,* & *poſtea ſaignare, tandem purgare; verum ſi maladia opiniatria, rurſus oportet clyſterium donare,* & *ſic porro atque in infinitum.* Neſcio, imo dubito, *Nob. D.* parem his ferendo foret, cum meminerim illam valde debilitatam fuiſſe. Lubenter intelligerem quæſita, expectoque *plenius Conſilium:* ne adverſari videamur, periculum faciat hac cura, medicamenta non ſunt violenta.

Ex literis D. D. Cyſati patet d. 17. *April* 1679. *datis, horum medicamentorum uſu* anxietates quidem remittere, at Ægram inde debilitari. *Pariſienſis Medicus D. D. de M. tandem Conſilium prolixius pro Nob. Domina tranſmiſit, quod tale eſt.*

Vertiginem curatu difficilem putat, quia malum radicatum in viſceribus, & cerebrum humidius ac debilius à natura eſt.

Sedem cauſæ principis putat latere in viſceribus, id elici poſſe ex mea deſcriptione: deinde probare conatur his argumentis:

I. Quia à mœrore diuturno, curis aſſiduis, inſolito labore, nimiis corporis exercitiis viſcera nutritia incaluerint, & nunc intemperies calida & ſicca altius inuſta ſit. Hinc in hepate, liene & tota alvina regione quotidie generari omnis generis humores, bilioſos, melancholicos, atrabilarios, ſeroſos & pituitoſos, idque perenni productione: mora & ſitu hos humores craſſeſcere & viſcidos reddi; hos deinde obſtructiones contumaciſſimas gignere ibi, ut & in ductibus pancreatis, menſenterii, uteri. Non tumidum ventrem faciunt, quia tenuiores portiones ſurſum avolant; humor melancholicus craſſus, qui magis ceſpitat in liene uſtulatus, fœci vini craſſiori ſimilis, vapores craſſiores ad caput emittit, qui, quia ignei ſunt & igneam volubilitatem diu retinent, efficiunt vertiginem gyroſam; dum verſus baſin aut latera cerebri feruntur, faciunt vertiginem titubantem; dum principium nervoſum affligunt, motum labefactant, & propterea ſola incedere nequit. Ab eadem anathymiaſi tinnitus aurium, cordis palpitatio, aſcenſus caloris per dorſum, anxietas, vomitus, oris amarities oriuntur, ut putat.

II. Cauſam vertiginis in imo ventre deliteſcere, quia fœces ſunt liquidæ, bile tinctæ.

III. Uterum affici putat, licet menſes rite fluant; quia fluor albus præcedit: odorata non fert, diu à marito abeſt; putat inde ſemen putreſcere, vapores emittere.

Noctu & cubitum ituræ vertigo moleſtior eſt, quia tunc fit caloris concentratio & proinde major humoris melancholici aduſtio, fermentatio & hinc longior effumatio. Sic putat affectum probe cognitum & evidenter ſatis perſpectum.

Improbat *omnia medicamenta calida & ſicca*, quibus cerebrum humidum non emendetur ſed augeatur, aucta intemperie viſcerum, & hinc emergente largiore evaporatione; quia ab illis ſanguis colliquatur & in ſerum funditur, eoque inſpiſſato mucoſa cruditas aliis viſceribus ſubminiſtratur, quæ obſtructionum parens evadat.

Calorem & Siccitatem ſine ſenſu emendanda.

1. *Clyſteribus ex decoct. emollient. refrigerantibus, ſcil. lactuc. borrag. viol. rec. add. Mell. Nymph. vel ex ſero lactis in quo lactuc. cocta: vel ex ſola aq. tepida* maxime noctu & hora ſomni, ut ſit inſtar fomenti vel gargariſmi inferioris gutturis.

2. *Juſcul. alterat. ℞. Pull. exenterat. ejus venter inferciatur ſem. 4. frigid. maj. ana ℥j. ſem. pap. alb. ℥ij. Coq. in aq. font. ℔vj. ad tert. p. conſumpt.*

conſumpt. hauſtus mane & 4. hor. à paſtu vel ejus loco juſcul. carn. vitul. limpid.

3. *V. S.* quæ omnia remedia præcedere debet, eſt palmaria; ſine illa fruſtranea cætera: *ſecetur V. in brachio ſiniſtro* poſtea *in pede ſiniſtro ſaphæna*, emittendo unc. ix. ſanguinis: ſic paralyſin *à refrigerantibus* curatam à ſe dicit *juxta Trallianum. V. S. parca* movet, non educit; plus nocet quam juvat: *Poſt V. S.* diebus 4. quieſcat; at quotidie ſumat *Clyſterem*, ut & *ante V. S.*

4. His præmiſſis *purgetur ℞. Caſſ. rec. extract. ℨx. vel ℥iß. Caſtor. gr. j ſer. lact. caprin.* ℔j. Sumat *part. dimid. mane; poſt horam, alteram dimidiam partem.* Si *Caſſ.* non ferat, *in ſero* ſumat *ſyr de pom. reg. Sab.* ℥iß. *cum ſucc. aurant ut Caſſiam.* Continuetur per triduum, poſtea diebus duobus quieſcat; hinc rurſus bis per triduum illâ potione utatur interpoſito ſemper biduo. Poſtea per dies 8. quieſcat, quibus elapſis paretur *Decoct.* ℞. *Fol. ſenn. ſ. ſ.* ℨij. *Pulp. tamarind.* ℥j. ⊖ ♀ & *tamariſc. ana* ℨß. *Fl. centaur. min.* ℥ß. *Infund. in* ℔j. *decocti Rad. polypod q. fl. bugloſſ. fol. ſcolopendr. cuſcut fl. borrag. lupulor. geniſt. violar. In hoc diſſolv. Caſſ.* ℥j. R. ♂ ℨij. *Mſc. Detur pars dimidia primum, poſt hor. altera pars. Hæc potio* ſingulis ſeptimanis ſemel per menſem danda. Si poſſint haberi *fl perſic. rec. add.* Diebus intermediis bibat *ſer lact. caprin. aut vaccin. cyathos. ij.* jejuna frequenter quoque utatur *clyſteribus prædictis.*

5. Si affectus ſoporoſus aut convulſivus ſuperveniret, ſuadet *Vin. emet. Infuſ. ſenn.* Si non urgeat, *metallica* omittenda, cum majorem fervorem & ſiccitatem viſceribus ſquallentibus imprimant.

6. Laudat R. *fl. violar. cum ſero, aut ſyrup. viol. cum ſero loco ſyrupi nudi.*

7. Tempeſtate tepida utatur *ſemicupiis per d.* 15. *ex aq. font.* In ingreſſu bibat *juſcul. pull. aut carnis vitul. aut ſer. lact.* Ante uſum utatur quoque *purgat.* ut & quarto vel quinto quoque die ſumat *Pot. purgant. in ipſo balneo ex infuſ. fol. ſenn. ſ. ſ.* ℨij. *cum ſyr. viol.*

8. Finito *balneo* applicentur *hirudines* ano.

9. Conceſſa quiete per d. 10. utatur *Acidulis* per ſeptiman. 3. ſumendo tertio quoque die *Elect. lenit.* ſuperbibendo *acidulas.* ℞. *Fol. ſenn.* ℥j. *Rhabarb.* ℨij. *Croc.* ♂. *aperit. cum* ♀. *parat.* ℥ß. *Gumm. ammon.* ℨij. ☿ *dulc.*

dulc. ♁ *diaph. ana* ʒß. ⊖ ☿ *& tamariſc. ana* ʒij. *Trochiſc. alband.* ʒß. *Mſc. F. pulv. & cum ſirup. de pom. c. F. Elect. Doſ.* ʒij. Eo alias etiam uti poterit, ſi cœlum non æſtuet; aliàs nocebit. Poſtquam *uſu refrigerantium* tepuerit *Elect. diaphœn* ʒij. *in inf. ſenn. duobus ciathis, aut vin. emet.* ℥ij. *in ptiſan. laxativ. ciath. ij. ſolv. ac ſemel bibat*: ſi vertiginoſi affectus non ceſſaverint.

10. Ut cerebro conſulatur, abradendum capillitium: *ſcarificandum* poſt olecranum: *veſicatorium* interſcapulio applicandum palm. amplitudine. *Piroticum. De Elect.* quantum cultri apex capit, in paroxyſmo vertiginoſo detur ℞. *Conſerv. fl. nymph. borrag.* ãã. ℥ß. ♁ *diaphor. Margar. ppr. Oc.* ♋. *pp.* ãã. ℈j. *confect. de hyacinth. ſ. moſc.* ʒj. *cum ſyr. de pom. Mſc.* vel ℞. *Decoct. rad. ſcorzon. bugloſſ. Fol. acetoſell. borrag. ſcabioſ. meliſſ.* ℥viij. *in quo diſſolv.* ♁ *diaph. pulv. viper. Oc.* ♋. *pp.* ãã. ʒj. *ſyr. limon.* ℥j. *Mſc. Detur ſubinde cochl. i.* Ineunte paroxyſmo injiciatur *clyſter. add. mell.* ☿*rial. Nymph. Caſtor. gr. ii.* Proſunt etiam ligaturæ crurum & femorum. *Purgantia* danda ſub finem paroxyſmi. In paroxyſmis his ut & apoplecticis ſecant *Pariſiis* cum fructu *Venas jugulares & arterias temporum* emittendo unc. vj. ſang.

11. Extra paroxyſmum cubitum itura ſumat ℞. ♁ *diaphor. Oc.* ♋, *pp. ana.* ℈ß. *cum aq. borrag.*

12. Finito *Acidularum potu* quieſcat per dies 15. poſtea *blande purgetur*: per dies 12. utatur *balneo*, quinto quoque die *purgans* ſumat in ipſo balneo, & *ſer. lactis* etiam *in ipſo balneo. Balnei uſum* repetat eadem ratione interjecto ſpatio ſex ſeptiman.

13. In prandio veſcatur carnibus euchymis, vin. aqu. diluat: in cæna veſcatur ſolummodo juſculo; abſtineat à carne & vino: bibat *decoct.* vitet animi pathemata. Pertinaciter medicamenta ſumenda.

Die 3, *maji* 1679. *ſcribit D. D. Cyſatus*, illam uti *Juſcul. Pulli clyſter. & Purg. ex caſſ.* commode. Vertigo nunquam rediit: aſcenſus caloris nunquam factus, anxietates evanuerunt: bene dormit & appetit: alvus quotidie libera; titubationes adſunt, ſed non frequenter, ambulat in hypocauſto ſed innixa baculo. V. S. & cæterum cumulum medicamentorum *à Medico Pariſ.* ordinatorum diſſuaſit. *Petit cum Nob. D. Colonello, ut Judicium feram de conſilio Pariſienſi.*

Reſpondi ad hoc conſilium & literas D. D. Cyſati S. Blaſii d. 14. *Maii.* Theoria de morbi ſeu vertiginis cauſa proxima ejusque foco, quamvis eviden-

evidenter probatam putet, non magni momenti eſt, & poſſem multis rationibus falſam demonſtrare. Nugæ ſunt, quæ de obſtructionibus & effumationibus deblatterat, nec hæc in tanta Anatomiæ luce probare poſſet: falſa quoque ſunt, quæ de uteri vitio & ſeminis corruptione nugatur. Interea negari nequit, maſſam ſanguineam acriorem eſſe, quia humor vertiginem pariens non ſolum motum ſpirituum impedit, ſed inſuper nervos graviter hactenus afflixit, unde anxietates, cordis palpitatio, vomitus ſequebantur. Non tamen fermentum ſtomachi depravatum inde, quia appetit &c. Bilis acrior facta, quia os amaruit & multum vomuit ac ſæpius: quia etiam ſemper pejus habet imminentibus menſibus. Non tamen negari poterit, ſerum intra cranium extravaſatum cumulari, quia vertigo titubans hucuſque perſeverat, quamvis anxietas & cætera ſymptomata remiſerint.

In medendo eosdem ſcopos obſervavimus, niſi quod medicamenta gratiora & mole minora ſuaſerimus: uti ergo poterit

1. *Juſcul. pullaſtri*, quibus addi poſſet *Pugill. fl. nymph. alb.* qui ſpecificum vertiginis. 2. *Clyſteribus.* 3. *V. S. ſed parciore*, quia largas & crebras V. S. noſtri non ferunt. *Serum & TR. viol.* ad quid? cum *juſcul. alterat.* hoc faciat. *Acidulis* non fido, quamdiu titubatio & fluctuatio in capite adſunt. *Elect. purg.* laudatur, at quâ fronte *troch. alhand.* adduntur. 4. *Conſerv. roſar. fl. nymph. cum ♃ diaphor.* laudabilis eſſet; at pridem hæc dulcia tolerare nequiit. Similia neceſſaria erunt ad corroborationem capitis, ſive formâ *pill. rotul. trochiſc. tabell. aut Elect.* 5. Probo *pulv. ex ♃ diaph. oc. ♋.* at doſis nimis vilis.

Quæ in paroxyſmo comatoſo laudantur *infuſ. ſenn. &c. vin. emet.* non probo, nec fiderem, ut & *Diaphœnic.* cum ipſemet *Scammoneata* improbet; forſan nec opus habebimus: aut alia ſurroganda, *clyſteres ſcil. acres*, *veſicatoria.*

Placet diæta, imprimis cœna parca & vini in illa neglectus.

Die 17. *Maji D. D. Cyſatus paucis refert*, *Nobiliſſimam Dominam* de cætero ſatis bene habere, niſi quod valde meticuloſe per plateas incedat, non, uti credit, ratione morbi, ſed potius apprehenſionis.

Dn. Charas Pharmacopæus Reg. Pariſiis Calend. 1679. *hoc conſilium dedit D. Colonelli uxori.*

Vomitus paroxyſmum vertiginoſum ſubſequens plerumque ſignum in fundo ventriculi, vel in partibus ei vicinis nidoroſam quandam materiam infixam eſſe: ideo prodeſſet *pulv. vomitor à gr. iij. ad gr. v. cum Conſerv.* tolleret illam materiam, & ad uſum aliorum medicamentorum viam ſterneret,

 Nari-

Naribus admoveatur *Spir.* ✻ *vol.* qui diſcuteret vapores ab infernis ſurgentes & hanc vertiginem excitantes.

Balſamo ex ol. N. M. expr. ol. d. rut. lavend. & ſuccin. parato nares & tempora illinantur.

Frequenter ſumat *cochl. j. aut ij. hujus mixturæ: ℞. Aq. cinnam. ſpirituoſæ cephalicæ & hyſtericæ ℥j. ſpir. vol. cran. hum.* ℞. *ſuccin.* ℞. *croc.* ℞. *caſtor. ana ʒiij. Aq. artem. meliſſ. menth. fl. ſamb. ana ℥iiij. ſyr. de ſtœchad. ℥ij. Extr. anodyn. gr. iij. Mſc.*

Elix. propr. gtt. vj. x. vel xv. ſumat cum vino parat. *ex TR. croc. myrrh. aloes ad ſapæ conſiſt. redactis p. ij. & ſp. cran. hum. vol. p. j. Mſc.* omittendum putat *ſp.* 🜔 *acidum*, cum ob acidum fermentum in ſtomacho iſte vaporis aſcenſus & ſymptomatum productio fiat.

Hæc medicamenta ait, reliquorum uſum non impediturum & plane innocuum fore.

Die 12. Jun. 1679. Nob. Dn. Colonellam Lucernæ conveni. Quamprimum noctu in lectum decumbit, vertigo & fluctuatio adeſt, cuicunque lateri etiam ſi dorſo incumbat: ſedens illam non animadvertit: ſi bis terve hypocauſtum obambulet, nihil percipit, at ſi diutius illam continuet, protinus adeſt. Noctu anxietas & fluctuatio non amplius ſupervenit: os non amareſcit, nec vomit amplius; appetit: alvus aperta eſt. *Profuit D. D. de M. Decoctum pullaſtr. & clyſteres ex aq. tepida aut lacte cum ſacchar. Mell* turbas fecit. Conqueritur nunc imprimis de lumbagine, indeque fervorem caput petere ait, ſpiritus turbantem. Noctu hor. 8. dormit. Laudat *aq. cordial. D. Charas. Balſ.* ejus continuo odoratur. *Elixire* nondum uſa eſt.

D. 19. Jun. 1679. Deliberavimus cum D. D. Cyſato de acidulis concedendis: quas poſt menſtrua finita incipiat: ſuaſimus *pro purgante caſſ. Tabulas arom. ex amygd. N. M. cort. citr. acor. condit. cum cinam. ſantal. r. Pulverem aperitiv. ex Oc.* ♋. *crem.* ♀. ♀. ☽ *lat.* ⊖ *junip. &c.*

Die 20. Sept. 1679. ſcribit D. D. Cyſatus. Acidulæ apud D. Colonellam optimum habuerunt effectum, ita quidem ut ante prandium *Acidulæ* cum majore copia urinæ redditæ fuerint, & duabus horis cum dimidia libere abſque ſuſtentaculo obambulare potuerit, non ſine magno levamine totius corporis, capitis potiſſimum.

OBSER-

OBSERVATIO LXXX.

Vertigo tenebricoſa.

M*Atrona quædam Nobiliſſima, Uxor Nobiliſſimi Domini N. N. V. de H. Anno* 167?. tempore autumnali, tempeſtate pluvia per vias aſperas *Auguſtam Vindelicorum* proficiſcebatur, domum rediens circa Æquinoctium Autumnale vertigine ſat vehementi & capitis quadam debilitate corripiebatur: tunc mane inter horam 8. & 9. primâ vice circa oculum ſiniſtrum vibrationem (Zwizeren) quandam ac nebulam verſicolorem oculo obverſantem & per 2. P. N. durantem obſervavit, viſus inde obſcurabatur: Vertigo cum capitis debilitate ſine tamen notabili dolore ſolum ac ſi caput excoriatum & furunculis quaſi obſitum eſſet, continuabat. Triduo poſt eadem ſymptomata vehementiora & diutius durantia redierunt: tunc Menſes 14. diebus anticipantes erumpebant, verum nec ratione coloris nec quantitatis naturales erant; mox etiam ſubſiſtebant. Poſt tres dies prædicta ſymptomata vehementius diutiusque ac duabus prioribus vicibus *Nobiliſſimam Dominam* affligebant, inde ambo oculi multo tamen minus dexter, qui antea ſplendidi & lucidi erant, inſtar vitri opaci turbulenti fiebant cum notabili viſûs hebetudine: hac vice ſimul præcordia & abdomen cum continuis fere eructationibus inflabantur: ſequebantur defluxiones ad pectus cum tuſſi ſatis moleſta. Durante hoc affectu & per 5. ſeptimanas poſtea in capite large continuo ſudabat, oculi ſemper turbulenti fere manebant, quibus etiam tinnitus in aure ſiniſtra diu permanens accedebat. Circa ambo æquinoctia ut & utraque ſolſtitia poſtea circa oculum ſiniſtrum vibratio, nebula verſicolor, vertigo, capitis debilitas, ſudor capitis &c. redierunt, oculi tamen non, uti prioribus vicibus, tam turbulenti ſed lucidiores & magis ſplendentes conſpiciuntur: quoties memorata ſymptomata ingruebant, toties ſemper menſes aut mox aut poſt duos dies ſed ratione temporis, coloris & quantitatis inordinate fluebant. Biduo poſt nuperum ſolſtitium & hodie *Die*, 2. *Julii ſt. v.* denuò ſolita ſymptomata cum menſibus redibant hoc tamen cum diſcrimine, quod affectus quidem diutius ſed cum minori capitis dolore durarit, ubi *Domina Ægra* prioribus paroxyſmis his binis prægreſſis nec legere, nec ſcribere, aut alia munia obire potuerit, etiam binis his ultimis vicibus vertigo & aurium tinnitus mitiores erant: verum loco horum duobus ultimis paroxyſmis, triduo antequam affectus ipſam adoriebatur, in ſiniſtro tempore inſignes punctiones patitur, præſentibus ſymptomatibus per bihorium hæ remittebant, poſtea autem continuabant. Siniſter oculus multum alteratus debilis & juſto humidior eſt. Caput & oculi, ex quo hic morbus incepit, valde debilitati ſunt, ab hoc etiam tempore menſes ſemper inordinate fluunt.

Nobil.

Nobil. Domina Ægra eſt ſtaturæ longæ, corpulenta, & obæſa: facillime reſpirat nec ullum ob corporis obæſitatem incommodum aut impedimentum in pectore animadvertit. Eſt annor 46. in ſecundo matrimonio nunc vivit, hucuſque ſterilis eſt, niſi quod ſemel in primo matrimonio abortierit. Ad 26. ætatis annum menſes ſemper inordinati erant, ab uſu cujuſdam pulveris ordinatè ſtato tempore naturaliter ad hoc uſque tempus, quo hic morbus ipſam adoriebatur, fluebant. Per totam fere vitam coryzæ frequenter obnoxia erat, imprimis inſtantibus menſibus circa veſperam hæc moleſta erat, mox tamen evaneſcebat: ex quo hoc affectu corripiebatur rarius hanc experitur. In juventute etiam in primis matrimonii annis inflationes abdominis cum aliis uteri paſſionibus ſæpe permoleſtæ ipſi erant, à frigore facile tormina abdominis patitur, quibus calore medetur. Alias durante hoc morbo bene & naturaliter dormit, appetitus integer eſt: nec præter naturam aut extra tempus ſitit, etiamſi in capite multum ſudarit: alvus ipſi quotidie aperta eſt. Ex quo morbus incepit, ipſi eſt, ac ſi fumulus quidam aſcendendo & deſcendendo oculis obverſetur. A defluxionibus gingivæ tument, excretâ materiâ albâ tenaci tumor evaneſcit, tunc etiam dentes vacillant. *Hæc eſt morbi hiſtoria: conſilium & auxilium ab Excell. Tua inſtanter rogo.*

Tübingæ d. 12. *Jul. ſt. v.* 1674. N. N. V. de H.

Conſilium Medicum.

AFfectus *Nobiſſimæ Dominæ* à potiore denominandus inter vertigines numerandus videtur, quam etiam apud alios ſymptomata non raro varia comitantur, quæ plerumque ab una cauſa dependent: cujus generis quoque in hoc caſu videtur eſſe vibratio, nebulæ verſicolores oculis obverſantes, obſcuratio oculorum, capitis debilitas ac ſi excoriatum aut furunculis obſitum eſſet, tinnitus auris ſiniſtræ, temporis ſiniſtri punctio forte etiam gingivarum tumor ac dentium vacillatio, niſi forte dens aliquis carioſus affluxui anſam dederit: Etſi forte oculorum glaucoma eorumque maxime ſiniſtri humiditas nimia & fumi poſt tot inſultus nunc continuò objecti probabile reddant, vitium aliquod in ipſis oculis latere, attamen ſi accuratius omnia, quæ in ipſis paroxyſmis eveniunt & quæ poſt illos *apud Nobiliſſ. Dominam* ſuperſunt, expandantur, facile innoteſcet, profundius quam intra oculorum poma & quidem intra ipſos thalamos opticos maxime in ſiniſtro deliteſcere; id imprimis probat ipſa vertigo, capitis fere inexplicabilis debilitas, imo ipſum glaucoma ſeu jactura ſplendoris priſtini in oculis, nam nitor iſte amiſſus nec ophthalmiæ prægreſſæ, nec ſuffuſioni adſcribi poteſt, cum prioris nulla in caſu mentio facta fuerit, hæc vero ſi ſemel oculos occuparit

rit ac diu in oculis perſtiterit, nunquam penitus evaneſcat, imo potius indies excreſcat in majorem molem *medicamentis* inexpugnabilem, adeo, ut non niſi *acu* deponi, nunquam extrahi poſſit: Cæteras cerebri partes præter thalamos opticos non affligi credo, quia bene dormit & cæteras actiones animales rite obeat & præcipua ſymptomata, quæ illam perturbant, facultatis viſivæ vitiis vel maxime attribui debent. Cauſa proxima vertiginis & plerorumque reliquorum ſymptomatum videtur eſſe impedimentum quoddam motûs ordinarii ſpirituum animalium intra thalamos opticos maxime ſiniſtrum, ob quod partim in motum inordinatum aguntur, unde vertigo, vibratio, nebula verſicolor & capitis debilitas oboriuntur; partim intercipiuntur, ut non debita quantitate ad oculos influere poſſint, unde oculi lucidis radiis aliquomodo privati nitorem ſuum amittunt, & jam à longo tempore fumulus quidam oculis obverſatur continue: impedimentum hoc non videtur eſſe nudus aliquis fumus vel vapor, licet brevi tempore vibratio nebula & vertigo perdurent, ſed humor aliquis, nam poſt paroxyſmum per plures ſeptimanas nec legere nec ſcribere aut alia hujus generis munia perficere valet, atque oculorum obſcuratio non ſemel ultra plures ſeptimanas perſeverat. Humor iſte non eſt ſanguis vel extravaſatus vel intra vaſa ſtagnans inflammationem aut aneuriſma pariens, quia graviora & tantum non pernitioſa ſigna adeſſent, ſed ſerum ſeu lympha: hic enim humor aliàs cerebri inquilinus eſt & ſolus ita abſumitur, ut nulla vel exigua ſui veſtigia relinquat: hic etiam & thalamorum poros profundius ſubire & illos foras nimium madefacere valet, ut actiones, quæ in his perficiuntur, lædantur, quin quoque, ut vicinæ afficiantur, efficere potis eſt, unde tinnitus aurium, temporis punctio, gingivarum tumor, dentium vacillatio aliaque ſymptomata percommode derivantur. Non leve momentum ad hæc de humore aqueo perſuadenda addit Coryzæ, cui à primis unguiculis crèberrime obnoxia erat, ſuppreſſio à primo inſultu ad hunc uſque diem: glandula enim pituitaria, quæ thalamis opticis viciniſſima, aquam intra cranium effuſam nec reſorbere, nec extra cranium ſufficienter amandare videtur; quod *Lower de Corde* huic glandulæ non ſine ratione adſcribit: forſan quoque nihil hujus aquæ per os cribriforme ad nares ſtillat, *quod Williſianæ opinionis eſt.* Lympham hic culpandam quoque probat defluxio ad pectus in graviore illo paroxyſmo, in quo primum oculi obſcurantur, nam accedente tuſſi lympha magis magisque è profundioribus verſus nervum opticum propellebatur. Sero ſeu lymphâ abundare *Nobiliſſimam Dominam* evincent habitus corporis obæſus, vita ſedentaria, ætas, quâ menſes non raro ſubſiſtere aut minus ordinatè fluere ſolent, imprimis ſi admodum juvenculæ primum emanarint, ſudor capitis nimius, qui equidem non ſoboles eſt lymphæ in vel circa thalamos

effuſæ ; ſed potius portio ſeri ex maſſa ſanguinea effuſi in partes capitis ſubcutaneas, ſimulque fidem facit maſſam hanc ſero admodum abundare. Coryza frequens itidem de illius copia teſtimonium perhibet: forte *Venæſectione* vel ipſis oculis ejus redundantiam uſurpare licebit. Serum ad hæc loca primum præcipitatum fuit ab aëris inclementia, tempore autumnali 1672. *In itinere Auguſtano*, dum prohibita evacuatione per habitum corporis & cutim capillatam capitis retrorſum pulſum ad thalamos opticos partesque vicinas plus regurgitavit, quàm ut à glandula pituitaria reſorberi potuerit : poſtea rurſus hæc loca repetiit, quoties inſignis aliqua ejus deſpumatio, *ut Piſo de Morbis ex ſeroſa colluvie loquitur*, contigit, quæ evenit non raro circa notabiliores cœli mutationes, ſcil. tempore æquinoctiorum & ſolſtitiorum, imo etiam imminente vel præſente fluxu menſium, quandoque etiam alias ob cauſas frequentiſſime hanc deſpumationem quoque eveniſſe obſervavi, ſi æſtuante corpore ſubito perfrigerentur: Hanc ſeri effuſionem thalami partesque vicinæ eò lubentius admiſerunt, quia à primo affluxu labefactatæ & flaccidiores redditæ minus obſtiterunt, unde more aliarum partium nervoſarum ſemel læſarum, tot recidivis obnoxiæ factæ fuerunt. Uterum ad horum ſymptomatum productionem ſymbolum conferre probabile faciunt ſterilitas in altero matrimonio, unico abortu excepto, Menſes ordinatè manantes ad 26. ætatis annum; paroxyſmi invadentes vel paulo ante vel in ipſo menſium fluxu: ventris tormina & ſymptomata vere hyſterica ſi perfrigeſcat : quomodo vero id præſtet, ſane perobſcurum eſt : auram aliquam ad caput delatam hæc efficere ſupra negavi: quod ſi fieret, quia toti maſſæ ſanguineæ permiſceretur, alia ſymptomata excitaret (maxime ſi venenata foret, quod alias huic auræ tribuitur,) nam per totum cerebri ſyſtema diffunderetur : ut in re obſcura aliquid dicam, puto eatenus uterum concurrere, quatenus ab utero fermentatio, quæ imminentibus menſibus in maſſa ſanguinea contingit, exordium ſumit, unâque operâ deſpumationis author eſt ; deinde quatenus ſerum cum menſibus nunc parcius ac pridem ex maſſa ſanguinea eliminatur. Lien quoque accuſari poſſet, ſi certo conſtaret fermentationem in illo rite non peragi, ſique gingivarum tumor ac dentium vacillatio, certo ſcorbutica progenies forent ; quod ex aliis ſignis huic morbo propriis neceſſum eſt, ut plenius innoteſcat.

Symptomata hæc ſi crebrius & vehementius invaderent ſique negligerentur tandem guttam ſerenam, epilepſiam aut apoplexiam inferrent : ſi vero *congruis medicamentis* occurretur, non dubito illa expugnatum iri, cum per intervalla eaque ſatis longa *Nob. Dominam* invadant.

In hoc morbo ſeu hac ſymptomatum congerie aliud agendum tem-

tempore paroxyſmi, aliud extra illum. In paroxyſmo cavenda largior ſeri effuſio, & protinus ſpiritus animales refocillandi ſunt. Itaque *Nobiliſſima Domina* verſetur in aëre temperato: quantocyus à vino abſtineat, bibat *decoct. rad. chinæ vel ſimile quodpiam* palato gratum: veſcatur cibis facilis coctionis & boni ſucci: quietem amplectatur: ſpiritus animales reficiantur crebro *uno alterove cochleari hoc liquore pleno.*

℞. *Aq. flor. til. pœon. ceraſ. n ſine vino deſt. ana* ℥ij.
Spir. C. C. rectif. ʒj. *Eſſent. caſtor.* ʒß.
Tab. man. chr. perlat. ℥ß. *Mſc. d. ad vitr.*

Illiniri quoque poſſent vertex capitis, nares, tempora *Mixtura balſami ſuccini, rutæ, macis, nuc. moſch. &c.*

Quamprimum vibratio, nebula verſicolor & vertigo remiſerint, protinus ad cauſæ proximæ ablationem properandum erit. Nimirum ſerum circa thalamos opticos ſtagnans revellendum eſt, ſimulque partes læſæ roborandæ ſunt: itaque *purgarem Nobiliſſimam Dominam* ſemel in ſeptimana, donec omne glaucoma evanuiſſet *his pilulis.*

℞. *Extr. pilul. cochiar.* ʒj. *caſtor.* ℈ß. *Magiſt. jalapp.* ℈j.
Ol. ſuccin. alb. rectif. gtt. ij. ſpir. ceraſ. nigr. q. ſ.
Mſc. F. Pil. No. 45. *de* ☉.

Harum poſt duas horas à parca cæna 7. *vel* 9. *vel* 11. *pro doſi qualibet* aſſumere & poſt ſumtas lectum petere poſſet: mane citra graviorem capitis perturbationem alvum movent, ſerum à capite avellunt & evacuant: poſt reſtitutum oculis nitorem *harum pilularum doſin* ſemel in menſe ſcilicet ante vel poſt novilunium itidem duabus horis à parciore cæna deglutiat. *Vomitoria* nec neceſſaria ſunt, nec forte utilia, nam ventriculus hic inculpabilis & *Domina Ægra* egregie appetit, nec ſtagnantis in primis viis aut efferæ bilis ſigna adſunt: quamvis ſemel in paroxyſmo quodam ructus, fluctuationes & motus quidam ſplenetici putatitii ipſi moleſti fuerint, vix tamen horum flatuum tumultuatione cacochymiæ in primis vis exundanti adſcriberem, cum in cæteris paroxyſmis & extra illos de illa nulla ſigna in caſu memorentur: dein à violentia vomitûs humores magis verſus oculos protruderentur atque oculorum obſcuratio cum damno forte immedicabili augeretur: denique ſi omnino aliquid vitioſi in primis viis colligeretur, illud aliâ viâ educi poſſet citra noxam, aut accuratiore diætâ emendaretur, quod in cæteris paroyſmis factum fuiſſe non obſcure ex caſu colligere poſſum. Itaque omiſſis aliis evacuantibus præter dicta accederem ad illa, quæ ſerum abſorbent & ſimul genus nervoſum roborant. Parari poſſet *talis pulvis.*

 ℞. *Radic.*

℞. *Radic. Pœon.* ℥ß. *valerian. ſylv.* ʒiij.
Sem. pœon. ʒij. *Fœnicul.* ʒj.
Flor. euphrag. ʒiß. *C. C. phil. ppr.*
Ung. alc. pp. ana ʒj. ♁ii *diaphor. cum triplo* ⊕ *detonat.* ʒiß.
Cinnab. nativ. ſel. ʒj. *cryſtall. mont. pp.* ℥iij.
Tabul man. chr. perlat. ℥iiß. *Mſc. F. pulv.*
Doſis mane hora 6. & veſp. hor. 5. ſit ʒß. *vel* ℈ij. *cum aq. flor. tiliæ.*

Cubitum itura poſſet ſumere ʒj. *vel* ʒij. *hujus electuarii.*

℞. *Conſerv. roſ. rubr.* ℥iij. *majoran. flor. tunic. ana* ℥j.
Mithridat. Damocr. ʒj. ⊖ *vol. C. C. rect.* ℈j. *matr. perl. pp.* ʒj.
Cum ſyrup. de pœon. pauxill. Mſc. F. elect.

In principio paſtûs *pro primo hauſtu* ℥iiij. *hujus vini* ebibere poſſet.

℞. *Lign. viſc. quern.* ℥ß.
Rad. pœon. valer. ſylv.
Eryng. ana ʒiij.
Herbar. beton. roriſmar. ſalv.
Flor. pœon. cheiri ana. Pj. *ſem. pœon. fœnicul. ana* ʒj.
Macis ʒß. *cubeb. cardamom. ana* ℈j. ⊖ *juniper.* ʒij.
Inciſ. & contuſ. Mſc. lig. in nodul. ex ſindon, rubr. cui affundantur aq. fontan. fervid. ℔iij. *vini albi veteris* ℔vij.

Maſticatoria alias proficua ſuadere non auſim ob dentes vacillantes & gingivas tumidas: alias *Maſtiche* ſola maſticata open non exiguam afferret: præſtat tamen, ſi inquireretur num forte fiſtula quædam in gingiva lateret; dein ſi dentes vacillantes firmiores redderentur *collutione adſtringente ex Flor. roſ. r. balauſt. rad. biſtort. & ſimilibus. Fonticuli* admodum proficui forent quorum unus in brachio ſiniſtro, alter in pede dextro ſub genu in parte interna excitentur. Si guttæ ſerenæ periculum immineret, mature *ad ſetaceum* accederem. *Veſicatoria* aliàs multum quoque in revellendo præſtant: ſi crebrius rediret dolor temporis punctorius, illa non omitterem: applicari poſſent carpis. *Venæſectio* Vere & Autumno; & *ſcarificationes*, ſi his aſſueverit, alternis menſibus ante novilunium non licet intermittere.

Quamdiu *Nobiliſſima Domina* hujus morbi recidivam extimeſcit, imprimis aëris Anomalias declinet: veſcatur ſemper cibis optimi ſucci & facilis concoctionis: imprimis ſemper operam det, ut cæna ſit ſimplex & parca, nec unquam lectum petat, niſi duabus à paſtu horis: vina

vina ſulphurata ceu peſtem fugiat: nocentiſſimus quoque ſomnus pomeridianus. Et hæc ſunt, quæ mihi hac vice ſuccurrebant: ſi quid ulterius ad reparandam *Nobiliſſimæ Dominæ* valetudinem præſtare potero, monitus id lubenter faciam. *DEUS T. O. M. Conſilia Medica Nobiliſſimæ Dominæ ſalutaria eſſe jubeat.*

Scaphuſii d. 25. Julii ſt. v. 1674. Joh. Jacob Wepfer, M. D.

Scribit Nobiliſſimus Dominus Maritus die 12. *Auguſti* 1674. *ad verba in conſilio memorata, quibus aliquam explicationem addit ac ad quædam dilucidationem majorem expetit.*

Niſi forte dens aliquis carioſus &c.

§. 1. Neque dens carioſus adeſt neque fiſtula: caro vero gingivarum inferius magis tumet quam ſuperius: circa quosdam dentes conſumitur: quando inferius gingivæ plerisque in locis premuntur, prodit materia alba, quod jam ante aliquot annos incepit: nunquam genæ ipſi tumuerunt nec dentes doluerunt: tempore menſium maxime tument gingivæ, dentes prolongantur & vacillant ut evelli poſſent.

Reſponſum ad quamlibet theſin d. 15. *Aug.* 1674. *dedi.*

Quia dentis caries & fiſtula abſunt in gingiva: dentium vacillatio & mucus ſeu liquor ille albus, qui preſſis gingivis ex alveolis dentium emanat, certo originem trahent ab humore aliquo, qui nervorum ductum ſecutus, dentium ligamina laxat, reliquo in humorem cremori hordei ſimilem mutato: Indicium quoque cerebri affecti.

§. 2. Fumi nunc continuo objecti &c.

Obſcuritas oculis obverſans, ſcintillatio ac vibratio (Zwitzeren) tantum paroxyſmo præſente adſunt & durant ad 8. Pater Noſt. nuper fere ad quadrant. horæ durarunt: paroxyſmo ceſſante, oculi quidem alterati manent & humidi, ac palpebræ aliquantulum pruriunt, verum obſcuritas & ſcintillatio cum paroxyſmo ceſſant: at poſt paroxyſmum plerumque per unam horam magis quam per alteram muſcas parvulas oculis circumvolitare putat aut corpuſculum ſurſum deorſumque ſcandere opinatur; hæc tamen obverſatio per duos dies poſt paroxyſmum fortiorem minus, ante paroxyſmum vero fortius & diuturnius animadvertitur. Quod igitur poſt paroxyſmum validiorem neque legere neque ſcribere poteſt, non eſt in culpa oculorum obtenebratio in paroxyſmo graviore maxime ſiniſtri oculi, quia poſt paroxyſmum bene videt exceptâ illa obverſatione, ſed debilitas & capitis quaſi laſſitudo, ob quam ſtatim vertiginoſa fit atque inde viſus diſſipatur.

Reſponſum. Si fumi obſcuritasque non ſemper adſunt, ſed ſolum

tempore paroxyſmi, eo melius eſt & certius apud me argumentum, glaucoma & ſuffuſionem nondum oculos occupaſſe: at muſcæ parvulæ & corpuſculum ſurſum deorſumque ſcandentia oculis obverſantia tum ante tum poſt paroxyſmum; & vertigo ac capitis debilitas lectionem impediens poſt paroxyſmum evenientes indicia apud me certa permanent, cauſam non in oculis ſed profundius ſcil. in ipſis thalamis opticis & quidem in ſiniſtro magis quam in dextro hærere: niſi enim ibi hæreret, lectio &c. vertiginem nunquam efficeret, nec caput inde debilitaretur: aliàs malè omnibus literatis eſſet diu noctuque oculos legendo & ſcribendo fatigantibus.

§. 3. Verum eſſe nullam ophthalmiam prægreſſam nec ſuffuſionem adeſſe.

Reſponſum. Quia nunquam ophthalmia laboravit, confirmor in ſententia mea ſcil. corneam & humores intra oculos ſuum ſplendorem retinuiſſe.

§. 4. A tribus ſeptimanis quater ipſam paroxyſmus invaſit: duo admodum violenti erant. Prima vice menſes anticiparunt: 2da vice tribus diebus ante menſes. 3ia vice ſcil. in tertia ſeptimana menſes redierunt ſed parciſſime: ſanguis erat laudatiſſimus: durantibus menſibus intra 24. horas bis paroxyſmus advenit admodum fortis & diu durans, unde die ſequente *Vena in pede ſiniſtro ſecta* fuit.

Reſponſum. Paroxyſmorum frequentia & ultimorum vehementia argumento mihi ſunt debilitatem inſignem intus latere in thalamis opticis: niſi enim hæc adeſſet non tam facile ad ὀργασμὸν illum, qui menſibus inſtantibus in maſſa ſanguinea contingit apud omnes fœminas, ita caput turbaret, & niſi aliquid peculiare *apud Nobiliſſimam Dominam Matronam* adeſſet in cerebro, hoc non efficeret: aliis id matronis non evenit, quamvis eundem & forte ſæpius fortiorem orgaſmum experiantur. Debilitas autem hæc conſiſtere videtur in pororum quadam laxitate, ob quam promte thalami aliquid admittunt; fibrarum ſeu filamentorum minutiſſimorum, ex quibus componuntur, quique nervorum poſtea ſtamina ſunt, flacciditate & ad excutiendum impotentia, ob quam humores admiſſi ſtagnant: ſpirituum animalium motui legitimo impedimento ſunt, unde obſcuritas oculorum & vibratio oriuntur: & quia aliquandiu permanent, evenit, ut caput inde debilitetur & ſi legat &c. Vertigine corripiatur per aliquot dies poſt paroxyſmum.

§. 5. & 6. A diebus 14. ſomnum amittit: unde caput debilitatur. Tinnitus aurium fortior redit, qui fere remiſerat.

Reſponſum. Vigiliæ per 14. dies jam durantes & aurium tinnitus orientur ab una eademque cauſa ſcil. ſeu humore ſeu vapore medullam cerebri irrorante acriori, non ſuavi & blando, hanc ob cauſam ſpiritus

ritus

ritus animales non ſopit, ligat nec quietos eſſe permitt: quod fit, ſi ſerum ſanguinis ſalſius aut bile inquinatum exiſtat.

§. 7. Coryza jam ab aliquo tempore mediocriter redit.

Reſponſum. Coryzam pridem familiarem redire, bonum indicium eſt: nam hac ratione maſſa ſanguinea depuratur & non parum cerebrum onere levatur, ſive *Williſio*, qui per os ethmoides non parum excrementorum exſtillare putat, ſive *Lowero*, qui illa à glandula pituitaria abſorberi, credamus, ſive *Schneidero* aſſentiamus, qui neutrum quidem locum excretionis admittit: at hac ratione maſſam ſanguineam à ſuperfluo ſero depleri concedit.

§. 8. Poſt primos paroxyſmos per aliquot dies caput largiter ſudavit poſt paſtum aut tempore ſomni, quod poſt ultimos duos paroxyſmos iterum per tres dies evenit.

Reſponſum. Capitis ſudor non quidem evenit ab aqua ex thalamis cerebri aut ex toto cerebro ad partes ſubcutaneas ablegata: at indicio eſt deſpumationem ſeri in orgaſmo illo, qui menſes præcedit & comitatur copioſum fuiſſe nec ſolum ad interiora cranii ſed multum quoque in glandulas ſubcutaneas partis capillatæ capitis depoſitum fuiſſe, quæ glandulæ poſtea in paſtu & tempore ſomni à ſuperfluis per poros cutis, qui ductuum à glandulis his porrectis oſcula ſunt, ſe exonerant.

§. 9. *Medici Tübingenſes* in hoc affectu multùm accuſant lienem: nam dum primus maritus diu per aliquot annos æger decubuit & poſtea mortuus fuit; magna triſtitia afficiebatur.

Reſponſum. De liene multa dicere nequeo, quia, ut verum fatear, certum illius uſum ignoro & fermentatio illius mihi valde ſuſpecta eſt, maxime ſi illum ſine magna ſanguificationis aut œconomiæ naturalis perturbatione exſcindi poſſe conſidero: Hactenus ſanguinis ad hepar abituri diverticulum credidi, cui non major ibi mora, quam in alio quovis plexu arterioſo, quorum plures alibi in animalibus huic partim aliquo modo partim plane ſimiles exiſtunt: in quibus tamen fermentationem fieri nemo hactenus ſtatuere auſus fuit.

§. 10. Poſt mariti primi obitum magnâ triſtitiâ affectâ catarrhoſa fieri & gingivæ tumeſcere ac dentes vacillare inceperunt.

Reſponſum. Mœror ingens & diuturnus, quo affligebatur ob primi mariti morbum chronicum ſine ſpe reconvaleſcentiæ per annos durantem & tandem mortem ſubſequentem, procul dubio largam lachrymarum vim ſæpiſſime expreſſit & plurimas noctes inſomnes peperit; unde crediderim cerebrum potius quam lienem clanculum, imo tandem

aperte

aperte labefactatum fuiſſe: quod abunde confirmant catarrhi profuſiores & crebriores & gingivarum intumeſcentiæ & dentium vacillationes, qui effectus generis nervoſi potius afflicti, quam partis ad ſanguificationem ſpectantis: certe per mœrorem humoribus aquoſis in cerebro eique vicinis partibus via amplior pandebatur hoc pathemate, quam antidhac fiebat.

§. 11. In omni paroxyſmo urina eſt turbida cum multo ſedimento farinæ laterum ſimili.

Reſponſum. Urina turbata cum ſedimento farinaceo non eſt ſignum hujus vel illius partis magis afflictæ, ſed potius maſſæ ſanguineæ inquietatæ ſeu turbatæ & coctionis illius aliquomodo impeditæ ſignum: ideo ad leves quoque & non magni momenti alterationes contingit: certe ſcorbuti latentis ſignum certum non eſt, cum nec milleſimus talem urinam excernens ſcorbuto infectus reperiatur.

§. 12. Poſt paroxyſmum ſentit laſſitudinem oſteocopon in brachiis & pedibus.

Reſponſum. Dolor poſt paroxyſmum oſteocopus eſt effectus ſpirituum animalium interceptorum.

§. 13. §. 14. In ultimis duabus V. S. in brachiis ſanguis pulcherrimus erat absque multa aqua ſuperflua: unde putat cauſam occultam & ſcorbuticam latere.

Reſponſum. In ſanguine ultimùm emiſſo parum ſeri inventum fuiſſe non eſt argumentum illud lymphâ non abundare aut illud non poſſe p. n. in thalamis ſtagnare, quia etiam paucum quod eſt in ſanguine, poteſt circa partem cumulari, niſi per vaſcula lymphatica aut alios ductus excretorios via pateat, idque ob perpetuum ſanguinis motum, ob quem ſingulis momentis novæ guttulæ afferuntur & plures quidem tunc, quando in ſanguine eſt orgaſmus aut deſpumatio. Ideoque pulcherrimus & ſplendide rubeſcens ſanguis in ſubjecto hoc ægro cum his ſymptomatibus non indigitat ocultam aliquam qualitatem aut ſcorbuticam diſpoſitionem: neceſſario alia hujus morbi ſigna adeſſe deberent aut oſtendenda forent antequam *antiſcorbutica* exhiberentur.

§. 15. Quia veretur graviorem paroxyſmum tempore æquinoctii Autumnalis petuntur *præſervatoria.*

Reſponſum. *Præſervationis cauſâ* utatur illis, quæ in conſilio nuper ſcripſi, quibus nihil ſuperaddendum invenio, nec addam, donec de ſuaſorum ſucceſſu edoctus fuero.

Joh. Jacob Wepfer, M. D.

Nobi-

Nobiliſſ. Dominus ſcribit d. 29. *Septembr.* 1674. Duobus diebus *poſt uſum medicamentorum* affectus rediit primum in oculo ſiniſtro: poſt dies ſex in dextro: jam vero à quinque ſeptimanis nunquam, ſic circa æquinoctium præter ſpem bene habuit: & caput non dolet: oculi maxime noctu valde pruriunt, aut urunt & ſi ob pruritum oculos fricet aqua ſalſa effluit. Menſes quoque bis ſed anticipando ſcil. 3ia ſeptimanâ redierunt absque moleſtia. Ventriculus non bene concoquit, eructat & putat ægra multos vapores ad caput aſcendere cum moleſtia quadam. *Fonticulus* in pede nondum excitatus fuit, quia hunc abhorret, jam unum habet in brachio ſiniſtro: ſi poſſet permutari, ut in dextro poneretur eo lubentius ipſi eſſet; non tamen refragabitur, ſi *Fonticulus* in pede plus conduceret. Quia *menſe Julii Vena ſecta fuit in pede* an pro conſuetudine autumnali *Venæ ſectio* repetenda? quando & quoties *ſcarificatio* inſtituenda? quamdiu *pulvere, electuario, vino medicato, pilulis & cæteris medicamentis* paroxyſmum avertentibus pergendum ſit? interea perget hiſce. Urina ſemper flammea eſt & quando turbatur ſubſidet farina lateritia.

Reſpondi d. 10. *Octobr.* 1674. *Pulv. elect. & vin. medic.* continuet uſquedum ſolſtitium præterierit. *Pilulas* nunc ſumat bis in menſe non amplius ſingulo octiduo. Dum enim urina rubeſcit & facile turbatur ſignum eſt maſſam ſanguineam multo ſale abundare; unde etiam oculorum pruritus: huic medetur *gr. j.* ☿♎ *in aqu. ſolan. roſ. alb. ana* ℥*iij. parum coct. & per chartam emporet. filtrati*, quâ ſubinde oculos abluat. Menſium anticipatio nihil mali indigitat. Ventriculi ructus & aggravatio capitis non fit ab aſcenſu vaporum per gulam ad caput, quæ impoſſibilis, ſed nimis cita potulentorum diſtributione, quæ quoque libenter admittunt vaſa cerebri laxiora. Ructus indicio ſunt aliquid in & circa ventriculum latentis incendii. Concoctio debilior efficeret alvum ſolutiorem aut ructus diu cibos redolentes, quandoque etiam vomitum crudorum aut ſemicoctorum. Si incendium lateret, ructus & capitis moleſtiæ augerentur. V. S. autumno, quia illi aſſueta, celebrari propediem poterit, ſed non ſit nimis larga, quia nimiæ ſanguinis profuſiones capiti noxiæ. Quia molem corporis vaſtam hactenus reſcivi, mallem ut *fonticulum* in pede adhuc omitteret, niſi aliud neceſſitas ſuaſerit. *Scarificationem* alternis menſibus inſtituat triduo ante vel poſt novilunium nulla ſignorum habitâ ratione. Propter ructus & æſtuationem à paſtu vinum aqua diluat. Cæna ſit parca.

Circa initium anni 1675. Colicâ ſpaſmodicâ laboravit, quam *D. D. Screta* me tunc febri maligna decumbente, tractavit, quæ *à medi-*

camentis demulcentibus, clyſteribus mitigantibus, pulvere nervino, externis inunctionibus &c. devicta fuit.

Die 1. *Martii* 1675. *ſcribit:* affectum capitis ab ultimo inſultu ſemel eumque exiguum hactenus perpeſſa eſt: libera eſt à vertigine aliisque capitis perturbationibus. Menſes ordinate fluunt. Poſt colicam primum pes dexter, poſtea ſiniſter intumuerunt imprimis circa malleolos & in dorſo pedis cum multis puſtulis, quæ plurimum puris fuderunt, quæ nunc evanuerunt, manente tumore, ſed minore, maxime veſperi, minus mane & fere nullo. Cætera optime habet. An tumori & qualia medicamenta applicanda.

Reſpondi nulla medicamenta applicanda: rem omnem naturæ committendam: ipſaque det operam diætæ accuratæ.

Die 28. *Septembr.* 1675. *per Dominum Candidatum Medicinæ Joh. Georgium Gmelinum ſcribit, Nobiliſſimam Dominam Conjugem optime hucusque ſe habere ac pancraticè vivere, propterea de cura feliciter peracta gratias egit. &c.*

OBSERVATIO LXXXI.

Phrenitis à Rhabarbaro.

NOb. & Reverend. quidam Canonicus N. N. Ætatis ſuæ 30. annorum. *Menſe Auguſti* 1686. incidit in febrim tertianam notham, ſumtis *aliquibus medicamentis* ab ea ſublevatus fuit, ita ut videbatur totaliter reſtitutus, cum paroxyſmi omnino ceſſaverint, ab illo tempore tamen uſque in hodiernum diem nunquam totaliter reſtitutus exinde apparuit, quod penitus color & habitus corporis nunquam redintegratus exſtiterit. Interea converſationibus etiam lautioribus epulis intereſſe non intermiſit, adeo ut bilis de novo dominium reſumſerit multasque incommoditates ex ea paſſus fuerit: & quum præſertim *die lunæ* 27. *Januarii* 1687. *proxime præterito* nauſeabundum ſtomachum haberet, neſcio quo ſuaſore, accepit ℥ij. *Rhabarbari in ſubſtantia*, ex quo aliquas dejectiones quidem habuit, ſed humores adeo exaſperabantur, ut poſt acceſſionem febrilem caput totum eryſipelate obtegeretur. *Die* 29. *Januarii* inceperit aliquomodo delirare, adeo ut facile perſuaderi potuerim portionem bilioſi ſanguinis ad interiora cerebri arcana delatam fuiſſe: interea *ſanguis è brachio eductus fuit*, adeo ut *d.* 30. *Jan.* aliquo modo melius ſe habuerit. *Die* 31. *Januar.* omnia iterum exaſperabantur & ſemper plus delirare incepit. *Hodie die* 3. *Februarii*

Delirium

Delirium cum ſummo furore exercet; ad interim *hirudines poſt aures* applicatæ fuerunt, *enemata partim refrigerantia & demulcentia partim ſolutiva* applicata fuerunt: *pulveres præcipitantes & cordiales* in uſum venerunt, *Julapiis & emulſionibus* fervorem bilis retundentibus continuo potabatur, nec non hodie *veſicatoria ad brachia* adhibita fuerunt *concurrente mecum & conſultante Excell. D. D. Cyſato.* Cum autem *Nobil. Familia Rev. Dni* incolumitatem ſumme flagitet, *Excell. Dominationem Veſtram* enixe rogat, ut calculum ſuum apponere velit, quid ulterius ad ipſius reſtitutionem faciendum ſit, quod & ego ſummopere rogito, qui ero

Die 3. Febr. 1687.

Exc. Veſtræ adſtrictiſſimus
Ruſconi, M. D.

Literas iſtas accepi die 17. Febr. 1687. Soloduri ubi tunc commorabar.

Reſpondi Soloduri die 22. Febr. 1687. Affectum eſſe phrenitidem quæ in perfectam maniam tranſire poſſet: febris continua, eryſipelas capitis & delirium cum furore id teſtantur, quod etiam occaſio morbi confirmat, ſcil. *Rad. Rhabarb.* ℥*ij. in ſubſtantia* ſumtæ, à quibus non ſolum bilis ſed etiam tota maſſa ſanguinea ſumme exagitata fuit tandemque ad caput delata, non ſolum eryſipelas ſed quoque inflammatio Meningum excitata fuit. Morbum aggreſſi ſunt, *iis remediis*, quæ ipſemet ſuaſiſſem *ſc. V. S. hirud. applic. veſicat. pulv. præcipit. cordialibus, Jul. refrigerant. emulſ. clyſter. refrig. & laxat.* quibus alias morbus iſte expugnatur niſi profundiora cerebri petierit. Verum quum, ex quo datæ fuerunt literæ, 19. dies præterierint, quo nunc in ſtatu R. D. ſit, ſcire nequeo, ſi adhuc in vivis ſit atque adhuc ferociret viresque conſtarent, ſuaderem *Arteriotomiam primum in uno tempore & poſt unum alterumve diem in altero tempore:* Eſt ſecura, ſi in extrema parte verſus ſynciput inſtituatur, *imponatur pulv. ſanguin. ſiſtens ex farin. Molendin. Bol. terr. ſigill. pil. leporin. minutim conciſis, thur. cum album. ovi ſubact. & pulvillo ex filamentis carptis inductus tegatur quadrante thaleri & bene obligatur.* Deinde *potui ordinario multum lapid. prunellæ* immiſceatur *ſc. Menſ. j. ad* ℥ß. *ad* ℨ*vj. imò* ℥*j.* ſi lingua ſcabra, detur *emulſio amygdal. dulc.* large bibenda, nam mire humores demulcet *add. ſem. fr. major.* ſi vires adhuc conſtarent, darem quoque *opiata:* nam à ſomno ceſſat & miteſcit delirium e. gr.

℞. ♁ *diaphor.* ℨ*j. Matr. perlar. ppr.* ℨß.
Lapil. ♋. *C. C. ph. ppr.* āā. ℨ*iß.*

Lap. Bezoar. or. ℈ß. *Laudan. opiat. perlat. gr. iiij.*
Sacch. alb. ℥vj. *Mſc. F. Pulv.*

Doſ. ſingul. 8. *hor.* ℈j. *vel* ʒß. *c. emulſion. amygd.*

Veſicatoria vix quicquam amplius præſtabunt. Alvus aperta ſervetur *clyſteribus refrigerantibus.* Victus ſit refrigerans plane.

D. 16. *Martii* 1687. *D. D. Cyſatus ſcribit.* Literas *Soluduro* in tempore adhuc traditas fuiſſe, *pulvis abſorbens cum Laud. opiato* ſomnum blandum attulit, inde delirium multum remiſit, *Decoct. C. C. uſti cui lap. prunell. in larga doſi immixtus*, conduxit, *ut & emulſ. amygd. d. cum ſeminib. fr. major.* ſenſim ſenſimque ad ſanam mentem reductus eſt, ut *Arteriotomiam* non opus habuerint.

OBSERVATIO LXXXII.

Amor inſanus.

Caſus hic transmiſſus à D. D. Wilhelmo Chriſtiano Küeffer Argentorato d. 27. Jul. 1681. Æger eſt ex Magnatum numero qui cauſam hujus amoris ſcire avet & modum, quo ab illo liberari poſſet.

MAgni Nominis quidam Vir 46. circiter annor. Temperamenti ſeroſi, quod ex habitu corporis graciliori, cute candida, capillis colore inter flavum cinereumque ambigente præditis conjicio, ſingulari erga quendam ſuorum *Miniſtrorum* flagrat amore, qui pariter inſtructus ſatis virtutibus rerumque notitiâ & peritiâ ætatis 50. circiter annor. quem amorem per tres jam annos fovit, ut pro re à natura exorbitante non crediderit, imo perſuaſerit ſibi potius, eſſe quandam animi propenſionem, quæ facilius hoc quam aliud toleret ſubjectum, quæ vero amandi *Miniſtrum* cœca *Dominum* pepellit ratio, eadem & in illo erga hunc mox prodidit ſeſe, *Dominus* mutuo affectu lætus unice in id incumbebat, quomodo, ſine tamen aliorum præſcitu, maximam temporis partem *cum Miniſtro* terere valeret, ex quo conſortio mutua reciproci amoris confeſſio orta; hi ſe invicem amando ita decertabant, donec miniſter febri ardente, qua tandem periit, corripiebatur; qua durante febre *Dominus* maximos patiebatur dolores, ægrotum ſæpius clam viſitabat, metu ne ſimili afficeretur morbo *Miniſter* nihil tam libenter, quam *Domini* præſentiam ferebat, donec ſemel ſe invicem oſculantes deprehendebantur, ex quo, ut *Dominus* domi ſe cuſtodiret,

ſtodiret, ſerio proviſum. *Dominus* vix conclave ingreſſus, ac ægrotans moritur & *Domino*, ut ipſi videbatur, apparet; *Dominus* mox hoc facto in tantam proſternationem adactus, ut *Aulici* lætum aliàs ipſius animum non ignorantes, & de ipſo fore crederent. *Dominus* maxima inſtructus prudentia, ita callebat celare animi pathemata, ut nemo cauſam ſubitæ hujus mutationis agnoſcere poſſet. Imo *Medici ipſi* judicabant jam febri laborare Hungarica. Continua idcirco ipſum affligebat triſtitia, nec quicquam erat, quod ipſius poterat exhilarare animum præter defuncti effigiem, quam ſemper ſecum habebat & cum qua tacita quaſi habebat colloquia: ſtatim ut oculos clauſit, videbatur ipſi, ſe ſentire mortuum ad latus ipſi decumbentem, quod ſæpius terrorem horroremque incuſſit tam ingentem ut famuli excubias agentes opem laturi ſubito ipſi appropinquaverint. Inter hæc malum indies ingraveſcebat, adeo ut nil præter mortem deſideraret, nec medicinam porro volebat haurire, ſed paſſim ægrotantes periculoſo morbo graviter decumbentes inviſebat, ſpe ſe contagio fore correptum. His ita ſe habentibus *Medici* credebant ſubeſſe aliquam melancholiam; hujus rationem forte ignorantes mutationem aëris ſuaſerunt, quam tentare noluit ob amorem ſolitariæ vitæ & erga viduam liberosque defuncti. Tandem huic conſilio morem gerens *Venetias* ſe contulit, ubi per aliquot ſeptimanas commoratus quum eſſet, ſequens æque ſatis mirandum ei obvenit. In area namque *S. Marci* quidam obviam factus *Nobilis* defuncti effigiem exacte repræſentans, cujus amore mox captus nihil præter ipſius efflagitabat amicitiam, quam etiam obtinuit: *Nobilis* vero viciſſim tanto *erga hunc Dominum* flagrat amoris æſtu, ut *Medico* rem ſuam detexerit, qui *eundem Dominum* tractabat, *Medicus* rem patefacit *Domino*, hic eam ipſi fatetur, quod ſcilicet jam quietus quia defuncti effigiem in alterius viventis perſona intueri poſſet; & quamdiu *Venetiis* commorabatur, ſine animi mœrore vitam agebat, mox vero ac hinc diſceſſit, prior rediit morbus. Inter abſentes hinc inde ſcribuntur literæ lamentationum plenæ, ut vix penes quem major triſtitia ſit, ſcire poſſes. *Quæritur unde hoc malum proveniat & quomodo ſit tractandum?*

Reſponſum quod D. 9. *Auguſti* 1681. *dedi.*

AFfectus iſte Amor inſanus eſt, quia tanto viro indignus & indecens & procul dubio actionibus abſurdis comitatur, quia mœrorem parit ſanitati nocuum & in omnibus actionibus torpidum ac negligentem facientem procul dubio non ſine gravi damno œconomiæ regiminis &c. Hic quidam cauſantur maleficia, quibus tamen non multum tribuo, faſcinat magis blanda converſatio.

Objectum ex mente, quod tanto affectu proſequitur, excutiendum, obliterandum aut illi contrarium imprimendum, imo efficiendum ut odio habeat: quoniam vero morbus animi eſt præcipuè, *remedia* arripienda, quæ hoc animi vitium corrigunt. Illa ſuppeditat abunde *Theologia*, & ſi forte hæc minoris faciat, *Ethica* plura ſuggeret: his abundant *Libr. de Remed. Amoris Ovidii & Petrarchæ*: nec deerunt *Conſiliariis*, magni momenti auxilia, fuga ſollitudinis & abſtractio ab hoc objecto, quæ conſervando, ludendo, exercitiis equeſtribus &c. conſequi poteſt.

Medicamenta purgantia, alterantia & auxilia ex Chirurgia non multum præſtabunt, niſi alia corporis aut humorum vitia illa poſtulent. Novi fruſtra à multis his ſategiſſe: pro forma tamen quædam ſuggeri poſſunt, ægrisque perſuadendum certò profutura: quæ talia excogitentur, quæ reliquo corpori nullum damnum afferre poſſunt. *Illuſtriſſimo cuidam S. R. I. Comiti phantaſma menti perpetuo inhæſit ſibi in ſomno aliquando ſubitam mortem obventuram, unde quamprimum oculos clauſit, magno terrore ſuccutiebatur. Fruſtra varia evacuantia, alterantia etiam narcotica præſcripta: obſervavi cætera ſanum: ſuaſi aquam cordialem temperatam: juſſi ut audacter dormiret: id pollicebatur ſe facturum: abii, rediit nihilominus terror, quum intellexiſſem illum propter meum diſceſſum territum fuiſſe, tota nocte ipſi clanculum adſtiti, & quum animadvertiſſet, me diligenter ipſum obſervare ac contra mortem repentinam remediis inſtructum eſſe lateri incubuit, ſuaviter dormivit pluribus horis, expergefactus delirium agnovit & convaluit, cùm per plures menſes ante mire angeretur.*

Revend. quidam P. in Monaſterio quodam Benedictino in mœrorem incidit gravem, putans ſibi indignari Dominum Abbatem: à mœrore quoque credidit, ſe memoriam amiſiſſe & hinc ad omnia inutilem. Dedi pulverem ſimilem ſpecieb. lætificant. Galeni, quem ad roborandam memoriam valere ſcripſi: inde brevi convaluit.

)o(

OBSER-

OBSERVATIO LXXXIII.

Erotomania.

Ampliſſime & Excellentiſſime Dne. Fautor plurimum colende!

NUper Biennâ, quo rei domeſticæ causâ profectus eram, huc reverſus, transmiſſam exercitationem medicam, hactenus avide deſideratam, de loco affecto in Apoplexia &c. Illuſtriſſimus Dominus Cancellarius à Montmolm mihi tradidit: propterea gratias ago maximas.

MErcator hujus loci integerrimus Dn. N. N. pridie in ædibus meis me convenit, petens, ut nepotis ſui affectum cum mentis alienatione copulatum examinarem & totam hiſtoriam *conſultandi gratiâ Exc. T.* mitterem. Caſum in adjuncta charta deſcriptum habebis, quid ad curationem obtinendam agendum, quidque de eventu ſperandum ſententiam meam in reſolutione ſubjunxi, quam lubenti animo, *menti Exc. T. ſummâ experientiâ & eruditione præclaræ* ſubmitto. *Maneo*

Ampliſſ. Excell. T.

Neocomi Helvetiorum d. 21. Martii 1691.

Omni ſtudio & obſervantia addictiſſimus
Grojan, M. D.

Hiſtoria Morbi.

FIlius Domini N. N. Mercatoris hujus civitatis, ætatis 23. annor. cujus Avus & Pater aliquali mentis imbecillitate laborarunt, ſtaturæ proceræ, habitûs corporis quadrati & carnoſi, coloris pallidi, cujus venæ ſunt amplæ, cutis copioſis lentiginibus conſperſa, capilli ruffi; per annum aut ultra *Baſileæ* apud Mercatorem commoratus, toto illo tempore ſpecimina optimæ indolis & eximii ingenii exhibuerat, ſenſim deperit amore virginem hoſpitis ſui cognatam; hoc domeſtici advertentes animi gratiâ in propoſito eum confirmant, ut ſtrenue in eo pergeret, incitant, ſpem indubiam fulgere, ſibi redamato ab amaſia, hanc uxorem repoſcenti, parentes non negaturos eſſe; hic matrem ſuam & Avunculum de capto amore virginis & viciſſim de amore reciproco per literas certiores reddit, verum nullum reſponſum ad miſſas literas recipiens, huc præcipiti itinere advenit, totum negotium exponit, cognati illum ludibrio haberi ipſi reſpondent & circumſtantiis monſtrant: ille ex reſponſione minus contentus, mœſtus diſcedit *Baſileam* petiturus, in itinere hæmorrhagiam, cui non obnoxius erat, largiſſimam patitur,

patitur, *Baſileæ* uno vel altero die poſt adventum, gladio cinctus & flagellum manu tenens paſſu gravi per plateas continuo ambulat, obvios flagello leviter quidem percutit, domum deductus *Dnum Hoſpitem* alloquitur, ſat diu illum herum fuiſſe ait, nunc oportere, ut ipſe etiam vices Heri agat; horâ cœnæ ipſe primus menſæ aſſidet, locum Heri occupat, cibos appoſitos diſtribuit, domeſticos objurgat & alia hujusmodi inſolita committit: poſt ſenſim iracundior fit, adſtantes oculis truculentis aſpicit, quo viſo *D. D. Bauhinus* accerſitur, curæ ejus committitur: interim ſpatio 5. vel 6. ſeptimanarum impetu furoris diminuto *Biennam* deducitur, ibique *curæ Chirurgi* committitur, ubi *crebris V. S. & decies repetitis purgationibus* in tranquillum ſtatum reducitur, adeo ut vinculis ſolutus libere per ædes obambulare potuerit; verum nemine advertente opportunitatem evadendi perſpiciens clam ſe ſubducit & *Muratum*, diſtans *Bienna* 5. horis, aufugit, poſt moram aliquot dierum ſponte *Biennam* redit, nullis furoris indiciis apparentibus res ludicras narrans & agens: ante tres ſeptimanas *à Chirurgo præfato* huc advectus in eodem ſtatu fere in hunc uſque diem apparet, *Chirurgus V. S. purgationibus & decoctis ſibi conſuetis* continuat ſine notabili affectûs diminutione: per intervalla magis & geſtibus ſigna mentis alienationis prodit, extra acceſſus ad interrogata ſat appoſite reſpondet, præteritorum recordatur, admonitus ineptias ſuas agnoſcit: febris omnino eſt expers, appetitus viget, ſitis naturalis, noctu placide dormit & de nulla moleſtia corporis conqueritur. Parentes de eventu hujus affectûs ſolliciti implorant auxilium.

Reſolutio.

AFfectus, quo Adoleſcens detinetur eſt delirium, nam quæ non ſunt, eſſe & quæ ſunt ſiniſtrè ſibi fingere dictis & factis exprimit, & quidem Melancholicum, ſiquidem triſtitia & taciturnitate eſt comitatum. Pars affecta eſt cerebrum ſecundum ſubſtantiam, poros & ſpiritus, id quod probant prava imaginatio & judicii vitium, functionum ſpir. animalium in cerebro læſiones. Cauſa procatharctica fuit amor conceptus erga virginem, qui ſollicitudine perpetua, hinc vigiliis protractis comitatus ſpir. animales conſumſit, ex quo, fermento digeſtivo ventriculi non ſatis ſpirituoſo facto, alimenta non debite fermentata fuerunt, chylus in inteſtinis non rite à fœcibus alvinis ſecretus & verſus cor propulſus, nec ut decet, ſanguificatus; unde ſanguis crudus nimium viſcidus, acidus adeoque minus ſpirituoſus, volatiliſatus exiſtens, non ſolum paucam materiam in ſpiritus animales converti aptam; ſed minus etiam defœcatam, continens, cauſa ſunt antecedens: ſpiritus vero animales ex tali ſanguinis dyſcraſia acida, plus minus viſcida,

cida, inquinati, fibroſam cerebri ſubſtantiam permeando, conſpurcando & irritando, ſimul perturbati & motu plus minus inordinato acti cauſa proxima ſunt delirii hujus Melancholici. Quid autem agendum? ut hic juvenis ab affectu diuturno liberetur, monſtrant ipſum delirium, hujus cauſæ & cerebrum affectum. Ipſum delirium expoſcit auxilium mentem aberrantem in viam rectæ rationi convenientem reducens, quale ſunt tum rationes ingenio, inclinationi & moribus accomodatæ cum artificio & prudentia aſſentientes, tum perſuaſiones aliquo modo contrariantes. Cauſæ poſtulant remedium has convenienter corrigens & extirpans, quod pro varietate cauſarum varium exiſtit, putà amorem conceptum & ſollicitudinem animi evellens; fermentum ventriculi iners & vitioſum, ac hinc productum ſanguinem, viſcidum, acidum & quaſi fixum, acuens, corrigens, incidens, temperans & volatiliſans; ſpiritus animales à craſi ſua ſulphureo-volatili deflectens; craſſos, obſcuros, in motu ſuo naturali perturbatos temperans, attenuans, volatiliſans, & motum ordinatum iis reſtituens: Cerebrum quoad ſubſtantiam ſeu texturam naturalem & mechanicam conformationem labefactatum reſtituens, roborans. Hos ſcopos aſſequi arduum mihi videtur: adeſt enim alienatio mentis cum triſtitia & taciturnitate, antehac non ſolita, comitata, hæreditaria, etſi ante paucos menſes occaſione cauſæ externæ excitata & nunc tantum interpolata; tamen diſpoſitionem jam ante & materiam ſeminalem hujus affectûs intus latuiſſe ſuſpicari licet: cum vero nulli ægrotanti auxilium petenti illud denegandum ſit, ideo quænam fontes medici ordinarii *Pharmacia, Chirurgia & Diæta* ſuppeditent, videndum. *Quoad Pharmaciam* remedia inde deſumta modo ſequenti adminiſtrarem: ab initio ſordes primarum viarum incidentia & detergentia exhiberem ex his aut aliis ſimilibus compoſita.

℞. *Oculor.* ♋. ℈iiij. ♀ ⊖*lat.* ʒß. *Mſc. F. pulv. divid. in* 3. *doſ. mane horis tribus ante prandium & veſp. hor. duabus ante cœnam in vehiculo calido propinandus;* vel ſaltem ⊖ ✳ *puriſſ.* ſubſtituerem, hoc aliquot diebus reiteratis vicibus uſurpato; ad mucum viſcidum, acidum, parietes ventriculi incruſtantem, reſolutum eliminandum *vomitorium ſequens* præſcriberem ℞. ♀ *emet. gr. iij.* ⊖ ✳ *depurat.* ℈ß. *Mſc. F. Pulv,* in juſculo carnis ſumendus, aut hujus loco *ſequentem potionem purgantem* ordinarem.

℞. *Fol. ſenn. ſ. ſ.* ʒij. *rad. zingib.* ℈j. ⊖ ♀ ℈ß. *inciſa & contuſa infunde per noct. in aq, menth.* ℥iiij. *mane in colatura diſſolv. Gumm. ammon.* ℈ij. *Extr. rad. Hellebor. nigr. gr. viij. Mſc. F. Pot. ſummo mane tepide exhibenda.*

His ita præmiſſis & pro neceſſitate reiteratis progrederer *ad ♂lia*

potentia ant-acida, item ad coralliata & ſimilia alia abſorbentia in hâc vel aliâ formâ aſſumta.

℞. *Croc.* ♂ *ex ejus limatura & crem.* ♀ *parat.* ℥ß. *corall. r. ppr.* ʒij. *Myrrh. r. ſel.* ʒß. *ambr. gryſ.* ℈ß. *cinnam. acut.* ʒß. *Mſc. F. Pulv. De quo mane trihorio ante prandium & veſp. ante cœnam* ʒß. *vel* ʒj. *cum pauxillo potus ordinarii exhibetur. aut* ℞. ♂. *cum ſucco pomor. parat. ad gtt. xx. vel xxx. bis in die uſurpandam* præſcriberem; *plura alia remedia* in tali affectu convenientia hinc inde *apud Practicos* occurrunt. *Celeberrimus Dnus Etmüllerus* valde commendat *♄nina & ☽naria, ☿rea volatilia & camphorata,* quæ pro ratione ſymptomatum hunc affectum comitantium cum ratione in uſum vocari poſſunt: dum hæc & alia ſimilia æger uſurpat, curarem alvum liberam ſervari, exhibendo, quoties natura in officio deficeret, ſingulis ſeptimanis *doſin pilul. laxat. ſylv. Serum lactis caprini*, utpote alcali volatili turgidum hoc verno tempore proficuum eſſet, imprimis *Plantis* ⊖ *volatili abundantibus alteratum*: His per unam alteramve ſeptimanam uſurpatis, ad ſanguinem viſcidum, acidum ulterius incidendum, edulcorandum, in debitam fermentationem, hincque naturalem ſpirituaſcentiam reducendum accederem *ad alterantia volatilia plus minus aromatica*, quæ ſimul uberiorem tranſpirationem & urinæ excretionem promovere ſolent; inter quæ commendarem *ſpir.* ⊖ ✳ *aromat. ſp. carminat. de tribus liquor. C. C. ſuccin. &c.* idque eo magis, quia talia quoque cerebrum roborare valent: illud conſervando in ſtatu debito, quoad ſubſtantiam & conformationem, ejusque incolas ſpiritus animales nova luce radiante donando. *Chirurgia* hac vice nullas mihi ſuppeditat materias convenientes, cum enim ſaltem evacuationibus & quidem magna ex parte ſanguinis ſatisfaciant, non video, quare hic adhibenda ſint: ſanguis enim ſerumque potius ſui correctionem & alterationem, quam evacuationem poſtulant. Dum jam deſcripta adhibentur, diætam commendarem mediocrem, attenuantem acidum nimium infringentem: quare aër eligatur temperatus & lucidus. Cibus boni ſucci, facilisque coctionis: potus ordinarius *ptiſan. ex lign. Saſſafr. aut rad. chinæ, paſſul. min.* pro lubitu edulcorat. Aut vini rubelli multa aqua diluti. Motus corporis frequentior moderatus tamen ante & poſt paſtum: ſomnus vigilias ſuperans: alvus libera: animus immunis ab omnibus affectibus, præcipue ab iis, quorum cauſa in affectum, quo laborat incidit; ut ſunt amor, ſollicitudo, mœror & ſi qui ſint alii animum perturbantes & præterita in mentem revocantes. Hiſce, ut decet, uſurpatis, ſi non curatum, tamen multum levatum iri ſpero ægrum.

Grojan, M. D.

Reſpon-

Reſponſum Soloduro Neocomum miſſum.

AFfectus videtur Erotomania ſive delirium cum furore aliquomodo junctum, ex amore nimio natum, dum ſpemque metumque inter variæ ſpecies, ideæ aut imagines, cerebro impreſſæ appetitivam varie impellant & ad actiones & ſermones abſurdos ac à recta ratione alienos impellunt: à ſpe actiones cum hilaritate peraguntur, à metû & denegatâ re cupitâ cum furore & mœrore mixtæ emergunt & ita confuſæ, ut vix ſatis penetrari poſſint: nam *Baſileæ* actiones jam magis furioſæ quam timidæ obſervabantur; & *Biennæ* tales ut vinculis coërceri debuerit ac ab illis ſolutus, auffugerit. Tales ut plurimum memoriam ſalvam retinent, unde præteritorum, imo etiam injuriarum tempore paroxyſmi illatarum recordantur *Medicosque* quandoque *odio Vatiniano* proſequuntur, quod potiſſimum in paroxyſmis produnt. An ab hac animi perturbatione maſſa ſanguinea depravata multum fuerit aut chylificatio labefactata? valde dubito, quia appetit: non ſitit: bene dormit, & de nulla alia moleſtia conqueritur, licet *V. S. & tot purgantibus* multifariam vexatus quoque fuerit.

Affectus curatu difficilis, quia ab animi pathemate exordium ſumſit, quod difficulter tollitur eoque magis quia Avus & Pater imbecillioris mentis fuerunt. Non tamen negligendus videtur. *Empirici* hæc abſurda è cerebro excutere conantur *crebris V. S. fortioribus purgantibus, quandoque flagris,* ſed ex ſtultis inſaniores reddunt. *Non procul à nobis in Suevia quidam Empiricus haut incelebris homo ſatis crudelis Maniacos capillis arreptos ex lecto avulſit, illosque ſurſum deorſumque per hypocauſtum traxit cum levamine aliquando: Præterito anno à febri delirus ipſe homo factus, à proprio Filio è lecto tractus ſurſum ac deorſum per hypocauſtum juxta conſuetam ipſi methodum ductus fuit & convaluit præter omnium expectationem.* Verum talia non ſuaſerim.

Methodo in Reſolutione *abs Viro Excell.* memorata tractari tutius poterit: licet nulla adhucdum magna cacochymia adſit, attamen non de nihilo erunt *acidum caventia & corrigentia ♂ialia & coralliata &c. Spir. animales reparantia* ex quibus perplacet *liquor. C. C. ſuccinatus: Pot. laxans*, inprimis vere *ſerum lactis caprini plantis appropriatis & antiſcorbuticis alteratum* conduceret. Spem ſucceſſus pollicetur ſomnus placidus noctu, qui aliàs in his deficit: ab illo ſopiuntur furores, imagines pravæ obliterantur. *Unum addo, me unum alterumve ad meliorem mentem per Dei gratiam perduxiſſe Turpetho minerali.* 1. *doſis gr. iij.* 2. *doſ. poſt diem tertium gr. iiij.* 3. *doſ. poſt diem* 4. *ſint gr. v. in hac doſi*

continuo per aliquot dies ſed tantum alternis diebus exhibendo, uſque dum ſalivare inceperint : poſſent includi pauxillo theriac. in forma pil Ante aliquot annos Filius meus Joh. Conradus M. D. Ruſticum Maniacum Turpetho minerali hoc modo exhibito feliciter curavit, pro potu ordinario dedit emulſion ex amygd. dulc. & ſemin. cannab. confect. Vinum huic ægro penitus denegarem, hujus loco bibat *Ptiſanam &c.*

Soloduri d. 29. Martii 1691. Joh. Jacob Wepfer, M. D.

OBSERVATIO LXXXIV.

Mania.

R*Ever. Dominus N. N.* 45. ſtaturæ mediocris, carnoſus & obæſus. Ante annos circiter 18. caſtratus fuit : ante 17. annos occaſione litium Forenſium maniacus factus, ſomno comparato *ab Opiato* poſt triduum integram mentem recuperavit; ab illo tempore quidem febribus intermittentibus & continuis afflictus fuit, ſed nihil maniaci obſervabatur. *Menſe Octobris* 1687. prægreſſo horrore & ſubſequente æſtu, correptus fuit eryſipelate dextræ poſtea ſiniſtræ tibiæ: pedes valde intumuerunt, applicabatur primum farina ſecalis, emerſerunt veſicæ: *Empiricus* der Rägiſswyler adhibuit *unguentum :* diu non recuperavit priſtinam valetudinem. *Anno* 1688. *Menſe Januarii* paſſus eſt defluxionem ad humerum ſiniſtrum. *Die* 27. *Januarii* mane hora 9. in media celebratione in ipſa elevatione tremore correptus fuit : è templo rediens præ tremore vix juſculum comedere potuit: poſtea emerſit delirium furioſum, quod noctu incrementum ſumſit, ac ſingulis horis magis invaluit ac continuavit *ad* 30. *Januarii, quo ipſum conveni:* nunquam noctu dormivit, niſi per horam *à Laudano opiato* aſſumto. Ab eryſipelatis invaſione inprimis ultimis 14. diebus ante inſultum quiete dormivit. Præceſſit quoque hunc inſultum indignatio quædam & tædium ob quorundam diſſolutam vitam. Jam diu bibit vinum generoſum *Alſaticum,* ſed non ultra menſuram dimidiam & rariſſime ſe inebriavit. Aliàs magno zelo ſemper in legendo & orando admodum occupatus fuit jam ab annis. Poſt primam maniam Melancholicus plane evaſit, ut de ſalute dubitaret, & angeretur, quod non poſſet ſufficientia bona opera facere.

Die 30. *Januarii mane dedi Tartari emetici grana ij.* unde vomuit, ſed non enormiter aliquot vicibus mucoſa &illioſa : dejecit bilioſa viſcida

viſcida & craſſa. Urina paulò tinctior eſt: facies non impenſe rubet: naſus pallet. Delirium à primo inſultu hucuſque continuum fuit; in illo cœlum, terram, infernum, ſacra, profana, peregrina, domeſtica omnia miſcet, ſine ulla cohærentia: fratrem agnovit, ſed mox in avia abripiebatur: interdum rythmice loqui incepit: loquitur *Latine*, *Italice*, *Germanice*: cantat ſubinde & concionatur, attendit ad loquelas adſtantium & reſpondere conatur, ſed abſurde quandoque cum furore aliquo. Si ſibi relinquatur, ſubmiſſius plerumque loquitur, quandoque tamen in furorem erumpit atque alta voce exclamat. Manet in lecto, ſubinde ſe erigit, brachia ad cœlum extollit, aut illa jactat, neminem tamen percutere adhuc conatus eſt: ſubinde lachrymas fuſurus videtur. Parum bibit, nec edit, niſi cibus offeratur & quaſi obtrudatur. Monitus urinam mittit, ad alvum ſtimulatus matulam petiit. A medio noctis ad 11. antimeridianam nunquam dormivit: continuo deliravit, aliquando ſubmiſſe loquebatur & ſecum muſſitabat.

Poſt abitum meum valde tumultuavit non dormivit ad ſecundam noctis, quamvis biberit *emulſionem cum Laudani gr. ij.* Pulſus evaſit fortis, largiſſime ſudavit. Delirium crevit, *à vomitorio* adhuc quinquies dejecit. Urina craſſa & rubra erat, credit febrim augeri: in lecto detentus fuit hucuſque. Continuavit ſudor *d.* 31. *Januarii* ad horam tertiam matutinam, & aliquantulum dormivit, inde mentem integre recuperavit, recordabatur ſe deliraſſe: adhuc mente valebat horâ matutinâ, quod per expreſſum *Nobiliſſ. Dominus Frater Lucernam* mihi tunc ibi commoranti ſignificavit. Urina poſt ſudorem miſſa pallida erat.

Reſolutio.

Ægrum delirare patet ex loquela in qua conjungenda disjungit, diſjungenda jungit, multa abſurda effutit, actiones abſurdas perpetrat: eſt cum furore, nam ſubinde fortiter exclamat, ſubito ſe erigit, ac ſi adſtantes invadere vellet, quamvis hactenus neminem læſerit nihilque laceraverit: quicquid agit aut loquitur, cum vehementia quadam agit. Delirium eſt forte nam horis *66.* diu noctuque loquitur, exceptâ unicâ horâ, quâ dormivit: obliviſcitur ſomni, cibi & potûs & excretionum naturalium. Non febricitat, quamvis urina paulo tinctior ſit & pulſus paulo frequentior, ob continuas vigilias; nam attactu non fervet & ſtatim à primo morbi inſultu delirare cum furore cœpit.

Cauſa ſpecies in memoria aſſervatas ita confundens & ad furorem ſtimulans eſt humor bilioſus, nam hoc per vomitum & alvum dejecto mitior evadere cœpit.

Humor ergo bilioſus educendus, maſſa ſanguinea attemperanda, & ut ſpiritus quietiores rurſus reddantur ſomnus provocandus eſt.

Suaſi itaque I. *Purgetur* ♀ *emet. gr. ij. vel pulv. rad. belleb. alb. pp. à gr. xj. ad gr. xv. aut turpeth. mineral. à gr. iij. ad v.* II. *V. S.* Sexto quoque die, qua non ultra unc. vj. vij. vel ſi vires ferant, unc. viij. educantur. III. Somnus concilietur *emulſione amygdalarum dulc.* cui alternis noctibus *add. gr. ij. Laud. opiat. perlat.* IV. Spiritus exhilarentur *hoc julepo.*

> ℞. *Aq. Borrag. Bugloſſ. Meliſſ.* ãã. ℥ij.
> *♁ii diaphor.* ʒj. *Nitr. perlat.* ℈ij.
> *Confect. Hyacinth. c.* ʒj. *ſyr. papav. err.* ℥j. *Mſc.*

V. Cibi ſint juſcul. carn. pruna, pruneolæ, poma cocta : carnes minutim conciſæ & ſucco citri irroratæ. Potus ſit *decoctum C. C. uſt. cum lapide prunellæ & paſſulis.* Quietus teneatur quantum poſſibile.

Antequam mentem *d.* 31. *Januarii* recuperavit, largiſſime ſudavit & flatus fervidiſſimos frequentiſſime per anum emiſit, ut adſtantium unus retulerit; illos ſibi in manu ardorem excitaſſe. Sudorem & ardorem præcipue adſcripſit *Pulveri,* quem ante abitum *menſuræ aquæ fervidæ* immiſi *ſcil.* ℞. *♁ii diaphor.* ℈iiij. *bez. min.* ℈j. *Mſc.*

Die 1. *Febr.* 1688 *ſcripſit Dominus Frater,* duabus horis ſatis congrue locutus eſt, non tamen plene : Heri à 9. ad 11. antimeridianam ſuaviter dormivit : expergefactus mente conſtabat, ſed timidus erat; rogabat, ut ſi moriendum eſſet, hoc ipſum non celarent: paulò poſt dicebat ſe jam mortuum eſſe & in hac imaginatione dormire cœpit ab hora 1. pomeridiana ad quartam uſque veſpertinam, expergefactus inquietior fuit, ſed non ut prægreſſis diebus; poſtea in omnibus obſequens erat. *Die* 2. *Febr.* mane in ſomno horâ tertiâ muſſitavit, poſteà blande dormivit : alvum apertam habet. Urinam mane ſummo flavam, tenuem copioſe emiſit, in qua ſubſidit ſabulum ruberrimum.

Reſpondi. Quia urina non eſt flammea *d.* 3. *Febr.* emittantur ſanguinis unc. vj. ſi deliret *d.* 5. *Febr.* dari poſſet ♀ *emet. Pulverem,* quem reiteravi *ex ♁nio diaphor.* infundat *potui ordinario.* Pergatur *julepo & ſyr. refriger.* Noctu detur *ſola emulſ. amygd.* ſi non dormiat, *pilul. narcot. Num.* 2. ei permiſceantur alternis noctibus : quietus teneatur : non multi peregrini ad ipſius alloquium admittantur. Adhuc puer ſemper ſolitudinem amavit.

Die 17. *Martii* 1688. *D. D. N. N. ſcripſit,* illum hactenus dilucida intervalla habuiſſe, meis omiſſis uti nunc *Empirici operâ* & nunc penitus maniacum eſſe.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXV.
Mania.

F*ilius Cancellarii cujuſdam Auſtriaci* 22. annorum: ſtaturâ brevis, aſſiduus in ſtudiis, adeo ut noctes etiam inſomnes *Coloniæ & Parmæ* traduxerit. *Parmæ* præter *Philoſophiam* etiam *Jura*, *Geometriam & Muſicam* didicit indefeſſâ induſtriâ: *Exercitiis* quoque *equeſtribus ſcil. ſaltationi, equitationi &c.* vacavit. Obſervabatur in juvene jam aliqua melancholia ſeu animus ad hilaritatem minus compoſitus: mire ambitioſus & avarus erat. *Romæ Menſ. Octobr.* 1680. jam maniæ & delirii quædam indicia præbuit: in caupona duos *Gallos* ſclopeto vulneravit: in diverſorio ſclopeto commenſalem transfigere intentavit, verum pulvis pyrius nullam flammam concepit. Tum temporis imaginabatar abdomen ſuum plenum diabolis eſſe: *Helvetium* cum bipenni pedi ſuo infixum eſſe & erectum ad caput pertingere: dicebat corpus ſeu ſpinam craſſam oblongam ex hypogaſtrio emergere, paulo poſt tamen illud ſe ſubducere atque abdominis cavum repetere. *Romæ* propter exploſa ſclopeta in carcerem conjectus fuit; *à Cardinali Pio* liberatus *Bozam* miſſus fuit: vix miliaris Germ. diſtantiâ *à Boza* gladio nudo comitem itineris *à Cardinali* adjunctum adortus eſt, & quinque vulneribus illatis illum trucidavit. Ob facinus increpatus & paulo poſt in judicium vocatus, negavit ſe ulli hominum injuriam intuliſſe, multo minus quempiam gladio necaſſe, fatebatur tamen ſe diabolum enſe transfixiſſe. *E carcere Bozano* liberatus in itinere aliquoties ſe ex Rheda præcipitare voluit, quod non ſemel pronus feciſſet, niſi compedibus chalybeis conſtrictus fuiſſet; poſtea verberibus mulctatus abſtitit ab hoc auſu domum uſque. Ibi ſimulavit, ob patris reverentiam & metum verberum aliquam animi tranquillitatem. Sæpe appoſite *Dno Parenti* ad quæſtiones juridicas propoſitas reſpondit, ac ſe non ſuperficiarie in Jure verſatum oſtendit. Prompte *Italam, Gallicam & Latinam* loquitur; delirium tamen ſubinde in his prodidit, dum dicebat ſe caſtrandum & teſticulis orbandum eſſe, ut in virum magni pretii & æſtimationis evaderet; ſe nullo modo Monachum vel Canonicum fore, affectare ſe potius ſummos militares honores: hinc non niſi gladios & ſclopeta loquitur & affectat. *Die* 9. *Aprilis* 1681. *D. P. Bruntrutanus*, qui ipſum *Romæ* jam delirum noverat, poſtquam à ſorore intellexit ipſum nunc mente compoſitum eſſe, eundem inviſit; quamprimum ſolennem ſalutationem abſolvit, D. P. invaſit, gladium cum vagina ex cingulo vi eripuit, illumque ſtringere conabatur, quod ob rubiginem contra-

ctam.

ctam præſtare nequiit: ſimul dicens, nunc tempus, ut lis antiqua, quæ tamen nulla unquam fuerat, duello decerneretur. Evulſo è manibus gladio amicitiam rurſus ſimulavit, blande reſpondit & ſana loqui videbatur. A longo tempore nullum vinum bibit: ſubinde delira loquens ſævere increpabatur, imo etiam verberibus mulctabatur, unde multa præcipue propter metum D. Patris occultabat.

Die 12. *April.* 1681. *ipſum conveni*. pallidus erat: apprehenſa firmiter tenuit, toroſus & muſculoſus, caro firma, manus madidæ, vox vehemens & audax, oculi truces & obtutu fixo præditi, congrua aliquandiu loquebatur, mox diſputare mecum cæpit, negavit ſe teſticulis præditum eſſe, id ſyllogiſmo probare conabatur, nimirum ſe parum ſeminis & quidem guttatim ac non niſi in ſomno ejicere; cum dicerem vel minutam copiam evincere teſtes adeſſe, acquievit; mox haud obſcure prodidit ſe ſexum fæmininum amare, verum nec occultum ignem nec remedium latentis morbi agnovit. Appetit bene, non impenſe ſitit: dormit & in multum diem in lecto permanet. Pollicitus eſt ſe lubenter *medicamenta* aſſumpturum, verum nulla ad poſteriora admiſſurum; quibus *Hæmorrhoidum apertionem & clyſterum uſum* recuſare videbatur, quæ *Bozæ* ipſi ſuadebantur.

Suaſi 1. ut ſemel in ſeptimana *pulv. hellebor. alb. ppr.* incipiendo *à gr. xj.* daretur quocunque ingenio poſſit in cibo. 2. ſumeret mane *nuc. jugl. magnitudine de hoc Elect.*

℞. *Conſerv. roſar. r.* ℥ij.
violar. nymph. āā. ℥j.
Pulv. ſequent. ℥ß.
Confect. alkerm. c. ʒj.
Syrup. violar. parum. Mſc.

℞. *C. C. ph. ppr. Ungul. alc. ppr.* āā. ʒiij.
Ocul. ♋. *pp.* ℥ß. *Diaphor.* ♃*al*, ʒiij.
Cinnab. nativ. ʒiß. *Corall. r. pp.*
Matr. perlar. pp. Lap. Smaragd. ppr. āā. ʒß.
Mſc. F. Pulv. ſubt.

3. ſuperbiberet *juſcul. alterat. fl. viol. lactuc. nymph.* 4. *Vena ſecaretur ante Novi- & Plenilunium.* Victus ſit ex eupeptis & boni ſucci. Potus ſit *decoct. radic. nymph. flor. violar. borrag. bugloſſ. Paſſul.* Blande tractetur & ſenſim ad tranquillum animum reducatur: cuſtodiatur tamen probe, ne ſibi vel aliis nocuus ſit. Non verberetur, niſi ob facinus quoddam. Mentionem quoque feci *Acidularum Deinaccenſium.*

Die 14.

Die 14. *Aprilis* 1681. In conſortio bene ſe geſſit: multum dormivit: queritur de laſſitudine ſpontanea. Poſt ſomnum quietus erat, at multum ſecum muſſitavit, verba non intelligebantur.

Die 4. *Maji.* Ter hucuſque *rad. helleb. alb.* data fuit: *V. S.* citra virium debilitatem. *Conſerv.* nondum uſus eſt. Delirat adhuc in hoc, ſe nolle Sacerdotem fieri. Sanguis erat ſplendide rubeſcens, ſerum ſufficiens. *Die* 5. *Maji* quærit libertatem in omnibus, maxime in publicum eundi: affectat arma, militaria loquitur, à quibus antea abhorruit: in ſermone ab una re ad aliam ſaltus facit.

Die 13. *Maji. Scribit D. Simon* ſe meliora ſperare. *D.* 1. *Jun.* Hactenus ſingulo octiduo *Helleborus* datus: ſemel *V. S.* ſecunda vice *V. S.* admittere noluit, tenebatur à quinque viris, unde valde excanduit & dentibus ſtridebat: phantaſia adhuc durat de Sacerdotio. Ad *Electuar.* perſuaderi nequiit. An *Acidulæ Ripplif.* conveniant, quia ad *Deinaccenſes* ablegari nequit? *Helleborus* jam ſexta vice datus ſine ſucceſſu, quamvis bene evacuarit. *Vena in fronte ſecta* ℥*vj.* emiſſæ; ſanguis erat ſplendide rubeſcens in ſuperficie, inferne niger, leypothymia imminebat. *Die* 8. *Junii* emaciatur: hilaris eſt; chelyn pulſat: delirium de Sacerdote manet: Martialia loquitur & amat: neminem læſit; non tamen fidere ipſi licet.

Reſpondi: Non deſiſtendum ab uſu *Hellebori*, quia cætera faſtidit *medicamenta & Deinacum* proficiſci non licet, dentur *Acidulæ Ripliſav. cum ſyr. pap. err. de rub. Id. pap. alb.*

Die 11. *Decembr.* 1682. *Ipſum conveni:* Mania minus violenta eſt: ab abſurdis actionibus flagris deterretur: probe dedolatus monitionibus obtemperat, meticuloſus fit. Nunc amore inſano ardet: nuper domo *Baſileam* cucurrit, & ancillam ſcortum ſuum quæſivit: objurgatus dixit, ad quid ſibi conceſſa ſint virilia, niſi iis uti concedatur. *V. S.* horret; diu *Helleb.* non datus fuit: à vino arcetur.

OBSERVATIO LXXXVI.

Mania.

JOh. *Rudolff de N.* ætatis 32. annorum: habitûs corporis gracilis, facies eſt citrini coloris, pili ſubfuſci: laborioſus eſt in prædiis & venationi deditus: non multum dormit, plerumque demum mane, nunquam poſt meridiem: alvo eſt conſtipata, & frequenter demum d. 2. vel 3. ſolvitur, fœces duræ: in urina non eſt defectus, erat

pallida cum ſedimento farinaceo : hæmorrhagiæ narium ſubinde obnoxius : ægre ſudat. Ante d. 8. *Vena ſecta fuit.* Cibum parce appetit, magis potum; bibit vinum album, quandoque excedit; ſpirit. vini non amat : à potu aquæ bene ſe habuit, inprimis ſi jejunus bibat, inde magis appetiit, quietior fuit, melius dormivit, bibit mane ad Libr. 2. & noctu ad Libr. 1. non amat cibos ſalitos, in butyro frixos, at aromatizatos : non vomit, niſi excedat : nulla tormina patitur, dolet tamen ſubinde in hypochondrio dextro, & flatus moleſti ſunt. Pulſus eſt naturalis & reſpiratio facilis. Inſomnia ſæpe terrifica patitur de caſibus &c. non furioſa : nunquam vertigine, raro cephalalgia corripitur: aures non tinniunt, externis ſenſibus valet ut & memoriâ : ſubinde laſſus eſt. Ante 14. annos per 16. ſeptiman. paſſus eſt febrim intermittentem. Maniam à biennio incepiſſe obſervatum eſt ex dictis & factis, ſcil. profuſione multorum verborum cum vehementia ; celerius enim & vehementius ſolito loquitur, quandoque abſurda, protinus tamen errorem agnoſcit, antea erat paucorum verborum & placidus in ſermone : temere equitavit & cum vehementia, tranſiliit ſæpes, correctionem tamen admiſit. Servum gladio percuſſit, ſed culpam protinus deprecatus eſt. Cognatum violenter invaſit, crinibus apprehendit ſine cauſa, cum ipſum antea chariſſimum habuiſſet & adhuc habeat. Liberalis atque prope prodigus eſt. De Philtro ſermo fit *Baſileæ* ſuggeſto, quod tamen alii in dubium vocant : nuper ancillam ſupprimere voluit vi quadam, & mentionem ſæpe facit *Amaſiæ.* Ante annum *cum Lenzburgenſi* bibit, ſequebatur inde brevi delirium, ſuſpicionem habuit circa principium hujus anni *de Sagis*, quæ equum paralyſi affecerint *Menſ. Januar.* 1682. Conſultus de re aliquandiu obmutuit, poſtea abſurde reſpondit : eſt iracundior ſolito, iratus jurat quod antea nunquam fecerat.

Ex relatione D. Felicis Nüſcheleri Parochi ibidem.

PArens ipſius quoque ad iram pronus erat, facile tamen tranſiit : æger eſt poſthumus, duriter fuit educatus N. negligenti aut aberranti ſuſpendio ex feneſtra minabantur, unde mire territus fuit & perturbatus adhuc puer; hinc pervenit *in Aulam Caſſellanam* admodum juvenis & *Brandeburgicam*, tandem *Galliam* adiit. Redux regimen *cum D. Matre* ſæpe non ſine indignatione adminiſtravit : ultimis annis ſæpius contentiones graves obortæ fuerunt. Quamvis toto die hinc inde curſitaret, nihilominus rem domeſticam neglexit : ſæpe diu ſecum muſſitavit, tandem plerumque in verba & facta abſurda erupit non ſine furore aliquo. Quæſitus de re aliqua non ſtatim reſpondit, & poſtea plerumque

rumque abſurda. Iratus minabatur ſibimet *αὐτοχειρίαν*, aliis cædem gladio, ſclopetis: annuentibus favit, negantibus iraſcebatur. Aliquando ſine ratione omnes oves coemere voluit. Utcunque furibundus ſit, nihilominus timet & adverſariis blanditur. Putat *Amaſiam inſtar Meliſinæ* incantatam, cui pollicetur liberationem. Maxime furiebat *Menſ. Januar.* 1682. *& nunc Menſ. Majo*, plerumque circa Novilunium.

Reſolutio.

MAniaci aliquid ſubeſſe ex multiloquio cum vehementia quadam frequenti actionibusque non ſine ferocia præſtitis patet. Cauſa proxima videtur ſpirituum animalium fervor quidam; nam ſi aquam bibit, melius appetit, dormit minusque ferocit: forte compotationes & neglecta Venus huic anſam dederunt. Quia malum nondum inveteratum nec ad ſummum gradum pervenit, curabile erit.

Fomes fervoris ſpirituum ſubtrahendus. 1. *Purgantibus*

℞. *Rad. polypod.* ℥ß. *Scorzon.* ʒiij.
Cort. rad. Cappar. ʒj.
Herb. meliſſ. fumar. ling. cervin.
Flor. borrag. buggloſſ. ãã. *Pj.*
Sem. Citr. ʒj. *Aniſ.* ʒij.
Fol. Senn. ſ. ſ. ℥j. *Rhabarb. el.* ℥ß.
Agaric. alb. ʒij. *Tamarind.* ℥iß.
Paſſul. Corinth. ℥ß. *Cinam. ac.* ʒj.
Mac. ʒß. *Cremor.* ♀. ʒiß.

Coq. in lagen. ſtann. cum ℔iij. *aq. fontan. per hor. j. Colet. citra expreſſionem. Doſis mane* ℥vj. *add. ſyr. roſar. ſol. ſ.* ℥ß.

2. *V. S. alternis menſibus poſt Novilunium*, alternando in brachiis & pedibus.

3. Bibat *Acidulas* quamprimum *Spadenſes vel Swalbacenſ. vel Villancurtenſes* per 4. ſeptimanas.

4. Detur *Diaphoret.* ♃*ale vel in forma pilul. cum ſucco fl. nymph. inſpiſſat. ſuperbibendo juſculum his flor. vel borrag. bugloſſ. alterat.* vel miſceatur *cum conſerv. roſar. bugloſſ. borragin. ſuperbibendo idem juſculum.*

5. Cubitum ituro detur *Emulſio amygd. d. cum ſem. papav. alb.* 4. *fr. maj. vel Emulſio ſem. Cannabin.* quâ *D. Werenbeck Argentinæ* Maniacum curavit.

Victus ſit refrigerans, humectans: vitet vinum, bibat *decoct. hor-*

dei vel flor. nymph. cum paſſul. Nunquam relinquatur ſolus, nec ad iram provocetur. Alvus aperta ſervetur cibis laxantibus, *Clyſteribus emollientibus ex juſcul. c. ol. Lin. mell.*

Si nimium ferociat, *Helleboriſmus* arripiendus, detur *bis in menſe ſcil. ante Pleni-& Novilunium*, primùm *à gr. xj. in juſcul. artocreis, emulſionib. cum conſ. roſar. in farciminibus.* Si *mitius purget* dari poterit *ad gr. xiij uſque ad xv.* Si furor magnus, detur *ſemel in ſeptimana. Poſt Novilunium ſingulis menſibus Vena ſecetur.*

OBSERVATIO LXXXVII.

Melancholia.

JOhannes Pfeiffer, Beringenſis 64. annorum ſtaturæ juſtæ, gracilis, caneſcens, cutim duram ac prope aridam & ſtrigoſam in artubus habens, colore fuſcus. A puero laboribus duris, pauperiem fugiens & maleſuadam famem, legitimum victum acquiſivit. Cibi erant non optimæ notæ, juſcula ex farina avenacea in aqua elixa, paſtæ farinaceæ elixæ, olera, coagulum ſeu acidum lactis, carnes ſuillæ fumo induratæ quandoque & fere ſolùm ſemel in ſeptimana, potus plerumque aqua. Non indulſit nimium & ſæpius poculis, nec niſi irritatus contentioſus fuit. Pie vixit, diligenter templum frequentavit & attentiſſime auſcultavit, ac domeſticos ad pietatem excolendam ſerio admonuit neminique ſcandalo unquam fuit. Vixit 44. annis in matrimonio, 9. liberorum parens. Vir ſimplex & potiſſimum operas ſuas ruſticas curans, adeo ut quum à paſtore aliquando interrogatus eſſet, quo nomine uxor veniret, prorſus ignoraret atque ſe ſemper Nigram ſuam appellaſſe ediceret. Ante 28. annos ſemel febricitavit, morbus duravit 8. ſeptimanis : ab illo tempore ſemper bene valuit. *Anno* 1675. ophthalmiâ correptus fuit in utroque oculo, quorum tamen unus magis quam alter afficiebatur. Tum acceſſit *Agyrtam quendam*, qui pro ſoſtro, antequam quicquam præſtitiſſet, ducatum popoſcit, quem dare renuit, at duos pollicitus eſt, ſi ab ophthalmia vindicaretur. *Agyrta* propinavit *hauſtum vini ex cyatho*, quo epoto ſtatim male in abdomine habuit, & poſtea ſæpius hunc hauſtum, non ultimam malorum ſuorum cauſam, incuſabat : quum brevi poſtea fæniſecium attentaret, à medio opere ceſſare cogebatur, nec ab illo tempore ſolito more ad autumnum uſque labores ruſticos ſuſcipere & perficere valuit : querebatur potiſſimum de ventris moleſtia, anxietate quadam, ophthalmia, quibus quandoque etiam vertigo acceſſit. Ab autumno 1675. vineas excoluit, ligna fidit aliasque operas ruſticas, ſine querelis uſque

ad

ad Dec. 1676. peregit. *Circa feſtum Nativitatis Servatoris noſtri* vertigine tenebricoſa ſubinde correptus fuit & ſe ubique male habere dixit, non expreſſis doloris aut moleſtiarum nominibus aut locis. Hic valetudinis labaſcentis ſtatus perduravit ad ver 1677. tunc vites rurſus putavit; operâ hac peractâ omnibus laboribus ruſticis nuntium miſit & paulo ante paſcha ultimo templum adiit, quod antea diligenter adire ſolebat. *Menſe Febr.* 1677. Hypocauſtum perambulans mire manus verſavit & perfricuit ac lanam è colo inſueto more carpſit, unde ipſum non bene mente valere nurus marito indicavit. *A menſe April. uſque ad Menſ. Junii* 1677. perfricando & verſando manus pergebat, conquerebatur de dolore ſuræ ſiniſtræ, interea toto die hypocauſtum perambulavit; triclinio ipſum incumbente dolorem augeri referebat, repetiit ſimul querelas de oculis, edit interea & bibit; in lecto decubuus minus doluit & noctu dormivit. *Menſe Junio Filius* ipſum convenit, ipſi precibus altâ voce præivit, quas repetere etiam monitus detrectavit; unde valde perculſus fuit; quam ob rem *Parochum* adiit ejuſque auxilium petiit: die ſequenti ipſum *Dominus Parochus cum Prætore* loci convenit, ac idem precationibus cum illo tentavit, quas tamen edere aut prævias imitari noluit, exhortationes & increpationes reſpuit, thoracem lineum arripuit, hypocauſtum perambulando vibravit & circumgyravit inſani inſtar, adeo ut adſtantes terrore percuſſerit. Tum temporis dicebat ſe horrendum facinus commiſiſſe, nempe cum gallina rem habuiſſe, id quod hactenus crebro repetiit. Poſtea quoſdam ex liberis pugnis dedolavit, capillos eorum evulſit, quoſdam non attigit: increpatus ob facinus pernegavit ſe hoc facere ſed alium hoc efficere aut aliunde impelli. Illo tempore *præſtigiator quidam & apoſtata Bernenſis, inquilinus Opferzovianus* operam ſuam obtulit: poſtulavit urinam ægri, quam vitro indendam & cyſti omnibus rimis accuratiſſime obturatis includendam imperavit, prædixit hoc faſcino magam compulſum iri, ut ſe coram ægro ſiſteret, ni ex urinæ ſuppreſſione rumpi velit, ſi in vivis adhuc exiſtat, ſecus ſi fiat, ſe nihilominus ægro integram valetudinem impertiturum. His legibus addidit urinam 9. diebus in cyſti vel arca detinendam: quod cum adſtantes non obſervaſſent & die 7. illam jam fœtidiſſimam eximiſſent, ipſis ſiniſtri eventus culpam imputavit: attamen ut à culpa immunes eſſent denuo arcæ urinam novem diebus includunt & *ex præſtigiatoris monitu* ſibi caverunt, ne ulli quicquam de hac inſuper præſcripta conditione effutirent. Æger ſummopere hunc nebulonem averſatus eſt, nec aſpectum ejus perferre potuit, dicens neminem ſibi opem laturum *præter Deum omnipotentem.* Ex quo *præſtigiatori* obtemperare cœperunt ejulare incepit & de ſæviſſimis doloribus plerumque alternis diebus conqueſtus

conqueſtus eſt. *Idem* quoque *pulverem quendam gryſeum* aſſumendum dedit, quem quoque podagricis aliàs obtrudit. *Die* 4. *Menſ. Auguſti* 1677. *pedes Scaphuſium abiit : in Xenodochium* receptus potiſſimum querebatur de dolore ſuræ ſiniſtræ & coxæ : ſuadebantur *antiarthritica interna & externa*, quæ vix admiſit & negligenter adhibebantur, quia morbum immedicabilem cauſabatur : 30. *Auguſt.* diſceſſit. Domi lintea & lectum laceravit ſubinde : aliquando *Filio* mortem, arreptis cultris, intentavit: ablatis vi cultris itidem dicebat ſe hoc non ſuo impulſu audere, ſed alium hoc facere. *Die* 4. *Octobr.* 1677. rurſus pedes urbem adiit : *in xenodochio* antiquos dolores crepavit, miſere ejulavit perpetuo, quod antidhac non fiebat, decubuit : doloris nec ſedem nec locum indicabat, nec quid corde premeret, manifeſtum fecit. *Medicamenta* cujuscunque generis reſpuit. *Sub finem Novembr.* denuo pedes lento gradu baculo ſuffultus abiit. Domi uſus eſt *ex conſilio fœminæ cuiuſdam exulis aqua borrag. & verben.* Caput inungebatur abraſis capillis *ol. chamæmill.* ibi & hactenus *in xenodochio & noſodochio* totam viciniam moleſto ejulatu implevit, fricando manus, cauſando dolores pedum, aliquando totius, uno tamen die magis quam altero. Preces quandoque fundit monitus, imo compulſus quandoque nullas : ſigna vero ſemper præbet, nullas è corde proficiſſe. Inter gemitus & ejulatus quandoque lachrymæ ex oculis ſtillant, verum rarius : id quoque eveniſſe memorant, quando alii templa adibant. Edit ſatis bene die quietiore, bibit vinum, ſed parce, quod ipſemet ex vaſe in hypocauſto locato, emittit, rarius hanc provinciam aliis concedens. Dormit quoque ſubinde. Solitudinem amat & ægre fert, ſi interpellatur. Pulſum *Die* 14. *Junii* 1678. mane frequentiorem debito ac debilem deprehendi.

1. *Quæritur. An morbus iſte naturalis vel ſupernaturalis ſeu dæmoniacus ſit?*

2. *Quæritur. An morbus magis animi vel corporis vel uterque exiſtat?*

Phyſici urbis & Medici adjuncti concluſum Ampliſſimo Magiſtratui D. 10. Julii 1678. exhibuerunt.

I. Concluſum.

PRimùm affectus Viri iſtius videtur naturalis eſſe, ſeu in cenſum illorum venire, qui à naturalibus cauſis pendent : & quidem melancholicus, nam mens ejus multifariam cum anxietate quadam aberrat: errorem non clare exprimit, cùm cætera homo ſimplex ſit & incurius, adeo ut annis 44. in matrimonio vivens uxoris ſuæ nomen jam parens factus

factus *paſtori ſuo* indicare neſciverit: magnum tamen & valde animum excruciantem exiſtere, probat vitæ tædium, ob quod *omnia remedia* improbat & reſpuit, ac morbum ſuum immedicabilem ſemper crepat: ob idem tædium ſe horrendi criminis reum ultro effatur, quod tamen neutiquam unquam perpetraſſe admodum credibile eſt, nam *Paſtorum teſtimonio* ſemper pie vixit & demum ſpecies facinoris obrepſit ipſius animo, cum jam vere per biennium *ſcil. feſto Pentecoſtes* 1675. *ad menſem Junii* 1677. melancholicus eſſet: imo hoc à ſe perpetratum dicit ea ætate, qua huic crimini impar multis modis eſſet: dein animi errorem teſtantur geſticulationes & facta abſurda, imprimis illa thoracis circumgyratio absque ullo reſpectu *coram Paſtore & Prætore villæ* peracta. Inſuper ipſe dolor pedis, quem prope indeſinenter cauſatur errantis animi effectus videtur, quem tantum non eſſe, quantum dicit, multa innuunt, neque hos clamores, quibus omnibus permoleſtus eſt, excitaret; ſi mens conſtaret: nam primum toto prope die hypocauſtum manus verſando perambulavit, in cubili lecto incumbens non doluit, noctu dormivit, in hypocauſto in ſtragulum decumbens protinus de dolore querebatur. *Scaphuſium* pedes ivit ac poſt paucas ſeptimanas *Beringam* iteratis vicibus redivit: imo adhuc, remotis arbitris, inter ſummos, quos prætendebat, cruciatus ſine fultura è lecto ſurgit & nemini fidens vinum è dolio emittit, deinde neque in fœmore neque in tibia vel tumor vel rubor, vel aliud quidpiam apparet in tam longo temporis decurſu, quod dolorem vere adeſſe proderet: medullam autem dolere *nemo Medicorum* facile dixerit: ſi vero circa plexus nervoſos, aut perioſtia quippiam lateret, vix fieri poſſet, quin ſe vel aliquo indiciolo oſtentaſſet hactenus. Denique ſolitudinis amor, ob quem nullius prope præſentiam bene fert & nuper ligna in vicinia findentem tolerare nequiit, non ultimum melancholici affectûs indicium eſt. Aliquid maniaci concurrere veroſimile eſt, nam quoſdam percutiit, in capillos involavit, *Filio* cultro necem intentavit & illa thoracis gyratio magis maniaca quam melancholica fuerat.

An aliquid dæmoniaci ſubſit? certo ſtatui nequit, cum nihil adhuc obſervatum ſit, quod captum humanum ſuperaret: ſpeciem aliquam quidem & probabilitatem ingerit, quod 1675. poſt epotum cyathum *ab agyrta* propinatum pejus habuerit & quod 1677. poſtquam *operâ præſtigiatoris* uſus eſt, majores clamores edere cœperit: at his inhærere aut multum tribuere vix licebit. Non tamen negandum tentationes diabolicas concurrere, quum melancholia alias *balneum Diaboli* vocetur ac plenior avaritia, deſperatione & *abuſu præſtigiatorum* aditus ipſi paretur. Certe poſtquam invito *præſtigiator* obtruſus fuit,

tum

tum demum ſe immanis facinoris reum dixit ac clamoribus majoribus omnia implevit.

Cauſa proxima aberrationis eſt ſpecies ſeu ſpectrum phantaſiæ inhærens, quam perpetuo animo verſat uniceque volvit, neque illud excutere poteſt ſive ob ſpirituum animalium obtenebrationem aliquam ſive fixitatem vitriolicam in ſede phantaſiæ. His anſam dedit mœror non exiguus, nam cum antea induſtrius eſſet inque pane acquirendo aſſiduus, adeo ut difficillimis temporibus nunquam famem pati cogeretur, poſtquam *à Pentecoſte* 1675. *ad Autumnum & à Decemb.* 1676. *ad Ver* 1677. & hinc uſque ad hodiernum diem operibus ruſticis vacare non amplius poſſet, cura hæc mire ejus pectus excoxit & non raro de hoc querebatur. Tanto autem validius maſſam ſanguineam & ſpiritus hæc cura & ſollicitudo depravare valuit, quia aliàs temperamentum ſiccius nactus eſt, ut habitus corporis gracilis, cutis ſtrigoſa, facies tetrica oſtendunt: victu fruebatur fomitem humori melancholico præbente: ſimplex ſemper fuit ſpiritusque minus ſubtiles habuit, unde adverſis obvenientibus minus ſe extricare valuit: denique quia forte aliquid hæreditarii & connati concurrit, ſororem enim habuit graviter melancholicè deliram.

Indicationes igitur eſſent craſſum, terreum, opacum & fixum in maſſa ſanguinea & ſpiritibus animalibus diluendum, humectandum, attenuandum & mobilius reddendum ac quantum poſſibile à ſede phantaſiæ revellendum, quod tamen præſtare in ſene melancholico morbo prope hæreditario & jam inveterato difficile erit, non tamen negligendus eoque magis, quia domeſticis & vicinis ſuis clamoribus permoleſtus eſt.

Quia *in noſodochio* vivit & nec ſumptus neceſſarii lubenter impenduntur facile parabilibus aliquid tentandum erit. Dari poſſet bis in menſe *pulv. Hellobori albi pp. à gr. xj. ad gr. xv.* in juſculis clanculum, quia difficilis in ſumendis medicamentis eſt. Parari etiam poſſent *juſcula alterata ex borragine, bugl. &c. rec.* Item *hordeata iisdem alterata* imo omnes cibi *his & endiv. recent.* condiendi ſunt.

Hujusmodi ægris *balnea aq. dulc.* valde proſunt. *Venæſectio* in corpore arido & exſucco ac decrepito vix locum haberet. Utile quoque foret, ſomnum conciliare *lactuca cum butyro rec. cocta* in cœna data.

Si aliquid certi de dolore conſtaret *Veſicatoria* non improbanda forent, internæ tibiarum parti & carpis manuum appoſita.

Vinum minus generoſum ſeni minus nunc furioſo parce concedi poſſet. Error mentis corrigendus nunc blandimentis nunc increpationibus;

nibus; opere quoque & labore quodam minus oneroſo mens à nugis abſurdis nonnunquam feliciter avertitur.

Scaphuſii d. 10. *Julii* 1678. Joh. Jacobus Wepfer, M. D.
Phyſicus Ordinarius.

II. Concluſum Excell. D. D. Harderi.

MOrbus, quocum luctatur *Joh. Pfeiffer*, mihi ſalvo tamen aliorum judicio, neutiquam videtur eſſe dæmoniacus: quoniam nondum omnia, quæ ad affectum ejus rite debellandum apta nata ſunt, in uſum fuere deducta: imo nulla plane cura legitima cum ipſo fuit inſtituta. Conſuluit enim *agyrtas & neſcio, quos non homines nauci. Dogmaticorum remedia* admittere vel penitus renuit, vel ægre unum alterumve ſibi, externe potius, quam interne & raro, ad compeſcenda plus negotii faceſcentia ſymptomata, applicari paſſus eſt. Nec veri dæmoniaci mores imitatur.

Aſſeritur majori veritatis claritate, affectum ejus eſſe animi potiſſimum, dein & corporis morbum. Mentem enim illi vacillare pluribus is teſtatur luculentiſſime: quæ omnia in medium producere nil attinet. Hiſtoria namque morbi eadem prolixe teſtatur. Nec corporis, uti reor, morbus adeo magnus, quin *adhibitis remediis idoneis*, Deo benedicente, ſit vel tollendus vel tolerabilior reddendus. Moroſitate melancholica (olim fere maniaca) ſæpius ejulare incipit & dolores ſimulare atroces quæ humili patientia Chriſtiano digna, optime deliniri poſſent: ad quam ſerio verbis tum mitioribus tum aſperioribus adigendus erit. Curandus autem imprimis videtur per antimelancholica, & dolores, veri ſi ſint, in pedibus per nervina externa & interna demulcendi: & quæ *medicamenta* victusque non curant, *ferrum* vel tandem *ignis ipſe juxta Hippocrat.* curabit. *Ita ſentit*

Chriſtophorus Harderus,
Phyſicus ordinarius.

III. Conſilium Excell. D. D. Emanuelis Hurteri.

AFfectus *Joh. Pfeifferi*, quum à naturalibus cauſis dependeat, inter naturales quoque refero, eumque cenſeo eſſe Melancholiam, ortam ex pravo, terreſtri & aduſto ſanguine, quo non ſolum corporis reliqui, ſed etiam cerebri venæ impletæ ſunt & aggravatæ, unde varia incommoda oriuntur, miri corporis geſtus, ſolitudinis amor, animi anxietas, vitæ tædium, quia horrendum facinus ſe perpetraſſe ultro profitetur, licet *Rev. loci Paſtor* ob anteactam vitam honeſtam, ab hoc ſcelere immunem eum exiſtimet. Dolor pedis dextri alternis diebus recur-

rens, num tantus ſit? quantum clamore prodit, dubito, cum in eo nihil appareat, ex quo talem cognoſcere liceat, non negaverim tamen in principio dolorem ſenſiſſe, qui *Præſtigiatoris & Apoſtatæ Bernenſis operâ* indies fuit auctus: remiſiſſe tamen indicio eſt, quia non ſolum in hypocauſto, ſed etiam *Beringâ* huc ad nos ambulare potuit. Maniaci etiam apud ipſum aliquid, dæmoniaci verò nihil ſubeſſe exiſtimo, ut ex hiſtoria patet. Quæritur nunc an iſte morbus ſit curabilis? equidem affirmare non poſſum: timeo cum malum ſit inveteratum ipſeque patiens omnem medicinam reſpuat, curam fore perdifficilem, ne dicam impoſſibilem, attamen ne negligere illum ex toto videamur, cum ipſo aliquid tentandum erit, id quod *Medico ordinario* relinquo, inprimis vero ad honeſtos labores erit excitandus.

Emanuel Hurter, M. D.
Phyſicus.

IV. Concluſum D. D. Hollanderi.

Naturali humorum craſi *Joh. Pfeifferi*, de quo nobis ſermo eſt, eam indolem præ ſe ferenti, quæ melancholicæ diſpoſitionis nomine venit, victûs ratio prægreſſa intenſiorem ejus gradum induxit, unde humori nervoſum genus irriganti & acidiori facto tum ophthalmici & colici, tum etiam arthritici, aliquo tempore poſt accidentes dolores, cauſas ſuas debent. Hiſce curſum ſuum facientibus malis à laudabili & ſpirituoſo-ſalina natura paulatim deſciſcentes ſpiritus animales activitatis ſuæ ſphæram arcte contrahentes & conſuetos expanſionis ſuæ tractus deferentes in devia loca excurſiones ſuas continuo quaſi direxerunt & deliria illa produxerunt, quorum ideæ imaginationi exhibitæ fuerunt vel ob patratum in adoleſcentia facinus memoriæ tunc concreditum vel ob vitioſum phantaſma in cerebro concurſum. Nulla hic meo judicio, phænomena ſe ſiſtunt, quæ à naturalibus cauſis deduci nequeant. Morbum vero hunc & corporis & animi ſimul exiſtere ex iis, quæ dicta ſunt, ſatis conſtare exiſtimat.

Scaphuſii d. 10. *Julii* 1678.

Joh. Conradus Holanderus
à Berau, M. D.

Curatus fuit perfecte operâ Myſtagogi nuper conſtituti in Noſodochio, poſtquam ad labores & preces tum blanditiis tum ferulis & fuſtibus adactus fuit Menſ. Auguſti 1678. *ipſiſſimis diebus canicularibus, in quibus alias purgationes & venæſectiones non tutæ erant. Menſe Septembris ſanus & mente conſtans domum dimiſſus fuit.*

OBSER-

OBSERVATIO LXXXVIII.
Melancholia.

JUvenis annum agens 18vum è Nobili Stemmate progenitus temperamenti bilioſi, in tenera ætate motibus convulſivis frequenter correptus, hanc attigit ætatem citra ullius morbi invaſionem; niſi quod à biennio mente ſit anxius, triſtis ſine causa, meticuloſus, tamen ad iram pronus multa ſibi falſa imaginetur, *veneni* v. gr. ſceleratâ quadam manu *exhibiti* vim experturum deleteriam, mortem inſtare & ejusmodi, ac proinde lachrymas ſæpius effundit amaras. Patrios lares fugit, nullum ſibi adjungit ſocium, vix ad interrogata reſpondet, niſi ſimplici ita vel non ſubmiſſa ac languida voce. Conqueritur tamen ſemper, quoties ab ipſo ſerio petitur, quid mali aut morbi ipſum teneat, de anguſtia circa præcordia ac de earum diſtenſione, de doloribus capitis & de vaporibus è liene in caput aſcendentibus. Vomitum aliquando paſſus eſt pituitoſum, imo ructus nonnunquam. Hoc ipſo in ſtatu venationem, quam perdidit, ſæpe non intermiſit, quamvis inde, licet arreptâ prædâ, nunquam hilarior rediret, tamen ſolatium inde capere quoad anguſtiam præcordiorum aſſerit. *Nob. Parentes* filium toto cœlo mutatum magno luctu conſiderantes nihil non metuunt, attoniti etiam vident eum, qui ante nunquam non hilaris & alacris, imo gaudio & ſpe plenus, nunc langueſcere, mœrore ſuffundi, ac triſtitiâ nulla de cauſa obrui, illibato quoad aſpectum corpore. Præterita quoque examinant, quid tantæ mutationis eſſe poſſit cauſæ, num forſan eadem, quæ ipſum ante plures annos quieta nocte è ſomno excitaverit, in clamores ac ejulatus imo ad lachrymas adegerit, uſque dum mitigatus ac bene expergefactus iterum obdormiſceret, tractu temporis altiores radices ſpargens, hæc ſymptomata nunc efficere valeat? num vero auſteritas *moroſi Præceptoris cujusdam Lauſannenſis*, apud quem ſtudiorum gratiâ ante triennium per aliquod tempus degebat, multo contemptu ac inſolitis modis diſcipulum vel leviter delinquentem caſtigare, has triſtes ac meticuloſas ideas in cerebro jam debili impreſſerit? ab eo tempore, quo animi ægritudinem in eo obſervare licuit, duas morbi notatu dignas paſſus eſt exacerbationes, quæ ferme melancholiam excedebant. Prima contigit *Menſe Majo anni præteriti*, corpore enim vino & exercitio bellico excalefacto, ferme inſanire cœpit, obvios aggrediens imo verberibus ac enſe quendam ad mutationem veſtimenti cogens: Hæc tamen remiſere *ab emetico & V. S. à Medico domeſtico* præſcriptâ. Altera eum invaſit 28. *præteriti Menſis*, ubi ſubitò ſine cauſa valde amarè flere incepit, diſceſ-

ſum minans, dicens ſe neutiquam poſſe amplius *Bernæ* manere, imo tertia ſequenti evaſit pedes *Tigurum* abiturus *Præceptorem* illic prope degentem inviſurus: de diſceſſu *Nobiliſſ. Parentes* in tempore moniti illum curavêre revehi, ac ſtatuêre altero die poſt abeuntis animum placare novo itinere & propterea me comitem aiciverunt, ut ſimul ac illum hic *Scaphuſium* ducerem *Excell. Veſtræ* conſpectui ægrotum exponerem. *Conſilium Medicum* ab ea obnixe & conſtanter rogantes.

Die 6. Martii 1683. Scaphuſium venit cum Excell. D. D. Stekio Phyſico Bernenſi. d. 7. Martii ipſum inviſi ac examinavi. Videtur eſſe temperamenti ſolaris; nam capillos habet ex fuſco ruffos: facies roſea, habitus corporis gracilis, nervoſus tamen & carnoſus: loquitur timide & prope vi quadam verba elicienda ſunt. Appetit bene, à cibo non gravatur, nec ventriculus diſtenditur: non ſitit, ab anno aquam bibit. In itinere ab equitatione ſucculſus equo tolutario evomuit cibos & mucum, mutato equo non amplius illum experiebatur. Non vel raro eructat. Alvus quotidie aperta eſt, ſubinde flatibus abundat. In cœna bibit vini noſtri rubri cyathum aqua diluti. Noctu paſſus eſt tormina, quæ ſua ſponte ante alvi exonerationem ceſſarunt. Ante tres annos ſæpius colicam paſſus eſt, quæ venationi tribuenda videbatur, cum à labore feſſus biberit aquam, lac, vinum; indulſit fructibus horæis. Pulſus rarus, celer tamen, plenus & robuſtus veſperi erat: mane minus rarus & prorſus naturalis. Antidhac ſine ullo impedimento montes ſcandere potuit: nunc difficilius reſpirat in acclivium aſcenſu cum cordis palpitatione; ſcalas tamen ſine impedimento ſcandit. Caput nunc non dolet. Memoria antea valuit, nunc illam labilem dicit. Imaginatur ſibi morbos varios: timet veneficia: in propriam matrem diffidentiam poſuit. Dormit fere ſemper tota nocte abſque inſomniis. In oculis obſervatur ſtrabiſmus. Hac hyeme multum venando ſe exercuit, plures lepores & vulpes aliquot globulis transfixit: ex præda tamen, ut pridem, nullam delectationem vel percepit vel oſtendit, ſe pridem quoque addixit ſaltationibus, gladiatoriæ &c. ſatis laudabiliter.

Conſilium.

AFfectus eſt delirium melancholicum, nam citra rationem non timenda timet, triſtatur, ſibimet *de veneno vel exhibito vel exhibendo* metuit, taciturnus eſt, ſubmiſſa voce & ceu ſervili animo loquitur atque animi ſenſa exprimit, morbis neſcio quibus ſe affligi putat, cujusmodi non unius generis fingit: ſolitudinem amat; fugam à patriis laribus meditatur & conatur, & quorſumcumque veniat nullam tamen animo quietem nanciſcitur &c.

Exacer-

Exacerbatum in maniam degeneraret, nam maſſa ſanguinea à vino & motu calefacta ferocire cœpit, quendam vulneravit & quædam inepta cum quadam vehementia auſus eſt.

Cauſa proxima primum videtur fuiſſe quædam idea meticuloſa ſpiritibus animalibus impreſſa, nam poſtquam ludibriis inique & baculi dedolatione vexari cœpit, metus iſte primo advertebatur auctusque fuit alto pectore dolore ſuppreſſo.

Procul dubio ideæ hactenus fovebantur ab humore quodam non quidem tenebricoſo craſſo ſed tenui & acri ſeu à ſalibus maſſæ ſanguineæ immixtis acrioribus & ſpiritus turbantibus; nam illis à motu & vino exagitatis aliquid maniaci emerſit. Acrimoniæ teſtes ſunt anxietas circa præcordia, dolores punctorii nunc in dextro nunc in ſiniſtro pectoris latere; vomitus pridem & nuper inter equitandum ſuperveniens, non ſolum ciborum, ſed etiam muci & bilis, uno verbo variorum; Colica ſæpius affligens & nuper poſt comeſtum *Naſturtium aquaticum*, cephalalgia pridem quoque moleſta: juvarunt acres humores educentia *ſc. Emetica & V. S.*

Acrimonia hæc eò facilius vim ſuam exerere valuit, quia genus nervoſum debile eſt ob convulſiones in pueritia perpeſſas, à quibus ſupereſt oculi ſtrabiſmus, & hoc ipſo tempore queritur de memoriæ quadam imbecillitate.

Quia quoque membrana ventriculi nervea etiam inteſtinorum, magis quam decet denudata eſt, ut promptius quoscunque ſtimulos percipiat, idque à fermento ſtomachi & liquore glandularum inteſtinalium ſeu à ſero ſanguinis cujus ambo ſoboles ſunt; nam à leviculo errore hæc manifeſte læduntur; ab equitatione moleſtiore vomuit, *à naſturtio* pro acetario comeſto colicam paſſus eſt: forte ſi vinum merum biberet, graviora pateretur; inprimis ſi indulgeret potui vini ſulphurati, albi &c.

Acrimoniam adſcribo temperamento connato calido & ſolari: deinde erroribus in victu commiſſis ſc. venationibus, ingurgitationi obviorum imprudenti in ætate nondum ſatis expolita, carnibus ſalitis & fumo induratis, vinis pejoris notæ forte pendulis.

Indicationes erunt 1. Ideam melancholicam omni ingenio excutiendam eſſe ſuavi alloquio, fuga ſolitudinis, lætiorum objectorum frequentia, cultu animi lectione hiſtoriarum ſuavium aut diſcurſibus jucundis: proſcriptis omnibus, quæ quendam characterem ſervilem imprimere poſſunt, quæ omnia *ab Ethices & Politices conſcio* in uſum melius quam *à Medico* duci poſſunt. 2. Acres humores edulcorandos & ſubinde educendos eſſe.

Ad edulcorandos & mitigandos humores Melancholicos præſtantes ſunt *Acidulæ, atque ex his Deinaccenſes in Ducatu Würtembergico*, quæ in Melancholia inprimis hypochondriaca *ſpecificæ* creduntur.

Itali laudant *ſerum lactis caprilli deſtillatum large potum* : præferrem *ſerum lact. caprin. aut juſcul. carn. vel vitulin. vel gallin. alterata* : *Ex. gratia.*

℞. *Radic. ſcorzoner. rec.* ℥ß. *gramin.* ʒiij. *cort. citrin. rec.* ʒij.
Herbar. capill. ♀ *ling. cervin. borrag. bugloſſ. rec.* ãã. *Mj.*
Paſſul. major. exacinat. vel corinth. ℥iß. *ſem. aniſ. citr.* ãã. ʒj.
Inciſ. & contuſ. ebull. in ſeri lactis caprini vel juſcul. carn. non ſaliti ℔iiij. *Col. doſ. Mane hor. 6.* ℥viij. *vel* ℥viiij. *calide veſp. h. 5.* ℥v. *vel* ℥vj.

Si luberet *addi poſſet cuilibet doſi ſyrupi aperit. Mindereri* ℥ß. Poſt potum obambulet.

Si placeret *decoctum ſimplicius, in* ℔j. *horum liquorum* coqui poſſent *vel flor. violar. rec. vel borrag. cum fol. rec. vel bugl. rec. Mj. cum ſem. aniſi vel fœniculi* ʒß.

Continuare poſſet per integrum menſem : hinc *tempus acidularum* appropinquaret.

Hoc tempore adhuc hyberno *Mane hor. 6. & veſp. hor. 5.* dari poſſet *hujus pulv.*

℞. *Pulv. antihect. Pot.* ʒij. *diaphor.* ♂ ʒj. *cinnab. nativ.* ʒß.
Pil. reg. compl. num. j. Tab. man. chr. perl. ℥iß. *Mſc. F. Pulv. cum aqua borrag. bugl. gramin. &c.*

Purgetur menſe elapſo *hoc decocto.*

℞. *Radic. polypod. quern.* ℥ß. *gramin. ſcorzoner.* ãã. ʒij.
Herb. ling. cervin. meliſſ. capill. ♀.
Flor. borrag. bugloſſ. violar. ãã. *Pj.*
Sem. aniſ. ʒij.
Fol. ſenn. ſ. ſ. ℥j. *Rhabarb. elect.* ʒiij. *Agar. alb,* ʒij. *Hellebor. nigr.* ʒß.
Tamarind. ℥iß. *Paſſul. maj. exacin.* ℥ij. ⊖ ☿ ℥ß.
⊖ *card. ben.* ʒj. *cinam. acut.* ℈iiij. *Mac.* ʒß.
Inciſ. & contuſ. coq. in vaſe duplici vitreato c. aq. fontan. ℔iij. *coletur*

tur citra expreſſionem : doſis mane hor. 6. ℥v. vel. ℥vj. calide cum ſyr. roſ. ſolut. ſimpl. ℥ß. Alternis mane aut ſi bene toleret quotidie. V. S. ante abitum *ad acidulas in brachio* utilis erit : *Hæmorrhoidum apertionem* non magni facio.

Victûs ratio ſit ex cibis boni ſucci & facilis digeſtionis : vitet ſalita, fumo indurata, in butyro frixa : nimis dulcia, aromatizata : aceto condita &c. Concederem vinum aqua dilutum in qua *parum ſem fænic.* coct. Somnus pomeridianus fugiendus : exercitia moderata neceſſaria : animi motus omnes moderati reddantur, quantum per pietatem licet.

OBSERVATIO LXXXIX.

Melancholia.

Nobiliſſimus *Dominus de N. N.* 52. annorum : capillis nigris prædictus, carnoſus, facie ſaturate rubra, Phyſiognomiam fere ſaturninam habens. Jam à 10. annis & quod excurrit deliria melancholica apud ipſum obſervabantur, inprimis exulſerat præcordia angebatque vehementer Zelotypia. Lites quoque ipſi erant graviſſimæ σὺν τῷ ἀδελφῷ. Verum ante has jam præludia animadvertebantur. Delirium fere ſiſtit in eo, ut putet, ſe cædes quamplurimas commiſiſſe, ſe proinde in ſummo periculo verſari ac traditum iri *Magiſtratui*, ut in ipſum animadverteretur. Quoties duo colloquuntur, putat hac de re ſermones fieri. Si ipſum cognati aliive conveniant, hanc ipſam ob cauſam adeſſe putat, ut blanditiis ipſum primum ſopiant aut circumveniant ac poſtea *Magiſtratui* tradant. Sibilant ipſi quandoque aures, hunc ſibilum imaginatur ſibi eſſe verba occulte muſſitantis ſe cædis reum eſſe & proin magiſtratui tradendum, hanc ob cauſam ſæpe uxorem, famulosque adjurat, ut verba illa imaginaria & confuſa diſtincte enarrent, ut ſe defendere poſſit, quamvis nemo hominum quicquam effatus ſit. Aliquando *Præfectum Turgoviæ* adire voluit , & apud illum inquirere ſtatuit , quidnam de ipſo homines muſſitent, quid criminentur : lubens pœnam ſubiturus, ſi vere convinci poſſet &c. Cæterum quandoque ſaniſſima loquitur, nihil in ſermone familiari harum rerum ignaro notatur, ut obſervavi *die 2. Junii 1669. quo ipſum conveni.* Dolet ſingulo mane circa ſcrobiculum cordis : cum magno nixu aquoſa evomit. Dolet cervix, tinniunt aures. Comedit mediocriter, plus bibit : urina tenuis eſt ſpicea. Cor raro palpitat & non niſi poſt motum. Nuper *ante purgationem & V S.* parum dormivit : è lecto intempeſta nocte ſurrexit, hinc inde curſitabat. Solitudinem ſumme amat:

mat: Si tamen ipſum hoſpites conveniant, magno illos honore afficit & omnibus modis annitur ipſos converſatione ſuavi delectare, ridet cum ipſis ac conatur omni ingenio delirium occultare. Si vero diſcurſum diu continuet, ſubinde obmuteſcit oculosque fixos uni rei intendit, mox tamen vel uno verbulo excitatus diſcurſum denuo arripit & perficit. Se precibus diligenter & ſerio commendat DEO. Inculpate cœtera vivit. In concione putat *Eccleſiaſten* quandoque de ſe ſolo ſermonem facere & hanc ob cauſam triſtatur. *Anno 1668. Acidulis Rippliſavienſibus* uſus eſt cum fructu & nuper *decocto Tamarindor. & V. S.*

Scholia.

DElirium hoc quidem maximam partem unicum habet objectum ſc. cædes, inde concludit ſibi periculum *à Magiſtratu* imminere indeque omnia ſuſpecta habet & omnia tuta timet. Aliàs errores alii phantaſiæ accumulantur jam erratque circa res, facta vel rerum eventus: omnia ſibi horrida, triſtia imaginatur, quæ recenter concipit. Mala, horrida, triſtia ſibi imaginatur ex falſis principiis, ſive ipſi connata ſint ſive acquiſita, indeque falſiſſimos, ſed cum metu, triſtitiâ, anxietate junctos Paralogiſmos concinnat. Principia hæc primum depravata fuerunt, à zelotypia, eorum vitium auctum litibus. Quæ vero olim jucunda & grata memoriæ condidit, illa ceu ſuavia enarrat: quin etiam ex principiis connatis ſive acquiſitis educatione nobili digna laudabiliter diſſerit, hoſpites amice excipit, tractat &c. Unde, niſi aliquis diu apud ipſum commoretur, diu delirium ipſius non animadvertit. Ex depravatis principiis objecta parat falſa aut bona, oblata depravat, & etiam ex bonis objectis falſa ex malis principiis concludit: ſive ſint res, ſive facta, ſive probabiles eventus.

Quia diu noctuque exagitatur mens & phantaſia, cauſa proxima non poteſt eſſe frigida & torpida; ſed quia diu noctuque ſtimulat, impellit, turbat, ſomnum tollit penitus, neceſſum eſt, ut ſtimulus iſte calidus acris ſit, nam etiam plus bibit, quàm comedit, in facie gutta roſacea emicat &c. Ipſe alias eſt heroicus, fortis &c. minatur ſe pericula vi depulſurum. Proinde proſunt ſtimulum hunc mitigantia, ſopientia: viſum unico ſopore omnem melancholiam propulſam fuiſſe. vid. *Paul. Zacch. de Mali Hypochondr. Schenk. L. 1. p. 140. 142. &c. Galen. l. 3. de loc. aff. c. 6. Aët. tetrab. 2. ſerm. 2. c. 9. Trallian. l. 1. c. 16. Lemn. l. 2. de complexione cap. 6. Fernel. l. 5. c. 2 Pathol.*

Die 3. Junii 1669. ſuaſi

I. *Serum lactis caprin. depurat. & talib. alterat. per 6. ſeptimanas bibend.*

℞. *Seri*

℞. *Seri lact. caprin. depur.* ℔iiij. *in quo coq. Herb. de borrag. meliſſ. endiv.*
Fol. tamar. ling. cerv. capill. ♀ *fl. aquileg.* ãã. *Pj. Rad. ſcorzon.* ʒvj.
Sem. aniſ. ʒij. *crem.* ♀ ʒj. *tamarind.* ʒvj. *paſſul. min.* ℥j. *colaturæ.*
Adde ſyr. aperit. Mind. ℥iij. *bibat mane hor.* 7. & *veſp. h.* 5. ℥viiij. *calide, obambulet* &c.

II. *Pulv.* ℞. *Spec. lætif. Galen.* ʒiij. *Pil. reg. compl.* ʒij.
Ocul. ♋. *ppr.* ʒiß. *lap. lazul. pp.* ʒj. *Mſc.*
de hoc unâ horâ ante prandium & *cœnam ſumat* ℈ß. *ad* ℈j. *c. aq. bugloſſ.*

III. *Primum hauſtum in prandio bibat vin. Medic.*

℞. *Radic. caryophyllat.* ℥ß. *Helen.* ʒij.
Herb. fumar. ling. cerv. agrimon. hepat. nob.
fragar. fol. tamariſc. ãã. *Mij.*
Flor. borrag. bugloſſ. ãã. *Mj. ſem. fœnic.* ʒij. *inciſ.* & *contuſ. Mſc.*

Victûs ratio ſit euchym. Omittat carnem ſalitam, caſeum, placentas, quibus mire delectatur. Comedat in cœna *lactucam cum butyro rec. coctam.*

IV. Propter tinnitum aurium utatur *Bombace moſchata.*

OBSERVATIO XC.

Melancholia.

R. *D. N. N. Pr. El. in G. St.* natus *Anno* 1648. *Menſe Martii. Cum Sereniſſimo Principe Lud. Duce Würtemb.* itinera fecit multa per *Galliam, Angliam, Bataviam. In Gallia* paſſus eſt febrim, ſequebatur Aff. hypochondriacus cum lachrymis : cum perturbatione ſpirituum animalium. *V. S. inſtituit Menſ. Majo* cum levamine. Varias perturbationes capitis ſine vertigine obſervavit inprimis poſt motum corporis. Appetit mediocriter. Alvus aperta: ſolvitur ſtatim comeſtis humectantibus, non ſitit, nunquam vomit, abundat flatibus. Reſpirat facillime, pulſus naturalis , nunquam tuſſit : nares ſiccæ ſunt, mucum ſcreatu elicit. Nulla re exhilarari valet. A cœna paulo largiore mane ſudat. Caput magis aggravatum quàm dolens experitur. Nullam patitur Cardialgiam, nullam vertiginem, ſive gyroſam ſive titubantem, attamen formidine quadam affligitur, ob quam caſum timet. Urina eſt aurei coloris. Uſus eſt *Acidulis.* Timet apoplexiam. Magnum mœrorem habuit *poſt obitum Filii chariſſimi.* Ob memoriæ debili-

debilitatem non audet concionari. Non ſternutat : ſtatura gracilis, colore citrino, colloque oblongo prædītus eſt : temperanter vivit, nihilominus vane timet apoplexiam. Mane ſumit jentaculum. Patitur potius perturbationem ſpirituum animalium *ut Dominus Pſl. Kaib. &c.* Jam graves paſſus eſt ſpirituales animi afflictiones, quas *ex Theologicis principiis* expulit. Mœſtus ſubinde & levi occaſione triſtiora & pejora timet, nec ſe ſanum putat. Circa medium noctis ſomnus interrumpitur. *Die* 14. *Septembr.* tota nocte non dormivit, licet veſperi in campum iverit : putat à motu ſe nimium incaluiſſe.

Frid. Hoffmannus Filius in Exercitat. de acido & viſcido c. 7. *ſub finem : Affectus animi ſpirituum motum varie determinantes, magnos morbos producunt, adeo ut non ſemper liceat ex ſubſtantiis ſenſibus obviis cauſas in corpore noſtro deducere.*

Conſilium Medicum exhibitum Stuttgardiæ die 16. *Menſ. Septembr.* 1689.

AFfectus eſt Melancholia quædam, quia aliquando mœrore quodam cum metu & anxietate corripitur ſine cauſa externa aut quæ tanti momenti ſit, ut talem metum aut anxietatem incutere debeat. Non eſt vera, quia non pertinaciter objecto uni inhæret & errorem ipſemet agnoſcit.

Cauſa hujus eſt objectum aliquod horridum aut aliquo modo terrificum phantaſiæ oblatum à ſpiritibus animalibus ſc. nec ut decet lucidis, aut agilibus & decenti ordine per meatus intra cerebrum ſe moventibus, ſed opacis, fixis & in motu impeditis. Phantaſia ſic affecta cordis, in quo animi pathematum ſedes eſt, motum magis ſuſpenſum, quàm alacrem reddit, unde metus & anxietas quædam oboriuntur : non autem abolet, nam hactenus nullam leipothymiam paſſus eſt. Spiritus animales opaciores, ignaviores magis fixi & in motu turbati redduntur à cauſa intra porulos cerebri domeſtica, ſcil. à ſero intra illos condenſato & ſpiritus inquinante motumque aliquo modo impediente. Ab hypochondriis non transmitti videtur, quia veri affectus hypochondriaci ſigna nulla comperio, nam appetit, à cibo nec ſtatim nec tempore anadoſeos gravatur : non ſitit, nunquam vomit, alvus aperta eſt. A liene humorem melancholicum ad cerebrum mitti, fabuloſum eſt. In cerebro ſeri multæ atomi detentæ & profundius impactæ fuerunt à ſtudiis & meditationibus ſeverioribus diuque continuatis imprimis à nocturnis. Spiritus ignaviores dicendos prope demonſtrat, juvamen præſente paroxyſmo ab odoratu ſuaviter olentium aut maſticatione aromatum.

Indicationes ergo erunt, ut ſpiritus animales lucidi agilesque reddantur, ut illorum motus naturalis conſervetur & promoveatur, obſtacula auferantur. Id præſtare non admodum difficile, quia vera melancholia nondum adeſt, nec ullum vitium in ſenſibus externis aut in motu animali apparet: his ſatisfieri poteſt potiſſimum accuratâ & *Literatis* conveniente diætâ, quâ ſanguis & humores laudabiles ſpiritusque vivaces producuntur; deinde *congruis medicamentis*. In diæta eligat aërem purum temperatum: nocet inprimis nebuloſus, frigidus & humidus, nivoſus & fœtidus. Cibis veſcatur boni ſucci & facilis digeſtionis: pane bene coƈto: carnibus bubulis junioribus, vitulinâ, hædinâ, agninâ, vervecina; ferinâ juniore, pullis gallin. aviculis montanis: carnes elixæ & aſſæ aut minutim conciſæ proſunt. Ex piſcibus concedantur lucii, percæ, Truttæ, funduli, ſed horum tamen eſus ſit parcior. Laƈticinia ſcilicet pultes ex oryza in laƈte coƈtæ aut cum ovis paratæ ſubinde comeſtæ nullum damnum afferunt, ut & nec juſcula butyracea: butyrum mane comeſtum multis modis prodeſt, inprimis morbis contagioſis graſſantibus & ſi calculus timeatur. Poma, pyra, aliique fruƈtus coƈti, ut & olera recentia, nec muriâ condita, rapæ, carduus ſativus aliique hujus ſortis cibi etiam non exigua commoda ſanitati afferunt. Acetaria *ex radicibus cichor. bene elixis & endivia cum oleo & aceto vino temperato* concedi poſſunt ſubinde. Nocent carnes animalium adultiorum; ſuillæ: pedes aliaque interanea animalium; cerebrum quomodocunque conditum: piſces mucoſi, ut anguillæ, carpiones &c. Abuſus fruƈtuum crudorum: ova ad duritiem coƈta aut frixa; paſtæ farinaceæ cum butyro frixæ: omnia ſaccharata frequentius & in larga quantitate comeſta: abuſus acidorum, nimis pinguium. Inprimis nocet *Literatis laƈtuca criſpa* frequentius comeſta. Cucumeres nunquam proſunt: attamen aceto macerati, ut & rapæ rubræ & cappares condimento ſubinde concedi poſſunt: licet quoque ſubinde cibos aceto, ſucco citri, aurantior. ſaccharo condire, ut & mace, N. M. Z. Z. modo abuſus caveatur. Bibat vinum vetus bene maturum album, quia huic aſſuevit, quamvis rubrum à noſtris præferatur: diluat illud *decoƈto ſem. fœniculi, aniſi, fl. borrag. bugloſſ.* Cœna ſemper ſit parcior prandio, niſi parcum hoc fuerit. Somnum pomeridianum fugiat, nec ſtatim à cœna leƈtum petat, fugiat tamen ceu peſtem ſanitatis lucubrationes. Ante prandium & cœnam & poſtea aliquandiu obambulet: aliquando eques iter inſtituat, ut ſpiritus magis excitentur. Quamprimum mœrorem animum nimis affligere ſentiet, alloquia grata quærat, ſolitudinem ceu peſtem fugiat. Alvus quotidie aperta ſit. Si ſudor ſpontaneus emergat, illum promoveat aliquantulum absque vi. In reliquis evacuationibus modus ſervetur. Juſculum jentaculi loco non intermit-

termittatur. Quoniam nares aliàs ſiccæ ſunt, *Fonticulus* non eſt neceſſarius : nec ob hanc narium ſiccitatem *Errhina, ſcil. Pulv. tabacci, nec ſimilia* ſuaſerim.

His obſervatis, non indigebit *multis medicamentis;* ad obſtacula tamen in cerebro removenda ſpiritusque vegetiores reddendos : *Mane* ſumat in lecto *bis in ſeptimana* ʒß. *hujus pulveris.*

℞. *Pulv. cantian. ſeu è Chel. Cancr. c.* ʒj.
analept. Minder. c. ʒiij.
Cinnab. nativ. ℈iiij.
Tabul. man. Chr. perlat. ℥j.
Mſc. F. Pulv. ſubtil.

Mane ſumat ſex rotulas.

℞. *Spec. Diambr. diamoſch. c.* āā. ʒj.
Pulv. analept. c. ℈iiij.
Confect. alkerm. c. ʒj.
Conſerv. anthoſ. ℥ß.
Sacch. alb. in ſ. q. aq. roriſmar. ſolut. ℥iiij.
Mſc. F. Confect. in Rotulas.

Vertici inungat *Balſ. Cephal.*

℞. *Ol. N. M. expr.* ʒiij.
d. rut. majoran.
roriſmar. āā. *gtt. xv.*
Spir. C. C. rectif. ℈j. *Mſc.*

Odoretur *ſuaveolentia.* Maſticet *Galang. fœnic. cort. aurant. citri. Purgantia* vitet; nec *V. S.* utilis eſt, niſi alia cauſa hanc poſtulet. Bilem, quæ tamen non multum peccat, alioſque humores corrigent *Acidulæ* futura æſtate : ejus ebullitio compeſcitur quiete. Hyeme uti poterit *Gelatina C. C. cum Cephalicis.*

Die 8. *Aug.* 1691. *Stuttgardiæ mihi retulit,* quod angores melancholicos cum ſudoribus rarius experiatur. Appetitus non penitus proſternitur : ſternutat fortiter. Senſus ſunt integerrimi. A ſtudiis tamen & meditationibus debilitatur aliquomodo, ſed non tam vehementer uti olim. Affect. hypochondr. nullo ſigno comperi. Caput debile, quia conſumtis ſpiritibus ob aquam ſeu lympham poris cerebri ſe inſinuantem nervi ſtupefiunt minusque ingenio valet, cœterum ſatis bene ſe habet. Parce utatur *medicamentis except. pulv. ceph. rotul.* & diætâ pridem præſcriptâ pergat.

OBSER-

OBSERVATIO XCI.

Melancholia.

Dominus *N. N.* annor. 46. capillos habens parum ruffos, obæſus: apud amicos delectabatur potu vini, fumo tabacci, cibis ſalitis aromatiſatis. Eſt iracundus. Multum ſe defatigavit itineribus: intricatus fuit negotiis tædioſis: utramque fortunam expertus eſt. Incidit in Melancholiam ac ſi ad incitas redactus eſſet: neminem admittit præter duos aut tres amicos: non appetit, non dormit, non vult credere ſe ægrotare, nec ſe poſſe *remediis* juvari. Vocarunt *Medicum*, qui noctu dedit *Emulſ. amygdal. dulc.* & die ſequente *V. S.* ℥*x. ſanguinis emiſit;* Poſt ſumſit *purgans* quod bene purgavit. Suaſit *aliquot potiones ſomniferas. Ex hæmorrhoidibus ſanguinis* ℥*x. ope hirudinum* eduxerunt: demonſtrarunt ipſi multis rem ſuam domeſticam non tam in malo ſtatu eſſe, ut ſibi falſo imaginetur, ſed fruſtra. Ita ſcripſit *D. Guinant. Maire de Colombiere D.* 13. *Octobr.* 1686. In eodem melancholiæ ſtatu verſabatur adhuc *d.* 16. *Januar.* 1687. ob melancholiam iſtam non vult vacare negotiis conſuetis, parum appetit parumque dormit, neminem admittit præter ſuos intimos: excepto hoc delirio unico de cætero eſt ſanæ mentis, loquitur bene & prudenter de rebus aliis. Incepit malum à frigore cum horrore & punctione aſcendente inter ſcapulas: ſentit hoc ſubinde adhuc. *D. D. Albineus D. D. Mangettus Medici Neocomenſes d.* 8. *Januarii* 1687. indicarunt malum dependere à tinctura peregrina M. S. & ſpirit. animal. eaque acida contaminante ac efficiente craſſitiem quandam, ut minus apti ſint ad ſuam functionem præſtandam. Tinct. aufferendam ac M. S. cum ſpirit. animal. volatilem magis reddendam. Idque *chalybe* & ⊖ *volatili*, quibus neceſſario jungenda *humectantia. D. D. Manget ſuaſit ſemicupium ex aqua dulci, cui add. ſerum lactis:* maneat in illo per hor. dimid. A cœna bibat *emulſ. amygd. d. ſeq.* die rurſus utatur *ſemicupio* ſtatim *ſub ingreſſum balnei* ſumat *purgans,* poſt horam lectum petat calefactum, non diu poſtea bibat juſculum. Noctu rurſus ſumat *emulſ.* Hiſce per aliquot dies *excepto purgante* continuet. Suaſit quoque *clyſteres ex decocto roriſmar. thym. major ſalv. mell &c. Item electuar. cujus mane & veſperi ſumendum magnitudine nucis moſchatæ.*

Ante 9. annos ſimilem paſſus eſt melancholiam: eſt valde dives. Aliquando magnam perſecutionem paſſus eſt, ut nullibi tutus eſſet.

Reſolutio.

ISte phantaſiæ error, ob quem uni objecto pertinaciter inhæret facitque, ut perpetuo menti diu noctuque inhæreat, ut nec jucundis alloquiis nec rationum momentis & demonſtrationibus excuti poſſit, dependet à ſpirit. animal. fixitate & tenebris quibuſdam illorum, ob quas verum à falſo diſcernere nequeat. Cauſa hujus eſt terreum quid & acidum figens ad phantaſiæ ſedem delatum: Cumulatum forte ob mœrorem quendam prægreſſum. Aufferendum hoc *purgantibus* : quia non appetit, præſtans foret ♁ *emet. ad gr. ij. datus :* ſed quamprimum ad vomitum ſtimulari incipit, detur *hauſtus juſc. carn. vitulin. non ſaliti.* Poſtea detur *mane hor. 6. & veſp. hor. 5. cochl. ij. hujus liquoris.*

℞. *Aq. polypod. fumar.*
borragin. āā. ℥ij.
Spir. ⊖ ✳c. ▭oſ.
C. C. rectif. āā. ℈j.
℞ ♂*tis* ʒij.
Eſſent. myrrh. ℈j.
Syrup. capill. ♀. ℥j. *Mſc.*

Dimidia hora ante prandium & cœnam detur ʒß. *hujus pulv.*

℞. *Lapill.* ♋. *ppr.* ʒiij. *Margarit. or. ppr.* ʒß.
C. C. ph. ppr. ungul. alc. ppr. āā. ʒj.
Cremor. ♁. ʒij. ♁ ⊕*lat.* ʒß.
⊖ *abſinth.* ʒj. *Camphor. gr. ij. Mſc. F. pulv.*
Addi poſſent Ol. N. M. expr. gr. iij.

His aliquandiu continuatis dari poſſet *Vinum tale medicatum.*

℞. *Rad. polypod. q.* ℥j. *caryophyllat.*
fœnicul. gramin. āā. ʒij.
Herb. ling. cervin. fumar.
Flor. bugloſſ. calendul. āā. *Pj.*
Fol. ſenn. ſ. ſ. ℥j. *Rhabarb. el.* ʒiij.
Gialapp. agaric. alb. āā. ʒj.
Hellebor. nigr. ppr. ʒß.
⊖ *abſinth.* ʒij. ⊖ ♁ ʒß.
Limatur. ♂. *rec.* ʒvj.
Cinamom. acut. ʒj. *ſem. aniſ.* ʒij.

Inciſ. & contuſ. lig. in nodul. ex ſyndon. r. affund. vin alb. veter aq. borrag āā. ℔ij.

Bibat

Bibat *ſingulo mane vel altern. mane* ℥*v.* poſt duas horas ſumat *juſculum.* Hoc finito *ſecetur vena in brachio ſiniſtro,* emittantur ℥*vj. ſanguinis.* Si dormire nequeat, alternatim *hor.* 9. *noctis* bibat *emulſ. amygdal. d.* aut ſumat *Extract. Bez. gr. iij.* In victu vitet ſalita, fumo indurata, frixa, valde aromatizata. Vinum diluat *aquâ in qua borrag.*' *bugloſſ. coct. c. paſſulis.* Alvus quotidie ſit aperta, ſi cunctetur, injiciatur *Clyſter. Primarium remedium eſt jucundum alloquium quandoque increpatio :* Delirium hoc eſt peſſimæ notæ, quia quandoque miſeros in deſperationem conjicit. *Acidulæ futura æſtate & quidem Deinaccenſes ſummopere prodeſſent.*

Scaphuſii d. 20. *Januar.* 1687. Joh. Jacob Wepfer, M. D.

Die 7. *Febr. ſcripſit Dnus Guinant* ♀ *emet.* meæ doſeos nihil effeciſſe : dederunt ipſi in duplo *ſcil. gr. iiij.* unde quinquies copioſe dejecit cum magno levamine, utitur nunc *medicamentis & diætâ,* unde melius ſe habet & noctu dormit : verum manet delirium, putat rem ſuam domeſticam in malo eſſe ſtatu.

Die 12. *Februar.* 1687. *ſcripſi, ut cum* ♀ *emetico* caute agerent : ſi ſemel 4. *grana* non nocuerunt, ne fidant, cum denudato ventriculo ſævius agere poſſet. Somnus multum emolumenti confert in affectu. Delirium excutiendum eſt *à Theologo,* radix ejus eſt avaritia. Non relinquatur ſolus. *Acidulæ* multum conducent ipſi.

Die 7. *Junii* 1687. *me Schrambergæ convenit Acidulas Deinaccenſes aditurus.* Bene ſe habet, appetitus augetur in itinere : dormit etiam : delirium multum remiſit, errorem monitus agnoſcit. Dedi ipſi *methodum acidulas bibendi.*

OBSERVATIO XCII.

Conſilium pro Melancholia cum ſuffocatione ab utero.

Illuſtriſſima Domina Comitiſſa de N. N. præter ideas fortiter ſedi memoriæ impreſſas, aliud quidpiam intra cerebrum & circa partes ab illa pendentes fovebit. Ideæ, ſeu rerum imagines memoriæ creditæ adverſæ, mœrorem & triſtitiam, item terrores pariunt, verum ſi nullo ingenio amplius excuti poſſint, deſperationem inducant, nec ullis rationibus cedant indicio eſt, alias ideas, quæ animum ad meliorem

rem ſpem erigere & poſſent & deberent, obliterari. Veteres hanc obliterationem adſcripſerunt ſpirituum obtenebrationi. *Memini me intra anfractus cerebri febri continuâ cum pertinaciſſimis deliriis defunctorum, ſemper multum lymphæ ſub pia meninge reperiſſe* : deliria adſcripſi particulis ſulphureis accenſis ac acredine ſua fibrillas ad conſtrictiones ſpaſmodicas irritatis, unde motus ſpirituum animalium non ſolum perturbabatur, verum hi etiam magis accenſi efferi reddebantur; quod autem ſpecies ab his commotæ non cohæſerint, imo abſurdiſſimæ mixtæ fuerint, tribui iſti aquæ, conjugium idearum congruarum aut dignotionem falſarum impedienti, non ſecus ac quandoque in ſomno fit, in ſomniis, delirio febricitantium ſimilibus excitatis plerumque à depravatione nidoroſa in ventriculo : certe poſt ſuperatam febrim continuam obſervavi pluribus caput diu obtuſum manſiſſe, quosdam auditum amiſiſſe, quosdam etiam viſûs aliquam jacturam feciſſe; in tenera ætate multum ſeri ex auribus effluxiſſe. Exiſtimo ergo ſimile quid *apud Illuſtriſſimam Dominam* poſt longos atque complicatos mœrores intimiora cerebri ſubiiſſe cum ſanguine idque conſiſtentia ſeri, atque ibi aliquo modo ſtagnaſſe. Effectus hujus humoris & indicium arbitror quoque cephalalgiam. Inſuper videntur quoque particulæ acres genus nervoſum vellicare ac motus ſpaſmodicos excitare, cujus effectus ſunt ſuffocationes ab utero, tremores & agitationes artuum, anxietas & compreſſio circa præcordia, pyloro & ſtomacho conſtrictis, ac flatuum promotionem impedientibus, unde murmure ſuperveniente, ceſſant : iisdem aliquomodo adſcriberem pallorem & leipothymiam.

Quoniam ab his motibus ſpaſmodicis motus ſanguinis & lymphæ impeditur aut turbatur multumque ſpirituum cogitationibus intenſioribus conſumitur, non mirum eſt M. S. depravari, lochia & menſes largius manare, diarrhœas evenire, appetitum quandoque ſubito proſterni; nam particulæ acres ſeu ſalinæ ſeu fixæ & volatiles magis ab illis efferæ redduntur & quandoque lympha ſtagnat.

Ergo lympha redundans abſorbenda, acre mitigandum & ſpiritus inſtaurandi erunt, quod hactenus *Antiepilepticis, antihyſtericis & corroborantibus* præſtitum fuit : hanc ob cauſam iſtis pergendum omnino & quoniam *ad medicamenta aſſumenda* difficilis eſt, ita componi poſſunt, ut guſtui non adverſa ſint. *ex. gr.*

℞. *Pulv. antihect. pot.* ℥ij.
Cinnab. nativ. ℥j.
C. C. ph. ppr.
Ung. alc. ppr. āā. ℥iß.
Ol. N. M. expr. gr. ij.

Camphor.

Camphor. gr. iij.
Sacch. alb. ℥ij. Mſc. F. pulv.

Doſis ſit mane hor. 6. & veſper. hor. 5. ʒß. cum aqua florum tiliæ.

Horis intermediis detur ſubinde *cochl. j. hujus mixturæ.*

℞. *Aq. flor. til.*
pœon.
borrag. āā. ℥j.
Eſſ. caſtor. ℈j.
Ol. d. cort. citr. gutt. ij.
Matr. perlar. ppr. ʒß.
Tab. man. chr. perlat. ℥ß. Mſc. detur ad vitr.

Si *pulveres* faſtidiret, dari poſſent *pilulæ his ſimiles:* imo utile foret, ſi *formulæ medicamentorum* variarent, ne ſemper in eadem lyra oberrare videamur: *harum* ſumantur *mane 7. veſp. 5. cum congruo vehiculo.*

℞. *♂ii diaphoret. ʒiß.*
Cinnab. nativ. ʒj.
Ung. alc. ppr. ʒij.
Radic. pœon. ʒj.
⊖ volat. C. C. ℈ß.
Extr. caſtor. ʒß.
trifol. fibr. ʒj.
Balſ. de Peru. ℈iiij.
cum mucilag. gumm. tragac. ſ. q. Mſc. F. pil. ex ʒj. num. 40.

Conſperg. pulv. ſantal. citrin. ad ſcat. Bene fieret ſi mane ſuperbiberet *juſculum, in quo parum radic. ſcorzoner. rec. coct. fuiſſet.*

Quidam mire laudavit in ſimili caſu *rad. polypod. coctam cum juſculo:* bibitur citra alvi turbationem.

Hoc Vere *juſcula alterata omiſſis pulv. & pilulis* per menſem aut tres ſeptimanas bibere poſſet. ℞. *Herb. rec. cochlear. naſturt. hort. chærefol. borrag. acetoſ. ana Pj. contuſ. affund. juſcul. carn. n. ſaliti fervidiſſimi ℥v. vel ℥vj. coletur ſtatim, add. ſyr. capill. ♀ parum.* Poſt hauſtum juſculum obambulet aut rhedâ vehatur.

Æſtate commendarem *acidulas Deinaccenſes in Ducatu Würtembergico ſitas,* quæ valde laudantur in affectibus melancholicis.

Quoniam ad motus ſpaſmodicos genus nervoſum *Illuſtriſſimæ Dominæ* proclive admodum eſt, *cautiſſime purgarem*, quamvis multum his tribuant veſtris in oris. Yy Victus

Victus prorſus ſit analepticus ex cibis optimi ſucci & facilis coctionis. Vinum lætificans cor hominis commendarem ſed dilutum *decocto radic. chin. aut lign. viſc. q.* Ideæ excutiantur alloquio grato & loci mutatione.

Deus T. O. M. hæc ſalutaria Illuſtriſſimæ Dominæ eſſe jubeat!

Scaphuſii d. 5. *Mart.* 1687. Joh. Jacob. Wepfer, M.D.

OBSERVATIO XCIII.

Vigiliæ nimiæ.

JOh. Frid. D. *Stutgardienſis Uxor* temperamenti mediocriter calidi & ſicci ſimulque ſanguinei: tenera: à pueritia vigiliis obnoxia, nunquam ſola indormiſcere valuit: ſana cætera manſit uſque ad 20. ætatis annum. Hoc anno nupſit invitis parentibus: ſex vel ſeptem liberos peperit, in ultimis partubus magis accenſa fuit: atque in ultimo puerperio occaſione febris lactariæ, tanta ſollicitudine ad capiendum ſomnum correpta fuit, ut nunquam vere indormiſcere potuerit. Ob hanc anxietatem incidit in pertinacem alvi conſtipationem, quæ tamen *mitioribus medicamentis* ſolvebatur. *Alius Medicus* ſuaſit *chymica antimelancholica ſplenetica ſcil.* ℞ *ex hyper. pœon. opiat.* horum uſu penitus decumbere cogebatur atque ita debilitabatur ab anno uno & dimidio ut brachiis impoſita geſtanda & portanda ſit: inprimis *opiata* nocua erant, viresque proſternebant: quoties ſomni recordatur, admodum inquietatur, cor valde palpitat atque in leipothymiam incidit: alvus nunquam ſponte ſolvitur, ſed *clyſteribus* ſollicitanda eſt, verum inde quoque valde debilitatur vixque amplius ſpirat. Senſibus internis & externis valet: *à medicamentis roborantibus* nullam refocillationem ſentit, in ventriculo ſentit gravamen. Nunc utitur *operâ Medici rationalis*, qui judicat calidum innatum & balſamum vitæ pati, quæ *balſamicis* reſtituere conatur; ſed fruſtra, quia res in eodem manet. Febris, quæ in ædibus propriis graſſabatur, duos apud ipſam paroxyſmos effecit. Unde dubitatur, *an loco calefacientium ſola frigefacientia adhibenda cum humectantibus?* & quæ in ſpecie ac quomodo adhibenda? Eſt 34. annorum, nata *Lubeccæ*, ſtaturæ mediocris: ad iram prona, anxia: ab animi tranquillitate melius ſe habet.

Reſpondi d. 27. *Jun.* 1682. Vigiliæ continuæ & pertinaces, ſomnique nomen vel principium tam terrificum, ut pariat cordis palpitationem, leipothymiam &c. & conſtipatio alvi pertinax non ſolum in maſſa ſanguinea particulas acres adeſſe ſignificant, ſed quoque viſcera

cera ferventiora liquidum protinus abripientia innuunt. Proinde prodeſſent omnino *frigefacientia moderata & humectantia*, eaque,quia morbus jam diu durat, potius alimentoſa. *Sc. Gelat. C. C. alterat. paſſul. maj. exac. herb. rec. borrag. bugloſſ. endiv. ſem. aniſ.* Superbibat *juſcul. alterat. ſucc. naſturt. beccab. cochlear. borrag. acetoſ.* Propter conſtipationem veſcatur ante paſtum *cibis laxantibus;* certa hora ſellam petat. *Clyſteres* ſint benigni *ex ol. lin. ℥iij. vit. ov. No. II. Mſc. diligenter add. lac. ℥x.* Omittantur *ſacchar. Mel. ſal.*

OBSERVATIO XCIV.

Somnambulæ.

D. D. *Buoch, Meſskirchio ſcribit Menſe April.* 1688. *Duæ Moniales* ſomnambulæ *in Monaſterio vicino* ſunt, quæ prope ſingulis noctibus apertis oculis totum *Monaſterium* perambulant, per ſcalas curſim deſcendunt & aſcendunt, accendunt lumina: illas aliæ ſanæ 2. vel 3. comitantur, quas ſomnambulæ non agnoſcunt, nec obſervant donec virgis cæſæ fuerint.

Reſponſio.

SOmnambularum cura difficilis: curatio per virgam optima creditur, non tamen ſemper ſuccedit. *Quidam ſi de bubula cœnavit aut alio cibo coctu difficiliore, ſtatim illâ corripiebatur.* Cœna ratione cibi & potûs ſit parcior. Cubitum ituris detur *pulvis antiepilept. cum aq. fl. til.* Ad negotia ſtringantur, ut bene defatigatæ lectum petant. Cubile probe claudatur ſera penſili, feneſtra muniatur clathro.

OBSERVATIO XCV.

Somnolentia.

P*Erilluſtris ac Generoſus Dominus Baro de W. &c. Vice Dominus Epiſcopatûs Argentoratenſis:* 42. annorum. In juventute febriculas leviculas perpeſſus eſt & variolas: cæterum ſaniſſime vixit. Matrimonium iniit 24. ætatis anno. Aliquot liberorum pater eſt. Luxuriæ & libidini nunquam deditus. Literis à puero addictiſſimus fuit, quas adhuc magno amore proſequitur, & plurimum temporis legendo & ſcribendo conſumit: mature & adhuc juvenis ad negotia graviſſima adhibebatur, dum *ſub Sereniſſimo Archiduce & ſub Celſiſſimo Principe ac Epiſcopo Argentoratenſi Vicedomini munus* per plures annos geſſit.

Exercitiis militaribus & aliis nobilitatis venando &c. occupabatur. Jam à multis annis habitus corporis in vaſtam molem excrevit. Ante biennium & quod excurrit, ex adverſitate neſcio, quâ, Melancholia quædam in animum *Illuſtr. Domini* irrepere cœpit, quam tamen generoſe repulit, Poſtea obtigit negotium quoddam arduum, quod multa meditatione, lectione & ſcriptione indigebat: dum hoc detinebatur ſenſim dormiendi quædam neceſſitas ipſum invaſit. Aliquando vero ſomnolentiam hanc præceſſit tempore nocturno inter dormiendum defluxio ad laryngem, quæ ſuffocationem intentabat & à qua expergefiebat, ut pleniore pectoris dilatatione aërem captaret. Hæc poſtquam ceſſavit, ſomnolentia gravius affligere cœpit ſc. jam à 9. menſibus & quod excurrit.

Cum hac ſomnolentia ita comparatum eſt: ſummo mane evigilat: dum veſtibus induitur, dum pectinatur, dum rem ſine admiratione aut ſine attentione peculiari legit, dum preces fundit, dum ſacris in templo adſtat, dum è feneſtra proſpectat, dum denique ſedet nec rem alicujus momenti meditatur, nec ſerio ſomnum declinare conatur, protinus indormiſcit: ſomno ſua ſponte ſoluto aliquandiu magis pervigil evadit. Somnolentia hæc ante & poſt prandium pari moleſtia *Perilluſtrem Dominum* affligit. Quando vero ſeria tractat, conſilio aſſidet, rebus magni momenti auſcultat, aut illas ſcripto traditas perlegit aut quando aliàs animus eſt ſomnolentiam excutere, illa tunc non valde moleſta eſt: imo illam chartis luſoriis pellere valet, aut colloquio præmeditato profligare poteſt. Noctu dormit cum ſtertore & quamplurimis inſomniis: tunc ſomno detentus eloquitur voce clara & articulata, quæ ſenſu diurno volvebat, adeo ut nocturna quies tam diſtinctè reddat, ut integras periodos famuli adſtantes recenſere poſſint. Effert illa, *Latine, Gallice aut Germanice;* aliquando inſomnium ſonitum campanæ mentiebatur, unde ſurgens in genu alterutrum proſtratus jacet, ac ſi oraturus eſſet ceu ſomnambulo: expergefactus ad auſum iſtum riſit. Cæterum temperate vivit. Semel in die comedit, bibit in paſtu ad menſuram unam; Si verò plus bibat, non inebriatur, vinum enim penetrat aut illud vomitu rejicit abſque labore. Non cœnat, niſi ſi forte veſperi ſitiat, comedit bucellam panis & bibit hauſtulum vini: hinc ſe dormitum confert: mane ob ſomnum tot inſomniis & phantaſmatibus turbatum hilaris at delaſſatus ſurgit, idque ante omnes domeſticos. *Præſervationis causâ* pridem uſus eſt *purgantibus, V. S.* Maxime verò *clyſteribus artificioſis D. D. Gelbii*, qui feliciter imum ventrem ſubducunt. Geſtat *Fonticulum*: alium in pedis dextri parte interna ob inflammationem excitatam cicatrice obducendum curavit, *Anno* 1671. *d.* 12 *Julii Illuſtriſſimum Dominum Acidulis utentem Griesbachii conveni.* Eſt ſtaturæ mediocris: habitus corporis vaſtiſſimus: collum breve,

genæ

genæ pendulæ, ſumen protuberans. Artus validi: color faciei floridus: infernæ palpebræ fuſcæ: capilli teneri, ſubfuſci. Inter dormiendum cum fronte à ſudore permadeſcunt & tunc inclinato capite ſaliva largiter ex ore emanat, ut collare humectet: eſt inſipida & coloris expers. Poſt prandium ſtans ſtertere cœpit, ſtatim tamen iterum evigilavit. Pranſus eſt cum appetitu ſatis laute. Conſanguineum habet eidem ſomnolentiæ obnoxium, qui tamen illam non magnifacit. NB. inter dormiendum facies ex atro rubeſcit: reſpirat quoque tunc cum labore ac ſi diaphragma in motu ſubſiſteret & hæſitaret. Nullum vitium in ſenſibus & motu aliàs obſervatur. Aures non tinniunt, bene videt, nullam patitur vertiginem, caput plane non dolet, nec gravatur, niſi forte ab exceſſu & quidem rarius. Nares ſemper habet ſicciſſimas. Poſt meridiem creberrime indormivit ſtans, ſedens, è feneſtra proſpiciens, inter loquendum etiam obambulandum & quidem cum ſtertore. Obſervavi dormiturienti oculos ſemper aqua irrigari. Dormituriens nihilominus, quæ loquebantur intellexit & commode ad illa reſpondit.

Reſolutio.

Affectus eſt ſomnolentia, nam interdiu ante & poſt paſtum creberrime obdormiſcit, ita tamen ut ſomni ſint breviſſimi & non raro inter dormiendum adſtantes audiat & intelligat. Evenit ſtanti, ſedenti & è feneſtra ſpectanti. Nunquam profundi ſunt. Noctu ſomnus miris phantaſmatibus turbatur & aliquid ſomnambulis ſimile patitur, unde mane delaſſatus ſurgit. Cauſa proxima eſt torpor ſpirituum animalium ſenſui communi inſervientium: nam cæteri ſenſus interni & externi omnes bene valent, unde etiam indormiſcens adſtantes intelligit & facile excitatur: imo phantaſia nimis vegeta eſt, unde noctu ſomnus turbatur, in ſomno ratiocinatur, loquitur diſtincte & ordinate illa, quæ interdiu animo volutabat omniumque mane recordatur. Non ſolùm autem ſpiritus animales ſenſui communi inſervientes, ſed reſpirationi famulantes torpent, nam ſæpe diu ſpiritum detinet, unde facies inter dormiendum liveſcit oculique aquoſiores fiunt: quamvis nullum nec in pulſu nec in reſpiratione aliàs vitium præter ſtertorem in ſomno obſervetur. Torporem efficit latex, lympha ſeu ſerum ſtagnans eo loci, ubi ſenſus communis reſidet, nam ſi à pituita aut humore narcotico contingeret non tam cito excitaretur. Sero abundat in toto *Generoſus Dominus*, nam nimis obœſus eſt & vaſtus: pedes œdemate tument: cumulatur intra cranium, quia non per debitas vias expurgatur, nam nares ſiccæ ſunt jamdiu, nec ut ſolet ad fauces ruit, imo poſtquam catarrhi illi remiſerunt, hoc ſymptoma evenit. Licet autem multum ſalivæ ex ore inter dormiendum inclinato capite defluat, non tamen è capitis cavo provenit, ſed ex glandulis parotidibus per ductus ſalivares ad os derivatur indeque emanare ſolet. Non

per debitas vias expurgatur; partim quia glandulæ plexus choroidei & glandula pituitaria non abſorbeat lympham, partim quia ob mœrorem & intenſam meditationem pori intra medullas cerebri ob ſanguinis motum tardatum nimis dilatati fuerunt, unde ex illis lympha repletis & amplioribus venæ capillares cum ſanguine hanc ſcilicet lympham plene reſorbere, & ſanguini permiſcere nequeunt, unde ſenſim ſtagnare cœpit, & quia morbus hactenus negligebatur amplius cumulabatur. Nondum autem ſerum vel in ventriculis vel intra anfractus vel inter meninges multum ſtagnare videtur; quia caput plane non dolet, nec gravatur, nec vertigine ægrotat, nec aures tinniunt. Oculi vero inter dormiendum valde madent & caput multo ſudore udum fit, non ob aquam per poros cranii largius exſudantem vel orbitam oculi permeantem, quod impoſſibile, ſed quia ſanguis ob ignavum per jugulares deſcenſum ſerum ſeu lympha in glandulis cutis capillatæ & lachrymalibus cumulatur, interque dormiendum per hæc colatoria excernitur. Phantaſia, memoria & ſenſus externi bene ſe habent, quia nondum totam cerebri medullam occuparunt & continuo ſpiritus animales à ſanguine bono ob laudabilem diætam ſuppeditato reficiuntur. Bonum enim ſanguinem ipſum conficere habitus quoque luculenter probat, quum cætera etiam ſaniſſimus ſit. Non tamen morbus negligendus, ſed haud cunctanter expellendus eſt, ne ad interiora ſerpat & nimium humectatâ cerebri medullâ apoplexiam aut lethargum aliumque immedicabilem morbum pariat.

Serum igitur evacuandum & imminuendum in tota maſſa ſanguinea, à cerebro revellendum, derivandum; ibi abſorbendum ſimulque roborandum, ac viæ obſtructæ reſerandæ debitusque illi motus & excretio concilianda.

Itaque caute pergat *incepto acidularum potu*, & ſi hæ minus per urinas ſe evacuent detrahendo quotidie uno cyatho potum harum finiat: quo finito bis *clyſtere D. D. Gelbii* utatur. Poſt caniculares *triduo ante Novi- & Plenilunium poſt parcam cœnam hora 9. noctis viiij. vel xj. harum pilular. ſumat.*

℞. *Extract. cochiar. ʒj. caſtor. ℈ß. xyloal. gr. iiij.*
Mag. jalapp. ℈j. ol. d. Majoran. gt. ij. Mſc. F. pil. num. 48.

Singulo mane bibat ℥iiij. vel. ℥v. hujus decocti ℞. *herb. theæ ℥j. coq. in ℔iij. aq. font. colat. adde ſyr. de beton ℥ij. Mſc. Hora 5. veſpert.* ſumat *℈ß. Pulv. marcb. c. aq. flor. tiliæ. Cubitum iturus* capiat *bujus Elect.*

℞. *Conſerv. roſ. r. ℥iiij. majoran. anthoſ. ana ℥j.*
Theriac. veter. ʒiij. Extract. caſtor. ʒß. bol. Armen. ʒiij. Mſc. F. Elect.

Mane

Mane naribus attrahat *pulv. ſternutat. ex tabacc. majoran. roremar. lign. aloës, ſant. citrin.* aut attrahat *aq. majoran. cum phlegm.* ⊕*l.* & *ſacchar.* maſticet *Maſtichen mane cum rad. pyrethri.* *Fonticulus alter* excitetur *in brachio dextro.* In victu inprimis vitet *Lactucam.* Piſces quoque non conducunt.

Ab acidularum potu Generoſus Dominus non levabatur, imo in deterius labebatur nam *Acidulæ* non penetrarunt, attamen contra meum monitum potu harum in ſumma doſi perrexit. Pedes intumuerunt, ſomnolentia crevit. &c. Tandem à vini potu abſtinuit, *omnia alia medicamenta, except. à me præſcript.* omiſit. Bibit *decoctum hordei in quo integrum pomum aurantium conciſum infundebatur cum pauco ſaccharo*, unde ſenſim convaluit: hactenus hujus potu perrexit.

Nunc prorſus vegetus eſt, nec vel minimum amplius ſentit de priſtino malo; imo agilior eſt ac dum juvenis eſſet, quod mihi narravit & ipſemet vidi Argentorati 1677. *d.* 3. *Januarii. Ubi convivio Sereniſſimi Principis Badenſis intererat.*

OBSERVATIO XCVI.

Sopor funeſtus à Colluvie ſeroſa Cerebri.

Vir magni nominis atque in celebri quadam Aula primarius Miniſter à multis annis paſſus eſt dyſepulota ulcera: in ſenio conſolidabantur. Sexagenario major melancholiâ primum quâdam corripiebatur, ob beneficium quoddam denegatum: non diu poſtea obſervarunt domeſtici quandoque memoriam imminui, judiciumque hebetius evadere: nam inter diſſerendum in medio diſcurſu ſubſtitit, nec ſermonem continuare valuit, nec dictorum recordabatur: hæc calamitas duravit nonnunquam tribus diebus: his elapſis memoriam recuperavit ac ſermonis ante triduum occepti nec abſoluti recordabatur, ac tum demum mente integra ſine hæſitatione illum pertexuit. Hæ alternationes ſæpius animadverſæ apud illum evenerunt: progreſſu tamen temporis memoriæ & judicii imbecillitas incrementa ſumſit. Poſt annum dimidium ſopore triginta horis durante citra ſtertorem aut ſtridorem in bronchiis obrutus placide obdormivit. De cephalalgia, vertigine aut tinnitu aurium conquerentem nemo audivit. Demtâ calvaria plurimum aquæ ſtatim emanavit: adeo ut Medicus referret, quartam ejus partem & cerebri aquâ plenam fuiſſe cerebroque foris adhæſiſſe veſicas aquâ limpida diſtentas. In toto reliquo corpore nulla menda inventa fuit.

Apo-

Apoplexia ab Abſceſſu Cerebri.

CElebris quidam Medicus, prægreſſæ hiſtoriæ conſcius, podagræ, nephritidi & hemicraniæ ſævæ per vices obnoxius. Ad leniendam podagram varia remedia adhibuit: à doloribus nephriticis diu immunis vixit abſtemius bibendo ſolum *decoctum Cinnamomi.* Tandem brachium dextrum ſubito obſtupuit cum impotentia ad motum; mox acceſſit hemicrania in ſyncipite dextro: fruſtra *V. S. purgantia aliaque medicamenta* adhibita fuerunt: ſolum *Empl. cucum. aſin. Æginet.* aliquantulum dolorem mitigavit. D. 9. ſenſibus integris ad extremum fere halitum manentibus, mortuus eſt. Demto cranio, in ſiniſtra parte cerebri prope ventriculum lateralem abſceſſus pure copioſo & fœtido plenus repertus fuit; dextra pars cerebri ſana, quamvis brachium dextrum ſtupidum & ad motum impotens fuerit, ſæviorque dolor ſub bregmate dextro excruciarit. Renes ambo calculis refertiſſimi erant.

OBSERVATIO XCVII.

Suffocatio à fumo Carbonum.

JOhannes Wieſer ultra 30. annor. ætatis: pallidus, macilentus, *Coquus Reverendiſſimi Domini Abbatis S. Blaſii.* Et *Jacobus Iſelin* juvenis 18. annor. carnoſus, plethoricus, *itidem Coquus, d.* 17. *Decembris* 1669. hor. 9. veſpertina ingreſſi ſunt turriculæ imum conclave, quæ prope flumen angulum mæniorum *Monaſterii* conſtituit. In hoc imo turriculæ conclavi *R. D. P. Güntherus* aliquot fornaces ad varios labores *Chymicos* adornavit, inter alias fornaces quoque eſt, quam *pigrum Henricum* vocant, quæ tum temporis carbonibus ignitis calefacta erat. Fumo ex hoc conclavi nullus exitus patet, niſi qui apertâ januâ aut feneſtrâ ipſi panditur: anguſtum eſt nec valde altum. Poſtquam introierunt conclave, januam clauſerunt, aere tantum per feneſtellam exiguam admiſſo. Prope turriculam cadaver equinum lupis expoſuerunt, ac ibi illorum adventum ſclopetis præſtolarunt: *Johannes*, qui ante ingreſſum pluſculum vini biberat, & ſolito more ultra 6. fiſtulas tabacco impletas ac ſuccenſas exhauſerat, prope feneſtram trunco ligneo in genua provolutus incumbebat, ac per feneſtellam apertam ad lupos attendebat: *Jacobus* vero in altera turriculæ parte ſuper ſacco ſedebat. In hac turricula totâ nocte commorati ſunt; mane deſiderabantur ambo: ſuccurrit conſciis illos in turricula eſſe, inventa fuit janua clauſa, vi aperitur: ambo mortui reperiuntur cum maxima omnium conſter-

natione

natione. *Johannes* genubus flexis trunco innitens & facie manibus complicatis ad limen feneſtræ incumbens, feneſtellâ quadratâ apertâ, per quam vigil adhuc ſpectabat, ac ſi ſomno obrutus ſtudio ſe in hunc ſitum collocaſſet. Plane rigidus erat, ut nec pedes extendi, nec manus nec brachia flecti potuerint, ſi tentabatur extenſio artus fragorem ediderunt. Os dentesque arctiſſime conſtricta erant, ita tamen ut ſuperiores dentes prominerent ultra inferiores, os cochleari aperiri nequiit. Facies erat pallida, collapſa, in hypocauſtum delata inflabatur, at mox iterum ſubſidebat: thorace & pectorali remotis ſterni regio calebat, cætera gelidus erat. Oculi clauſi fuerant. Nulla ſpuma circa os nec aliud excrementum illum egeſſiſſe obſervatum fuit.

Jacobus humi proſtratus juxta limen januæ ſupinus jacebat, capite nonnihil inflexo ac ſi è loco primo ſurrexiſſet, & è conclavi exire tentans proſtratus fuiſſet; manum alteram in ſacco caligarum gerebat, illâ globulos precatorios tenens, altera pectori impoſita erat. Thorax anterius apertus fuit ac ligulæ caligarum ſolutæ, ac ſi ſpirandi difficultate preſſus, ſibi hac ratione reſpirationem facilitare voluiſſet. Facies & pectus intenſe rubebant, naſus ſanguinem ſtillavit, linguam exſertam habuit dentesque conſtrictos, citra tamen ejus vulnerationem, multum ſalivæ profudit. Artus ſuperni & caput flexilia erant; pedes rigidi: adhuc calebat, nullum tamen vitæ indicium ſupererat vel in pulſu vel in reſpiratione; paulò poſt palleſcere cœpit. Circiter octiduum ante hoc factum lugubre *idem Jacobus cum R. D. P. Günthero Schmidlin* in hac turricula poſt cœnam ultra horam fuerat ipſique inſervierat; poſtquam in apricum venit, verâ catalepſi prehenſus fuit, nam ſtans dormiebat, ut vix excitari potuerit, & impulſus aliquot paſſus procedebat, præceſſit catalepſin titubatio: poſt aliquot concuſſiones ad ſe rediit; verum paulo poſt adhuc libero aëri expoſitus denuò dormire ſtando cæpit cum ſtertore & faciei pallore: hac ſecunda vice nullo fere ingenio excitare potuit illum, donec ad fontem magno labore propulſum *frigidâ* per faciem & pectus conſperſit ac *Balſam. Cinam.* intra fauces truſit. Quamprimum ad mentem rediit ac evigilavit, quæſitus reſpondit ſe dormiviſſe ac ſuaviſſime habuiſſe: *frigidam* ſtatim poſtulavit, quâ hauſtâ vividus facie color rediit pallorque evanuit, nec poſtmodum quicquam de hoc malo conquerebatur: dicebat ſe *D. Güntherum* loquentem audiviſſe & intellexiſſe aliquomodo, ſed nullum verbum effari potuiſſe, eo quod lingua à neſcio quo vinculo teneretur. Poſtquam ad mentem rediit, comedit quoque libas ex mell. farin. aromatib. ſequentibus diebus nihil plane adverſi perpeſſus eſt.

Reſolutio.

IN his non primario pulmones affecti fuiſſe videntur; ſi enim primariò fumus intra pulmones attractus illos ſuffocaſſet, non tam quieti fuiſſent, nec hunc ſitum obſervaſſent, verum corpus jactaſſent, vicina quæque arripuiſſent, ut illi, qui ab aquis aut catarrho ſuffocantur vel ſuffocationem imminentem declinare conantur. At iſti ſitum eundem diu & quietè retinuiſſe videntur, quem ſopore gravati obtinuerunt, inprimis *Johannes* qui illo ſitu repertus fuit, quem obſervant preces fundentes iisque incumbentes. *Jacobus* quidem primum ſitum mutavit, ſed poſtmodum proſtratus non ſe jactaſſe conſtat, forte dum præſenſit periculum, quod jam nuper expertus fuerat, illud declinaturus, thoracem aperuit, ligulas ſolvit ac ſurrexit; verum jam à fumo quaſi temulentus in terram cecidit & obdormivit. Nec primum ſpiritus & ſanguis intra cor condenſati, congelati & grumoſi facti ſunt, quia *Johanni* pectus adhuc calebat; *Jacobus* autem toto corpore attactu calidus cum facie & pectore roſeis fuerat.

Sed affecti fuerunt ſpiritus animales ceu inſtrumentum proximum ſenſuum intra cerebrum, quod ita torpidum factum, ut ad actiones illas ignaviſſimum evaſerit, unde primum ſopor gravis obortus eſt, ob continuam deinde actionem cauſæ externæ ſeu fumi carbonarii indeſinentem receptionem intra cranium tandem non ſolum ſenſus ſed omnes etiam motus interierunt vitâque exceſſit. Hunc autem ſoporem excitaſſe patet tum à ſitu retento, tum quod *Jacobum* aliquot diebus ante diem fatalem ſimilis fumus catalepſi affecerit, quam ipſe ſoporem appellavit, quamvis vera catalepſis fuerit, nam ſtans ſenſibus externis & internis ſopitus erat, impulſus incedebat, & ultima vice ore hiante ſpiravit, ægreque excitabatur. Spirituum animalium conſtitutio in his procul dubio ita diſpoſita erat, ut ad influxum, motum & activitatem ſolitam plane inepti, torpidi ignavique fuerint, ſive id factum poris intra cerebrum coarctatis, quod tamen vix à fumo multo ſale volatili imbuto exſpectari poterit, ſive ipſa ſubſtantia fumoſarum exhalationum ſpiritibus permixta, quæ ſulphure ſuo narcotico impuro ſpiritus figebat, torpidos ignavosque ad motum reddidit. *Jacobus* adhuc calidus forte *clyſteribus acerrimis, frictione linguæ cum ſynapi, inflatione hellebor. alb. in nares* excitari potuiſſet.

Vide de his Schenk. Libr. II. Obſerv. 19.

OBSER-

OBSERVATIO XCVIII.

Memoriæ abolitio.

I.

R. *D. P. N. N.* ſtaturæ juſtæ, carnoſus, bene coloratus: 53. annor. Vir ſumme induſtrius, placidi ingenii: in rationibus exigendis, audiendis & reddendis ab 18. annis officio gravi id poſtulante, occupatiſſimus, & ſolus id præſtitit, ad quod plures vix ſufficerent. A ſemeſtri & quod excurrit querebatur de ſenſu gravitatis cujuſdam in vertice & utrinque in ſincipite; quandoque corripiebatur vertigine titubante; quandoque minus promte unum alterumve verbum effari potuit minusque lingua volubilis evaſit: aliquoties inter precandum unius alteriusve vocabuli non recordatur: aliquoties à levi obſtaculo cecidit. *Die 6. Julii* 1683. *Bondorffio Ewattingam*, quæ milliari germanico diſtant, aliquouſque pedes, ad *acidularum potarum* excretionem promovendam ivit, poſtea equum conſcendit: quamprimum *Ewattingam* pervenit, lectum petere cogebatur, atque ad vomitum vehementem, poſtquam ſurrexit, ſtimulabatur, quo tandem aquæ ingentem copiam rejecit magno & caput valde turbante nixu. Ante & poſt vomitum memoria jam hallucinabatur, nec animi ſenſa exprimere valebat, nec ab aſtantibus intelligi poterat. A meridie *Ewattinga* domum properavit, ipſeque adhuc omnia in cerebro perturbata eſſe ſenſit: vertigine inter equitandum affligente oculos clauſit: ibi jam oblivione rerum correptus, etiam viarum conſuetarum oblitus hinc inde cucurrit, quamvis non plene. *Bondorffium* perveniens ante 4. veſpertinam ſolus ab equo deſcendit, in cubili ſe veſtibus exuit ac lectum petiit, decubuus rurſus ad vomitum ſtimulabatur & vehementi vixu bilioſa evomuit. Loquebatur incongrua, male cohærentia absque furore aut vehementia aliqua, faſtidivit omnem cibum & potum; *Ewattingæ* renuit aſſumere *aq. apoplect.* petiit ne calida dentur: effatus eſt ſæpe *verba latina & germanica*, ſed non ad rem ſpectantia, nec quæſitis reſpondentia. Noctu multum dormivit, expergefactus eandem cantilenam repetiit, unius alteriusve vocabuli enuntiationi diu inhæſit, ac ſubinde innuit ſe non poſſe mentem ſuam verbis exprimere. *Die* 10. *Jul.* 1683. *veſperi Bondorffium veni.* Comperi ſtatim illum omnium nominum oblitum eſſe, nam neminem ſuo nomine compellare, nullam rem ſuo nomine *vel latine vel germanice* inſignire valuit; præbuit quidem indicia, ſe res & homines agnoſcere, verum nomina non ſuccurrebant; conabatur quandoque animum de una vel altera re explicare, verum deſtituebatur verbis & quæ pronuntiabat

aliena & male cohærentia erant: non febricitavit, non ſitiit: artus omnes movit pro lubitu. Præter *veſicatoria cervici*, *carpisque applicita*, *internæ tibiarum parti ſub genu duo alia* appoſui. Circa 7. veſp. comedit juſculum. Hor. 9. noct. dedi *pil. ceph.* ℈ß. *aq. beton. ſolut. c. paux. Elæoſacch. ceph.* circa medium noctis vehementer ad alvi ſolutionem ſtimulabatur, cum impetu è lecto proſiliit, locum ordinarium exonerationi deſtinatum aditurus; cum prohiberetur pavimenti angulos hinc inde conſpurcavit non ſine indignatione. Hac nocte parum dormivit. *Die* 11. *Julii* mane ſuaviter dormire cœpit. Subinde ſumſit *unum alterumve cochl. aqu. betonic. in qua elæoſacch. cephalicum ſolutum fuit.* Memoriæ abolitio quoad rerum nomina manſit nec legere valuit. In prandio comedit juſcul. & pruma damaſcena, bibit *decoct. ſaſſafr.* & *paſſul. min.* Poſt prandium placide rurſus dormivit: veſperi unum alterumve verbulum rurſus congrue proferre & aliquoties apte ad quæſita reſpondit etiam aliquot verba legit, ſine fulcro incedit nec eundo nutat. Circa 9. noctis *dorſo utriusque pedis veſicatoria* applicui. Urina in matulam emiſſam in lectum, fovea prius facta, obliviosus effudit: erat tincta ſubſidente materia quadam quaſi farinacea ad digiti altitudinem.

Die 12. *Julii* mane memoria maximam partem rediit, pleraque nominare valuit, *Orationem Dominicam* & *Symbolum Apoſtolicum* citra hæſitationem pronuntiavit, multa invaſionem hujus morbi præcedentia enarravit appoſite; obſervavi tamen verba non tam prompte ſubinde ſuccurrere, adjutus tamen pauculis verbis narrationem pertexere valuit: *aq. beton. cum elæoſacch. cephal.* libenter ſumit: inter alia narravit pridem & rurſus ante annum ſenſum quendam formicationis à carpo manus ſiniſtræ per totum brachium ad maxillam inferiorem & laryngem aſcendiſſe ac loquelam per momentum intercepiſſe, idem ſymptoma oblivionem præceſſiſſe. Obambulavit ſine ulla titubatione, nec vertigo moleſta erat; ajebat tamen caput aliquo modo obtuſum eſſe abſque tamen dolore: viſui nebulam quandam obverſari, coxam dextram dolere, ita tamen ut ab inceſſu dolor remitteret: brachia ponderoſiora ſolitò eſſe, quæ tamen pro lubitu movit. Pranſus eſt bene, ipſemet cibos ingeſſit, quod hactenus non factum fuit: bibit aliquoties ſiti hodie primum urgente: ſubinde inter diſcurrendum verba non ſuccurrebant, facile tamen patuit memoriam plurimum reſtauratam fuiſſe: in cœna conceſſi parum vini aqua diluti, unde ſitis ſedabatur. *Die* 13. *Julii* mane caput doluit in fronte potiſſimum: urina fuit minus tincta cum ſedimento multo: loquebatur ſane & rerum œconomicarum rurſus curam habuit. *Mane hora 6. dedi* ℞ *Pil. cephal.* ℈ß. *in*

aq.

aq. beton. ſolut. verum vix *ultra grana xxiij.* deglutiit; bis inde dejecit fuſca, viſcida, pultacea valde fermentantia: tormina effecerunt. Hodie bibit vinum aq. dilutum ſine noxa: veſperi doluit brachium dextrum & genu ſiniſtrum. Noctu bene dormivit ſine inſomniis. *Die* 14. *Jul.* Pulſus & urina naturales, mane ſudavit, memoriam magis magisque ſuum vigorem recuperare ſentit. *Fonticulum in brachio ſiniſtro juſſi.* Alvus ſolvebatur ſponte.

Analyſis.

MEmoriam apud Rev. D. P. primum imminutam *d.* 9. *Jul.* mane ex ſermone & actionibus quibuſdam conſtat, veſperi vero penitus abolitam fuiſſe ad veſperam *Die* 12. *Julii* inde manifeſtum, quia neminem accedentium etiam notiſſimorum ſuo nomine appellare nec ullam rem *ſive vernacula ſive latina lingua* nominare valuit, ac ſi ſolorum nominum oblitus fuiſſet. Intellectum ſimul aliquid paſſum fuiſſe, inde patuit, quia viæ *Ewattingæ* oblitus fuit & domi urinam matulâ exceptam foveâ prius factâ in lectum plumaceum effudit, non tamen penitus ereptus fuit, nam *Ewattingæ* confeſſus eſt, licet confuſe; cum vomitus inſtaret in vicinum ſtabulum cucurrit; domum equitans vertigine afflictus oculos clauſit, quod antea ejus remedium comperit: domum redux veſtibus ſe conſueto more exuit, ſeque ad quietem in lecto compoſuit, *à purgante* ſtimulatus locum ſeceſſus conſuetum adire voluit, prohibitus nihilominus angulos ſecretiores quæſivit: nutibus indicavit ſe amicos & familiares noſſe. *Medicis* obtemperavit in ſumendo cibos & medicamenta, ab aliis hæc oblata reſpuit: *aq. apopl. cum ſpir. vini paratam ceu calefacturam* ſumere renuit: inprimis ratione illum valuiſſe inde conſtat, quia ipſemet apud ſe toto tempore, quo nominum penitus oblitus fuit, animadvertit ſe falſa nomina rebus imponere, nec ſe id ob morbum quendam poſſe, quamvis velit. Graviter tamen intellectum impeditum fuiſſe, vel inde patet, quia non amplius legere nec preces etiam familiariſſimas concinnare valuit. Quamvis omnia perturbata in cerebro ſenſerit, tamen non deliravit, cum ſpecies memoriæ creditæ potius obliteratæ quàm turbatæ fuerint; inſuper non febricitavit, unde minus de ſpirituum turbatione ſuſpicandum. Nihil apoplectici adfuit, quia omnes artus movit, omnia verba omnes literas bene enuntiavit: *Ewattingæ* cucurrit, equum conſcendit, & ſolus deſcendit, ſemet veſtibus exuit. Nec obſtat ſenſus formicationis in brachio ſiniſtro cum impotentia; nam ille videtur potius aliquid convulſivi quàm paralytici minari, nam ſerpit ad maxillam inferiorem ibique dolorem & in larynge moleſtiam parit cum aliqua vocis inter-

interceptione : & hunc ſenſum aliquoties ante hanc memoriæ deperditionem percepit, manente ſemper motu artuum.

Intra cranium partes affectas eſſe plurima ſunt, quæ id probant: ſcil. dolor quidam gravativus in vertice & ſyncipite utrinque, vertigo titubans, proclivitas ad caſum, memoriæ hallucinatio quædam & recordatio proxime actorum ablata, lingua minus volubilis; denique ipſa memoria nominum brevi temporis ſpatio penitus ſublata cum multo ſomno : & cerebrum non ſolum in cortice, ſed etiam in baſi circa thalamos opticos læſum videtur, quia ante plenam memoriæ extinctionem viſus obſcurabatur, ut nihil diſtinctè cerneret.

Cauſa proxima hujus abolitionis memoriæ non eſt ſanguis extravaſatus vel in vaſis ſtagnans, quia non deliravit, nec alias actiones læſas habuit, quæ ſanguinis hujusmodi vitia ſequuntur : ſed ſerum, quod facile à ſanguine ſegregatur, minutos poros ſubit, & forte ſpirituum animalium ut & ſeminis materia eſt. Effecit hanc omnium ſpecierum ſeu imaginum reconditarum obliterationem dum copioſius, quam decuit, irruit ; quod etiam confirmat viſus obfuſcatio aut nebula oculis obverſans & ſomnolentia nimia. Serum cauſam eſſe probant quoque juvantia *ſcil. veſicatoria & purgantia* ſerum à capite revellentia. Sero aditum pararunt nimiæ defatigationes jam ab annis continuatæ, unde diu ante ultimum inſultum ejus prodromos ſenſit, ſc. vertiginem, laſſitudinem ſpontaneam, memoriæ quasdam hallucinationes, ſtupores & ſenſum formicationis brachii ſin. ſomnolentiam &c. Etſi occupationes ſero aditum in poros fecerint, illosque ad hunc affectum diſpoſuerint, illud tamen cum impetu irruiſſe videtur, quia 6. 7. & 8. *Jul.* nihil horum animadverſum fuit. Impetui anſam dederunt potus 6. cyathorum *acidularum*, iter pedeſtre & equitatio, nam poſt hæc jam major labes memoriæ obſervabatur, augebatur à vomitu, quo cerebrum, ut ipſemet ajebat, valde ſuccutiebatur.

Quia poſt pauca & non ſæpe repetita revellentia citra ullius ſenſus labem aut motûs impotentiam memoria reſtituta fuit, inpoſterum quoque melius ſperandum erit.

Ad plenam ſymptomatis extirpationem & præſervationem à recidiva, ſerum à capite revellendum, affluxum diſſipandum, cerebrum & tonum fibrarum roborandum. Ideo *remedia* juxta accuratam diætam diu ſequenti methodo continuanda.

1. *Mane & veſperi hora* 5. ſumat ʒß. *hujus pulv. cephal c. aq. beton.*
℞. *Pulv. ſpecif. compl.* ℥j. *Pil. reg. compl. Num.* j. ♁ij *diaphor.* ʒij.
⊖ *volat. lumbr.* ℈ß. *ol. nuc. moſch. gr.* iij. *Tabul. man. chr. perl.* ʒiij. *Mſc.*

2. *Sep-*

2. *Septimo quoque die duabus horis poſt parcam cœnam* deglutiat *pilulas cephalicas Num. xj. vel xij.*

3. Conſtipato injiciatur *Clyſter ex vitell. ovor. ol. oliv. mell. juſc. carn.*

4. *Fonticulus apertus* ſervetur nec aufferatur caro luxurians.

Si paroxyſmus rediret, excitarentur in utroque cubito & tibia *veſicæ*: dareturque ſtatim ℨß. *pil. ceph. aq. beton. ſolut.* ſumeret ſæpius *cochl. j. hujus mixtur.*

℞. *Elæoſacch. ceph.* ℨij. *Rob. de rub. id. cochl. ij. aq. beton. fl. til.* āā. ℥iij. *Mſc.*

Bibat *decoct. ſaſſafr.* victus ratio conſtet ex cibis boni ſucci, facilis coctionis &c. vitet piſces, paſtas farinaceas, acetaria, fructus crudos. Vinum ſemper inpoſterum diluat aq. fontana. Contra injurias aëris probe ſe muniat.

II.

Rev. Dom. P. die 14. *Auguſt.* 1683. *rurſus Bondorffii conveni.* Valetudinis ſtatus hic erat. Noctu bene dormit, quandoque profunde absque inſomniis vel rariſſimis, illisque nec terrificis nec de aquis, ſed plerunque jucundis. Raro in ſomno ſudat. Mane quando evigilat, ſentit ſe à ſomno refectum & agiliorem eſſe: oculi quandoque aliquantulum coaleſcunt, ſed levi opera illos aperire valet; plerunque mane madent, levicule tamen: tinnit tunc quoque auris ſiniſtra etiam interdiu, cerumen eſt flavum aut pallidiuſculum non copioſum. Frons adhuc ſubinde dolet: dolor eſt gravativus ac ſi liquor aliquis intra cranium ſtagnaret, nam foris ab attactu non dolet; quandoque tenſivus eſt ac ſi chorda ab uno frontis angulo ad alterum protenſa eſſet, quandoque ad radicem naſi pertingit ac moleſtiam hanc corrugata fronte abigere conatur, quod non raro fit: aliquando dolores punctorios ſed momentaneos in utroque tempore percipit: dolor nunquam eſt pulſatorius nec vehementer lancinans. Eundem dolorem quandoque interdiu percipit, ſed non tam diuturnum nec tam moleſtum prout ante memoriæ abolitionem paſſus eſt; nec caput ita ſtupidum & perturbatum redditur, ut pridem fiebat. Vertiginem quoque non amplius, ut ante oblivionem contigit, tantam animadvertit; ſi caput ſubito volutet, ſubito ejus reliquias obſervat, cum fluctuatione quadam intra frontem: nuper totum corpus aliquoties in gyrum verſavit, citra vertiginis attractionem: etiam impune rurſus ex alto deſpicere, ſine ulla perturbatione licet. Nares plerunque ſiccæ ſunt, niſi coryzâ affligatur, quod fere fit Autumno & Vere; ſubinde ſternutat, ſed abſque vehementia. In memoria vix ulla labes amplius obſervatur; in rationibus audiendis & reddendis ex officio numerat, addit, ſubtrahit, dividit ſine ullo

ullo errore, omnium recordatur; quandoque nomina propria hominum & locorum, quandoque unum alterumve verbulum non tam prompte, ut pridem, ſuccurrit; poſt brevem tamen moram congrue exprimit. Legit iterum & integras literas citra interruptionem ſcribit; verum nec lectionem nec ſcriptionem diu continuare audet, timens novam perturbationem. Judicio optime valet. Muneribus ſuis ut pridem fungitur. Actiones naturales & vitales optime perficit. Appetit, non ſitit, alvus quotidie aperta eſt. Ex quo vinum aquâ diluit, urina eſt tenuis & pallida. Pulſus naturalis, facile ſpirat & bene coloratus eſt ac carnoſus: non delaſſatur. Nuper lumbi doluerunt circa os ſacrum.

Die 15. *Auguſti utrique cubito veſicatorium applicui* ad cauſam doloris gravativi in fronte aufferendam. Mediocrem ſeri pallidi copiam eduxerunt. *Fonticulus* pus coctum ſuppeditat. Ante meridiem ultra horam in campum equitavit, domum redeunti doluit frons in dextro latere, dolor erat gravans ſenſitque fluctuationem: dolor non diu duravit, inde ad palpebram ſuperiorem deſcendit inſtar ponderis alicujus, quod primum putavit frontis interiora gravaſſe. Hora 3. veſpertina rurſus equitavit: equitando nihil adverſi ſenſit, ſed poſtquam ex equo deſcendit per locum declivem inter eundum putavit cerebrum quaſi vacillare, à quiete ſtatim remiſit: id aliàs quoque patitur in deſcenſu declivium. Cœnavit bene, ſitiit à motu, unde vinum magis diluit aquâ. Poſt cœnam ſenſit tenſionem in occipite ſed momentaneam. Noctu bene dormivit, nec audivit ventum validiſſime ſpirantem.

Die 16. *Auguſti.* Urina magis erat ſpicea tenuis cum ſedimento tenuiſſimo ſabulo depreſſo. Ante 6. matut. ſumſit 13. *pilul cephalic.* circa 8. ſalivam moverunt & nauſeam excitarunt, in capite inprimis in fronte moleſtiam quandam percepit dicebatque ſe intelligere aliquid p. n. ibi reſtitare. Quia à triduo alvum non ſolvit, quod frequenter ipſi evenit, primum fœces induratiſſimas & quaſdam in magnum cylindrum coactas copioſiſſime egeſſit, hæmorrhoides rumpentes, unde cruore obducebantur. Poſt horam dimidiam ultra menſuram liquoris turbidi, gryſei, viſcidi egeſſit, poſtea non amplius manſit in lecto ad 11. A longo decubitu caput obtuſum evaſit & doluit occiput. Pranſus eſt mediocriter, ſitiit: hor. 1. pomerid. dejecit gryſea, fere plane aquea, turbida bis copioſe; veſp. flava, quibus immixta erant particulæ albæ concretæ inſtar vermiculorum minutorum magnitudine ſem. oryzæ etiam minores. Cœnavit cum appetitu plus quàm in prandio: noctu optime dormivit.

Die 17. *Auguſti.* Caput mane leve erat, nihil tenſivi, gravativi aut pungentis ſenſit: illud pro lubitu celeriter verſare valet nulla ſuperveniente fluctuatione aut ullo vertiginis ſenſu, quod tamen hucuſque

que fere evenit. Alvum ſolvere nequiit, quamvis tentarit, flatus tamen excluſit, ſed ſine fœcibus. NB. Inter loquendum obſervavi illum quandoque contra ſyntaxin impingere & contra phraſin germanicam unum verbum alteri præponere nec quandoque unum alterumve verbulum terminare. Ipſemet errorem plerunque agnoſcit & corrigit. Deinde inter colloquendum inſtar meditabundi loquitur, quod ideo facit, ne forte impingat minusque intelligatur. Toto die bene habuit, caput inprimis leve & ſerenum eſſe dicebat; nec ſe miſſam audentius à longo tempore & ſine ulla hæſitatione ac hodie celebraſſe. Cœnavit bene.

Die 18. *Auguſti.* In eodem ſtatu manſit, nocte prægreſſa bene dormivit. Ad alvi ſolutionem ſtimulabatur, ſed nihil niſi flatus excluſit: id tamen alias *poſt purgationem* fieri ſolebat

Die 26. *Septembr.* 1683. *Gravenhusâ Bondorffium* vento frigido & nivoſo vehementer flante equitavit, indutus adhuc erat veſtibus æſtivis; ventus faciem & pectus valde feriit in ſummitate *ſylvæ Martiæ;* frigori ultra 2. horas expoſitus fuit: domum redux vix calefieri potuit: nihilominus ſolito more horas canonicas abſolvit; loquebatur ſine hæſitatione, lectum petiit; noctu dormivit.

Analyſis.

SUpereſſe intra cranium humorem quendam gravantem & quaſi reliquias cauſæ nuperæ oblivionis conjicere licet ex dolore gravativo, fluctuationis ſenſu, vertigine & minus prompta recordatione uniûs alteriusve nominis aut verbi. Verum quia ſymptomata hæc non ſunt continua & plerunque etiam momentanea, illas paucas eſſe oportet. Verum quia cerebrum debile eſt, ſeu locus ubi humor extravaſatus admiſſus fuit, laxus eſt tonusque fibrarum debilitatus; quia etiam continuò C. S. ſingulis momentis ſimilis humor appellit & in M. S. quotidie rurſus è cibo, potu & aëre maxime autumnali pluvio & nebuloſo generatur & cumulatur, non deſiſtendum videtur ab humoris iſtius evacuatione, revulſione & partis laxæ coarctatione & roboratione ac humoris intra cranium ſuperſtitis conſumtione: itaque hæc ſuaſi.

1. *Singulo mane* ſumat ℈j. *pulv. cephal. menſ. Maji præſcripti:* quo conſumto hoc impoſterum utatur.

℞. *Trag. ſtomach. ſ. offic.* ℥j.
Pil. Reg. compl. No. j.
C. C. ph. ppr. Ungul. alc. ppr. āā. ℈iß.
Diaphor. ♃*al.* ℈ij. *Pulv. ſpecif. compl.* ℥ß.
Ol. N. M. expr. gr. iiij.

Tab. man. chr. perlat. ℥j. *Mſc. F. P.*
Divid. in xxxij. doſ. æquales. D. ſingul. ſeorſim ad Chart.

Sumat cum aq. verben. beton. vel fl. til. mane quamprimum licet.

II. Naribus obſtructis attrahat quandoque *mane parum pulv. Errhini*
℞. *Tabac. virgin.* ʒiiß. *Pulv. ſternut. pretioſ.* ʒiß. *Mſc. F. Pulv.*

III. Semel in menſe triduo ante vel poſt novilunium ſumat inpoſterum *has pilulas ſemper recenter parandas.*

℞. ☿ *dulc. gr. xv.*
MP. cephalic. gr. xij.
C. gumm. Tragac. q. ſ. Mſc. F. Pil. No. xiij. de ☉. *mane ſumend. c. ſyr. rubr. Id. vel ſimili.*

IV. *Vena ſecanda d. 26. vel. 27. Septembr. in brachio ſiniſtro* emittendo *uncias ad ſummum quinque.*

V. Quia *ſcarificationi* aſſuevit, ſemel illam ante hyemem admittere poterit: poſtea illam intermittat *ad Februarium* ſequentis anni.

VI. *Præſidium* vero *præcipuum* contra hanc oblivionem ſtatuo *veſicatoria:* illa ſtatim applicanda ſi ſupra notata ſymptomata incrementa ſumant quocunque tempore id ſit: ſi mitia, ſufficit una vice duobus in locis applicare ſc. aut in cubitis aut poſt olecrana; aut in parte interna vel externa fœmorum ſupra genua; aut in parte interna vel externa tibiarum: ſi vero vehementia ſint & aliquandiu continuent, applicentur quatuor in locis; imo urgente neceſſitate etiam dorſo pedum imponi poſſunt. Modum applicandi & rurſus curandi norunt.

VII. Inprimis accurata diæta obſervanda. Aer pluvioſus & nivoſus valde noxius: tunc temporis maneat in hypocauſto temperato. Cubile quoque noctu non nimis frigidum & humidum ſit. Veſcatur cibis boni ſucci & facilis digeſtionis: ſcil. carnibus bubulis junioribus: vitulina, agnina, hœdina: pullor. avium montan. ferinis junioribus. Truttis aſſis & elixis cum macere, caryoph. Luciis. Ovis ſorbilibus. Fructibus & oleribus recentibus coctis. Pultibus ex oryza, farin. cum ovis in lacte coctis. Vitet bubulam adultiorum animalium, ſuillam, ovillam, ferinam adultiorem: omnem carnem ſalitam & fumo induratam: piſces glutinoſos ſcil. carpiones, barbas &c. ova ad duritiem cocta aut butyro frixa. Placentas nimis denſas & ponderoſas, paſtas farinaceas. Braſſicam muria aut alias herbas ſimiliter conditas. Vinum ulterius aqua diluat. ſtatim à paſtu nec legat nec ſcribat aut dormiat. Bene faciet, ſi ſubinde etiam ante paſtum obambulet aut equitet cœlo ſereno exiſtente. Si ſomnus pomeridianus urgeat 2. vel 3. horis

ris à paſtu in ſella ſedenti nihil nocebit per hor. quadrant. Alvus quotidie aperta ſit, id obtinebit, ſi aſſueverit quotidie mane horâ ſtatâ ſellam petere : item ſi cibis laxantibus dimidiâ horâ ante quemlibet paſtum veſcatur ſcil. prunis, pruneolis, pomis dulc. & herbis viridibus cum butyro coctis, item butyro cum pane. A multitudine negotiorum, quæ valde affligunt, ſibi temperet, & ſe à moleſtioribus & magnam ſolicitudinem requirentibus levandum curet & exoneret.

Si iter ineat, ſecum ſumat *Balſam. Cephal. ſuccin. It. Elæoſacchar. cephalic.* ut in mentis perturbatione *balſamo* ſe inungere *& Elæoſacch. cochl. j. vel in aq. quadam cephal. vel fontanæ ℥iiij. diſſolvere & ſubinde cochl. j. vel plura* deglutire poſſit, donec *Medicum* aſſequatur.

Tragea poſt paſtum diebus abſtinentiæ paretur *ex cinamom. nuc. moſch. mac. cubeb. ſacch.*

Die 27. Septembr. Ipſum conveni : quatuor in locis veſicatorium impoſitum fuit. Memoriam magis magisque invaleſcere dixit. Nuper vino nimium aqua diluto appetitum amiſit & tormina paſſus eſt. Vino minus diluto melius ſe habuit. *Veſicatoria* ſequenti die magnum ardorem effecerunt. *Die 29. Sept.* ſumſit *pilul. ex ♀io dulc. pil. cephal.* dejecit ſexies, poſt quartam dejectionem ad vomitum ſtimulabatur. *D. 2. Octobr. V. S. fuit*, non multum ſanguinis emiſit : in primo vaſculo liveſcebat, in ſecundo rutulus fuit. Indies in capite melius ſe habet.

Die 13. Januar. 1684. A Menſe Novembr. hucuſque *pilul. cephal.* non ſumſit. *Veſicatoria* ſingulis 14. diebus adhibuit. Continuavit *pulv. cephal.* Caput non dolet. Quandoque oculi figuntur, quaſi, ut ab ipſomet & adſtantibus animadvertatur. Obtutus iſte fixus videtur originem ducere à vita meditabunda multumque in ſcribendo occupata : miſi rurſus *pulv. cephalicos.*

III.

Rev. D. P. Bondorffii rurſus d. 9. Aprilis 1684. conveni. Habitus corporis erat carnoſus, robuſtus, facies bene colorata. Appetit, quotidie alvus officium facit, ſi tardet, ſtatim illam *pauxillo Crem.* ♀ movet, ante prandium ſumto. Optime noctu dormit, nunquam interdiu. Obambulat, equitat ſani inſtar. *Circa finem Martii* redux è *monaſterio St. Blaſii* catharro correptus fuit ſcil. coryzâ & broncho : à tuſſi caput obtuſum fiebat, mucus narium copioſe prodiit, ſputum quoque multum ejicit, duravit hodie adhuc tuſſis. A catharro gravatur in fronte circa ſupercilia magis ac antea, nam gravatio prope penitus

ceſſavit: aliquando vergit verſus radices oculorum, indeque ſi intente videre velit, aliquo modo viſus obnubilatur per momentum: non imminuitur viſus, nam characteres minutiſſimos legere valet. Legit *Theologica*, *Hiſtorica* ſine hæſitatione, intelligit omnia & lectorum recordatur: inter loquendum non prompte quælibet verba ſuccurrunt, unde cunctabundus inter diſcurrendum & hæſitans videtur. *Latina verba* promptius ſæpe ſuccurrunt, quàm *Germanica*. Numerando pecunias aut rationes ſubducendo non nunquam, ſi diu continuet, aberrat, ſtatim tamen errorem rurſus corrigere novit. Literas omnes accurate pronuntiat: lingua ſatis volubilis eſt. Nullam nunc vertiginem patitur. Paulo difficilius ſpirat & pectus gravatum eſt à catarrho, ejecto ſputo ſpirat optime. Pulſus eſt robuſtus, optimus: urina tenuis & ſpicea. Ab ultima viſitatione *nullis medicamentis* uſus eſt. Nunc contra catarrhum utitur *conſerv. roſar. r. cum theriaca* & ſubinde *crem.* ♀. ſuaſi ut *purgetur pilul. cephal. triduo ante V. S.* quæ 6. *Maji* celebranda: emittendo ℥vj. ſanguinis ex brachio dextro. *Scarificationem* rurſus admittat triduo ante novilunium antequam æſtas veniat. *Fonticulum* apertum ſervet: pruritum tollat *lact. virg.* ſingulo mane ſumat jentaculum & poſtea *Trag. cum pane toſto & vino emollito.* Si in campum eat, veſcatur *fruſtulo tabell. arom. offic.* *Vinum Majale* paretur *ex fol. beton. ſummitat. majoran. borrag. bugl. chærefol. pimpin. veron. card. ben. fragor. ling. cerv. matriſylv. caryophyllat.* Æſtate ſumme fervente bibat *hauſtum unum alterumve acidularum.* *Veſicatoria* omittantur, niſi inſignis perturbatio obſervetur. Victûs rationem præſcriptam obſervet. Mane ſcil. poſt ſomnum 7. vel 8. horarum memoria aliorumque ſenſuum internorum actiones magis vegetæ ſunt. Verſus prandium hebetiores evadunt, quamprimum comedit, ſtatim rurſus promptiores redduntur.

Die 29. Junii 1684. Excell. D. D. Brunnerus ipſum convenit. à V. S. & purgatione optime ſe habuit, hinc inde iter fecit: *è S. Blaſio* intenſo æſtu rediit: famula ait fixis oculis res intuitum eſſe. Hac nocte bene dormivit, poſtquam ſurrexit bene ſe habuit: rurſus iter meditabatur *ad St. Blaſium.* Circa decimam antimeridianam, quum componendis rationibus ſe defatigavit, memoria rurſus turbabatur cum dolore capitis & ſenſu formicationis in manu dextra, præſertim circa apices digitorum, quiete & à prandio melius omnino ſe habuit. Suaſit ipſi 1. *Veſicat.* 2. *pulv. cephal.* 3. *aquam cephal. cum ſp. C. C. ol. d. ſuccin.* 4. *pilul. cephal.*

Die 12. Auguſt. rurſus ipſum cum D. D. Brunnero conveni. Quum

nuper

nuper plus ſolito bibiſſet, mœſtus evaſit, lachrymatus eſt, formidine mortis correptus, ultimum diem imminere dixit. Pedes imbecilles erant. Interim agendorum memor fuit, preces melius ſolito recitavit. Quoad actiones naturales nullum vitium animadvertitur, ſi mens quieta ſit, nec multum erronei in ſenſibus internis obſervatur: at ſi iraſcitur, mœret &c. ſtatim minus ſibi conſtare videtur. *Fonticulus* egregie manat. *Die* 13. *Aug.* mane bene ſe habuit. Urina pallida. Somnum pomeridianum evitavit: ſcripſit & loquendo animi ſenſa expreſſit, ſed non tam expedite uti pridem. Dormivit tota nocte. *D.* 14. *Auguſt.* poſt prandium aleis ludens, obſervavi inter ludendum illum numerando & talos locando multum erraſſe, nec eo mentis acumine præditum eſſe ac erat etiam poſt hujus morbi invaſionem. *Die* 15. *Auguſt.* mane ajebat ſe de omnibus melius cogitare potuiſſe ac prompte & ſine hæſitatione miſſam celebraſſe: inter colloquendum tamen obſervavi illum quandoque verba vitioſe transpoſuiſſe ac ſubinde uno atque altero verbulo non ſtatim ſuccurrente, hæſitaſſe. Urina ſpicea erat cum ſedimento bono. Pedes hora 9. noctis œdematoſi obſervabantur.

Itaque *cum D. D. Brunnero,* quia actiones naturales & vitales bonæ & integræ, ſuaſi 1. *pulv. cephalic.*

℞. *Pil. reg. inc. No. j.*
C. C. ph. ppr. Ungul. alc. ppr. ãã. ʒij.
Radic. pœon. ʒj. *Cubebar.*
Cinnab. ♃. ãã. ʒß. *Ol. d. ſuccin. gtt. ij.*
Ol. d. majoran. roriſmar. ãã. *gutt. iij.*
Tab. man. Chr. perlat. ℥ij. *Mſc. F. pulv.*
Divid. in 24. *doſ. æquales.*

2. Ob urinam ſpiceam ſumat à paſtu ʒj. *Trag. ſtom. ſ. offic.* 3. Noctu cubitum iturus *de mixt. ex aq. beton. fl. til. ſp. C. C. ol. ceph. &c. cochl. ij.* 4. *Ante novilunium & plenilunium* ſumat *pilul. cephalic.* 5. *V. S. die* 4. *Sept. in brachio ſiniſtro.* 6. Si caput valde turbetur *Veſicatoria* repetat: ſi non juvetur ab illis, aliquando *toti cuti capillatæ* imponatur.

Die 25. *Sept.* 1684. *Rev. D. P. in hoc valetudinis ſtatu reperi Bondorffii.* Appetit bene & fere plus quàm dum ſanus erat ac dum ſuis graviſſimis negotiis vacavit: non ſitit, à cibo non gravatur, ſubinde poſt paſtum eructat, alvus aperta eſt, urinæ naturales: reſpirat facile, pulſus eſt bonus. Omnibus ſenſibus externis integre valet, noctu bene dormit, interdiu non eſt ſomnolentus & ſibi à ſomno meridiano

no temperare novit. Memoriæ labes nunc magis nunc minus eluceſcit, quandoque ad nutum verba ſuccurrunt, & longum ſermonem citra hæſitationem texere valet: quandoque non tam promte congruorum verborum meminit & cum indignatione quadam per circumſcriptionem aliquam animi ſenſa explicare cogitur: ſi vero vel tantillum ab adſtantibus adjuvetur, orationem ſatis congrue abſolvit. Obſervatum, illum horas canonicas ſubinde non debito ordine & facilitate conſueta perorare potuiſſe, quando nimirum non continua ſerie textus collocatus fuit, ſed hinc inde foliis verſis tota colligenda fuit. Hoc potiſſimum eveniſſe obſervabatur, ſi ſolus animum variis curis afflixit & à melancholia quadam perturbabatur, ad quam pronus eſt & à juventute ſcrupuloſus, ut vocant, fuit: evenit etiam ſi negotiis obruatur aut ſi nimis ingenium fatiget: item ſi præter ſolitum pluſculum bibat. Cæterum legit & ſcribit ſatis diſtincte. Jam à tribus ſeptimanis ab horis canonicis legendis item à miſſæ celebratione abſtinuit. Si animus perturbetur, facile ab amico alloquio rurſus ſedatur. Cœlo pluvio & frigido ante meridiem & poſt prandium ad veſperam nulla labes animadverſa fuit: poſt 4. hor. mœrore quodam correptus fuit ac ultimam horam adſtantibus dixit ac ſacris ſibi proſpici voluit: ſenſum formicationis in digitis manus d. inprimis ſenſit, labia ad latus diſtorquebantur, & inter loquendum lingua minus expedita videbatur: querebatur de frigoris moleſtia: hypocauſto calefacto ab amicis ad meliorem ſpem erectus omnia hæc ſymptomata ſponte evanuerunt. Hæc contingebant *die* 19. *Septembr.* *die* 20. ſequente omnem metum mortis exuit, hilaris fuit, expedite loquebatur, ſtupor evanuit, nec os incurvabatur amplius. Cæterum nullam vertiginem ſeu titubantem ſeu gyroſam à longo tempore expertus eſt: omnibus artubus & digitis pro lubitu utitur: obambulat etiam acclivia ſcandendo. Caput non dolet, quando vero Melancholia fortius affligitur, aut ſi memoria imbecillior eſt, ſentit tenſionem quandam in temporibus. Sudaret mane, ſi velit, in lecto: *Fonticulus* egregie manat. Monetas cujuscunque generis illarumque valorem novit, in numerando tamen, ſi diu continuet, tandem impingit.

Die 5. *Octobr.* 1684. *Ad Reverendiſſimum Dominum Abbatem ſui causâ Bondorffio ſcripſi*; intra calvariam & in poris medulloſæ ſubſtantiæ cerebri non adeo magnam colluviem ſeroſam latere; cum omnibus ſenſibus externis valeat: memoria quoque non uſque adeo vitioſa ſit, ſi animus tranquillus, nec vel ab offenſione vel gravioribus negotiis vel melancholiâ vel aëre frigido & humido turbetur: nec ullam vertiginem patiatur & motu animali valeat. Cum quoque non vel rariſſime caput doleat & ſolum in fronte tenſionem experiatur, quando memoriæ labes & melancholia invaleſcunt. Addidi integram

valetu-

dinem ſperari poſſe, ſi tranquille vivere concederetur, ita tamen ut à negotiis non penitus avelleretur, quod aſſequi liceret, ſi relinqueretur *Bondorffii*, ſi ſocius gratus, & cujus mores tolerare poſſet adjungeretur, qui ipſum ſuavi alloquio demulceret ac ſemper ad meliorem ſpem erigeret. Porulos etiam & meatus intra cerebrum laxiores & tonum fibrarum labefactatum à perpeſſo morbo exiſtimo, quia *die* 19. *Septemb.* cœlo pluvio à frigore torturam oris & linguæ quandam imbecillitatem ac digitorum formicationem paſſus eſt, ſcilicet ſero ad interiora à frigore pulſo: ſed paucum ſerum admiſſum fuiſſe exiſtimo, quia brevi à quiete ceſſavit, ſurrexit, cœnavit, hilaris fuit & hucuſque *ad* 5. *octobris* nec minima quidem menda obſervata fuit, quamvis *nullum medicamentum* adhibitum fuerit. Abiturus ſuaſi, ut mane ſumeret 1. *vel 6. rotulas cephal. vel doſin conſuetam pulv. cephal. cum aqu. ſalviæ* 2. *Trag. cephal poſt paſtum.* 3. *Pilul. cephal. triduo ante vel poſt novilunium.* 4. *Veſicatoria* applicentur ante vel poſt plenilunium. 5. Pergeret *Balſ. cephal.* Diætam pridem præſcriptam accurate obſervet, inprimis omnem mœrorem excutiat.

Die 17. *Novembr. D. D. Brunnerus ipſum tranſeundo inviſit:* nuper coryzam paſſus eſt & bronchum, quo multum blennæ viſcidæ excuſſit cum ſanitatis emolumento: belle ſe habet. Diem hebdomadæ & menſis hodie ſine hæſitatione monſtravit, quod aliàs non licuit, appetit egregie: alvus aperta eſt quotidie: *fonticulus* egregie fluit: pulſus eſt robuſtus. Pergat *præſcriptis.*

D. 9. *Febr.* 1685. *Filius meus Joh. Conradus ad Rev. D. P. Bondorffium venit.* Sæpius lachrymas ſine cauſa fundit. Majorem labem memoriæ ac pridem obſervabat, pauca verba vix appoſite profert. Nec diem hebdomadæ nec menſem anni in calendario ſine hæſitatione monſtrare potuit: in fronte obtuſitatem quandam percipit, ſi aliquid recordari vult, ſæpius frontem fricat. Vertiginem nullam ſe ſentire dicit, impune ab alto proſpicit. Obambulat &c. Nunc vix à ſomno pomeridiano ſibi temperat, à ſomno diurno caput magis obnubilatur: modice cœnavit. *Veſicatoria* retro ambo olecrana impoſui, quæ *ſeq. die* 10. *Febr.* magnas veſicas excitarunt multum ichoris fundentes, nocte bene dormivit, caput nunc leve eſſe dicebat, obtuſitatem in fronte evanuiſſe, horam diei etiam ex horologio novit. *Fonticulus* optime manat: pulſus & urina naturales ſunt: vix duas lineas ſine hæſitatione legere valet; præterita nocte ſurrexit, quod ab initio neſcire voluit, tandem hujus ſe reminiſcebatur. Coryza ipſi permoleſta eſt, oculus d. inde dolet. Poſt meridiem dormiturit, ac ſe lecto ad ſomnum

ſomnum capeſſendum committere cogitur. Utitur *mane rotulis & Trageâ poſt paſtum.*

Die 11. *Februarii* 1685. bene dormivit, nunquam ſurrexit, mox etiam à minimo ſtrepitu evigilat, e naribus mucum flavum viſcidum copioſe excernit, coryza remiſit ut & oculi dextri dolor, dicit caput ipſi nunc leve eſſe nec amplius obtuſum. *Verba germanica* inter diſcurrendum non rite conſtruit, hoc animadvertens ſe corrigit ſæpius: plures lineas hodie ac heri ſine hæſitatione legit. Abiturus ſuaſit, ut per aliquot dies *M. & V.* ℥ß. *pulv. cephal. cum aqua ſalviæ* ſumeret, ſæpius interdiu *unam alteramve rotulam cephal.* in ore detineret ſenſimque deglutiret. *A paſtu* uteretur *Tragea ſtomachica.* Noctu cubitum iturus capiat *duo cochl. mixtur. cephal. Veſicatoriis & pilul. cephal.* ſtrenue *præſcripto modo* pergeret.

IV.

Rev. Dnum P. Bondorffii d. 28. *Julii* 1685. *conveni*, quem à 10. menſibus non vidi. Præterita hyeme & hoc vere frigido memoria valde imbecillis fuit, quo tempeſtas magis nivoſa & pluvia aut gelida erat, eo magis imbecillitas obſervabatur. Aliquoties hyeme lectum inſcius perminxit & in brachio dextro quandam tenſionem paſſus eſt: doluit quoque ſubinde frons. Æſtate rediit aliquatenus memoria, ut ſubinde mentem ſuam ſatis concinne exprimere valuerit, mox tamen rurſus impegit. Quamprimum *veſicatoria* applicabantur, putabant magis memoriam confuſam fuiſſe eoque magis, quia ſummopere illa averſabatur *ut & pilulas cephalicas*, quas noluit amplius deglutire: *ſolutas cum aqua cephal. additâ ſacchari copiâ* ſubinde admiſit. Loco *veſicatorii* admiſit *ſcarificationem* cum aliquo fructu. Non ita pridem à R. D. P. N. N. monitus ut ipſum juvaret in recitando horas canonicas, quod etiam fecit, ſed non niſi porrecto aliquo libro ſed qualicunque, ex. gr. alio libro ſacro aut etiam calendario, aperuit librum atque ex illo reſpondit appoſite atque aliquot pſalmos, quos pridem longo uſu memoriæ crediderat, etiam integras lectiones congrue recitavit, ceu ex libro quod officium vocant, quamvis nec verbulum in arrepto libro de hac exſtaret, perſuaſus ſe ex officio legere: librum explicuit, folia vertebat ac ſubinde in librum introſpexit. Hactenus à recitatione officii & celebratione liberatus fuit. Jam diu nullam curam rei domeſticæ egit, nullam vini & frumenti, nullam jumentor. & equor. rationem habet, quamvis ante ſtrenuus œconomus eſſet & res etiam minutas ad rem domeſticam ſpectantes attenderet. Pecuniam quidem plerunque omnem agnoſcit ac pretium illius indicat, verum illum nec numerare poteſt nec vult. Quandoque dierum & feſtorum ignarus eſt. Novellas ſubinde

legere

legere tentat, verum ſtatim illas abjicit ac ſe contenta non aſſequi fatetur. Mature poſt cœnam lectum petit plerunque poſt 8. aut 9. noctis dormit placide ad 6. matutinam : æſtate hac rarius ac hyeme poſt prandium dormit. Mane quando ſurgit, ſtatim manus & faciem lavat ac os colluit; quandoque preces matutinas fundit, quandoque preculas ad numerum globulorum corollæ nunc ſponte nunc admonitus recitat. Poſtea ad prandium uſque obambulat, confabulatur cum domeſticis, nunc major nunc minor memoriæ hallucinatio obſervatur: quamprimum longiorem periodum pronuntiare conatur, impingit: ut ab exteris ejus mens percipi nequeat, ipſemetque verba non ſuccurrere animadvertit. Bene prandet & cœnat, parce nunc bibit, hyeme ſæpe pluſculum ſed non ad ebrietatem; obſervabatur tamen à liberaliori potu ipſum hilariorem fieri : cœlo ſereno abit in campum, agros, hortos ſed non ſine comite & tardo gradu. Scalas ſolus aſcendit & deſcendit ſine fulcro & tutè. Alvus quotidie aperta eſt, mingit copioſè. Quamprimum appuli, multis præſentem valetudinem explicare voluit, verum ſtatim magnum memoriæ defectum animadverti & longe majorem, quam ultima vice, quo ipſum inviſi: nec animi ſenſa, niſi multifariam adjutus, explicare valuit: expoſito libro unam atque alteram lineam legit, poſtea quaſi ſpiritibus perturbatis pergere nequiit; pronuntiavit quidem verba latina plura, ſed quæ nec in libro extabant nec ad rem pertinebant & quæ nec ipſe intelligebat. Nomen proprium ſcribere nequiit, primas quidem literas pinxit, verum integrum nomen non poterat abſolvere nullaque alia verba integra. Nuper comedit fraga ex lacte : bibit etiam *Acidulas* ſine ulla noxa. Civilitatem morum accurate colit, me à longo tempore deſideratiſſimum magno cum gaudio excepit, omnibusque modis oſtendere voluit animum benevolum & quam gratus ſibi ſim : ſignificavit ſe *Conſiliis* obtemperaturum ac ſperare tandem reparationem memoriæ : ad illius recuperationem quietem multum præſtituram dixit. In principio & fine cœnæ preces rite ſine hæſitatione dixit. Cœnavit bene, parciſſime bibit, ſæpe ſine ulla cauſa profuſe lachrymatur, magis circa novi- & plenilunium : ſi increpatur, frivolas rationes hujus mollitiei affert. Præterita Hyeme & Vere tempeſtate gelida, ſæpe fere amens erat; manubrium cochlearis vel vitro vel ſcutellæ immerſit bibiturus vinum aut juſculum comeſturus : aliquando de formicationis ſenſu in digitis querebatur : ſubinde lingua difficilis ad motum erat, ut ægre loqueretur, aut ſi verba effatus erat, ut vix intelligeretur. Aliquando appetitum penitus amiſit : exhibito *vino Frontiniaco* & appetitus reparabatur majoresque ingenii vires prodidit : Rerum pridem geſtarum recordabatur & ſi illarum mentio fiebat vel verbulo, plurimis illa recenſuit.

Die 29. *Julii* poſtquam prægreſſa nocte bene dormiverit, mane

hora ſexta mens excitatior videbatur de una atque altera re diſcurrere cœpit, verum inter diſcurrendum mox turbabatur ac facile obſervabatur illum non recordari circumſtantiarum, quis, quid, ubi &c. Surrexit, ſemel ſine ullius ope, ut hactenus ſemper veſtibus induit, ſe lavit, *fonticulum* deligavit &c. In actionibus tamen animalibus ſcil. motu & ſenſuum internorum functione torpor quidam apparuit: externis ſenſibus valuit. Pulſus hoc mane erat tardus, rarus, plenus, mediocriter validus. Urina tenuis, pallida, hyeme ſemel ſed per paucos dies coryzâ afficiebatur, non multum ſalivat. Quandoque tibialia duo vel tria colore non correſpondentia induit: noctu cubitum iturus veſtes componit ſcil. caligas, tibialia &c. mane dum congrua arripere ſtudet, ſæpe aberrat ac non concordantia induit. Subinde ſine cauſa excandeſcit, protinus tamen vel verbulo mitigatur. Phantaſiæ aberrantis multa edidit pridem indicia & adhuc quotidie: nuper fruſtulum chartæ ex caligis ſumſit pro ſtrophiolo illoque nares emunxit ac rurſus in caligarum ſacculum recondidit. Amor pecuniæ nuper rediit, quam tamen promiſcue expendit: falſam monetam bonæ ſubſtitutam agnovit primum, verum ſtatim illius oblitus erat. Ante prandium preces continuavit abſque errore ad concluſionem in qua aberràvit: pranſus eſt ſatis bene: parum & non niſi monitus bibit, quod etiam aliis vicibus fecit: taciturnus erat & pauca loquebatur. Poſt prandium preces recitavit & mihi ſatis apte valedixit.

Analyſis.

I.

MEmoriam cum inſigni virium ingenii imminutione admodum rurſus labefactatam deprehendo, ab illo tempore, quo ultimum ipſum conveni, quamvis illam aliquo modo recuperaſſe hac æſtate ajunt, quum tantum non abolita eſſet ac hyeme & principio veris cum amentia quadam ex actionibus conſpicua, dum nimirum vinum & juſculum mediante fuſcinula aut manubrio cochlearis ingerere conabatur. Magnam tamen memoriæ & ingenii labem ſupereſſe patet, nam aliquid narraturus nec circumſtantiarum recordatur, nec verba ſuccurrunt, non raro inepta loco verorum ſupponit: quando legit, vix unâ alterâve lineâ perlectâ turbatur, ut pergere ulterius nequeat, aut ſi conetur verba in textu non extantia nec contextui reſpondentia pronuntiat & quandoque talia, quæ ipſemet non intelligit: proprium nomen aliudve triſyllabum ſcribere integre nequit: rerum domeſticarum penitus nullam curam gerit, quamvis antidhac induſtrius & attentiſſimus œconomus fuiſſet ac ſubinde priſtinorum laborum in re œconomica recordetur; nullam pecuniam numerat: novellas quas antidhac amavit, quando legere incipit, ſtatim fatigatur nec earum contenta aſſequitur: dierum

&

& feſtorum nomina frequenter ignorat : inter induendum ex. gr. tibialia aberrat : precum fundendarum ſubinde obliviſcitur, neque illas niſi monitus recitat.

2. Manent tamen veſtigia memoriæ & judicii, nam recordatur pridem geſtorum & locorum in quibus ante 40. annos verſabatur ſcilicet *Spiræ, Heidelbergæ*, dum in novitiato eſſet &c. Si ipſi præeatur in recitatione pſalmorum alternatim verſiculum integrum pronunciat ad finem uſque, etſi hallucinatur, protinus ab unico verbulo monitus ſemet corrigit: mane & principio & fine menſæ preces plerumque ſine aberratione fundit: ſemet ſine alterius ope, præ verecundia ſolus veſtibus exuit & induit : erga notos humanitatem & erga ſuperiores reverentiam verbis & geſtibus oſtentat &c.

3. Hæc memoriæ & ingenii labes videtur fieri ob irrorationem medulloſæ ſubſtantiæ cerebri, ob quam ſpiritus animales non rite moventur per poros, minusque agiles ſunt, horum enim motum impediri vel inde conſtat, quia poſt lectionem unius vel alterius lineæ ſtatim perturbatur nec amplius legere poteſt, inſuper aliquid vertiginoſi quandoque experitur; ignaviam ſpirituum prodit torpor quidam tum in his tum in aliis actionibus animalibus. Cauſa irrorans vel lympha non valde copioſa in medulla eſſe videtur nec profunde ſe immergens, nam omnibus ſenſibus externis valet, interdiu non adeo eſt ſomnolentus: ſcalas aſcendit & deſcendit ſine fulcro aut ſuſtentatione aliûs. Lympham redundantem prodit illachrymatio frequens ſine cauſa. Lympha moleſtior fuit hyeme & vere cœlo frigido geloſo, nivoſo & pluvio, quia tempeſtatis vitio ejus diſcuſſio impediebatur, profundius ad interiora adigebatur, unde hyeme lingua difficilis fuit, & lectum perminxit ac in manibus formicationem ſenſit : & omnino humorem frigidum in culpa eſſe vel inde conſtat, quia etiam *vinum Frontiniacum* juvamen attulit mentemque torpidam excitavit; oſtendunt quoque urina pallida, pulſus rarus, tardus &c. *Veſicatoria & pilulæ* tandem nihil juvarunt, quamvis ſerum ſubduxerint, quia tandem illa faſtidiit & animi afflictio & horror ab his plus ſpiritus turbavit, quàm ut opem ferre potuerit.

4. Lympham loco potiſſimum peccare inde conſtat, quia omnes actiones naturales & vitales optime obit, carnôſus & bene coloratus eſt ac nulla de re queritur, quæ omnia innuunt M. S. ſanam eſſe omniaque organa ipſi inſervientia.

5. Ergo quia lympha copiâ & morâ peccat in loco, ubi ſedes memoriæ & phantaſiæ eſt, illa aufferenda & ſpiritibus agilitas concilianda erit : quod cum aliquo modo *vinum Frontiniacum* præſtitit, plus opis ſperandum erit *à ſpiritu bezoardico à Sereniſſima ac Celſiſſima Elec-*

trice Palatina mihi communicato : cujus ℨij. Mſc. cum ℥vj. aq. lil. convall. vel beton. vel fl. til. vel. majoran. vel ſalv. add. ſacch. ℥j. Mſc. Sumat *Mane hora 5. & veſp. cubitum iturus cochl. ij.* Pergat *Tabell. arom. rot. cephal. balſ. cephal.*

Cogitata ſuper hunc affectum d. 30. *Sept.* 1685.

IN hac memoriæ labe pervideo, memoriam pridem concredita vel plane non, vel infide, aut confuſe, aut ſpecies mutilas reddere, recenter oblatas plerunque non recipere nec retinere.

Phantaſia objecta multa non agnoſcit & decernit : chartam ſtrophiolum credidit, manubrium ipſam cavam cochlearis : unde judicium & ratiocinatio multum aberrant.

Cauſa proxima eſt ſedis memoriæ & phantaſiæ aliqua contaminatio & ſpirituum ejus incolarum; quæ conſiſtere videtur in luminis connati obnubilatione, ſpirituum torpore ſeu ablatione agilitatis debitæ: nam manifeſte in his torpor, ignavia & incuria vel ſupinus quidam neglectus animadvertitur.

Contaminationem peperit lympha profundius admiſſa: nam illa revulſa & evacuata *purgantibus & veſicatoriis* primum memoriam recuperavit : *à vino Frontiniaco* ſpiritibus refocillatis aliquantum rediit : à tempeſtate gelida, nivoſa, pluvia, lympha refrigerata & aucta major læſio obtigit.

Lympha hæc nondum vitiavit ſcaturiginem nervorum ſenſibus externis inſervientium, nam viſu, auditu, odoratu, guſtu & tactu adhuc valet : & ſi quid evenit aliquando, vitium tamen non magnum erat: certe nunc nihil de vertigine queritur: nec multum attigit nervorum motui voluntario inſervientium originem, licet tardigradus ſit, nam hoc ob metum caſus fit: meticuloſior eſt nunc quam pridem, non ſine melancholia, quam ſenſim contraxit ab intuitu calamitatis eventuræ poſt primum inſultum, unde etiam nunc tam facile in lachrymas ſolvitur.

Loquelæ quidem vitium & linguæ gravitas ſignum fuit, lympham quoque jam viam verſus hanc motûs ſcaturiginem affectare, verum non diuturnus fuit iſte influxus.

Lympha hæc non videtur peccare vel acore quodam vel lentore aliquo, cum illius nullum vitium in actionibus naturalibus & vitalibus obſervetur ac M. S. tota ſana appareat ad ſenſum : potius videtur peccare loco & mora ſcil. intra ſubſtantiam cerebri medulloſam tanquam ſedem memoriæ & phantaſiæ : non tamen negarim ibi à mora quoque lenteſcere.

Lympha

Lympha illum abundare patet ex urina tenui, pallida : amplius illam cumulat ob exercitiorum neglectum & rariores ſudores.

Sedes antiquas repetit, quia intra cerebrum poſt tot invaſiones pori laxiores evaſerunt & receptacula ejus ampliora facta, fibræ vero expulſivæ enervatæ fuerunt.

Poſtquam *Bondorffio ad Monaſterium S. Blaſii* deportatus fuerit, indies loquela & actionibus magis magisque memoriæ & judicii labem increſcentem prodidit: in hoc miſero ſtatu degit *ad* 24. *Febr.* 1688. ubi circa veſperam Hemiplegia lateris dextri totius cum omnimoda ſenſus & motus abolitione corripiebatur. Dum ipſi de ſacris proſpiciebatur appoſite reſpondit & magis ad mentem rediiſſe videbatur *die* 25. *Febr.* quod etiam mane diei ſequentis 26. *Februar.* obſervabatur, unde *S. Communione* ipſum donare non dubitarunt: illo mane etiam juſculum ſumſit. Circa meridiem nec cibum nec potum amplius deglutire valuit. Poſtea ſenſim vires defecerunt atque ante quartam veſpertinam *die* 26. *Febr.* 1688. vivere deſiit.

OBSERVATIO XCIX.

Memoriæ abolitio.

Vir apud noſtrates magni nominis Ampliſſimus Dom. D. N. N. Menſ. April. 1686. *Venam ſecare* curavit, quæ noctu cubitum ituro rupta fuit, profudit magnam copiam ſanguinis. *In Autumno & Menſ. Dec.* paſſus eſt Vertiginem momentaneam. *Sub finem Januarij* 1687. citra ullam cauſam externam præviam in ſenatu ſenſit perturbationem capitis: Domum properavit, juſſit, ut famulus ſui curam gereret, ivit domum ſine fulcro, ſcalam aſcendit, ſubito paſſus eſt abolitionem memoriæ talem, ut nullius nominis recordaretur : mox nec uxorem, nec ullum ex Domeſticis, nec ullam aliam rem nominare valuit. Veſperi nominavit *Rev. Dominum Paſtorem Ottium*, ad quæſita reſpondit. Sequentibus diebus nihil amplius ſuo nomine impertire potuit: voces bene pronuntiavit, ad alvi ſolutionem & mictionem ſurrexit: lectum petiit : comedit & bibit : dormivit: legere nequiit, & ſi quod verbulum legit, non intellexit: etiam aliquid de podagra paſſus eſt. *Excell. D. D. Heinricus Screta* dedit *Pilul. cephal. ex extract. cathol. cochiar. caſtor. lign. al, &c. Trag. cephalic-ſtomach. mixt. cephalic. &c.* quorum *Medicamentor. uſu & Induſtria Medici d.* 26. *Martii* 1687. ita reſtitutum vidi: Omnium ante hunc inſultum recordatur; recenſet accurate omnes circumſtantias temporum, locorum, perſonarum

rum, dictorum & factorum. Inter loquendum non tam prompte omnia verba ſuccurrunt, narrationes tamen ſatis appoſite contexit. Legit iterum, ſed à lectione defatigatur & non omnium reminiſcitur. Excitavimus *Fonticulum in brachio ſiniſtro*, ſuaſimus *Rotulas cephalic. nobis in his affectibus familiares.*

Die 2. *Auguſti* 1687. mane, antequam ſomnum perfeciſſet, ſurrexit, turbato capite, ob negotia die prægreſſo inter multas lites compoſita magnam capitis perturbationem perpeſſus eſt: in loquela ſenſit impedimentum: quamprimum lectum petiit, rurſusque dormiverit, ſtatim pro lubitu loqui potuit, perturbatio ceſſavit, integra memoria rediit. *Fonticulus* bene fluit. Suaſi *Tabell. cephalicas.*

℞. *Spec. contr apopl. Diambr.*
Pulv. analept. temperat. Mind. ãã. ʒiß.
Conſerv. anth. ℥ß. *Conf. alkerm. c.* ʒiß.
Balſam. cephalic. gr. iiij. Extr. xyloal. ℈ß.
Sacch. alb. in aq. rorismar. ſolut. ℥*v.*
Mſc. F. L. A. Confect. in Rotulas.

Ab harum uſu optime ſe habuit, memoria integrè valuit: negotiis vacare potuit *menſe Novembris.*

Die 22. *Julii* 1688. A diebus 5. de memoriæ quadam hallucinatione queritur: Hodie mane templum adiit, poſt prandium in lecto per dim. hor. dormivit. Veſperi concioni interfuit, diſtincte omnia audivit, ſed mentem dictorum plane non aſſequutus eſt, neque quid diceretur, intellexit aut capere potuit. Suaſi *Aquam cephalic.*

℞. *Aq. rorismar. beton.* ãã. ℥*ij.*
Spir. 🜔 ✳*c.* ▣*os.* ℈ß.
Eſſent. Caſtor ℈*j.*
Ol. d. ſuccin. alb. rorismar. ãã *gtt. iij.*
Tab. man. Chr. perlat. ℥ß. *Mſc.*

Continuet *Tabell. cephalic.* Inde brevi melius ſe habuit.

OBSERVATIO C.

Memoriæ abolitio cum Epilepſia.

NOb. *Dominus N. N. Conſiliarius Sereniſſimi Ducis Würtembergici*, ſtaturæ juſtæ, obœſus: Collo brevi cum Botiis utrinque ſatis magnis facie ſaturate rubicundà præditus. *Ann.* 1682. Aliquid hemiplectici

plectici circa Autumnum in latere dextro expertus eſt: latera erant debilia; ſed motus non aufferebatur, attamen manus dextra diebus aliquot ſtupida manſit: Convaluit inde penitus. *Anno* 1684. *d.* 27. *Septembr.* Veſperi cœlo ſereno aliquandiu morabatur in horto Ducali & domi in platea ad Cœnæ tempus præ foribus ſtabat: Cœnavit, incolumis lectum petiit, noctu dormivit, mane ſanus ſurrexit: poſt quadrantem horæ 28. *Septembris* rurſus intravit cubile, ſentiens perturbationem quandam capitis, videns uxorem in lecto, putavit illam dimidiatam: ac ſi vitium in oculo dextro eſſet: omnia objecta viſûs videbantur viridia aut cœrulea: mentis perturbationem explicare nequiit; malum tamen ſibi imminere animadvertit: Uxor Apoplexiam pertimeſcens adhibuit *aquam Sternfelſianam*, *lavendulæ aliaque foris & intus & potiſſimum ſpiritus animales excitantia & refocillantia:* nec conceſſit ut lectum peteret. *Excell. D. D. Schikhardus* accerſitus ſuaſit *pilul. ex Extract. Rad. Valerian. ſylv. xyloal. & aliis cephal.* Naribus admovit *ſpir.* ⊖✱ *urin. Eſſent. Caſtor.* Circa 10. matutinam correptus fuit Epilepſiâ: ad primam pomeridianam 6. Paroxyſmos ſuſtinuit, quorum primi vehementiones fuerunt ultimis: in nullo tamen pollices volæ manuum arcte indidit ac cæteris digitis conſtrinxit: linguam momordit: os fortiter cum dentibus conſtrinxit, ut *bacillos ex glycyrrhiza* intrudere nequierint, donec coarctatis naribus ſponte illud aperuerit, poſtea ſanguinem per os & nares copioſe exſpuit. Lingua valde intumuit, unde loquelâ impegit. Ceſſante epilepſia animadvertebatur memoriæ abolitio, ob quam nulli rei nomen ſuum impertire, nec legere, nec ſcribere valuit: verba quidem atque omnes literas etiam R. effari potuit, ſed in principio citra congruum ſenſum, ut mente quoque aberrare conſtaret: indicia tamen non diu poſtea intellectûs edidit: obambulavit, ſtato prandii & cœnæ tempore menſæ aſſedit, cum domeſticis comedit, ſputum fortiter exſcreavit; cum pro amente ſe haberi putaret, indignabatur valde, cum vinum denegaretur ſummopere uxori ſuccenſuit ac vim illi intentare tentavit; cum *clyſterem* injicere conarentur, 24. horis caligas exuere noluit, nec ulla ratione ſibi illas detrahere permiſit. Quatuor diebus omnium ignarus fuit. Poſtea memoria rediit aliquantulum, at frequenter nomina multa rerum notiſſimarum non prompte ſuccurrebant, ac incepti ſermonis periodos diu abſolvere nequiit, tum quia verba non in mentem veniebant, tum quia antecedentium obliviſcebatur: legit iterum ac ſcripſit, verum neutrum diu continuavit: lingua impingere obſervabatur potius ob illam demorſam, quam paralyſi affectam. Primum conquerebatur de tempore dextro affecto, poſtea etiam de ſiniſtro: facies quoque lividior erat, nunc rubicundior, niſi pronus caput deorſum profundius inclinet.

In

In principio ſtatim adhibebantur 1. *Veſicatoria.* 2. *Aqua antiapoplectica.* 3. *Clyſterem* penitus renuit. 4. *V. S.* 5. *Scarificationes circa pollicem.* 6. *Pulvis cephalic. & Bezoard.* 7. *Elect. cephal. ex Elect. reſumtiv. Minſ. conſerv. majoran. conſ. alk. N. M. condit. &c.* collutiones oris aliaque à cerebro revellentia illudque roborantia. Vinum demum poſt 14. dies ab invaſione conceſſum fuit. Alvus quotidie aperta, ſæpe in uno die ter quaterve. Jam aliquandiu in ſyncipite *hoc cataplaſma* geſtat. ℞. *Cochleam N. j. contund. cum theca, adde Nuc. moſch. no. j. caryophyllor. N. vj. It. pulv. ſternutatorium.*

Die 30. Octobris 1684. *ipſum cum Excell. D. D. Härlino & Exc. D. D. Schikardo conveni Stuttgardiæ.* Nullum in actionibus naturalibus & vitalibus vitium obſervavi: appetiit, non ſitiit p. n. aſſumta toleravit; alvi beneficium quotidie habuit; habitus corporis erat firmus, color vividus, cum agilitate quadam hinc inde obambulavit, ſcalam deſcendit, nosque ad portam ſaniſſimi inſtar comitatus eſt. Inter colloquendum obſervavi quædam verba non tam prompte ſuccurrere: ipſeque errorem agnovit ac petiit ab uxore, ut hæſitantem juvaret, quod facile præſtitit, ſiquidem jam gnara ipſius memoriæ jam debilioris: cætera tamen conſtitit ipſi judicium ac à morbo liberari gravioremque præcaveri petiit. Inter legendum unâ alterâque lineâ perlectâ illum quoque adhuc impingere animadverti, quod quoque in ſcribendo fiebat, nam *dictum tritiſſimum S. Joh. cap. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium unicum daret,* non abſolvere potuit, donec ſequentia ſuggeſta fuerunt, & in verbis ſcriptis mendæ occurrebant, quas tamen ipſemet poſtea facile agnovit. Conqueritur de catarrhis ad fauces delabentibus. Hodie mane ſumſit *cochl. ij. hujus ſyrupi.*

℞. *Syr. de cichor. c. Rhabarb. de mann.* ãã. ℥j.
Aq. flor. acat. ʒij. *Pulv. Gialapp.* ʒj.
Diagryd. c. nucl. pin. ſubact. ℈ß. *crem.* ♀. ʒß. *Mſc.*

Dejecit inde ſæpius cum optima tolerantia. Ad reliquias morbificas auferendas & recidivam, huic malo frequentem, præcavendam ſuaſi 31. *Octobr.* 1684.

1. *Pulv.* ℞. *Radic. valerian. ſylv.* ℥ß. *Pœon.* ʒij.
C. C. phil. ppr. ungul. alc. phil. ppr. ãã. ʒiß.
Matr. perlar. pp. ʒj. *magiſt. ſeu ceruſſ* ♃ij. ʒij.
Cinnab. nativ. ungar. ſel. ʒj. *lign. aloes* ʒß.
Ambr. gryſ. ſp. roſar. ſolut. gr. iiij.
Tabul. man. chr. perlat. ℥ij. *Mſc. F. Pulv.*

Doſis

Doſis mane in lecto ʒß. *& veſperi hora ante cœnam* ʒß. *c. aq. roriſmar. aut beton. cochl. ij.* ſi forte minus efficax eſſet *mixturæ aq. roriſmar. & beton.* ℥*vj. add. poſſet ſpir. C. C. rectif.* ʒ*j. ſyr. fl. paralyſ.* ℥*j. detracta* ℥*j. tab. man. chr. perlat. de pulvere.*

2. *Biduo ante novi- & plenilunium* tota hac hyeme detur ℈*j. pilul. cephal. duabus horis poſt cœnam parciorem.*

℞. *Extract. pil. coch.* ℳ*Pil. de ſuccin. Crat.* āā. ʒß.
Magiſt. Gialap. gr. iij.
Extr. caſtor. gr. iiij. ol. d. ſuccin. alb. gutt. ij.
Spir. ceraſor. nigr. q. ſ. Mſc. F. Pil. N. xxxiij. de ☉.

ſumi poſſent *cum aqua prædicta.*

3. Propediem excitetur *alter fonticulus in brachio dextro.*

4. *Mane & veſperi* vertex & nucha inungi poſſent *hoc Balſamo.*

℞. *Ung. Alabaſtrin.* ℥*j. ol. nuc. moſch. expr.* ʒ*ij.*
Ol. deſt. rorismar. majoran.
lavendul. āā. ℈*j.*
rutæ ℈ß. *ſuccin. gtt. vj. Mſc.*

5. *Mane* uti poſſet *tali errhino.*

℞. *Summitat. majoran. roriſmar.*
ſerpill. āā. ʒ*j.*
Flor. lavendul. ʒß. *tabac. virgin.* ℈*j.*
Ambr. gryſ. gr. ij. xyloaloës ℈*j. Mſc. F. Pulv.*

6. Si ob tempeſtatem frigidam & humidam aut aliam cauſam externam animadvertatur quædam ſpirituum animalium perturbatio, ſine cunctatione ſimul in duobus locis imponatur *Emplaſtrum veſicatorium:* ſcil. aut in utroque carpo, aut poſt olecrana aut in parte interna fæmorum aut tibiarum. Si perturbatio magna, impoſui illa in quatuor, imo in ſex locis ſimul.

7. Si *ſcarificationi* aſſueverit, repetatur illa alternis menſibus triduo ante vel poſt novilunium nulla ſignorum habita ratione.

8. Diæta accurate obſervetur: vitentur omnes cibi ſerum in maſſa ſanguinea augentes, aut illud viſcidius reddentes item caput opplentes: ſcilicet braſſica muria condita, acetaria, piſces carnem nimis viſcidam habentes, caro ſuilla, paſtæ farinaceæ. Vinum diluat *decocto ſeminis fœniculi.* Cœna ſit ſemper parcior prandio. Aër frigidus & humi-

dus ſummopere nocet, ut & ſomnus ſtatim à paſtu. Motus corporis valde proſunt: animi motus ſemper pacati ſint.

Nobiliſſimus Dominus poſt meum diſceſſum *menſ. Novembr.* 1684. *ad menſ. Februar.* 1685. ita memoriam recuperavit, ut ſua negotia peragere potuerit, rationes orphanorum aliasque ſine perturbatione conſcripſerit: ita tamen ut aliquis memoriæ defectus animadverteretur, dum res notiſſimas nominare nequiverit, imprimis quando feſtinabat in proponendo vel eloquendo res antea notas. à 20. *Martii* 1685. per dies 4. quotidie paſſus eſt horrorem tribus horis durantem: ſequebatur æſtus tolerabilis: remiſit: rediit *Menſe Aprilis*. Occaſio erat aër humidus & frigidus prædii & cellæ. Curabatur *Extr. abſinth. card. ben. valerian.* ⊖ *vol. C. C. &c.* *Die* 31. *Maji.* 1685. poſt meridiem circa horam 5. erupit Epilepſia; prodromi erant capitis dolores gravativi & poſtea punctorii ſed momentanei, ſermones minus rationi conſentanei erant cum querelis de imminente malo, unde memoria defecit: paulo ante paroxyſmum vomuit braſſicam in prandio comeſtam eamque conditam: bibit in paſtu *acidulas* ex longa conſuetudine: duravit paroxyſmus per horam dimid. per dimid. quadrant. horæ nullus pulſus perſentiebatur, ut mortuum crederent: ſua ſponte ad mentem rediit: finito paroxyſmo rurſus vomuit. *Die* 1. *Junii* vomituriebat. *Vena ſecta fuit in pollice pedis ſiniſtri:* querebatur quoque de ſtupore brachii & pedis dextri. Suadebant *pulverem cephalicum & gargariſmos ex cephalicis confectos*. *Die* 6. *Junii* ſumme mœſtus erat. Appetit, à cibo non gravabatur: non ſitiit: alvus aperta ſua ſponte; pridem *à clyſteribus* movebatur: reſpiravit bene & dormivit, non ſtertit in ſomno. Pulſus eſt optimus. Caput obtuſum eſt cum vertigine partim gyroſa partim titubante. Memoriæ ſtatus præſens eſt iſte: legere nequit: ſcribit unum alterumve verbulum accurate, plura non, aut ſine ſenſu & male cohærentia. Multa nominare nequit, etiam domeſticos aliasve res pridem notiſſimas. Vinum appetit; ſi illud negligat, parum mingit at multum ſudat: ſi vinum denegatur, iraſcitur. Patitur afflictiones animi propter opes, quas appetit, deſiderata copia denegatas & defectum nummi præſentis, quamvis vino optimo ſed non vendibili abundet. In paroxyſmis Epilepſiæ & memoriæ abolitionis Venæ ſectio præſentiſſimum fuit auxilium. Aliquid hemiplectici paſſus eſt in toto dextro latere. Comedit, quod ſapit, & inhiat mire prohibitis cibis.

Die 16. *Junii* 1685. *ipſum conveni:* memoriæ conditio tum hæc erat: *in nullo libro ſeu Latino ſeu Germanico* legere valet, quamvis accurate & diſtincte videat. Dictata ad 2. vel 3. lineas ſcribit, ut à domeſticis legi & intelligi poſſint: in uno alterove verbo aliam literam ſuppo-

ſupponit, ſcil. loco d. g. aut loco v. h. &c. quando rem aliquam proferre annititur verba non ſuccurrunt plerunque; quandoque ſatis promte, longum ſermonem tamen continuare nequit ob defectum nominum illarum rerum, quæ enarrare conatur: unde indignatur, aliquando miſeriam ſuam deplorat. Sæpe frontem perfricat. Aures tinniunt & obauditionem imminere ſignis innuit. Appetit bene, non ſitit: alvus aperta: reſpirat facile, ſine ullo labore ſcalas ſcandit: obambulat: robuſti ſunt artus: vertigo minus nunc affligit. Conceſſimus ipſi aliquid vini: *præſcriptis* ſtrenue pergat. Vitet *lactucam*, lac acidum, aliaque pridem diſſuaſa. Vino parcè & non niſi in paſtu utatur.

Die 17. *Junii plus quam dimidiam partem hujus potionis mane hor.* 5. ebibit. ℞. *Syrup. roſar. ſolutiv. ſimpl.* ℥x. *aq. flor. tiliæ* ℥j. *Mſc.* unde ante octavam matutinam dejecit ter ſed parca quantitate, igitur ſumſit reſiduum, unde adhuc duodecim vicibus ejecit large & quidem cum euphoria ſine ullis torminibus: erat dies ſolſtitii.

Analyſis.

MEmoria aliquo modo reſtituta *ſecundum Conſilium præterito Autumno ſuppeditatum* deficere jam cœpit ante inſultum epilepticum *menſe Maji* 1685. Scilicet denuò medulloſa cerebri ſubſtantia à ſero, cujus ſignum erat dolor capitis gravativus, nimium infarciebatur; cui anſam dederunt & fomitem cibi antidhac prohibiti, quibus nimium indulgebat, *Acidulæ* in paſtu potæ, animi pathemata, inprimis mœror ob vini abundantiam tunc minus vendibilis & deſiderium nummorum &c. ſerum acrimoniâ præditum ad partes membranoſas delatum illas vellicando primum capitis dolores punctorios & vomitus excitavit & tandem derepente irritando Epilepſiam univerſo generis nervoſi ſyſtemate in conſenſum rapto: poſt paroxyſmum vomituritiones ſuperſtites ejusdem acrimoniæ teſtes erant. Ab Epilepſia ſerum profundius rurſus in medulloſam ſubſtantiam adactum fuiſſe demonſtrant gravior memoriæ abolitio, ob quam plurima nominare & rurſus legere nequit; capitis obtuſio & imbecillitas quædam totius lateris dextri. Gravius cerebrum læſum fuit in Epilepſia quia ἄσφυξος per octantem horæ inſtar mortui jacuit, hanc enim ob cauſam cerebrum diu nectare vivifico per arterias carotides recipiendo privabatur, ſerum profundius admiſit ac diutius retinuit: hanc ob cauſam etiam, præter memorata ſymptomata vertiginem nunc gyroſam nunc titubantem patitur.

In hoc caſu ſerum à cerebro revellendum: in poris ſtagnans abſorbendum & acre edulcorandum: hæc omnia magno ſtudio præſtanda, ne epilepſia redeat, aut ſuperveniens apoplexia vitæ filum brevi

abrumpat, jam ejus prodromi plures adſunt, ſcilicet capitis obtuſio, totius dextri lateris imbecillitas & vertigo, præter memoriæ defectum. Revellunt 1. *Purgantia:* hac vice paretur ℞. *Syrup. roſ. ſol. ſimp.* ℥x. *aq. flor. til.* ℥j. *Mſc. plus quam dimidium detur hor.* 5. *matutina, reliquum, ſi prior doſis minus purgarit, hora* 8. *matutina.* Hæc potio repetatur ante caniculares & ſtatim poſt illas. Tempore autumnali, ut & Hyeme & Vere *purgetur his vel ſimilibus pilulis.*

℞. *Extract. cochiar.* ℈ij. *cathol.* ℈j.
caſtor. ℈ß. *ol. roriſmar. deſt. q. ſ. Mſc. F. Pilulæ,*
No. xxxv. doſis pilul. N. xj. vel xiij. vel mane ſummo vel duabus horis à parca cœna: inprimis ſi debilis ſit. 2. *Veſicatoriis in brachiis & pedibus*, duobus ſemper in locis ſimul applicitis. 3. *Fonticulis.* 4. *Frictionibus totius dorſi ſecundum ſpinam pila ex panno aſpero confecta. Mane & Veſperi.*

Humor in medulla cerebri ſtagnans abſorbendus & edulcorandus *hoc pulvere.*

℞. *Ungul. alc. ppr. C. C. phil. pp.* āā. ʒiij.
Succin. alb. pp. ʒij. *cinnab. nativ.* ʒj.
Radic. pœon. ʒij.
Ol. deſt. roriſm. ſuccin. N. M. āā. *gut.* j.
Sacch. alb. ℥ij. *Mſc. F. Pulv.*

Detur mane hor. 5. ʒj. *Veſperi hor.* 5. ʒß. *cum aq. flor. til, add. ſpir.* ⊖ ✳ ⊡. Hoc æſtivo tempore *mane hora* 7. *vel* 8. *hauſtus acidularum cum ſyrupo flor. paralyſeos* concedi poſſet, ad ſerum attemperandum : neutiquam in paſtu. Cætera *menſ. Novembr.* 1684. *præſcripta* continuet, ſimulque diætam obſervet, inprimis veſcatur cibis boni ſucci & facilis coctionis. Vitet carnem ſuillam, piſces viſcidos ut carpiones &c. braſſicam muria conditam; lactucam, fructus crudos lacticinia &c. Vinum omittat, bibat *decoctum Saſſafras &c.* Aer nebuloſus & pluvioſus ſummopere nocet.

Stuttgardiæ d. 18. *Jun.*
1685.

Joh. Jacob Wepfer, M. D.

Menſ. Aprilis 1686. *veſperi & in cœna hilaris, poſt cœnam dixit ſibi caput perturbari, lectum petiit & antequam duæ horæ elapſæ erant, mortuus eſt.*

OBSER-

OBSERVATIO CI.
Memoriæ & Locutionis Vitium.

R*Everendiſſimus quidam Dominus Abbas* Ætat. annor. 58. ſtaturæ oblongæ: carnoſus, graviſſimis negotiis multum occupatus tum adminiſtrando & regendo *Monaſterium* & ditionem ſubjectam, tum fungendo *munere Vicarii Generalis.* Ingenio, judicio, eloquentia & dexteritate in actionibus ſuis celeberrimus. Subinde ob crebros hoſpites largius bibere cogebatur. *An.* 1681. *d.* 12. *Julii ſt. n.* mane hora 5. plurima verba non bene enuntiare valuit atque in illo os aliquo modo diſtortum obſervatum fuit: Feſto dum ſingulari interfuit ac ſolennem proceſſionem ſequebatur ultra tempus meridianum; tarde pranſus eſt, ac convivis adfuit ad 4. veſpertinam, tunc vitium linguæ magis animadvertebatur, ut vix intelligi potuerit. Uſus eſt *purgantibus aliisque* ſine magno emolumento. Suadebantur *Acidulæ :* illarum potum auſpicatus eſt 20. *Julii:* paulo poſt pati cœpit dolorem lancinantem, tendentem, quandoque pulſantem; in occipite, maxime in vertice : dolor primum emerſit poſtquam cum ſociis *poſt acidulas potas* in apricum exſpatiatus eſt, indeque quoties ſe paulo diutius movit eundo, quod octies factum eſt, unde noluit amplius ſe poſt potum exercere: dolor iſte poſt paſtum remiſit, veſperi rediit & noctu inprimis, cuicunque lateri incubuerit, afflixit. Manſit vitium linguæ. *Die* 20. *Auguſti potum Acidularum* finivit. Toto hoc tempore appetitus conſtitit, alvus aperta erat: nec in cæteris actionibus vitium notabatur: negotia quoque ſua proſecutus eſt.

Die 8. *Septembr.* 1681. Cum tota prægreſſa nocte parum dormiviſſet ac ſumme *ad R. D. P. Marcum de Aviano* rite excipiendum occupatus eſſet, gravi perturbatione capitis correptus fuit, & quia ſibi cadendum putaret vicinam columnam vi amplexus eſt ac opem implorare cogebatur; in lectum ductus pejus habuit ibique manere noluit : in ſellam locatus heſternam cœnam crudam nihilque ſubactam evomuit, magnamque aquæ inſipidæ copiam ter quaterve ejecit, cujus capiendæ ventriculum vix capacem putavit : datâ *aquâ quadam à D. D. Lavatero* ad vomitum prope inani & moleſtiſſimo nixu ſtimulabatur : obſervatum fuit, aliquid flavi ſimul excretum fuiſſe. Poſt vomitum rurſus in lecto permanere potuit : ſomnolentus reddebatur ac diu & profunde dormivit: poſt ſomnum pedes debiliores, maxime dextrum, expertus eſt: manſit vertigo titubans, nunquam gyroſa: effigies in cœlo lecti pictas diu inverſas conſpexit nunquam duplices. Vertigo

tigo, ſpeciesque inviſibiles cum ſomnolentia ad diem quartum durârunt. Manifeſtè tum animadverſa fuit etiam *à Reverendiſſimo Domino* memoriæ quædam hallucinatio, nam nec verba ſuccurrebant nec rite illa in ſermone diſponebat ac ſæpe vitioſe & inverſe enuntiabat. Varia adhibebantur *purgantia, V. S. cephalica, ſudorifera aliaque* non magno cum profectu: *Fonticulus in brachio ſiniſtro* excitatus fuit: quando ſternutavit paulò meliuſcule ſe habere putavit hucuſque. Ad negotia ineptus reddebatur, adeo ut nec legere nec ſcribere more ſolito potuerit. Interea obambulavit: non raro miſſam celebravit &c. Obſervavit ipſemet ſe vocem non ut pridem in perorando & cantando tam fortiter edere poſſe.

Die 16. *Maji* 1682. *Reverendiſſimum Dominum Abbatem in ſuo Monaſterio conveni:* querebatur adhuc de vertigine titubante mane ſed non tam vehementer: de dolore occipitis mitiore quidem ſed nondum ſuperato, noctu inprimis, etiam interdiu mane affligente, ceſſante poſt prandium, redeunte veſperi: noctu quomodocunque decumbat adeſt. Obſervavi illum omnes literas bene exprimere, verba tamen quædam difficilius enuntiat, inter loquendum ſubinde illorum conſtructionem invertit, quædam notiſſima non tam prompte, ut ſolebant ſuccurrerunt: non auſus eſt ſe hactenus legendo & ſcribendo multum occupare: ſacra tamen peragit. Iracundior ſolito evaſit. Vapor calidus videtur à ventriculo ſurgere, aliquando nauſeat & ad vomitum ſtimulatur: aliàs ſatis bene appetit, non multum bibit, vinum aqua diluit: poſt prandium ſomno obruitur, cui tamen non diu indulget. In artubus nullam amplius debilitatem animadvertit: negotiorum curam habet, verum non tam ſtrenue ac pridem fecerat. Vertiginem fortiorem præcedit metus leipothymiæ: oculi videntur ipſi obtenebrari.

Reſolutio.

A*Pud Reverendiſſimum Dominum* irruptionem humoris ſeroſi intra cranium in medulloſam ſubſtantiam factam fuiſſe credibile eſt, quia labia diſtorta, locutio vitiata, memoria debilitata: viſio læſa, pedes inprimis dexter debilitati fuerunt ac vertigo titubans etiam poſt vomitum ipſum terruit atque in hunc uſque diem continuat: non tamen abnuerim non paucum intra cranium ſtagnare, cum occiput prope continuo doleat. Quoniam hæc ſymptomata licet leviora in hunc uſque diem ſuperſunt, neceſſum eſt reliquias quasdam in L. A. detineri, quæ non contemnenda, ne ſequatur apoplexia fortior. Itaque ſerum revellendum, derivandum, abſorbendum, diſcutiendum ſimulque genus nervoſum corroborandum erit.

I. Sumat ergo *mane hora* 7. *& veſperi hor.* 5. ℥*j. hujus trageæ cum aqua roriſmar. deſt.*

℞. *Radic.*

℞. *Radic. pœon. doronic.* ãã. ℥iß. *cinnamom.* ℥ij.
Cubebar. galang. maciſ. ãã. ℥ß.
C. C. ph. pp. ungul. alc. pp. ocul. ♋. *pp.* ãã. ℨij.
Ol. nuc. moſch. expr. ℈ß. *tab. man. chr. perlat.* ℥iiij. *Mſc.*

II. Quarto quoque die ſumat *mane hor.* 5. ℨß. *hujus pulv. cum aqua roriſmarin.*

℞. *Diaphor.* ♃ ℨij. *Cinnab.* ♁ii ℨj.
C. C. ph. pp. ung. alc. pp. ãã. ℨij.
Ambr. gryſ. gr. iiij. *Moſch. or. gr.* j.
Tab. man. chr. perlat. ℥j. *Mſc. F. Pulv.*

III. *Mane & Veſperi* vertex inungatur *balſamo cephalico ipſi conſueto.*

IV. Naribus *hoc errhinum* trahat interdiu aliquoties.

℞. *Sacch. alb.* ℥ij. *Balſ. cephal. off.* ℈ß.
Ol. d. roriſmar. majoran. ãã. *gtt.* iij.
ſuccin. gtt. ij. *Mſc. F. Pulv.*

V. Sæpius in die *unam alteramve rotulam* in ore detineat ac ſenſim deglutiat.

℞. *Species diambr. c. diamoſch.* ãã. ℨiß.
contr. apopl. ℨj.
Conſ. majoran. ℥ß. *conf. alk. c.* ℨij.
Extr. xyloal. ℈ß. *balſ. apopl. gr.* v.
Sacch. alb. in ſ. q. aq. ceraſ. nigr. ſolut. ℥v.
Mſc. F. l. a. confect. in rotul.

VI. Triduo ante vel poſt novilunium *purgetur pilulis meis cephalicis*, quarum duabus horis poſt parcam cœnam *No. viiij. vel xj. cum aqua betonicæ* ſumat.

VII. Excitetur *Fonticulus alter in tibia dextra.*

VIII. *Veſicatoria* ſæviente dolore mature & frequenter adhibeantur in carpis & retro olecrana.

IX. *Scarificationes* non negligantur.

Cœna ſit parcior prandio. Vinum diluat *decocto lign. viſc. quern.* Inprimis exceſſum in potu vitet. Alvum apertam teneat, Si retardet fruatur cibis laxantibus ante prandium, promoveatur etiam *clyſtere domeſtico emolliente &c.* Si lingua valde titubet, perfricari poſſet *Embammate ex ſemin. ſinap. & melle.* *Ex*

Ex uſu horum medicamentorum Reverendiſſimus Dominus Abbas ad annum 1684. *bene ſe habuit. Labente hoc anno vertigo rurſus moleſta Reverendiſſimo Domino fieri cœpit , cum aliquali memoriæ hallucinatione & loquelæ vitio. Quare juxta Excellentiſſ. D. D. Köfferlinum me abſente Excellentiſſ. D. D. Brunnerum R. R. D. D. P. P. in conſilium vocarunt, qui* 23. *Decembr.* 1684. *conjunctim ſequens conſilium Reverendiſſimo Domino ſuppeditarunt.*

Non eſt dubium, quin *apud Reverendiſſimum Dominum* ſubſtantia cerebri medulloſa humiditate nimia ſit perfuſa , unde fibrillæ cerebri laxiores ideas impreſſas non retinent, quemadmodum in iis qui ſunt ſicciore cerebro, ſed udæ & plicatiles priorem ſitum brevi recipiunt & ſic impreſſionum veſtigia cito evaneſcunt: in quo memoriæ debilitas, de qua queritur *Reverendiſſimus Dominus* conſiſtere nobis quidem videtur. Nec tam liber & expeditus , ob eandem uliginem & humiditatem cerebri, eſt in reliquo ſyſtemate nervoſo ſpirituum animalium motus, unde pedes nonnunquam vacillant, lingua minus volubilis, nec tam promte juxta arbitrium movetur : reliqua inſuper, quæ *apud Reverendiſſimum Dominum* obſervantur, ex hoc fonte pullulant ſymptomata. Serum hoc primo admiſit fibrarum laxitas ob effractum nempe harum tonum per multa eaque gravia negotia. Facile hactenus quocunque ſeri ὀργασμῷ ſeu ebullitione cauſa mali adaugetur, & hâc datâ portâ irruit, unde novus paroxyſmus & inſignis perturbatio excitatur. Interea hoc , bonis *Reverendiſſimi Domini* rebus nato, cerebrum nimirum ejus adhuc eſſe roboris atque vigoris, ut etiamſi committat, quod ſerum nonnunquam irrepat penitius, illud tamen maſcule iterum expellat, nubilum diſcutiat, & uſuram facultatum brevi recipiat, ex quo ultimum paroxyſmum extitiſſe exiſtimo. Ipſa nempe bruma, qua ſero adundant mortales, lunâ eclipſin patiente, inſignis mutatio & ſeri commotio facta fuit; illud nempe brumali frigore penitius adigitur, dum facultates animales tunc temporis torpeant & magnam ſomnolentiam quivis apud ſeſe experiatur. Cito autem iterum diſcuſſum & abactum fuiſſe conſtat , quia brevi loquela iterum & reliquis facultatibus potitus eſt *Reverendiſſimus Dominus.*

Ne autem poſthac denuo ſerum irruat & ſic novos & (quod avertant Superi) graviores paroxyſmos inferat, opera danda, 1. ut ſeri abundantia certis temporibus minuatur. 2. Impacta cerebri humiditas abſorbeatur & exſiccetur. 3. Ipſæque denique fibræ & totum cerebrum corroborentur, quod quidem ſequenti methodo apud plures jam obtinuimus.

1. Singu-

1. Singulis menſibus triduo ante vel poſt novilunium 9. *vel* 11. *harum Pilular.* duabus horis poſt parcam cœnam ſumat.

℞. *Extract. cochiar. aurear.* āā. ℈ij.
caſtor. xyloal. āā. *gr. iij.*
Ol. d. roriſmar. gutt. iij. Mſc. F. Pil. No. xxxx. de ☉.

2. *Mane quotidie tribus horis ante prandium & veſperi hor.* 4. ʒß. *cum ſequente mixtur. hujus pulv. cephal. ſumat.*

℞. *Bezoard.* ☽. *diaph.* ♃. āā. *ij.*
C. C. ph. pp. ſuccin. alb. pp.
Lapill. ocul. ♋. *pp. cinnab. nativ. vel* ♁*ii* āā. ʒiß.
Tab. man. chr. perl. ℥j. *Mſc. F. Pulv.*

℞. *Aq. ceraſ. nigr. fl. til.* āā. ℥iiij. *cinam. ſpir.* ℥ß.
℞. *ambr. ſuccin. ana.* ʒiß.
Tab. man. chr. perl. ℥j. *Mſc. d. ad vitr.*

3. Noctu cubitum iturus capiat *unum alterumve cochl. ſeq. mixturæ*

℞. *Aq. fl. til. lilior. convall. ſalv. ana.* ℥iß. *cinam. bugl.* ℥j.
Confect. alk. compl. ʒj. *Tinctur. ſuccin. Eſſent. Caſtor. ana* ʒj.
Sal. vol. ol. majoran. ſeu Sylv. ℈ij. *Tab. man. chr. perl.* ℥j. *Mſc.*

4. *Pulvere præſcripto & hac mixtura conſumtis mane & veſperi nucis juglandis magnitud. hujus Electuarii* ſumat.

℞. *Conſ. anthoſ. majoran. ana.* ℥iij.
Diaph. ♃. ʒij. *cinnab. nativ.* ʒj.
Reſin. ſuccin. ℈j. *conf. alk. c.* ʒij.
Elæoſacch. citr. ℥ß. *Mſc. F. l. a. Elect. d. ad oll. fictil.*

Noctu cubitum iturus *loco mixt.* ſumat ℈j. *cum aq. fl. til.*

℞. *Ocul.* ♋. *pp.* ℥iij. *corall. r. pp.* ℥j.
Macis. ʒß. *ol. de caryoph. gtt. ij. Mſc. F. pulv.*

5. Interdiu pro roboratione linguæ & loquela facilitanda adhibeat *cochleatim, præſertim mane & veſperi, hanc aquam pro collutione oris.*

℞. *Herb. beton. Iv. arthet.*
*majoran. ſalv. ana M*ß.
Coq. in aq. beton. ℔j. *colaturæ adde*
Eſſent. caſtor. ʒij. *Mſc.*

 6. Inter-

6. Interdiu ſæpius detineat in ore *unam alteramve rotulam cephalic. Menſ. Maji* 1682. ſuaſas, quas ſenſim deglutiat:

7. Si alvus adſtricta foret, utatur *clyſteribus conſuetis &c.*

8. Diætam accurate & prolixe ab aliis deſcriptam accurate obſervet *Reverendiſſimus Dominus.*

Si apoplexia (*quam Deus avertat,*) ſuperveniat.

1. Mox *clyſter acris* injiciatur, 2. Detur *cochl. j. hujus liquoris ex ſal. volat. oleoſi major.* ʒiij. *aq. fl. til.* ℥iiij. *ſacch.* ʒvj. *Mſc.* 3. *Spir.* ✳ ⊡ naribus admoveatur. 4. Si vires ferant, *vena ſecetur.* 5. *Veſicatoria* applicentur. Dentur *pilul. cephal. in aq. beton. ſolut. ad* ℈j.

D. T. O. M. hæc Reverendiſſimo Domino ſalutaria eſſe jubeat!

Vere 1685. *Reverendiſſimus Dominus Abbas in eodem valetudinis ſtatu degebat, ſummo cum deſiderio flagrabat balneis Waterſchwilenſibus prope Tugium, etiam invitis Medicis uti. Propterea Excell. D. D. Köferlinus pro harum Thermarum uſu inſtructionem talem die* 3. *Maji* 1685. *dedit.*

1. Antequam *Thermas has* adeat corpus *purgetur pilulis cephalicis ſibi conſuetis.* Triduo *poſt purgationem in brachio dextro V. S. adminiſtret,* ſed non ultra ℥iiij. *vel* ℥v. ſanguinis fundere ſinat. 2. Locus, in quo *balneabit,* non ſit nimis vaporoſus multò minus frigidus: *Balneum* ſit temperate calidum non nimis fervidum, ne caput incaleſcat & citò ſudet : balneando ab una hora incipiat, ac quotidie cum hora una aſcendat, nunquam ultra 5. horas in die balneet ſc. ante meridiem 3. & poſt meridiem 2. horas : optimum balneandi tempus eſt ante meridiem ab hora ſexta ad 9. & veſperi ab hora 3. ad 5tam. In ſummo balneationis maneat uſque dum in habitu corporis excorietur & ab excoriatione ſanetur, tunc balneando quotidie horam unam detrahat & hanc curam finiat. *Poſt balneum* ſemper lectum petat : ante & poſt paſtum obambulet. *In balneo* nunquam bibat niſi præſente excoriatione & tunc nihil niſi aquam ſeu *decoctum ligni viſc. quern.* 3. *Mane ante inſeſſum* capiat ʒij. *hujus Electuarii.*

℞. *Conſerv. flor. lavend. beton.*
Tunic. majoran. ana ℥j.
Nuc. moſch. in Ind. condit. ℥ß.
Spec. Diambr. & diamoſch. bez. ☽. *ana.* ʒj.
Ʀæ ambr. liq. ʒij. *Mſc. F. Elect.*

4. Si

4. Si vertiginem aliasque capitis debilitates ſentiat ſumat *cochl. ij. hujus tincturæ*

℞. ⊖☿ *volat.* ʒij. *ol. d. majoran. gtt. viij.*
Ol. d. ſuccin. gtt. iij. Mſc. bene in mortario lapideo.

Add. *Aq. beton. majoran. ana* ℥iß.
Sp. lil. convall. ℥j. ℞. *ambr.* ʒij.
Tab. man. chr. perlat. ʒvi. *Mſc. detur ad vitr.*

5. *Cubitum iturus* ſumat ℈ß. *ad* ℈i. *huius pulveris cum aq. fl. lil. convall.*

℞. *Corall. rubr. ppr. Margarit. Or. pp. ana.* ʒi.
Rad. irid. Flor. cryſtall. montan. pp. ana. ℈ii.
Ol. nuc. moſch. expr. gr. vi. Tab. man. chr. perl. ℥ß.
Mſc. F. pulv.

Mane *in balneo* comedat juſculum. Alvo ſuppreſſa adhibeatur *clyſter.* obſervet accuratam diætam: quod tamen non fiebat & in media cura *vena ſecabatur,* quæ tamen *præmiſſa purgatione ante uſum balnei* ſuadebatur.

Vivendi ratio jam *ante & poſt balneum* præſente memoriæ debilitate hæc fuit. Cubitum ivit hora 8. n. dormivit fere ad 6. matutinam; quamvis ſomnus eſſet quandoque interruptus, non ſurrexit, nec in lecto corpus jactavit: nullorum inſomniorum, nullarum cogitationum mane recordatur. Poſtquam ſurrexit mane celebravit *ad principium uſque Julii*: hinc horas canonicas *ad* 14. *Julii* cum ſocio recitavit cum utriusque moleſtia. Regimen noluit deponere: aliquando ipſe rationes reditûs *Monaſterii* examinare voluit, amplam menſam numeris implevit, quos tamen in ordinem poſt longam ingenii defatigationem redigere & combinare nequiit: ſubinde ſententias quæſitus de dubiis tulit: verum plerumque non ſatis apte, nuperis diebus plane non amplius: *invitis R. D. Patribus* ſcalas deſcendit, templum adiit: ægre pertulit, ſi vacillantem famuli ſuſtentare conabantur: indignabatur etiam *Dominis Patribus*, ſi regimini ſe immiſcuerunt, ac cum ſtomacho dicebat ipſos jam ei inhiare ſe vidente & vivente. In prandio ſtatim poſt unum alterumve cochleare juſculi bibit & quidem vinum generoſum: diu aſſedit menſæ: bibit ultra Libr. iij. ordinariè, aliquando plus maxime præſentibus hoſpitibus: veſperi ante cænam rurſus: non nunquam mane jejuno ſtomacho: cœna prandio in omnibus ſimilis fuit: à vini potu redditur iracundus.

 OBSER-

OBSERVATIO CII.

Memoria abolita ſequente Melancholia.

R*Everendiſſimus Dominus Fr. S - - - Badenſis*, *Abbas Murenſis*, 44. annor. & quod excurrit: carnoſus, robuſtus, vaſto corpore præditus, ſtaturæ juſtæ: colore faciei citrino. Ingenium ab aliquot annis multis & continuis negotiis defatigavit. In rebus peragendis ſerius, meditabundus, varia itinera perfecit, etiam per montana *Helvetiæ* quavis tempeſtate. Jam diu conſuevit ſtatim à paſtu ad labores redire, qui ſæpe ingenium non parum fatigarunt. Ante aliquot annos diu multumque vexabatur intertrigine ſub axillis & in perinæo ac interclunio, quæ ab obambulatione tempore æſtivo potiſſimum, excitabatur atque pruritu & copioſa ſeri exſtillatione permoleſta fuerat. Ab anno hemicrania ſiniſtri lateris ſupra oculum & circa tempus ſæpe ipſum invaſit. Æſtate præterita noctu ſubito catarrho quaſi ſuffocativo corripiebatur, qui tamen brevi diſcutiebatur *rotulis cephalicis & pectoralibus à Reverendiſſimo Domino Abbate Rheinovienſi*, qui ipſi tunc *Viſchingæ* aderat, ſuppeditatis. Hemicrania autem ipſum ſine nauſea aut vomitu aut oris amaritie affligebat. *A die* 16. *Nov. ſt. v. ad* 22. *Nov.* 1672. Occupabatur *in Monaſterio Eſchenbaccenſi viſitatione*: in qua à *6.* hora matutina continuè ad *6.* veſpertinam ad lumen cereæ ſcribebat, neque unquam feriabatur niſi per horulam, in qua pranſus eſt: imo ſtatim à prandio ad ſolitos eosque graves labores redibat. *Die* 22. *Novembr.* demum redux animadvertit caput admodum obtuſum eſſe, ac circa veſperam Hemicrania ſiniſtri lateris valde afflixit, ut incœnatus lectum peteret: ſequenti die & ſubſequentibus optime habuit *ad* 27. *Novembr.* & ne vel minimum morbum prævidebat. *A die* 17. *Nov. ad* 27. *Nov.* ob Adventûs tempus plerumque nullo cibo calefacto veſcebatur, ſed acetariis & piſcibus quos Gangfiſch vocant, fumo induratis, & oleo cum aceto conditis. *Die* 28. *Novembr.* toto tempore antemeridionali in templo, capite denudato, cœlo impenſe frigido *ob feſtum beatæ Virginis* commorabatur, & itidem poſt meridiem ob funeralia *R. D. P. Subprioris Luitfridi Zäh.* Inde nihil adverſi animadvertit. *Die* 29. *Novembr.* mane in templo verſabatur, hinc ſcholam viſitavit, ac Rhetores ipſemet ad horam examinavit, atque tam bene habebat, ut putarit nunquam ſerenius, ut nunc loquitur, caput fuiſſe. Ante 9. horam mane in cœnaculo frigido obambulans *præſente Domino Cancellario* controverſiæ à ruſtico propoſitæ auſcultavit: dum illam decidere conabatur ac ſententiam prolaturus eſſet,

non

non ſuccurrebant verba quibus animum ſuum exprimere poſſet, ſimulque doluit ſub mamma ſiniſtra, & hemicrania, maxime ſi tuſſiebat, ipſum excruciabat. Ab illo momento memoriam ita amiſit omnem ut neminem adſtantem amplius proprio nomine appellare potuerit, imo nullam amplius rem denominare valuit. Vidit diſtincte colores & objectorum viſibilium lineamenta, figuras &c. attamen legere prorſus & literas combinare nequibat: omnes reliqui ſenſus externi conſtabant, nec in ſenſu communi vitium. Ipſemet labem memoriæ apud ſe animadvertit atque agnovit, ſe in loquendo aberrare nec res debito nomine impertire: inſuper ſenſit caput ſe obfuſcatum, ſeu obtenebratum & ſtupidius eſſe. Nihil paralytici animadverſum, literas, etiam R. diſtincte pronuntiavit. Reſpiravit bene. Tunc temporis appetitus dejiciebatur, pulſus fuerat frequentior: urina debito tinctior, ſtatim ab emiſſione turbabatur. In hoc ſtatu per triduum ſubſtitit. Interea *Cl. D. D. Weiſſ' clyſteres* injecit, quorum beneficio fœces bilioſæ educebantur copioſe: quin etiam *ter vena ſecabatur, ſemel in pedibus.* Dedit quoque dein *digeſtivum & purgans lenitivum.* Suaſit victum tenuem & vinum denegavit. Quibus effectum eſt, ut triduo elapſo appetitus redierit & *Reverendiſſimus Dominus* memoriam maximam partem recuperarit. *Die 6. Decembr. ſt. v. 1672. ipſum conveni*, obſervavi *apud Reverendiſſ.* aliqualem memoriæ labem ſupereſſe, nam in diſcurſu non ad nutum ſuccedebant verba, adeo ut ipſemet conquereretur, verborum copiâ ſe deſtitui: unde ſubinde inter loquendum hæſitabat: nonnunquam minus congrua verba ſermoni admiſcebat. *Pſalmorum hymnorumque* non recordabatur ſi prolixiores erant, nec memoriter illos recitare valuerat: breviores vero ut & *Precationem Dominicam, Symbolum Apoſtolicum &c.* citra hæſitationem protulit. Ajebat ſe animadvertere ingenium quoque vitium cœpiſſe, nam ſe antehac promtiſſime aliorum ſenſus de re propoſita concipere potuiſſe, nunc id cum labore fieri: nec ſe poſſe animi ſenſa, ut pridem proferre, aut de rebus tam prompte judicare: quin etiam rationem ſubducendi ad leges arithmeticas ægrius ſuccedere. Interea vero diſtincte iterum legit, lecta intelligit, præteritorum recordatur, etiam actorum paulo ante inſultum hunc ſubitum: imo meminit, in ipſo inſultu caput obtuſius fuiſſe, neque ad nutum verba fluxiſſe. Iterum bene appetit, aſſumta digerit. Pulſus naturaliſſimus eſt. In reſpiratione nulla menda obſervatur. Urina ratione coloris & conſiſtentiæ naturalis eſt. Somnus quoque prorſus naturalis nec nimius nec naturali minor: nuper inſomniis variis turbabatur, hac nocte vero non. Et cœtera vegetus eſt, nihilque apparet, quod morbum aliquem proderet, ſi labem adhuc ſuperſtitem eamque exiguam memoriæ exceperis. *Die 7. Dec. Fonticulum*

dextro brachio inuſſi: ex diſcurſibus frequentibus facile animadverti poterat memoriæ vires magis magisque invaleſcere: ſi forte verbum unum alterumque non ſtatim ſuccurrebat, poſt brevem cunctationem vel idem vel ſimile *nunc Germanicè nunc Latinè* proferebat, ac dicebat ſæpius ſe *Latinorum præ Germanicis* recordari. Veſperi literas breves ſcripſit cum labore quodam, unde caput aliquantulum in fronte doluit. Alvus ſua ſponte ſolvebatur. *Die* 8. *Dec.* Nocte prægreſſa 8. horis dormivit continue: mane poſtquam evigilavit, alacris erat, nullorum inſomniorum memor fuit. Expergefactus *pſalmos & hymnos* abſque ullo ſubſidio recitavit. Urina, pulſus &c. optime ſe habebant. Exigua adhuc labes in memoria & non niſi ab attento obſervatur. *Mane* ſumpſit *pulv. March.* ℈ß. *cum aq. apopl. errhin. & apophlegm.* primum uſurpare cœpit. Repetebatur *veſperi pulv. march. Not. R. D. P. Auguſtin. ab Uri Oeconomus Rev. D. Abbatem* pridie ante oblivionis iſtius inſultum in templo luctuoſum ſediſſe vidit, oculis in cœlum fixiſſime levatis: ut crediderit luctum & pertinaciſſimam quandam ſollicitudinem cauſam non ultimam hujus oblivionis fuiſſe. Præterea putat paroxyſmum jam ſummo mane adfuiſſe, nam non credit ipſum templum adiiſſe: ſcholam vero præter morem & conſuetudinem viſitaſſe, ſi probe ſibi conſtitiſſet.

Addidit: antequam *cum Domino Cancellario* loqueretur in cœnaculo frigido labem memoriæ animadverſam fuiſſe. Ante 10. pomeridianam ait menſæ aſſediſſe capite manu ſuffulto, eoque momento plurimum ſalivæ ex ore effluxiſſe, cujus ſalivæ profluvium opinatur apoplexiam avertiſſe. *Not.* Retulit *R. D. P. Anſelmus Weiſſenbach. Rev. D. Abbatem* pridem nimium indulſiſſe acetariis, eorumque integras patinas evacuaſſe ſolum. *Die* 9. *Decembr.* nocte dormivit: mane in omnibus actionibus bene ſe habebat: memoriæ vis crevit: memoriter recitavit *pſalmum prolixiorem*. in ſermone tamen adhuc quandoque impinxit, ob verba minus prompte fluentia.

Reſolutio.

Affectus eſt memoriæ potiſſimum abolitio, nam rerum nomina ſive uſu comparata, ſive lectione conquiſita & in memoriæ promtuarium recondita in primo inſultu depromere nequiit, nec literas exprimere aut combinare amplius valuit, unde oblitus eſt penitus *lectionis tum Germanicæ tum Latinæ:* & adhuc conqueritur ſibi verborum copiam deeſſe, unde quandoque in medio diſcurſu ob verborum inopiam aut tardiorem recordationem verborum congruorum hæſitat, quæ memoriam imminutam teſtantur. Phantaſia quoque labem contraxiſſe

traxiſſe videtur : nam *Reverendiſſ. Dominus* propoſita non tam facile, nec ea promptitudine, qua pridem concipit ac penetrat : inſuper ipſemet animadvertit in rationibus ſubducendis ſe impeditiorem eſſe ac nuperrime fuerat, quæ ſignificant in hoc inſultu ingenium quoque labefactatum fuiſſe, quamvis vitium nullo modo memoriæ abolitioni æquiparandum ſit, cum cætera probe ratiocinetur. Senſus externi ut & communis bene valent, nam objecta ſenſuum probe diſtinguere ſemper potuit, nec debito ſomnolentior unquam fuit. In motu animali quoque ne minima labes animadvertebatur.

Locus affectus non eſt nervus aliquis ad unum alterumve ſenſum pertinens, nam audit, videt, guſtat &c. nec nervus loquelæ inſerviens, nam integre omnes literas pronuntiat, etiam R. nec ſpinalis medulla, quia nullum prorſus vitium in motu animali apparet; ſed illa pars cerebri, ubi rerum ſpecies aſſervantur, quæ ceu ex promptuario depromendæ & à facultate memoratrice, ubi uſus poſtulat, ſuppeditandæ. Quæ vero pars illa ſit intra cerebrum, definiri nequit, certe non totum cerebrum affectum fuiſſe inde conſtat, quia ſomnolentus non fuit nec ingenium aut ratio unquam periit.

Cauſa proxima talis neceſſario eſſe debet, quæ ſe citra inflammationem intra poros cerebri profundius inſinuare ibique aliquandiu hærere ac affigere ſimulque ſpecies rerum ibi aſſervatas impedire atque aliquo modo obliterare potuit: talis non eſt merus ſanguis, quia phrenitidem effeciſſet, nec ille cum muco aut ſero mixtus, quia lethargum peperiſſet: nec nudus vapor ſive tenuis ſive craſſus, quia tum brevem ut in ebriis, tum oblivionem cum ſomnolentia excitaſſet: ſed humor aqueus, quia intima quæque à maſſa ſanguinea ſeparatus ſubire ac diuturniorem oblivionem generare quivit, non tamen immedicabilem, quia totus conſumi poteſt, ſecus ac ſi viſcidus, mucoſus, aut mere phlegmaticus fuiſſet. Talis humor eſt ſerum, quod cum maſſa ſanguinea circumfertur, facile ab illa ſegregatur & totum diſſipari valet. Hoc ſero *Reverendiſſimus Dominus* abundat, nam color eſt citrinus, pridem intertriginem humidam paſſus eſt, nuper catarrhum quaſi ſuffocativum experiebatur, *fonticulus* per aliquot dies ſubſtitit : minus exercetur &c.

Serum hoc facilius intra poros ſubſtantiæ cerebri admiſſum fuit, quia crebris & graviſſimis negotiis caput defatigavit, & ſtatim à cibo ſumto ad labores ingenii ſe accinxit. Et paulo ante inſultum inſigniter debilitavit, dum non ſolum per dies ſex integros indeſinenter ſcribendo & meditando occupabatur in viſitatione, & pridie ante inſultum toto die in templo, aëre frigido, denudato capite perſtitit.

Letheam hanc aqueam à maſſa ſanguinea fermentatione quadam ſeparatam ac quaſi deſpumatam fuiſſe vel inde conſtat, quia ante invaſionem

ſi

quaſi pleuritidem quandam cum ſæva hemicrania & catarrho perſenſit, appetitum amiſit, ac urina tinctior evaſerat : quod & credibilius eſt, quia *Reverendiſſimus Dominus à V. S.* juvabatur, quæ præ cæteris auxiliis ſanguinis ebullitionem & deſpumationem cohibet : inſuper memoria reparabatur *ab hydrogagis &c.*

Sero huic nihil prorſus narcotici permixtum fuiſſe inde colligo, quia quod aliàs rarum in hoc affectu, plane non ſomnolentus fuit: imo cum indignatione quadam hunc affectum ſufferre videbatur, unde bilis ebullitioni & deſpumationi hujus aquæ letheæ anſam dediſſe videtur, quia urina valde tincta erat, & in primo inſultu plurimum bilis educebatur *a clyſteribus.*

Prognoſis: quia *apud Reverendiſſ. Dominum* ita lethea & oblivionis aqua profundiora cerebri multis ingenii laboribus defatigati ſubintravit, memoriam abolevit, ingenium obtudit, totum cerebrum obtenebravit atque obfuſcavit, vertiginem quoque aliquam excitavit, quia quoque poſt aliquoties perpeſſam hemicraniam hunc affectum excitavit, verendum eſt, niſi ſummopere caveatur, oblivionem hanc crebrius redituram ac tandem apoplexiam parituram. Meliora tamen ſperari poſſunt, quia *Reverendiſſimus Dominus* cætera ſaniſſimus eſt, nondum ætatem 45. ann. ſupergreſſus, & brevi *auxiliis adhibitis* præter ſpem oblivio terribilis excuſſa fuit, eoque magis, quia ægrum in omnibus obtemperantem & diætæ ſtudioſum obtinebimus.

Indicationes erunt ſerum redundans evacuandum, à cerebro revellendum, derivandum, intra cerebrum diſſipandum, cerebrumque roborandum eſſe : inſuper ejus regenerationem, deſpumationem & novam collectionem intra cerebrum magno ſtudio cavendam eſſe.

Quibus ſatisfieri poterit *auxiliis & remediis ex pharmacia, Chirurgia & diæta deſumtis :* quæ ordine methodo executivâ explicanda ſunt. Scil. eo ordine, qui ad praxim accomodus maxime videbitur. *Ex pharmac. pil. ceph. errhina, Apophlegm. Tab. trag. elect. aqu. cephal. pulv. foris Balſ. cucuph. Ex chirurg. V. S. ſcarificat. veſicat. fonticul. frict. In diæta* vinum diluat *decoct. chin. ſaſſafr.* Cibi condiantur *Mac. &c.*

Mane hor. 6. vel 7. & veſp. hor. 4. ſumat ʒj. *trag. cephalic. cum pauxillo panis toſti & vino madidi.*

℞. Pulv. epilept. march. ʒij.
Pil. reg. compl. No. i.
Cubeb. ʒiß. *N. M.*
Mac. ſucc. citr. macerat. ana. ʒi.

Cinam.

Cinam. ac. ʒij, C. C. ph. ppr.
Ungul. alc. ppr. ãã. ℈iiij.
Sacch. roſat. tab. ℥j.
Tabul. man, chr. perlat. ℥iiß.
Ol. d. majoran. gt. j. roriſmar. gtt. ij.
Mſc. F. Pulv.

Superbibat cochl. iij. mixt. ex aq. roriſmar. cephal. temp. & ſyr. fl. paralyſ. q. ſ. Cubitum iturus ſumat una nocte *pil. v. Bezoard. D. Myll.* altera nocte *Elect. nuc. magnit.*

℞. *Conſerv. roſar. r. ℥iij.*
fl. ſalv. betonic.
anthoſ. ãã. ℥j.
Confect. anacard. ℥ß.
Syrup. fl. paralyſ. q, ſ. Mſc.

Interdiu ſubinde ore teneat & deglutiat *Tabell.*

℞. *Spec. Diambr. diamoſch.*
cord. temperat. ãã. ℈j.
Extract. xyloal. gr. xij.
Confect. alkerm. c. ʒj.
Conſerv. roſar. r. ℥ß.
Sacch. alb. in ſ. q. aq. roriſmar. ſol. ℥iij.
F. Confect. in rotul. irror. ol. anth. gtt. ij.

Mane & noctu vertex inungatur *Balſ.*

℞. *Unguent. alabaſtrin. ℥ij.*
Ol. N. M. expr. ʒiij.
d. roriſmar. majoran.
lavend. ãã. gtt. vij.
rut. ſuccin. mac. ãã. gutt. iij.
Balſam. apoplect. ʒß. Mſc.

Continue geſtet *cucupham.*

℞. *Summit. majoran.*
Flor. roſar. r. ſalv.
betonic. anth. ãã. ʒß.
Succin. alb. maſtich. ana ʒj.

C. C. uſt. Ebor. uſt. ppr. ana. ℈iiß.
Mſc. F. Pulv.
Inſpergatur goſſyp. & inſuat. ſyndon. r. interpaſſetur.

Mane jejuno ſtomacho naribus attrahat *pauxillum pulv. errhin. & maſticet trochiſc. apophlegmaticum D. D. Weiſſii. Triduo ante novi- & plenilunium* 2. *horis poſt parcam cœnam* ſumat *pil.* 9. *cephalic. Diuretica & ſudorifera* mihi hac vice ſuſpecta ſunt, ne plus quam decet humores fundantur, *V. S.* non repetenda niſi æſtuet, caput doleat & vertigo affligat. *Scarificatio alternis menſibus ante novilunium inſtituenda. Fonticuli aperti ſerventur.* Quamprimum hemicrania ſævit, memoria iterum labaſcit, aut ſi ſoporoſus evadat, *Veſicatoria carpis & parti interiori tibiæ ſub genubus* applicentur. *Frictiones* prodeſſent, niſi illas faſtidiret. Aër ſeligatur temperatus. Veſcatur cibis boni ſucci, facilis digeſt. vinum diluat *decoct. chinæ.* Cœna ſit parcior prandio. Non ſtatim à cibo ſomnum ineat. Somnus pomeridianus nocet. Mœrorem vitet. Alvus ſit aperta. Exercitiis incumbat magis quam unquam.

Die 22. *Jan.* 1673. *ſequentia ad me dedit D. D. Weiſſius: Rever. Dn. Abbas* ſatis generoſe & cordate *præſcriptis remediis* hucuſque perſtitit, ex quibus effectum ſatis laudabilem conſecutus eſt; attamen promptitudo memoriæ aliquantulum adhuc deeſt, ut verba, quo ſe expeditius denuntiet, non tam prompte ſubminiſtret. Semel vel bis ab illo tempore, quo *Exc. Veſtra* apud nos fuit, de perditione appetitûs conquerebatur, qui facile ſubſequente die rediit *injecto clyſmate.* Noctes per intervalla inquietæ, quod intenſiori animi labori, quo cerebrum paulo delaſſatum fuit, attribuendum videbatur. Vix ſe à negotiis continere potuit, ratus, ſe animum recreaturum & à melancholia magis liberum futurum; cum autem ipſemet animadverterit id ſibi noxium eſſe, facile & libere omni negotio ſeſe abdicat; ac nobis lubentius morem gerit. Pergimus ſemel *cum præſcriptis remediis,* licet ſibi *Reverendiſſ.* imaginetur, copiam & continuum horum uſum appetitum imminuere, ad quod tamen ego non annui, perſuadens ipſum id non provenire *à remediis,* ſiquidem *pleraque* ſint *confortantia & ſpecifica.* Si *Exc. Veſtra remediorum uſum* imminuendum aut alio modo immutandum credat, imprimis nos certiores faciat. *Reverendiſſ.* cum videat morbum paulo contumaciorem eſſe, aliquo modo angitur, veritus ne in priſtinum ſtatum reſtituatur: *præſens* mihi videbatur *remedium,* ut bona ſpe ipſum lactarem. Attamen cum vigor & alacritas ingenii & memoriæ paulo tardius redeat, mecum cogitavi, an

an forte reſidua hypochondriorum colluvies bilioſa & pituitoſa ejus rei cauſa foret, quæ ſympathicam cerebri plethoram facile fovere poſſet, & ſic malum produceret; ſcio *ſpecificis* hucuſque *remediis* ſatis proſpectum fuiſſe, præſertim ad cauſam conjunctam in cerebro exiſtentem demoliendam; annon neceſſe nunc erit cauſam antecedentem in meſenterio & pancreate ſtabulantem *lenibus digeſtivis præparare & benignis pharmacis ſæpiuſcule evacuare. Hæc omnia relinquo veſtro judicio.*

Reſpondi d. 28. *Jan.* 1673. Memoriæ hoc vitium non tam cito exſtirpari poſſe; nam apud alios vix intra annum integre rediit memoria, ſublatâ cauſâ proximâ uſu redibit. Obſtructiones meſenterii *digeſtivo* præparari, & poſtea *potione ex manna* evacuari poſſunt. Non tamen negligenda *cephalica ſcil. trag. M. & V. ad* ℨß. *Balſ. item cephal. Tabul. ſubinde.* Bonum eſt, quod ſibi à negotiis temperet. Semet ad meliorem ſpem erigat.

Die 1. *April.* 1673. *conveni Reverend. Dn. Præſulem* & in hypocauſto obambulantem offendi, qui retulit, quod poſt meum abitum *Menſ. Decembr. præteriti anni* ſatis commode habuerit. *Die* 6. *Januar.* 1673. cum diu *in capitulo* verſatus eſſet & de ſeverioribus longe diſſeruiſſet, in fine diſcursûs mentis commotæ & perturbatæ ac memoriæ hallucinantis indicia de ſe præbuit. *Die* 16. *Febr.* cum rurſus *Capitulum* ultra 3. horas protractum fuiſſet multaque ſerio elocutus eſſet, ſimilis menda memoriæ haud difficulter ſub finem concionis animadvertebatur. *Die* 24. *Febr.* poſt negotia non magni momenti memoria turbabatur & appetitum amiſit. *Ipſo hoc menſe* prægreſſo horrore mane vomuit ſolummodo aquea, quamvis magna vi ad ulteriorem vomitum ſtimularetur. Cæterum mala conſtitutio, de qua conqueritur *Reverendiſſimus Dominus*, conſiſtit in his: angitur admodum, ut quo ſe vertat, neſciat, omnium rerum tædet: horror calidus dorſum pervagatur, unde appetitus dejicitur: valde ſitit. Caput non dolet, at aggravatur & quaſi obſtupeſcit, cum majori labore loquitur, minusque verba ſuccurrunt, nec *preces Canonicas* prompte expedit. Nonnunquam mane vomiturit. Adverſis & ingratis minus reſiſtere poteſt quam olim: vertiginem nullam patitur, ait cerebrum minus eſſe ſerenum. Quando male habet, nihilominus obambulat, & dum de inappetentia conqueritur, nihilominus comedit. In propoſitis inconſtans eſt & mutabilis, ac levicula negotia ipſum perturbare poſſunt, ſubſequente memoriæ quadam labe. In vertice & cervice *à Balſamo* excoriatus fuit, in utroque loco cutis capillaris craſſior & quaſi œdematoſa videtur ac palpatur. Macilentior & pallidior mihi viſus eſt ac ante abitum

bitum meum obſervaveram : circa orbitas oculorum flaveſcit. Conſtipatio admodum moleſta nec alvus ante dies 3. vel 4. ſolvitur, quam unice ablatam exoptat. Quandoque tempore pluvio triſtior eſt, non tamen ſemper: urina tinctior eſt, pulſus magnus, vehemens, tardus; manus poſt prandium fervent, conqueritur de dolore pungente vago in capite.

Die 2. April. Mane urina laudabilis erat, minus tincta cum ſedimento. Literas *ad Rev. Dn. Abbatem Rheinovienſem* ſcripſit, in quibus eluceſcebat judicium & memoria luculenter. Alvus hodie conſtipata erat. Bibit horâ 8. *hauſtum ſeri lactis caprin. alterat.* Conqueritur tamen adhuc de debilitate capitis, quæ in eo conſiſtit, quod quandoque negotiis ægre incumbere, aliquando non diu ipſis inſiſtere valet, quando enim ſcribere, legere aut numerare conatur, perturbatur ſpiritus, ut ulterius pergere non valeat. Ait ſe panem tum ſiccum tum in juſculis faſtidire : ſitire quandoque veſperi.

Reſolutio.

AFfectus nunc videtur complicatus : in cerebro latet adhuc aliqua debilitas, nam quandoque ægrius mentis actiones perficere, quandoque promptius expedire valet, nunquam autem diu: quamprimum enim cogitationes intendit, mens turbatur; nec ejus actiones prorogare poteſt, & memoria hallucinatur, ut vel verba deficiant inter loquendum, vel ordinem dicendorum confundat, imo nec diu ratiocinari aut pecunias numerare valet, nec diu *preces Canonicas* continuare potis eſt. Acceſſit his melancholia quædam, quamprimum peperit defectus memoriæ, auxit ineptitudo ad negotia, deteriorem reddiderunt alia ſymptomata, quæ hactenus ſupervenerunt primæ oblivioni, unde ſummopere ſæpe angitur ipſumque omnium tædet : hanc anxietatem *Reverendiſſ.* terroribus mortis æquipollentes affirmat. Jam *menſe Febr.* quædam inſultus febris intermittentis indicia comparuerunt, quæ *per totum Martium* alternatim primo, poſtea ſine ordine afflixerunt, qualia horrores, inappetentia, ſitis, æſtus, urina tinctior teſtantur; non tamen in nervum eruperunt, quia accuratam diætam obſervavit, & fomes ſubtrahebatur *purgantibus, clyſteribus aliisve.*

Cauſa debilitatis ſunt reliquiæ à primo morbo, quæ tamen paucæ, nam ſæpe nullus defectus memoriæ deprehenditur. Mœrorem excitavit oblivio & adhuc ſubinde gliſcentis labis cerebri recordatio, quem deteriorem reddiderunt febrilia ſymptomata, ac propemodum deſperationem quandam rediturae unquam bonæ valetudinis effecerunt, fovitque anxietas quædam & tædium.

Febrilia

Febrilia ſymptomata oriuntur à bilis redundantia, quam amplius cumulavit hypocauſtum calidius, tempeſtas hac vice ad febres proclivis : proprium temperamentum : illa exagitarunt mœror, tædium &c.

Prognoſis : quia memoriæ vires plurimum hactenus redierunt, & ſi qua labaſcat, facile agnoſcitur error, optime de integra ejus reparatione ſpero. Melancholia etiam ſuperabilis eſt, quia patitur illam rationibus excuti. Febrilia ſymptomata haud ægre cedent, quia nunquam tanta hactenus erant, ut ipſum lecto affigere valuerint, nec appetitum penitus unquam proſtraverunt.

Indicationes erunt nunc ante omnia febrim extinguendam, cerebri labem delendam ac melancholicum humorem ſuccreſcentem in prima herba ſuffocandum.

Itaque *cum Cl. D. D. Weiſſio* ſuaſi *die* 2. *Apr.* 1673. *Serum lactis caprin. alterat.*

℞. *Rad. cichor. taraxac. c. herb. rec. ana. No. ij.*
Herb. rec. borrag. acetoſ. ana. Mj.
heder. 🜃 *chærefol.*
Flor. rec. paralyſ. violar. ana. Pj.
Sem. aniſ. ʒß. *paſſul. maj. exacin.* ℥j.
Coq. in ſer. lact. depurat. menſ. j. coletur. D. man. & veſp. hauſtus ℥*vj. vel vij. calide.*

Continuet *ſerum per dies 6.* poſtea purgetur

℞. *Rad. cichor. cariophyllat. ana* ʒ*ij.*
Herb. fumar. endiv. ling. cervin.
agrimon. capill. ♀.
Flor. borrag. violar. ana Pj.
Fol. ſenn. ſ. ſ ʒ*vj.*
Rhabarb. el. ʒ*iii. mechoacan.* ℥ß.
Agaric. alb. ʒ*iß. tamarind.* ℥*iß.*
Paſſul. Corinthiac. ℥*i.*
Cinam. ac. ℈*iiii. Mac.* ʒß.
Sem. fœnicul. ʒ*iß*
🜔 *Tamar.* ʒ*i. Cremor.* 🜿. ʒ*ii.*
Inciſ. & contuſ. coq. in aq. font. ℔*iii. in vaſ. clauſ. Colet. D. matutino tempore* ℥*vi. add. poſſet Man. vel ſyrup. roſar. ſ. ſ.*

Cubitum iturus ſumat ▽ *roriſmar. cochl. iii.* Alvus aperta ſervetur cibis

bis laxantibus ante paſtum : *ſuppoſit. ex mell. vel globulis ſacchar. vel clyſter. domeſtico*, qui tamen non niſi pertinaciter alvo occluſa injiciendi, ne natura nimium illis aſſueſcat. In prandio paulo largius comedere licet. Si veſperi ſitiat, bibat *decoct. C. C, cum ſyr. refrig. de rub. Id. acetoſ. citr. &c.* Pane omnino veſcatur cum cibis : cœna ſit parcior. *M. & V.* vertex *Balſam. cephal.* inungatur. Occupationes graviores & moleſtiam parientes vitet. Obambulet, equitet. Febre debellatâ *ad Trag. Pilul. cephal.* redire poterit, ſed prius *Medicos* moneat.

Ipſe Reverendiſſimus Dn. Abbas ſcribit die 15. *April.* 1673. ſe bibiſſe *ſerum lact. alterat. per dies 6.* unde æſtus ſopitus urinaque naturalis reddita fuerit, indeque ſe bene dormiviſſe, anxietatem illam ceſſaſſe, obambulaſſe, bis equitaſſe ſine incommodo, niſi quod in dorſi ſiniſtra parte ſenſum quendam, ac ſi calidâ perfuſus fuiſſet, perceperit, quod tamen aliàs ſæpe evenerit : *D.* 8. 9. 11. *&* 13. *April.* ſe *potionem purgantem à D. D. Weiſſio præſcriptam* ſumpſiſſe, *ab ultima doſi* peſſime habuiſſe, rediiſſe nauſeam, anxietatem cæteraque ſymptomata; urinam quoque tinctiorem apparere, hæcque ſymptomata continuare *d.* 14. *&* 15. *April.* Colligit recruduiſſe ardorem internum. *An ſerum lactis repetendum, quando & quamdiu bibendum? aut quid inſuper audendum?*

Reſpondi d. 25. *April.* 1673. Me pervidere affectum ipſius non ferre *purgantia*, ut hypochondriacis non raro evenit, ideoque ab illis abſtinendum; repetat *uſum ſeri lactis caprin. alterat.* poſtea utatur *Bezoard. ♂tial. cum gumm. ammon. q. ſ. ✠. ſolut. in pil. form. gr. j. pondere*, quarum *vij. ſingulo mane* ſumat, *ſuperbibat juscul. acetos. alterat. balſam. cephal.* interea pergat.

Die 22. *Maji* 1673. *ſcribit Cl. D. D. Weiſſius*; appetitum *apud Rev. Dominum* ſatis laudabilem eſſe atque conſtantem, anxietates, curas & pavores melancholicos non adeo vehementes ut aliàs, ſed crebriores: urinam ab aliquo tempore naturaliter tinctam cum ſomno quieto; memoriam varie ſe habere, per pauca intervalla mutari. Rebus ſic ſtantibus, *Reverendiſſ. quærere, an acidulæ forte hac æſtate morbo profligando, an thermæ piperin. convenirent?*

Ad has literas ſuaſi die 25. *Maji ſerum lactis caprin. per dies* 14. Hinc *potum thermarum piperin.*

Die 8. *Jun.* 1673. *in literis Reverendiſſ. Dominus* ſcrupulum movit

vit *de bibenda aqua Fabarienſi*, quod ſubinde ſanguineum ſputum ejecerit, & in ſiniſtra dorſi parte, præſertim inter equitandum, dolorem obſervaverit, utrum hoc nihil impediat, *quo minus has thermas bibere poſſit, & an purgans ſit præmittendum?*

Reſpondi die 10. *Jun.* ſputum mucoſum cruore permixtum non impedit *Potum thermarum Fabariens.* quia non à rupta vena pulmonali evenit, ſed â muco faucium, cui aliquid cruoris permiſcetur: dolor in dorſo ad renes ſpectat, cui *aquæ iſtæ* medentur. *Purgans* non neceſſarium, quia jam diu ſatis purgatus fuit.

Menſe Auguſti 1673. *D. D. Schnorpff Medicus Badenſis ſeq. ad me ſcripſit literas ratione Rev. Dn. Abbatis Murenſis.*

Salve Nobil. & Excellentiſſime Domine Affinis!

PEtiit à me *per Muri* tranſeunte *illius monaſterii Abbas Conſilium* ſuper ſtatu ſuo nimis quam nimis hypochondriaco, valde analogo illi, quo & *Aulæ Præfectus S. Gallenſis* tibi notus laborat, mihique tantum non futurum delirium minatur; nam apprehenſiones maximæ ſubinde ipſi menti jam incipiunt quodammodo prædominari. Mittunt *mei Conſilii copiam*, quâ perlectâ *Excell. T.* diſponet pro lubitu, meque ſuæ opinionis certiorem reddet; nam ad manus propinquior cum ſim, vellet ut *communicatis conſiliis* ipſum tractaremus, quod ſine dubio *Exc. T.* non diſplicebit. *D. D. Scretæ* dic meo nomine ſalutem plurimam, & ego maneo

Excellentiſſimi Domini Affinis

Badæ d. 28. *Auguſt.* 1673.

Servus notus
Franc. Bernh. Schnorpff, M. D.

Conſilium D. D. Schnorpffii.

LIcet hic affectus à plerisque ad læſam memoriam & cerebrum morboſum ejusque ignotam partem eſſentialiter affectam referatur; malo tamen ego eundem ad paſſionem hypochondriacam in genere, & in ſpecie cephalicam referre: ſymptoma enim præcipuum prægreſſi ſunt ructus copioſi, Melancholia, ſuffocatio hypochondriaca, & ſequuntur metus, triſtitia, anxietas, phantaſia perturbata, & quidem per intervalla intenſior vel remiſſior, id eſt per conſenſum hypochondriorum & non eſſentiam cerebri; nam quæ à vitio cerebri læditur memoria, continua eſt, ſine febre aut proſtrato appetitu, hæc comite urinâ tinctâ cum proſtrato appetitu incepit; illam nullus comitatur meticuloſitatis

tatis character, in hac tantum nimius eſt. Illa fit ob diminutum ſpirituum motum in aliqua parte cerebri, hæc per nimiam maſſæ ſanguineæ ebullitionem: in illa ſpiritus animales languidi ſunt, in hac tantum obfuſcantur; in illa *Spiritus Univerſalis ſive Archeus* nil patitur, in hac concipit morboſas ideas, quas per actionem regiminis menti offert, & niſi ea prædominetur, ad delirium uſque inculcat; patebit autem res clarius per modum fiendi hujus affectûs.

Bilis enim & ſuccus ille ater vitriolicus Pancreaticus (ſeu illud alkali & acidum) dum in ſuo quanto aut quali excedunt, fermentationem ſub pyloro præter naturam inducunt in ipſo muco & humore ſalivali. Hanc ſubito non tantum concipit quoque maſſa ſanguinea, uti ex febre & urina tincta patet, ſed & ſuccus nervoſus cum ſuis demum ſpiritibus animalibus, qui ſecundum prædominium alterutrius ex prædictis ſuccis eosdem inficiunt: & quidem vitriolicus obfuſcantur & multum deperdunt de luciditate ſua, hinc obtuſus capitis ſenſus, phantaſia perturbata, confuſa memoria inſtar ſomnii, deliria ſubinde, & hæſitatio circa unicum triſte aut plura objecta. Si vero bilis dominium teneat, ſuccus nerveus evadit acer, ut ſpiritus ignei, unde affectus ſpaſmodici, excandeſcentiæ, furores &c. quæ omnia remittunt vel intenduntur ſecundum majorem vel minorem ebullitionem circa pylorum. Sed nec hoc ſufficit nam ab ea vicinus ſpiritus Archealis ſtomachi & ſplenis exagitari ſolet, & cum inordinato ſit motu, mox ſibimet fabricat ideas formidinis, triſtitiæ, metus de variis malis, quæ ideæ menti oblatæ malum ſpirituum animalium adaugent, & etiam ablatâ fermentatione p. n. & morbida corporis diſpoſitione ſubſiſtunt difficulter extinguibiles, uti unum & alterum *in Reverendiſſ.* clare patet; modo enim ideæ non eſſent, non in tantum pateretur corpus. Quod autem in hoc motu p. n. memoriæ confuſio & perturbatio, ita ut loqui, legere &c. nequierit, ſe exſeruerint, in cauſa eſt nimia ſemper prægreſſa occupatio, & inde orta ſpirituum & cerebri debilitas; nam in partibus debilioribus ſemper ſubſiſtit moles morbi, cujus inſultus facilius recipiunt. Hinc in aliquibus hypochondriacis leipothymia, palpitatio cordis &c. in aliis anxietates cum vomitu, in aliis alia ſymptomata prædominantur, ſicut hîc memoriæ confuſio. Quod rurſus ſuccus ater vitriolicus abundarit præter prædicta accidentia nimius prægreſſus aceti uſus non parum probat; quod iterum invaſio fuerit tam ſubita, nemo mirabitur, qui conflictum alkali & acidi præcipue *in ſpiritu calcis vivæ & ⊖-li philoſophici* aliisque vidit, ubi unico quaſi momento per efferveſcentem ſuper longum alembicum liquor ebulliendo erumpit. Quod demum tam brevi tempore redierit aliqualis luciditas ſpiritibus animalibus, ratio eſt naturalis, quod ſopita fermentatione lumen eis ingenitum in ſe reflexum ſe magis intenderit, ſicque paulatim tenebras diſſipa-

diſſiparit. Hinc nunquam perſuadebor, ſeri copiam in cerebrum effuſam; nam potius gravem vertiginem aut apoplexiam excitaſſet, nec tam facile per ſe ab arteriis & venis reſorberi potuiſſet. Tandem ex his omnibus colligitur clare, hunc morbum non tam in continentibus aut contentis conſiſtere, neque tam morbum corporalem quam ſpiritualem deſignandum.

Prognoſin quod ſpectat, intemperantes hypochondriaci plerumque tympanitide aut convulſione occumbunt, in hac vero obfuſcata conſtitutione ſpirituum ſuo tempore aut apoplexiam aut delirium exſpectare oportet juxta illud Hippocrat. quibus melancholia in cerebrum effunditur, apoplexia provenit: quod non intelligendum de materiali ſed impetum faciente, præcipue ſi malâ diætâ aut medicamentis incongruis malum exacerbaretur. De reliquo paſſio hypochondriaca per ſe eſt longæ curæ; nam dum curati credimur, ſubito rurſus erumpit, indeque malum difficile curatu, quod plerumque ægri impatientes moræ varia tentent; neque ſibi neque uni Medico fidant, ſicque congrua & incongrua medicamenta varie cum ſuo damno uſurpent. Interim notari debet iis hos ægros obrui non debere, ſed nunc uni nunc alteri ſymptomati urgentiori occurrendum, donec radix ablata ſit.

His poſitis conſultum quidem videtur aliquali tempore *poſt potatas Fabarienſes aquas* opus naturæ committere, ſed nunquam credere, quod hujusmodi remediis morbus profligatus ſit, ſed poſt æquinoctium autumnale tres indicationes obſervandas; quibus præcipue ſenſim ſatisfacere oporteat. Prima eſt ſuccum acidum vitriolicum, qui hic præcipue abundat, debito modo præcipitare & eo infectum ſanguinem depurare. 2da eſt ſpiritus & ſuccum nervoſum lucidiores reddere, ſimulque cerebrum roborare. 3tia Ideas depravatas archeales extinguere ipſosque inordinatos *Archei* motus ſiſtere.

Hoc nec *purgationes* ſupplebunt, nec *Venæſectiones*, nec *Scarificationes*, quibus hypochondriaci cum damno fruſtra vexantur. Eorum loco ad primam indicationem accedant quidem *Pilæ regiæ* ab initio, *de quibus* ℈j. *mane & ſero* ſumatur in vino vel alio vehiculo convenienti. Dum appetitus minui incipit, omittantur, & ſuccedat *ſpir.* ⚹c. ⊡*os. ad gtt. aliquot in cochl. ſyrup. viol. horâ ante paſtum* ſumtus, vel ejus vicaria ℞*a* ♀*ri* ♀*ſata*: non enim figmentum eſt *experimentum Barthol. Epiſt.* 97. *Centur. III. ſanguinem emiſſum ex uno & eodem ſubjecto cum ſp.* ⚹*c. rubicundiſſimum colorem, cum ſp.* ♀*ri ſubrubicundum c. ſp. alumin. lividum, c. ſp.* ⊖*li aut aceti atrum repræſentare*; quidni etiam in corpore noſtro interno ſimillimum operaretur idem ſpiritus? quod enim fit intra, fit ſicut quod eſt extra & vice verſa. Hæc ſola

ſufficiunt ad primam indicationem complendam primo ordine ſine ſingulari methodica cura uſurpata. Sanguine ſic depurato, & ipſi ſpiritus majorem luciditatem acquirent eo facilius, ſi ſimul cerebrum roboretur, quæ ambo fient *per uſum* ℞*æ ſuccin. aut corall.* Ad eundem finem *ſaphirus cæruleus* ſæpe aſpici deberet; lumen enim cœleſte gemmis ingenitum lumen noſtrum internum recreat. Tertio ſcopo ideis extinguendis apprime conducet *Amuletum contra terrorem Helmont. appenſum*, ut regionem pylori attingat, item *emplaſtr. ejusdem ſplenet.* lienis regioni & ventriculo adhibitum, & continuo geſtatum; *Archei* enim inordinatos motus leniter compeſcunt, qui cum omnium ſymptomatum maximæ cauſæ ſint, ſæpe ſopiri debent, donec idem in totum debitum ordinem redigatur, pro quo infallibilem effectum obtinebimus, ſi ingruente aut imminente aliquali anxietatis paroxyſmo aut aliàs horâ ſomni *gr. j. 🜍ris anodyn. ♀ris & ♂tis aut ♃ii c. gtt. j. Elix. propriet.* vel horum defectu *Laudan. opiat. veri gr. j.* aſſumantur *aut cinnab. nativ.*

Hiſce *favente Deo* ſucceſſive uſurpatis & cum continuata patientia felicem eventum certo ſperare licebit, ſi præcipue ſequens diæta accedat, in qua abſtineat non tantum *à purgantibus multis, V.S. aut Scarificatione*, ſed & omnibus quæ fermentationi apta ſunt, ut omnia acida & acetum, carnes ſuillæ, fumo induratæ, frixa omnia, fructus vinoſi, crudi, ut fraga, rubus idæus &c. item acria, ut cæpæ, allia, raphani, herbacea alia in tantum non vitupero. Piſces ex cœnoſis locis ut carpiones, tincæ, barbiones, gobii omittantur; non quidem noxiæ ſunt truttæ aliique piſces ſaxatiles, ſed alternatus carnium & piſcium uſus ſane hypochondriacis damnoſus deprehenditur. Vinum rubellum tenue uſui ſit, & quidem ſubinde paulo liberalius: nam ſicut panis cor confortat, ſic vinum exhilarat; inter utrumque paſtum vero omittatur, uti & ſomnus pomeridianus. Sereno cœlo mane & veſperi ambulatio inſtituatur. Negotia ante prandium non omittantur, nec metus eſt, quod noceant, modo non fiant nimia & ſeria, diſtrahant enim mentem ab ideis formidoſis.

Supereſt enodandus ſcrupulus circa horarum recitationem & jejunium, ad quod *Reverend.* non teneri extra dubium eſt; piſces enim viſcoſum & craſſum generant ſanguinem, & conſequenter imperfectos ſpiritus, at noctu ſemper parciori cænæ indulgere per ſe ſanum eſt. Ad primum decidimus *ex Pauli Zacchiæ Urbani VIII. Proto-Medici in Tom. II. Quæſt. Medico-Legalium L. VII. Tit. 2. Quæſt.* 2. omnem capitis dolorem etiam obtuſum præcipue vertiginoſum diſpenſare ab horarum recita-

recitatione, & ipſam melancholiam, niſi dilucida ſua intervalla habeant, in quo tempore non excuſatur; ſecundum ergo majorem vel minorem intenſionem acceſſuum eas recitare omnino, aut ex parte omittere convenit, vel ſaltem recitantes audire; ſi vero exacerbatio, uti in hoc noſtro affectu fieri ſolet, ſit vehemens, pro eo tempore in integrum diſpenſatur. Et hæc ſunt, quæ ſucceſſive poſt æquinoctium autumnale aut etiam nunc, ſi neceſſitas urgeat, uſurpare oportet, & de felici ſucceſſu nullatenus dubitare, quem optat ex animo

Reverendiſſimi Domini Abbatis

Badæ d. 15. *Auguſt.* 1673.

Servus devotiſſimus
Franc. Bernh. Schnorpff, M. D.

Reverendiſſimum Dominum Abbatem Murenſem conveni die 10. *Septembr.* 1673. & examinavi ipſum, cujus talis valetudinis ſtatus erat: appetit mediocriter, cibi ſapiunt, à cibo nullum laborem ſentit, neque etiam tempore anadoſeos chyli craſſioris, nam non dolet circa præcordia veſperi hora quarta, aut noctu circa duodecimam: eructat quandoque ſed ſolum ſemel vel bis, non pluries unica vice & per longa intervalla. Nunquam vel rariſſime mane jejuno ſtomacho vomit, multo minus poſt cibum; non recordatur ſibi id eveniſſe *ab* 8. *menſib.* Putat ſibi quandoque gulam ſtringi, quando vero deglutit, id ſine impedimento fit: nullum ardorem ſtomachi patitur, qui ipſi moleſtiſſimus fuit, dum junior erat. Salivator verus non eſt, quamvis ſalivæ aliquomodo pluris ſentiat, quam decet. Non ſitit niſi poſt motum, nunquam jejuno ſtomacho. Alvus quotidie aperta eſt, fœces quandoque ſiccæ & induratæ, quandoque liquidiores ſed conſiſtentiæ non expertes: flatus habet ſed qui nullos borborygmos aut fluctuationes excitant. Hæmorrhoides ignorat. Non vel rariſſime dolet ſub coſtis nothis. Urina tenuis ſubflava, ſpicea erat ultima hoc mane, ſubſidit ſabulum rubrum paucum & copioſa erat: cutis eſt alba: in oculis nullum veſtigium icteri apparet, adeo ut hepatis obſtructi & bilis impeditæ indicia nulla adſint, niſi maculas hepaticas ſubfuſcas hepati attribuere velimus. Circa lienis regionem prorſus non dolet, nec pulſationem, vel minimum ejus indicium ſentit. Pulſus eſt naturaliſſimus. Cor nunquam palpitat: reſpirat facile: nuper à defluxione per dorſum aliquomodo intercipiebatur. Rariſſime tuſſit.

In Capite patitur continue dolorem quendam vagum, qui nunc in dextro nunc in ſiniſtro, nunc anterius nunc in poſtica parte pungit. Inſuper putat ſe ſentire intus in cerebro Maſſam aliquam aut molem aut pondus, propter quod gravetur: mane id gravius eſt poſt ſomnum, manet poſt prandium: poſt cœnam melius habet: pondus iſtud aut moles iſta vertiginem parit, ob quam lapſum antrorſum aut ad latus ve-

 retur

retur, ſæpe etiam nutat; nunquam tamen ita titubavit, ut ſe ſuſtentare coactus fuerit: ab hac ſæpe oritur magna anxietas, ut apoplexiam aut epilepſiam extimeſcat: anxietate hac maxime mane jejuno ſtomacho affligitur, quandoque etiam poſt prandium. Tinniunt nonnunquam aures: putat capitis obtuſionem ad aures pertingere. Animadvertit jam aliquoties ſcintillationem ante oculos, ut legere nequierit, obverſatam fuiſſe cum aliqua vertigine; vocat ſymptoma **ein Zwizeren**: vertigo tamen, ob quam vacillat, quaſi frequentior ſcintillatione, evenitque crebre poſt equitationem, ut de equo cadendum putet. Noctu dormit 7. vel 8. horis: primus ſomnus profundus eſt; interdiu nunquam dormit, ſomnus matutinus inquietior & varia obverſantur, quæ tamen in ordinem redigere nequit. Lectio aut de rebus ſibi non penitus notis, aut de iis, quæ attentionem requirunt, ipſi difficilis eſt, nec illam diu continuare poteſt & laborem ac perturbationem adfert. Multa, quæ memoriter tenet, efferre poteſt: orat *horas Canonicas*. Negotia œconomica peragit, idque cum judicio; ait tamen ſe omnia cum magno labore & tardius abſolvere. Si controverſiæ obveniant, judicium de oblatis accurate fert: putat ſe res propoſitas non tam facile intelligere & penetrare, nec tam prompte ſe de iis vel approbandis vel reprobandis judicare poſſe: ſi hanc in intelligendo difficultatem & in judicando imbecillitatem apud ſe animadvertit, valde angitur ac gravius malum timet ſcil. apoplexiam, repueraſcentiam &c. Quando nihil horum eodem vel poſtero die ſupervenire experitur, ipſemet agnoſcit hanc perſuaſionem prorſus melancholicam eſſe. Obſervat adhuc uno die cerebrum lucidius eſſe quam altero: imo manifeſte cœlo pluvio & nebuloſo tenebricoſius eſt. Si poſt tædia negotiorum exſpatietur, manifeſte ſentit ſe melius habere. Horrores non amplius patitur, nec æſtuat. Patitur quendam ſenſum formicationis in manibus, digitis & in genis ſcil. nunc ſiniſtra nunc dextra. Habitus corporis iterum plenior, facies macilentior; adhuc macilentior *poſt potum thermarum* erat; nunc manifeſte iterum incrementa ſumit. Narravit *Dn. Oeconomus Reverendiſſ. Dominum* veſperi negotia propoſita prompte intelligere, accurate de iis judicare, imo ex iis argute eventura elicere: mane verò poſt ſomnum ſcil. primum & ſecundum magis turbidum eſſe, nec tam facile propoſita eadem vel capere vel illa diſcernere; nunquam tamen abſurdum eſſe.

Die 10. *Septembr.* per totum prandii tempus diſcurrebat appoſite, verba ad nutum fluebant, raro hæſitabat. Pranſus eſt bene, parciſſime bibit. In fine prandii doluit in occipite, ubi muſculi cervicis inſeruntur, dolorem reputavit apoplexiæ prodromum. Sarcocele teſticuli dextri inferius emolliri incipit, credo hydrocelen junctum. Poſt prandium ſentit quandam tenſionem in temporibus & occipite, accedit

dit huic tenſioni quandoque quædam ebullitio intra cranium: eadem ebullitio evenit, ſi attente diutius ſcribat aut legat, ſi continuaret, ob ebullitionem ſuperveniret inſignis perturbatio, ut quid legeret aut ſcriberet, neſciret, ac ſi interius obſtaculum quoddam eſſet, quod ſpirituum motum concitatiorem, ſive à negotiis ſive à paſtu factum, valde impediret. Anxietatem valde auget opinio falſa, qua putat ſe contemptui fore *Conventui* ob ingenii & judicii imbecillitatem, cum ſemper, dum adhuc *Novitius* eſſet, ſtuduerit his cæteris prævalere, quod non obſcure innuit, ſi attentius examinetur.

Reſolutio.

Memoriæ labi acceſſit melancholia; illius veſtigia ſuperſunt quædam, quia verba non tam prompte ſuccurrunt, nec ſe ſcribendo, legendo, perorando aut ſeveriora negotia tractando diutius exercere audet, cum ſuperveniat perturbatio & ſpecierum memoriâ aſſervatarum confuſio, maxime mane aut cœlo turbido.

Melancholia quoque luculenter ſe prodit mœrore & anxietate, quæ ſæpe intenſiſſima & quibusvis, ut ait, cruciatibus gravior eſt, ob quam non timenda timet, & vane ſuſpicatur ſe authoritatem jam *apud Conventum* perdidiſſe, ſeque ipſi gravem eſſe. Hanc memoriæ labem ut & primum inſultum in illa plane perditum, non poſſum ab hypochondriis petere, cum ante inſultum illum nec quicquam de affectu hypochondriorum ſenſerit, nec hac vice ejus veſtigia appareant, nam ventriculus & inteſtina ut & hepar ſuum officium faciunt, nec læſi lienis ſigna apparent, nec doluit unquam in præcordiis, nec in hypochondriis talem dolorem expertus eſt, qui alicujus momenti eſſet. Omnino continua in principio fuit & quidem omnimoda, & ſenſim ac gradatim illam recuperavit, *non à refrigerantibus & putatitias hypochondriorum effumationes deprimentibus*, *ſed à revellentibus ſerum illudque evacuantibus ac abſorbentibus.* De vertigine & obtuſione capitis in principio inſultus nullam quidem mentionem fecit; at hujus ſtatim invaſione non obſcura indicia præbuit, dum menſæ aſſidens caput manibus fulcivit, aliquando perfricuit; poſtquam ad mentem rediit atque memoriam aliquo modo recuperavit, omnino de vertigine conquerebatur, quod etiamnum facit, imo addit ſe nunc pondus quoddam aut molem percipere caput gravantem, quam conſequatur vertigo; imo aliquoties ſcintillationem & ſpirituum viſivorum motum inordinatum inque lectione impedientem ſe experiri: his accedere quandoque ebullitionem quandam intra cranium. Accedit his formicationis ſenſus in utraque manu & genis, qui prohibiti ſpiritûs animalis influxûs ſignum eſt. Quæ omnia, ſi probe expendentur, cerebrum per eſ-

ſentiam, non per conſenſum, niſi illum à tota maſſa ſanguinea repetere velimus, læſum fuiſſe, ſcil. tali ratione, quatenus cauſam abolitæ memoriæ intra ſemetipſum admiſit nec in vaſis ſanguiferis ſudſtitit.

Melancholiam quoque ab hypochondriis accerſere nequeo, quia ante inſulum melancholicus non fuit, niſi quemvis in negotiis pertractandis ſerium talem appellare velimus, nec ullum ſymptoma hypochondriacis familiare paſſus eſt. *Suffocationem Viſchinganam* lubentius motui convulſivo nervorum pectoralium tribuerem ab acri humore excitatum, quam vapori ab hypochondriis allato, cum, quâ viâ citra vaſa ſanguifera illa attingere valeant, non videam. Melancholia nata fuit ab intuitu calamitatis perpeſſæ & providentiæ futurorum malorum, non ſecus ac ingens mæror ſaniſſimos in hypochondriis in graviſſimam melancholiam conjicere poteſt; nam hæc melancholia demum poſtquam memoria reſtituta fuit, pullulare cœpit, antea eam prorſus ignorabat.

Serum cauſam proximam memoriæ ablatæ nec dum penitiſſime reſtitutæ arbitror, quia nullus alius humor intima cerebri ſubire poteſt quam illud; quod non magis eſt mera aqua quam ſaliva aut ſtomachi fermentum, quamvis aquæ inſtar limpidiſſimæ per tunicas in ejus cavum ſtillet ex vaſis ſanguiferis; vaporibus enim nullus acceſſus patet per gulam intra cranium, obſtat quadruplicatura duræ matris, qua baſis cranii obvallatur, ut alia argumenta taceam. Imo illa ipſa ebullitio ſucci pancreatici & bilis in duodeno nullam labem cerebro afferre poſſet, niſi quatenus chylo permixti illi humores cum ſanguine confuſi & ſero uniti illud ſubirent; quamvis hujus ebullitionis ne minimum indicium in principio animadverſum fuerit. An in primo inſultu urina mutata fuerit ignoro, quia non adfui; ſi vero illa mutata fuerit, illud non neceſſario ebullitioni à conflictu humorum in duodeno repetendum videtur, cum tales urinæ in qualibet fere ſeri deſpumatione majore contingat, ut videre eſt in arthriticis, catharrhis, coryza & broncho, non ſine febricula citra ullam pugnam in duodeno prægreſſam. *Menſ. Mart.* urinæ valde tinctæ erant quidem, ſed jam reparatâ memoriâ, idque ob febrem quandam ſe manifeſte, etiam tertianæ prodromis prodentem: febre pulſa urina conſtanter naturali ſimilis ſemper & ad hunc uſque diem apparuit, imo tenuior & limpidior, quam ut alieni humoris contagio imbuta eſſet, & talis quidem quæ manifeſte oſtenderet *Reverendiſſimum* ſero abundare, illudque ſe poris intimis inſinuare. Seri deſpumationi obnoxium probat urina copioſiſſima excreta *Menſ. Octobr.* 1672. ante inſultum ſubſequente hemicrania. A ſero malum hoc foveri non ultimum quoque argumentum eſt, quod poſt ſomnum ſemper ingenium & memoria magis turbantur, & ineptiores

tiores ad ſuas functiones demonſtrandas ab ipſo deprehenduntur. Idem quoque probant tempeſtates pluviæ & nebuloſæ quavis lunâ, alacriores vero redduntur cœlo ſereno & ſi ſe exerceat.

Spirituum animalium motum impeditum evincunt non ſolum formicationis ſenſus ſed & ineptitudo ad continuandam diutius lectionem negotia gravia &c. item viſus obtenebratio quædam.

Itaque ante omnia operam dandam exiſtimo, ut pori cerebri omni ingenio reſerentur, humiditates in illis ſtagnantes abſorbeantur, quod adeo difficile præſtitu non erit, modo *congrua* continuentur, cum ſolus iſte humor totus aufferri poſſit; quæ vero ſpiritus ligant ac humores detinent, uſque adeo tuta non ſunt. Melancholicæ ideæ, cum fœtus ſint phantaſiæ errantis eo ingenio excutiendæ, qua illam ſubierunt, *ſcil. argumentis potius quam medicamentis*, quibus nullum eſt imperium in animam, ſed ſolum in humores & vapores. Et quoniam negotia graviſſima ſpiritus animales nimium conſumpſerunt, ſeroque aditum intra poros cerebri pararunt, omnino illa moderanda erunt. Nimirum *Reverendiſſimus Dominus* ante omnia ad tranquillitatem animi omni ingenio deducendus eſt; deinde exhibenda genus nervoſum roborantia eique adverſa abſorbentia, & quidem talia quæ cæteros humores non turbant aut fermentationem excitant, cum eadem opera nova ſeri deſpumatio efficeretur.

Cum D. D. Schnorpff ſuaſi *Pulv. antiepilept. Ludov.* ℈j. *mane cum aqua congrua. Item ſolut. ſuccin. alternatim.* Ante paſtum ℞. ♀. *aut corall. Foris amuletum ex bufonibus.*

Die 8. *Febr.* 1674. *ſcribit Rev. Dn. Abbas ſequentia: Tinct. ſuccin. cum pulv.* hucuſque uſus fui, qui ultimus deficit; hinc *Exc. Veſtram* conſulere volui, quid ulterius agendum ſit? *an pergendum, an immutandum, an vero Deo & Naturæ relinquendum ſit?* cum, ut verum fatear, *ex uſu medicamentorum* nullum notabilem & ſenſibilem effectum ſentiam, niſi quod ad ſcribendum idoneor ſim. Interim dolores in corpore vagos experior, in capite autem frequentes & vehementes: Cardialgiâ ſubinde vexor mane cum dyſpnœa, brevi tamen iterum evaneſcit. Rogo ut *Excell. Veſtra Rev. Dn. Abbati Rheinovienſi* indicet, quid de affectu meo tenendum ſit, & an ſpes reſtitutionis adhuc ſuperſit.

Reſpondi d. 22. *Febr. domum redux.* Memoriam vere abolitam ſemper credidi à cauſa poſitiva vero non imaginaria; hanc causâ ſublatâ integre rediiſſe *ex literis tum ad Rev. D. Abbatem Rheinovienſem Latine & ad me Germanice ſcriptis* ſingulari dexteritate, judicio & prudentia colligo. Nunc *Reverendiſſ.* cum melancholia aliqua colluctari

non

non negaverim: dolores vagi nihil mali præſagiunt. Cephalalgia conſiderationem meretur & cardialgia cum dyſpnœa conjuncta. Non multis affligendam arbitror naturam, at non negligendam, ſed patienti & afflictæ ſuccurrendum puto. Licet non palpabiles effectus inde ſe ſenſiſſe putet ipſe, at alii id facile agnoſcunt, dum ex verbis & ſcriptis ipſum judicio & memoria valere tantum non palpant. Ob capitis dolores vehementes & frequentes & cardialgiam cum dyſpnœa, ut & dolores vagos ſuaſi *Pulv. ex C. C. ph. pp. Ocul. ♋. pp. Ungul. alc. pp. ♃. diaphor. cinnab. nat. Tab. man. chr. perlat. cujus mane* ſumat ʒß. *cum* ▽ *roriſmar. ſ. vin. d. It. pilul. cephalic.* pergat *Tinct. ſuccin. Cum R. D. Abbate Rheinovienſ.* collocutus ſum ipſiſſimamque veritatem indicavi: non dubito ipſum plene convaliturum, modo negotia tædioſa vitaverit, *diætam* obſervaverit & *medicamentis congruis* perrexerit.

Narravit. *Rev. D. P. Oeconomus d.* 8. *April.* 1674. *Reverendiſſimum Dominum* bene appetere & nihilominus emaciari; ipſum ſemper adhuc conqueri de memoriæ hallucinatione aliqua, dolore temporum pungitivo, vertigine inter obambulandum &c.

Die 12. *Aprilis* 1674. *ſequentes D. D. Schnorpff ad me dedit Literas:* Vocatus fui nuper *ad Rev. Dn. Abbatem in Muri*, ut examinarem, in quantum noſtra medicamina profecerint, & quid ulterius hoc verno tempore præſcribendum ſit, ſimulque juſſus, ut modernam conſtitutionem *Exc. Tuæ* tranſcriberem. Atque ut à ventriculi munere exordiar, appetitus ſubinde bonus, ſubinde exiguus eſt; à cibo ructus nidoroſi & inſipidi: per intervalla præcipue jejunus ſtrictam reſpirationem habet. Scandendo ſcalas difficultatem cum reſpiratione & pulſatione p. n. circa pylorum. Mane oris ſiccitatem & guſtum depravatum habet: 4. horis à cibo ſumpto identidem: mane ſæpe nauſeam patitur. Dolor capitis vagus & acutus quidem eſt, maxime vero in tempore, noctu magis exacerbatur. Scotomia præcipue jejuno ſtomacho familiaris eſt; viſûs inde & auditûs obtuſio ſubinde intercedit. Apprehenſio præcipua præter alia eſt circa metum abolitionis memoriæ, quæ tamen non deficit, licet ſubinde confundatur. cum de rebus præteritis optime memoret, præſentibus apprime diſcurrat, quamvis ſubinde ob obtuſiorem phantaſiam in negotiis non expeditus ſit. Interim color faciei ſubpallidus eſt, ſignum ſane totum ſanguinem & non cerebrum ſolum affici. Et dum in me & aliis prædicta ſymptomata conſidero, hypochondriaca pleraque evidenter apparent, videnturque à diminuta ſanguinis volatiliſatione multa procedere; illa procedit à chylo craſſum fluorem vitio fermenti ſtomachalis adepto; utrum inde obſtructiones hypochondriorum quoque proveniant, nec ne facile quis ſibi imaginetur. Siccitas illa oris, præcipue tempore tranſitûs

ſitûs chyli bilem non abſentem indicat; Archei phantaſtici inordinatos motus hic non attingo. An verò ante illud accidens læſæ memoriæ jam adfuerit hæc paſſio, an ſolum ſucceſſerit, mihi tam notum non eſt; ſaltem ea ſola nunc curationem videtur requirere, memoriâ ſat ſanâ.

Quidſi jam *gelatin. C. C. cum conſerv. cochl. vel ſucco ejus* uſurparetur, additis qualibet vice *Elix. propriet. gtt. aliquot*, quod mihi inſigniter ab aliquot diebus prodeſt, non omiſſa ☿ ☿*ſat. tinct. & ſpir.* ✳. Et ſi obſtructiones metuerentur ℞ *aperitiv. Lud. ex* ⊖*l.* ♂*t. facta*, quam in hypochondr. affectibus maxime deprædicat. *Purgetur* dein *Fol. Senn.* ſimpliciter & fiat *V. S.* ad dignoſcendum ſanguinem. Poſtea cum *de acidulis* ſcrupuli adſint, *ſerum quoddam lactis alterat. aut omnino deſtillatum* ad calorem temperandum mihi tam incongruum non appareret. Quid igitur ſentias, *Vir Clariſſ.* quæſo pro opportunitate indicare non graveris.

His diebus aliquid rarum accidit: Virgo Religioſa ſana comedit 3. *coxas ranarum, tertiam deprehendit eſſe bufonis, & ſubito oborta nausea ictero totius corporis corripitur, ut inſtar ceræ flavesceret. Tracto nunc illam, quo ſucceſſu exſpectabo; interim videtur, quid ideæ poſſint.*

Ad has literas reſpondi d. 16. *April.* ſanguinem vitioſum fuiſſe ante inſultum nunquam dubitavi; nam ante plures annos ſeroſa colluviés redundavit, in qua ſerum valde acre fuiſſe excoriationes probant non uno in loco cum inſigni pruritu & ardore; ejus copiam probant pallor, vita ſedentaria: ex maſſa ſanguinea citra hypochondr. anſa profunde ſe cerebro inſinuavit, ut probavi in præcedentibus, ejusque adhuc reliquias ſupereſſe probant memoriæ perturbatio, ſi intendatur, vertigo & viſus ac auditus imminuti, dolor temporum punctorius. Symptomata hypochondriacis ſimilia adſunt, ructus ſcil. varii, vomitus matutini, pectoris conſtrictio, quæ tamen vera illa non ſunt, quæ viſcera variis & diuturnis febribus labefactata, ac prava diæta miſere deſtructa pariunt, in qua cauſa ſymptomatum non tam in maſſa ſanguinea & nervoſo genere, quam in ipſis viſceribus quærenda, quorum diſpoſitio ſimilis à muco corrupto ſeu Grewelig/ ut *Willis* alicubi docet. Alii vitium à ſale petunt. Obſtructiones ego non agnoſco, quæ nullæ, cum nec in ſanguiferis vaſis, nec chyliferis, nec lymphaticis. Cordis palpitatio à corporibus pituitoſis ut in cachecticis, hæc adeſt poſt metum, unde ſanguis minus ſpirituoſus.

Acidulas diſſuaſi forte apoplexiam paraturas; ſuaſi *ſerum alterat. cephalic. hepatic. ſplenetic. gelatin. alterat. meliſſ. acetoſell. ſuperbibat juſcul. alterat.* probavi quoque *Elix.* ſed ſeorſim ante paſtum.

Die 18. *Auguſti* 1674. mane poſt 9. mortuus eſt *in cœnobio Muri.* Ante obitum Aſthmaticus factus ſanguinem ſpuit : emaciatus ut phthiſin timuerint Medici. An autem ante obitum peripneumonia correptus fuerit reſcire nequii; certe phthinodes nunquam fuit, neque phthiſi anſam erroribus poſt memoriæ labem dedit.

OBSERVATIO CIII.

Memoriæ defectus ejusque recidiva præcedente Nephritide cum Podagra & Hemiplegia.

N*Obiliſſ. & Ampliſſ. Dominus J. R. B. Conſul inclytæ Reipublicæ B.* eſt ſtaturæ mediocris : carnoſus : capillis nigris olim præditus, nunc canus : facies ſubfuſca & circa oculos flava : oculi nigri. Literis addictiſſimus, & adhuc juvenis ad hoc uſque tempus graviſſimis negotiis occupatus fuit. Ætatis annorum nunc 58. *Pacificationi Monaſterienſi* interfuit illisque in oris diu verſabatur. *Anno* 1647. ibi quartanâ duplici correptus fuit; circa finem illius anni domum ob hanc febrim proficiſci cogebatur, domi aliquandiu tertianâ duplici affligebatur. Expugnatâ febri colicam paſſus eſt, quæ ſæpius ipſum invaſit, tandem illam aliquo modo *Acidularum potu* profligavit, non tamen evitare ejus recidivas penitus potuit, donec circa 30. ætatis annum Podagrâ correptus fuit : poſt ejus invaſionem remiſit. Podagræ anſam dedit *iter Viennenſe* 1651. Podagra hæc mitiſſima erat, afflixit ſolummodo imos pedes uſque ad malleolos, imprimis pollices cum rubore & tumore, nullos nodos poſt ſe reliquit : ſæpe poſt paucas ſeptimanas ſua ſponte tepore lecti evanuit, aliquando præſente dolore iter facere potuit. Ceſſante tamen podagrâ debilior in pedibus aliquandiu permanſit. Conceſſit inducias quandoque per annum unum, imo duos. Aliquando per quinquennium emanſit : rediit poſtea fortior, duravitque undecim ſeptimanis, cum atrophia totius abſque ulla febri aut tuſſi, quamvis bene comederet. *Anno* 1677. æſtate primum correptus fuit paroxyſmo nephritico. *Anno* 1678. *Menſ. Octobr.* iterum expertus eſt paroxyſmum ſeu potius colicam nephriticam cum valido vomitu. Acceſſit tum aliquid hemiplectici in latere dextro, in quo affectu brachium & pes imbecilliora evaſerunt : incedere valuit, at diu ſcribere nequiit : tum quoque viſus hallucinatio quædam obvenit, ob quam lectionem & ſcriptionem non diu continuare potuit. Lingua quoque minus flexilis fuit. Alias catarrhoſus eſt & diarrhœæ obnoxius. Aliquando buccam interiorem mordet. Mane ſummo ſubinde lingua ſicceſcit : ructus nidoroſos emittit. Utitur *Eſſ. ambr. & aq. quadam cephalic.* *Die*

Die 6. Martii 1679. Linguam ſatis craſſam imo propemodum craſſiorem conſpexi, humidam tamen & pallidam, In deſcenſu declivium genua imbecilliora ſunt : in acclivium aſcenſu reſpiratio aliquantum difficilior eſt, & ſuperatâ ſcalâ aerem fortius trahere cogitur. Lingua minus quam pridem expedita eſt, ac vocabula literâ R. abundantia ægrius profert; ſolam tamen expedite enuntiat. Prodit in publicum : brachium ſi diu ſurſum movendum, aut motum in alto ſi tenendum ſit, ſtatim defatigatur ex. gr. inter pectinandum. Nullum ſenſum formicationis patitur. Caput non dolet : ingenio, judicio & memoria valet; putat tamen hanc imbecilliorem, verum non niſi ob negotiorum multitudinem : certe in diſcurſibus nulla menda obſervatur. Junior ſubinde exceſſus commiſit : at nunc temperanter vivit, mane ſumit juſculum pro jentaculo, prandet bene, cœnat parce : vinum aqua diluit, bibit album diureticum ex vicina *Brisgoja.* Bubula præ cæteris carnibus ſapit, raro veſcitur piſcibus. Putat aliquid ſcorbutici concurrere, quia dentes denudantur, at gingivæ nec tument, nec facile ſanguinem fundunt.

Analyſis.

PLures affectus ſunt, qui *Nob. & Ampl. D. Conſulis* valetudinem labefactant. Colica quidem præteriit, poſtquam podagra ipſum invaſit; nullus tamen dubito, ejus cauſam adhuc in maſſa ſanguinea deliteſcere, nullum tamen faſtidium parit, tum quia articulos ſubinde deflectit, tum quia ſuperveniente quandoque diarrhœa ſpontaneâ non ſine torminibus è corpore eliminatur : catarrhis denique multum humoris hujus ſubtrahitur. Podagra utcunque aliquando emanſerit, nondum tamen valedixit, nec credibile eſt *Ampliſſ. Domino* viribus valente antiqua hoſpitia deſerturam. Acceſſit ante biennium fere Nephritis, atque in ultimo paroxyſmo nephritico aliquid hemiplectici. Colicæ cauſam proximam non reputo fuiſſe bilem, pituitam vitream aut aliud quidpiam intra cavitatem inteſtinorum reconditum, ſed ſerum acre ſalſum plexus nervoſos ad inteſtina ſpectantes vellicans ac illorum conſtrictiones efficiens, unde flatibus aliisque inteſtinorum contentis libera excretio inhibita fuit, quæ fermentantia ſæpe cruciatus ſæviſſimos excitant inprimis ſi conſtipatio pertinacior accedat. Tale ſerum colicæ cauſam fuiſſe exiſtimo, quia ſequebatur *victûs rationem Weſtphalicam*, febrim intermittentem quartanam & tertianam diuturnam; mitigabatur *potu Acidularum repetito;* evanuit poſtquam ſerum hoc ad articulos pedum decubuit. Podagra non niſi à ſimili humore dependere poteſt, cum nullus alius humor citra ſuppurationem dolorem pariens huc deflectere, extravaſare & morari per ſeptimanas poſſit. Diarrhœa largior & aliquandiu durans quoque hujus humoris ſoboles eſt, quamvis non negarim tum aliquid billioſi

accedere, cum commoto ſero, ſalſuginoſo imprimis, inteſtina ceu *à clyſtere* ſollicitentur. Catarrhos ejus proventum eſſe, ſi attendatur, plures ſenſus teſtabuntur; erunt enim maxime in principio tenues, ſalſi, fauces & nares acrimoniâ ſuâ rubefacientes.

Serum acrius generatur à viſceribus ſanguificationi dicatis calidioribus: qualia eſſe temperamentum totius calidius & ſiccius *Ampliſſimi Domini* teſtatur. Videtur concurrere aliqua hepatis obſtructio & bilis impedita ſecretio, nam circa oculos, magis quam decet, flaveſcit.

Materiam ſero acriori præbere non credam cibos admodum ſalitos aut aromatibus conditos, cum ab his ſibi *Ampliſſimus Dominus* temperet: at auſim dicere tale à vino albo fieri, cum à multis annis obſervarim, ubi hoc ordinarie bibitur, ſerum acrius redundare, morbosque ab illo originem ducentes, ſcil. colicam vulgo bilioſam dictam, motus convulſivos & podagram frequentiores eſſe.

Cumulatur in maſſa ſanguinea ob vitam ſedentariam & neglectum exercitiorum, ad quem *Ampliſſ. Dominus* adigit moles & gravitas negotiorum.

An fermentum aliquod acidum ventriculi hic cauſari liceat, valde dubito, cum *Ampl. Dominus* non indulgeat poculis, & à vini potu matutino prorſus abhorreat. Nec alia indicia aciditatis in ventriculo ſtagnantis adſunt. Ructus nidoroſi effectus ſunt potius caloris excedentis, unde etiam alii paulo fervidioris conſtitutionis comeſtis frixis aut valde pinguibus maxime in cœna illos experiuntur. Linguæ ſiccitas mane eveniens effectus eſt halituum calidiorum tota nocte expiratorum, & attractio aeris calidioris in inſpiratione, maxime ſi in hypocauſtis dormiatur.

Decubuit ſerum ad pedes, quia ab itineribus & frigore valde debilitati fuerunt: cæteri articuli robuſtiores affluxum hactenus non admiſerunt.

Catarrhi & diarrhœæ eveniunt, ſi ſerum redundans acrimoniâ ſuâ oſcula glandularum & tubulorum, per quæ ordinarie aliquid ſeroſi exſtillat, nimium reſerantur.

Calculi renalis materiam omnes circumferimus; hujus rei nobis fidem facit urina, quâ repoſitâ matulis brevi cruſtæ lapideæ, niſi diligenter emendentur, accreſcunt: Tartarum has vocant. In renibus autem adhærent tum ob ſiccitatem papillarum, *ut Excellentiſſimus Platerus ſtatuit*, tum ob ignaviam quandam renum, *authore Ampliſſ. Beverovicio*; plurimum ad lapillorum proventum facere vitam ſedentariam, Literati experiuntur, *quorum Carnifices & tortores vocat Eraſmus calculos*,

culos. Quia ab irritatione renes valde incaleſcunt, & hanc quidam hujus peſſimi proventûs cauſam forte non immerito credunt.

Hemiplectici *Menſ. Octobr.* 1678 *Ampliſſ. Domino* accidit aliquid, ob vomitum validum in colica nephritica evenientem, à quo cerebrum multis negotiis defatigatum & ſero repletum valde ſuccuſſum fuit, forte poſt noctes inſomnes.

Podagra ex mitiſſimorum numero eſt, utcunque ante trigeſimum annum invaſerit, cum rarius invadat, terminos pedum non tranſiliat, nullos nodos poſt ſe relinquat, nec dolores uſque adeo atroces ſint, propterea non ſupprimenda videtur, eoque magis quia à gravioribus partium principum morbis præſervat. Eadem ratio catarrhorum & diarrhœæ eſſe videtur. Hemiplegia quoque non magni momenti eſt, cum nulla cephalalgia, nulla vertigo, nullus ſenſus formicationis ipſam comitetur, atque ob hanc cauſam nulla recidiva timenda eſt, eoque magis, quia linguæ & artubus dextri lateris ut & oculis ſuum robur rediit & indies augetur, quia denique *Ampliſſ. Dominus* temperanter vivit.

Nihilominus tamen ad conſervandam valetudinem ſerum copioſum imminuendum, acre attemperandum, calculorum accretio cavenda, accreti exterminandi; cerebrum roborandum.

Serum imminuunt 1. *purgantia,* quæ mitiſſima eſſe debent, ne ſerum nimis tumultuet, ut non raro in podagricis ſolet, ſi crabrones irritentur. Proderunt *ſyr. roſ. ſ. comp. cum Rh. & S. ſyr. fl. perſic. pil. marocoſt. &c.* Convenient potiſſimum menſibus vernis & autumnalibus, 2. *V. S. parcior.* 3. *Diaphoretica* : ſc. ſudor ſpontaneus mane hor. 5. veniens non reprimendus, ſed levicule juvandus tepore lecti; maxime præſente paroxyſmo podagrico, item *C. C. ph. ppr. lap. bez. Unic. foſſ.* maxime ſi adſit diarrhœa. 4. *Diuretica mitiora, non calida,* ne augeatur diſpoſitio nephritica. Hanc ob cauſam cibi condiri poſſent *juſcul. petroſel. chæref. majoran. mac.* in paroxyſmo nephritico convenirent *Emulſ. ſem. frig. maj. &c.*

Serum corrigunt *Juſcula alterata, non herba Theé aut Coffeé, ſed herbis noſtratibus recentibus levicule diureticis mane pota, ſc. fl. bellid. min. borrag. bugloſſ. acetoſell. pimpin. cochlear. hed. terr. ſummit. hyper. chelid. min. Nummularia aut ſimili, quarum unaqualibet vice vel in juſculo carnis decoq. vel juſcul. carnis uni harum herbarum contuſæ affundendum, & expreſſum mane jejuno ſtomacho calide ebibendum, aut loco jentaculi mane comedendum.*

 Acidulæ

Acidulæ multis nominibus conveniunt, non ſolum enim ſerum attemperant, ſed inſuper imminuunt, arenularum accretionem prohibent, generatas propellunt, & diſpoſitionem nephriticam corrigunt: ſolvunt quoque obſtructiones viſcerum eorumque fervorem emendant. Potiſſimum æſtate prædiſpoſito prius corpore convenient.

Nephritis aliam in paroxyſmo, aliam extra illum curam poſcit. In paroxyſmo operam præcipue darem, ut viæ urinæ laxarentur calculoque exitus pararetur, quam periculoſe pelleretur. Itaque ſæpe *unum vel duo cochlearia hujus Mixturæ* exhiberem.

℞. *Ol. amygd. d. rec.* ℥*ij.*
Syrup. dialth. Fern. ℥*j.*
Aq. malv. equin. ℥*ij. Mſc.*

Quandoque *addo*, imprimis ſi multum ſabuli ſubſit, *Sp. thereb. gtt. iij. vel iiij. ſuperbibat ſubinde juſcul. gallinac. pingue, in quo parum rad. petroſel. ebullierit.* Si *Ampl. Dn.* æſtuaret & ſitiret, vinum denegarem: prodeſſet potius *Emulſ. amygd. d. cum ſem. 4. frig. maj. add. etiam ſem. malv. Cremor elici poſſet decoct. fol. alth. glycyrrh. paſſul.* Utilis quoque eſt *Cremor hordei.* Si non æſtuet, bibat vinum album vetus, tenue, dilutum *decoct. lign. nephrit.* quod non tam diureticum eſt, ut creditur. Si calculus in ureteribus jam detineretur & veſicæ appropinquaret, utiliſſimum comperi *decoct. Foreſt. ex ſem. hord. malv. arbor. cicer. rubr. &c. cujus* exhibeo ℥*iiij. vel v. etiam vj. mane hor. 7. & veſp. hor. 4. calide cum cochlear. j. ſyr. dialth. Fernel.* Hac ratione foris ſternitur hoſti fugienti. Regionem renum ureterumque inungo *ſingulis tribus horis hoc linimento tepide:*

℞. *Unguent. nutrit.* ℥*ij. roſac.* ℥*j.*
Camphor. ol. Scorpion. ſolut. ʒß.
Mſc. diligenter.

In ſummis cruciatibus ſuadeo *Inſeſſus ex violar. malv. alth. naſturt. aq. beccab.* āā. *Miij. ſem. lin.* ℥*ij. Rad. alth.* ℥*iiij. Inciſ. & cont. indant. duobus ſaccul. interpaſſatis. Coq. in ſ. q. aq. font. pro ſemicupio. Inſeſſu nunquam utatur valde fervido, nec ultra dimidiam horam in illo moretur: nam ſi hic peccetur, facile renum inflammatio & gangræna accerſitur, quod ante annum Viro cuidam primario Lucernæ evenit. Inter balneandum ſacculi* regioni renis & uretheris dolenti applicentur, ut viæ laxiores evadant.

Extra paroxyſmum cavenda tartari accretio & lapillorum augmentum, quod non evitatur *lithontripticis calidioribus*, utcunque ſummis laudibus extollantur : imo calculorum proventus ab hujusmodi promotos tandemque malum incurabile redditum novi. *Hujus pulveris ſemel in ſeptimana* exhibeo ℥j. *cum paux. vini alb. mane, & poſt ſumptum pulverem* ſuadeo motum corporis per hor. j. ſive rheda, ſive equitatione, ſive obambulatione peragendum. *Compoſitio pulveris hæc eſt.*

℞. *Ocul.* ♋. *ppr.* ℥ß. *Lapid. Judaic.*
Lap. Lync. ppr. ãã. ʒij. *Lap. prunell.* ʒß.
Sal. junip. ononid. ãã. ʒiß.
Ol. N. M. expr. gr. iij. Sacch. alb. ℥ij.
Mſc. F. Pulv.

Tertio quoque die ſumi poſſet *mane nucis juglandis magnitudine de hoc Electuario.*

℞. *Conſerv. roſar. r.* ℥iij.
fl. malv. eq. ℥iß.
Sem. hyperic. ʒvj.
Syr. dialth. Fern. parum. Mſc.

Imbecillitatem cerebri à penultimo paroxyſmo contractam emendandam arbitror illis, quæ temperata ſunt, ne viſcera incendantur, ac renes amplius exſiccentur. Prodeſſent *mane hujusmodi trochiſci.*

℞. *Succin. alb. ppr.* ʒij. *Ung. alc. pp.*
C. C. ph. ppr. ãã. ʒiß. *Ol. N. M. expr. gr. viij.*
Extr. xyloal. ℈j. *Ambr. gryſ.*
Sp. roſar. ſol. ℈ß.
Conf. alkerm. compl. ʒj.
Cum ſacch. alb. ℥ij. *aq. roriſm. ſol.*
Et Gumm. tragac. eadem extr. Mſc.
F. Maſſa indeque Trochiſci.

Doſis ſint 4. 5. *vel.* 6. *mane jejuno ſtomacho, item veſperi hor. ante cænam N.* iij. Si magis arriderent *Rotulæ* tales parari poſſent :

℞. *Spec. Diambr.* ʒj. *Diamoſch.* ʒß.
Succin. alb. ppr. ʒj. *Extract. xyloal.* ℈j.
Confect. alk. c. ℥j. *Balſ. apopl. gr. vj.*
Ambr. ſp. roſ. ſolut. ℈j. *vel* ℈ij.

Sacch.

Sacch. alb. in ſ. q. aq. beton. ſolut. ℥iij.
Mſc. F. confect. in Rotul.
Doſ. mane & veſp. No. viij. vel ix.

Eſſ. ambr. guttatim ſumpta ſpiritus mire refocillat, & ſubinde ſumpta prodeſt. Verum *aq. cephalicæ ſpirituoſæ, item aq. aureæ, vitæ, elixiria* non uſque adeo tuta ſunt, imprimis jejuno ſtomacho ſumpta, *& ut Crato dicebat, pluribus aq. mortis evaſerunt:* nam ſtatim ad viſcera properant, glandulas, inter quas quoque cerebrum eſt, indurant, caput replent, & ſi frequenter ſumantur, hydropem ac apoplexiam accelerant, ut aliquoties *in Monaſteriis apud Confeſſarios* obſervavi. *Fonticuli* ſummopere in brachiis utiles imo neceſſarii, non in pedibus, quia aliàs debiles ſunt. *Scarificationes* proſunt alternis menſibus triduo ante vel poſt novilunium. *Mane & veſperi* vertex & nucha *pauxillo hujus balſami* inungi poſſet.

℞. *Balſam. apopl. offic.* ℈iiij.
Ol. N. M. expr. ʒj.
d. roriſmar.
majoran. ãã. *gtt. vj.*
lavendul. gtt. iiij.
rut. gtt. iij. Mſc.

Cum *Ampl. Dominus* temperanter vivat, de diæta non multa monenda arbitror: illud ſolum addo, cum ætas & multis negotiis defatigatum cerebrum laudatiſſimum ſanguinem expetant, carnibus quoque aſſis boni ſucci & facilis digeſtionis veſcendum eſſe, ſcil. vitulinâ, agninâ, vervecinâ, hœdinâ: item pullorum, avicularum, inprimis alaudarum: deinde vinum rubellum præferrem pro potu ordinario, albo. Si diluendum, fiat id *decoct. rad. chin.* Tertio lectionem & ſcriptionem à paſtu fugiendas exiſtimo ceu nocentiſſimas. Denique non ſtatim à cœna lectum petendum. *Et hæc ſunt, quæ mihi ſuccurrebant, quæ D. T. O. M. Nobiliſſ. & Ampliſſ. Domino Conſuli ſalutaria eſſe jubeat.*

Die 12. *Decembr.* 1679. *ſcribit Cl. Dn. D. Verzaſcha ſequentia: Ampl. Dn. Conſul.* ante 4. ſeptimanas coram publico ſenatu in ſubitaneam ſpirituum animalium confuſionem prolapſus eſt, ita ut genuina *Senatorum* nomina pronunciare nequiverit; ſed è contra illos alienis nominibus compellaverit; quamprimum *Ampliſſ. Vir* huncce phantaſiæ & memoriæ errorem in ſemetipſo deprehendit, è medio conſeſſu

ſeſſu diſceſſit, domumque redux me vocavit, cui ſtatim *clyſterem revellentem* injici curavi, *aquam antapoplecticam temperatiorem* præſcripſi, humores peccantes *blandis infuſis* eduxi, & *veſicatorium* cervici applicari juſſi. Cum autem hocce malum ſemper in eodem ſtatu perſiſtat, rogavit me familia univerſa, ut te *in conſilium* accerſam: igitur officioſe precor, de hocce *D. Consulis* affectu animi tui ſenſa per epiſtolam nobis explicare. Illum ſingulis diebus convenio ſemperque obſervo, quod nominum propriorum non recordetur, ſed ſiniſtras appellationes pronuntiet: ſi diſcurſum de aliqua re formare vult, ſæpius illum interrumpit, ab adſtantibus quærens, quæ locutus ſit. Aliquoties ratio errorem phantaſiæ corrigit, totus eſt ἀπύρετος, quietè dormit, alvus libera obſervatur, & appetitus nequaquam dejectus apparet. Singulis diebus *trageam cephalicam ex Pulv. marchion. & mixturam è conſerv. roſar. beton ac majoran.* uſurpat. Si *eſſent. ambr. cum ſpir. roſar. factam* ſaltem *ad quinque guttulas* aſſumit, ſtatim inſignem ardorem in thorace ſentit, hinc illam reſpuit. *Quæ porro cum illo agenda ſint, mone, jube, impera.*

Reſpondi: In memoriæ hac *Ampl. Dn. Conſulis* labe videtur defectus eſſe reminiſcentiæ, ob quem pridem memoriæ concredita plane non reddere valet, aut genuinæ ſpeciei loco falſa depromit, unde *Senatorum* nomina proferre nequiit, aut falſa impertiit, nec diſcurſum continuat; & imbecillitas ſervandi aut in theſaurum memoriæ recondendi ſpecies recenter oblatas, unde obliviſcitur recentiſſime concreditarum memoriæ & poſt diſcurſum factum paulo poſt quærit, de quibusnam diſſeruerit. Nondum tamen abolita eſt, nam in primo inſultu ſtatim defectum agnovit, ac *medicam opem* imploravit, & plurimorum adhuc recordatur, ac forſan intervalla experietur, in quibus efferenda promptius ſuccurrent.

Etſi forte nemo hominum ita ſedem memoriæ definire poſſit, ut obnitentibus ſatisfaciat pleniſſime, non tamen negari poterit, locum prope phantaſiæ regiam aſſignandam eſſe cum proxime ſpecies ab illa recipiat: erit ergo in cerebro, ubi, ut ſpecies demandatas recipiat, retineat, & ubi expetitur, prompte reddat, omnia munda & pervia eſſe decebit: nimirum neceſſum eſt ut abundent ſpiritus lucidi, viæ apertæ, ut eorum commeatus rite fiat: ſi pori occupati ſint, ſi inundetur locus nimium, ſpiritus ſupprimentur, in motu impedientur, ſpecies pridem concreditæ obliterabuntur, recenter impreſſæ diffluent. Hæc inundatio nulli humori commodius, firmius & indubitatius tribui poterit quam ſero, quod cum ſanguine ad intima ce-

 rebri

rebri pertingere poteſt: & ad hæc loca pridem penetraſſe argumento eſt Hemiplegia *Menſ. Octobr.* 1678. conjuncta cum visûs aliqua hallucinatione & loquelæ aliquo impedimento, ob quod lingua minus volubilis facta fuit, & literam R. minus pronuntiare valuit. Solum autem ſerum hanc memoriæ labem parere absque permixtione ſanguinis, quia nihil lethargici concurrit, ex hiſtoria patet. Sero abundare *Ampl. Dom. Conſulem*, patet ex colore faciei citrino & aliquo modo cachectico, podagra, nephritide: cumulavit illud ob vitam ſedentariam: impluvium ad intima cerebri factum fuit, dum propter difficillima patriæ tempora diu noctuque varia & tædioſa eaque graviſſima mente verſavit, unde plurimum ſpirituum animalium conſumptum fuit, & loco laudatiſſimorum ſpirituum vitalium aqueum quid ſimul ad intimos poros irruit, ibique ſubſiſtens nimium hæc loca irroravit.

Serum hoc evacuândum omnique ingenio à cerebro revellendum, atque intra poros iſtos conſumendum, abſorbendum ſimulque cerebrum roborandum erit; quod fieri poſſe ſpem faciunt integra ratio, memoria nondum penitus exſtincta, vita ſobria, & ſtudium conſervandæ ac reparandæ valetudinis.

Evacuant & revellunt 1. *Purgantia ex. gr.*

℞. *Extract. pilul. cochiar. gr. xviij.*
Magiſt. Gialapp.
Extract. caſtor. āā. *gr. ij.*
Ol. d. roriſmar. gt. j.
Spir. ceraſ. n. q. ſ.
F. Pil. No. xj. de ☉.

Vel aliud hydragogum alia forma, add. cephal. ex. gr. Gumm. gutt. cum ol. rorismar. conſerv. roſar. r. anth. &c. Aut pot. aliqual. magiſtr. Hoc purgans dari poſſet *pridie ante novi vel plenilunium,* niſi aliud prohibeat. 2. *Semel in ſeptimana vel bis,* maxime ſi alvus non reſpondeat, injici poſſet *Clyſter.*

℞. *Rad. diptamn. alb.* ℥ß.
Herb. betonic. rorismar.
ſalv. rut. āā. *Mj.*
Flor. chamom. paralyſ. āā. *Pj.*
Sem. fœnicul. ʒij.

Inciſ. & contuſ. coq. in ſ. quant. aq. font. ad conſumpt. tert. part. colatur.

℞. ℔j.

℞. ℔j add. *Hier. logadol.* ℥j.
Mell. anthoſ. ℥ij.
Vitell. ovor. No. ij.
Ol. Lumbric. ℥j.
⊖. *Pj. Mſc.*

3. *Setaceum & Fonticuli.* 4. *Veſicatoria*, quæ apponerem utrique brachio circa carpum; utroque conſolidato iterum duorum digitorum diſtantiâ à priori, poſtea poſt olecranon in humero: ſenſim totum brachium excoriarem. 5. *An V. S. & Scarificatio adhibenda?* ſi aſſueverit his, non negligendæ; illa Vere & autumno, hæc alternis menſibus.

Abſorbentia & corroborantia *interna* ſint 1. *Trag.*

℞. *Rad. Valerian. ſ. pœon.* āā. ʒij.
Cinam. ac. ʒiß. *N. M.*
Mac. cubeb. cardamom. āā. ʒß.
C. C. ph. ppr. Ungul. alc. pp. ana. ʒij.
Matr. perlar. ppr. ʒj.
Tabul. man. chr. perlat. ℥iij.
cui addi poteſt
Pil. reg. compl. No. j. *Mſc. F. Pulv. irroret. ol. deſt. rorismar. majoran. ana. gtt.* ij.
Doſ. ʒj. *man. hor.* 6. *& veſp. hor.* 5. *c. aq. rorismar. & vin. madefacto pan. toſt.*

Aut Pilul.

℞. *Diaphor.* ♃*al.* ♂*tial. ana.* ʒiß.
Extract. xyloal. ʒß.
Ambr. grys. gr. 8.
Cinnab. nativ. ℈ij.
C. gumm. tragac. aq. rorismar. ſol. q. ſ. F. Pill. ex ʒj. *No.* xxxx.
Doſ. M. & V. No. v.

2. *Tab. cephal.* 3. *Aq. cephal.* 4. *Elect. cephal.* de quo ſumat ſubinde. *externe: Balſ. cephal. cucuph.*

Victus ſit ex euchymis & eupeptis: vinum replet caput, diluat illud *decoct. lign. viſc. quern.* Abſtrahatur à nimium ſeriis: refocilletur diſcurſibus jucundis: à ſomno ſtatim à paſtu arceatur.

De Memoria abolita, vid. de L. A. in Apoplexia p. 267. *Salmuth. Cent. II. obſ.* 41. *Galen. de L. A.* 3. *Zacut. Hiſt. M. P. P. L. I. Hiſt.* 44.

 Beniv.

Beniv. de abdit. c. 47. Jordan. de Peſt. Phænom. Tr. 2. C. 2. Amat. Luſit. curat. 32. No. 7. Tulp. L. IV. c. 14. Camerar. Syllog. c. 8. part. 96. Wolff. lect. mem. T. I. F. 31. Theatr. vit. hum. Zwinger. T. de Memoria. Schott. Phyſ. Cur. L. 7. c. 1. Diſſ. 1. Arg. 8. Sylv. Med. Walther Tit. de Memor. p. 997. & ſeq. Caſp. Hoffm. Apol. pro Galen. L. 3. c. 69.

Excell. D. D. Verzaſcha d. 21. Maji 1680. *rurſus ſequentes ad me dedit literas: Ampl. D. Conſul* præteritis diebus paroxyſmum hemiplecticum in latere dextro rurſum paſſus eſt, functiones principes omnes læſæ ſunt, ullius rei vix ac ne vix recordatur, de omnibus ſiniſtre ratiocinatur & male judicat, auditus & loquela ſatis conſtant, ſed rariſſime ad interrogata recte reſpondet. Interim totus eſt ἀπύρετος, ita ut cauſa mali in ſanguine non lateat. Oportet ut affectus in ipſa cerebri ſubſtantia reſideat, ubi autem, & in qua ejus parte, an in cortice vel in medulla, me extricare non poſſum, unde ad tuum accedo oraculum, quod mihi tripodis Apollinei loco eſt, eritque dum ſpiro. Succurre igitur *accuratiſſimis tuis conſiliis* unico rerum noſtrarum columini, ne collabaſcat.

Reſpondi d. 1. Jun. 1680. Morbificam cauſam in cortice cerebri non hærere ſolum, ſed intima cerebri, atque omnino ad medullam penetraſſe hemiplegia dextri lateris, & gravior memoriæ ac Judicii labes, imbecillitas, peſſundatio docent. Recidivas hujusmodi hactenus incurabiles in hac ætate deprehendi ac obſervavi. Non tamen negligendus: adhibenda potenter revellentia, *Clyſter. pil. qualia medicamenta proponit Exercitatio tua de Apoplexia th.* 12. Improbo tecum *vomitoria* in hac ætate & ſtatu morbi. Prodeſſent *veſicatoria,* quæ quatuor in locis applico ſcil. carpis & femorum parti externæ ſupra genu, aliquando internæ parti tibiæ, repeto illa in partibus vicinis. Corroborandum cerebrum *interne tabell. elect. pulv. cum aq. antiapopl. ibid. deſcripta. Externe Balſam. cephalic.* Victus ſit accuratus, nego vinum.

OBSERVATIO CIV.

Catarrhi frequentes.

Johanni Jacobo Wepfero Doctori Medico &c.
S. P. D.
Titus Albineus Med. Doctor.

ILLuſtriſſimus Dominus N. N. Celſiſſimi noſtri Principis à Conſiliis & Cancellarius Ampliſſimus, Te rogatum cupit, ut *caſum præſentem* quamvis

vis prolixiſſime deſcriptum & *Conſilia Medicorum Pariſienſium* attente legas, perpendas & mediteris, donec etiamnum *à Nobis ſuper eodem caſu Theophili Boneti, Medici Genevenſis Celeberrimi*, *reſponſum* brevi acceperis; atque tum non modo ad ſingula *in hoc caſu* propoſita interrogata reſpondeas, verum etiam *Sententiam Tuam* de eſſentia, cauſ s & curatione affectûs quo *Æger* detinetur, nobis aperias & ſcribas: ut *hunc caſum Tibi* ſerves, atque nos in poſterum ex intervallis de variis ad ægritudinem, de qua curanda agitur, pertinentibus, *Te* literis conſulere patiaris & ſimul reſpondere, non recuſes: Hæc ab animo tuo benefico experti facile ſperamus. *Vale.*

Neocomi Helvetiorum D. 13. *Septembr.* 1678.

VIr Nobiliſſ. cujus ſanitatis labaſcentis cauſa itur conſultum *Parente altero* natus eſt, qui ætatis ſuæ anno 33. vitam cum morte commutavit: *altera*, quæ catarrhis obnoxia vixit, ita ad 50. ætatis annum moleſtis, ut per eos tota hyeme raro ei cubiculo egredi liceret, quibus inde minus urgentibus, quum annum ætatis 60. attigiſſet, arthritis ſucceſſit, quâ ad annum 74. ſequentem miſere cruciatâ tandem aſthmate convulſivo oppreſſa diem ſuum obivit: ejuſdem ac illa indolis eſt *Filius* minus tamen moroſæ & impatientis, atque habitus corporis macrioris. Hujus vero *Germani duo* patriſſabant, eo uſque, ut *alter* Iſchuriâ, *alter* phthiſi & rene utroque ulceribus ſcatente, eodem ac *ipſe eorum Pater* ætatis anno juvenes perierint.

Patiens hic noſter annos natus 50. pro ſparta, quam cultu difficillimam *in Republica* eſt nactus, cùm legendo, tum ſcribendo atque ſupremi momenti negotia mente volvendo & pertractando, animum nunquam non varie diſtractum habet, cum aliàs ſponte naturâ mentem ad ſeria inclinet & in agendo promptus ſit & alacer, porro habitûs corporis gracilis eſt, macri & extenuati, coloris pallidi ad fuſcum vergentis, cæſariei criſpatæ & venarum amplarum ac turgidarum; vigentis ante hac appetitûs, ſitis non urgentis, ſomni longioris & profundi, alvi pigræ, *levi tamen Catharctico* mobilis, pulſus frequentis, tandem frigoris etiam leviuſculi impatiens.

Abhinc 25. retro anno, Autumno præſertim & Hyeme, ſeri quandoque ſalſi, ad trachæam, œſophagum & ſtomahum caſu exercetur, quo ſolito magis ingruente vires labaſcunt, rigor ſupervenit, quem calor & febris excipiunt, atque diebus aliquot idem paroxyſmus inſtar febris quotidianæ eadem forte hora recurrit, donec ſenſim evaneſcat, primis autem ab incepto catarrho diebus veſperi à non diu ſomno inito

Æger Nobiliſſ. nauſeis cum ejectione violenta aquæ limpidæ repetitis ſolet expergefieri, inde indies aqua illa magis ac magis incraſſeſcente & in phlegma craſſum faceſſente, quod nullo negotio expuitur & per nares ejicitur, nauſeæ illæ tandem plane ceſſant: interea tamen non raro ſudavit; & illius brachium ſiniſtrum, qua parte *Fonticulus* excitatus eſt, atque ſubjectâ axilla cum calore & dolore intumuerunt, omnium verò horum poſtremo virium debilitas & crurum laſſitudo quædam evaneſcere ſolent: frequentiori experimento aërem frigidum infenſiſſimum ſibi hoſtem pronuntiat, atque ſemper catarrhi prædicti authorem experitur.

Huic catharro ut mederetur, caput probe texit & capillitio deraſo cæſarie aliena ornavit, & *Fonticulus anno* 1660. in brachio ſiniſtro ſectus eſt, quibus non obſtantibus licet non inutilibus, catarrhus quotannis Hyeme ineunte recurrit, tempore autem quod *ann.* 1653. & 1673. interceſſit *Æger Nobiliſſ.* merum bibit, eduliis calefacientibus & exſiccantibus, in gratiam ventriculi, quem roborandum exiſtimabat, ne ulterius phlegma generet, eſt uſus; atque tum urinas non ejusdem ſemper coloris, conſiſtentiæ & ſedimenti minxit, phlegma etiam in iis obſervabatur, obſcuræ erant cum hypoſtaſi craſſa & copioſa, liquori veluti quâdam tenui pelliculâ ſupernatante, illius inſtar, quæ paſſim in juſculi aëri expoſiti ſuperficie ſenſim concreſcit; præterea veluti arenulæ quædam leves flavæ rubræve ſedimento continebantur aut etiam vitri uroſcopi parietibus adhærebant, ipſe quin etiam *Æger* raro debilis ſibi non videbatur cum artuum inferiorum laſſitudine. *Anno* 1673. agnito errore diætam prædictam in refrigerantem & humectantem mutavit & quotidie *mane aquam è vitulina ad* ℔j. hauſit, vinum in paſtu non niſi in æquali quantitate aquæ temperatum bibit, unde ab aere frigido ſe minus facile lædi ſenſit, catarrhus mitior & rarior recurrit, exſpuitio minus frequens fuit, hypoſtaſis illa urinæ craſſa & copioſa non amplius apparuit, uti nec pellicula illa ſuperficialis, nec color adeo intenſus, micæ tamen magis minusve flaveſcentes in ſedimento & urinæ toto liquore innatantes & parietibus vitri uroſcopi hærentes obſervabantur; *mane à ſorpta aqua vitulina*, quæ primo mingitur urina ab aqua fontana non multum differt, quæque ante prandium ejicitur, minus tingitur, quam cætera totius diei. *Hoc & inſequente Anno* immunis fuit ab illo catarrho, *ſub finem Menſis Februar.* 1675. ſynocho putrida *Dominus Æger* correptus fuit; cujus ſecundo die *mane miſſus fuit ſanguis ad* ℥viiij. *& veſperi ad* ℥xj. *atque tertio die ad* ℥vj. quarto remittere cœpit febris, ita ut nono plane evanuerit, injectum fuit alternis diebus *Enema refrigerans & laxans*, ac

quo-

quotidie *aquam vitulinam ad* ℔j. hauſit atque undecima ab incœpta febri die *pulpâ caſſiæ in infuſo ſennæ diſſoluta purgatus fuit*, victus erat tenuis & refrigerans : potus aqua fontana.

Die 22. Novembr. inſequentis mœrore proſtratus *Æger Nobil. ex morte uxoris chariſſimæ,* quæ ante dies 15. è vivis exceſſerat, horâ primâ à meridie rigore correptus fuit, quem horâ octavâ calor & poſtea ſudor exceperunt, poſtridie *mane miſſus fuit ſanguis ad* ℥x. nec minus tamen à meridie recurrit febris; tertia die nihilo remiſſa febre rurſus *miſſus fuit ſanguis ad* ℥vj. *è brachio ſiniſtro*, quâ parte *fonticulus eſt*, tumefacto; quinta die vix quid paroxyſmi apparuit, atque urina humorum morbificorum coctionem certo præ ſe ferente leniter purgatus fuit ſexta die : ſeptima die tres horas noctu ſudavit, nona die *leniente bolo ante prandium deglutito* quater absque dolore alvum depoſuit; die decima rediit febris cum catarrho, ſequente die injectum fuit *Enema* & poſtridie *miſſus fuit ſanguis ad* ℥viij. Febreque plane remittente *fol. ſenn.* ʒj. *aq. vitulin.* ℔ij. *leniter incocta blande purgatus fuit :* integra tamen ejus valetudo non niſi *Anni* 1676. *Menſe Majo* reſtituta viſa eſt.

Ab illo tempore à catharrho liber vixit, donec cum æſtivis caloribus ſe multoties expoſuiſſet, atque totus æſtuans non raro ſubito in umbra frigus opacum captaſſet & quin etiam tum ſitiens ſæpe frigidam hauſiſſet, *Menſe Septembr. anni* 1677. Catarrhus ita ipſum ferine invaſit, ut præ raucedine vix exaudiretur, absque tamen febre, quæ catarrhos omnes præcedentes comitata erat, *menſib.* tamen *Novembr. & Decembr.* Æger quotidie veſperi à tertia ad ſextam horam pedes frigidiuſculos & inſequentem calorem febrilem ſenſit. *Menſe Jan. hujus anni* aliquoties ſalivam guſtavit ſalſam & leniter tuſſivit, ſomnus naturalis eſt etiamſi catarrhus veſperi moleſtior ſit, mane os humore quodam lento infectum habebat, atque lubens, ut ſpiritum facilius duceret, id apertum aliquandiu tenebat : primo quidem tuſſis ſicca & in gutture ſolum fieri videbatur, deinde vero in pectore intimo, unde phlegmata laudabilia mediocri negotio expellebat : Ex intervallis ſudavit *Æger*, & quotiescunque aëri frigido ſe commiſit, tuſſis ſtatim gravior evaſit, tamen nec dolorem nec gravitatem in pectore aut in ulla alia corporis parte eſt paſſus, ſecus ac in catarrhis, qui præceſſerunt; nec de ulla virium debilitate queritur, atque reſpiratione undiquaque illibata & levitate quadam pedum in deambulando fruitur : verum corpus macilentius, moleſtante hoc catarrhali paroxyſmo, quam præcedentibus, apparet, abſque tamen laſſitudine aut faciei coloris depravatione; putat carnem muſculorum juſto flaccidiorem eſſe : appetit mediocri-

diocriter : non ſitit : alvus aperta eſt & ſi pigrior eſt, *leves ſennæ infuſiones* hanc ſolvunt. Ex intervallis leviuſcula ecthymata rubra cum pruritu in manibus apparuerunt, ſed quæ brevi evanuerunt. Vindemiarum tempore ex eſu uvarum tuſſis increbruit; ore atque naribus majorem pituitæ craſſæ copiam ejicit, aquæ vero limpidæ per os minorem quam ulla alia catarrhali acceſſione præcedente : quandoque obſcurum quendam ſonum in ipſis auribus percipit.

Ante ſex ſeptimanas remiſſo frigore catarrhus plane evanuit, *poſt hauſtam* nempe *potionem purgantem ſeq.* ℞. *Radic. liquir. raſæ & contuſæ* ℨij. *Poma redolentia mundata & per taleolas ſecta Num. ij. fol. ſenn. ſ. ſ.* ℨj. *F. ſ. a. levis decoct. & per noctem infuſ. in aq. fontan. q. ſ.* ℞. ℔j. *in qua colata diſſolve ſyrup. è pomis Regis Sapor. & pulp. caſſiæ recent.* āā. ℥ß. *Miſc. hauriat mediam partem mane hora vj. reliquam partem hora vij. & hora viij. juſculum è vitulina :* tribus ſeptimanis elapſis catarrhus more ſolito reverſus eſt & quidem gravior quam hyeme, ſcil. cum totius corporis frigore & calore per 8. horas moleſto, ideoque poſtridie mane primis viis *enemate* expurgatis *V. S. ſanguis ad* ℥*x. miſſus fuit*, cujus pars maxima in ſerum verſa apparuit & poſt ſorptum juſculum 8. horas leviter ſudavit, tuſſis totos 8. dies crebrior & moleſtior fuit, quàm hyeme, ſimul ac urina flava & rubra apparuit. Naſus intumuit cum calore, pituita in naribus copioſe concrevit : aures graves erant, veluti cumquis aquæ caput immerſit : brachium ſiniſtrum *circa fonticulum* intumuerat ac hic minus ichoris eructabat. Dolebat caput, etiam dentes : os erat amarum & aridum abſque ſiti. Remiſſis ſenſim ſymptomatibus hiſce undecimo die ℥*iiij. ſanguinis emiſſæ fuerunt*, cujus pars quarta poſt triginta ſex horas in ſerum obſcure flaveſcens ſecreta erat, cæteri vero concreti ſanguinis pars tertia rubra erat, ſexta albeſcebat, ſuperficies ſanguinis concreti albidè flaveſcebat, atque ipſe ſanguis ſciſſu adeo difficilis erat. Tandem febri remittente rurſus *Æger purgatus fuit potione prædictâ*, atque etiam tertio ad catarrhi reliquias auffeendas. Cæterum *Bernenſis quidam Medicus celebris author eſt Ægro Nobiliſſimo*, ut *Chocolatâ* utatur, quâ plures multum jam emaciatos & in phthiſin prolabentes integræ valetudini ſe reſtituiſſe aſſerit.

Quibus præmiſſis omnibus *Æger Illuſtriſſ. tandem conſilium petit*, quo ſenſim collabentem reſtauret valetudinem, atque ſibi ab illo catarrho in poſterum caveat.

Reſpon-

Reſponſum Dn. Dn. Braïer & Raoult. Medicorum Pariſienſium.

PErpenſis ſerio *Ægrotantis Nobiliſſ.* temperamento & rebus omnibus præter & contra naturam, de quibus conqueritur, omnium graviſſimam & conſideratione digniſſimam, quippe periculo non vacantem, catarrhum illum ad pectus eſſe cenſemus, cujus recurſus ita frequentes partis recipientis, vitæ aliàs maximè neceſſariæ, debilitatem luculentè teſtantur, quæ tamen validè huic catarrho hactenus repugnaſſe, nec labem quamvis, præter innatam debilitatem in ſubſtantia ſua recepiſſe nobis videtur, cujus aliàs ſigna pathognomonica ſunt macies inſignis, febris lenta, ſputa purulenta, quæ cruenta præceſſerunt, quorum *in caſu propoſito* nulla fit mentio. Nemo inficias iverit hunc ita frequenter recurrentem catarrhum ab intemperie calidiori & ſicciori viſcerum naturalium multâ humorum excrementitiorum colluvie ſtipata primario ſcaturire; cujus colluviei, quoties fermentatur, pars tenuiſſima & maxime ſulphurea exhalatur & vaſa ſanguifera majora ingreſſa ſanguinem irrorat, corrumpit & in ſerum acerrimum pervertit, quod pro natura partium, quas poſtea impetit & inficit variorum ſymptomatum author fit: cum autem *Ægri Nobil.* pulmo ab utero ipſo conſtitutionis ſit mollioris & tenuioris, non eſt, quod quis miretur, ſi partium omnium promptiſſime catarrho illo infeſtetur & maxime laboret: ejuſdem colluviei humorum excrementitiorum pars craſſior & terreſtrior in viſcerum naturalium venulis omnibus indeſinenter ſtabulans inſtar mali fermenti ex intervallis incaleſcit & fermentatur, unde maſſam ſanguineam inquinans ebullire facit, hocque modo recurſus frequentes hujus catarrhi fiunt, ſimulque aliorum quorumvis ſymptomatum. Quorum malorum cura conſtat 1. In intemperiei calidioris & ſiccioris viſcerum naturalium correctione. 2. Colluviei humorum excrementitiorum illinc oriundæ, per epicraſin facienda leni purgatione. 3. Denique acredinis maſſæ ſanguineæ temperatione.

Ad quos fines *Ægro Nobiliſſ.* authores ſumus 1. ut ſæpenumero ano recipiat *clyſterem refrigerantem, emollientem & ſimul laxantem.* 2. Ut *phlebotomiâ* in brachiorum altero celebratâ ſanguinem effluere patiatur *ad ℥viiij.* & tertia inſequente die *purgetur modo ſeq. ℞. Fol. ſenn. ſ. ſ. ʒij. rad. liq. raſæ ℥ß. infundantur per totam noctem ſuper cineres calidos in aq. font. ℔ij. mane coletur liquor. & in eodem colato diſſolv. pulp. caſſiæ rec. extract. & ſyrup. è pomis Regis Sapor. ãã. ℥j. Mſc. & divide in duas partes æquales, quarum alteram hauriat mane hora ſexta, alteram hora ſeptima & octava, ſeri optime depurati ℔j* Poſt unam alteramve

diem *eadem purgatio* reiteretur, deinde *ſpatio integro ſex ſeptimanarum quotidie mane hora quinta lac aſininum recenter mulctum hauriat ad* ℔j. hora nona inſequente *Juſculum è vitulina* ſorbeat, interea vero temporis *octava aut decima quaque die purgetur, modo ſequente* ℞. *Fol. ſenn. ſ. ſ.* ʒiß. *infunde tota nocte in aq. deſtill. cichor. q. ſ. in qua mane colata diſſolv. pulp. Caſſ. rec.* ʒvj. *ſyrup. è pom. redolent.* ℥j. *Mſc. hauriat hanc potionem quinta poſt lac epotum hora, alteraque inſequente hora juſculum ſorbeat.*

Proderunt quoque procul dubio *hæc remedia,* modo *Dominus Æger* in diæta vitet omnia ſalſamenta, aromat. condita, ſaccharata, artocreata omneque aliud panificium dulciarium & azymum ac vinum ipſum, potiſſimum dum *Lacte* utetur, atque etiam exercitia corporis violenta, vigilias, animi labores improbos, uno verbo quidquid ſanguinem multum agitare & calefacere poteſt. Verum veſcatur cibis euchymis & eupeptis, ſingulis diebus mane juſculum è vitulina & carne gallinacea ſorbeat; in prandium ipſi offerantur pulmentum & caro tenera aliqua elixa aut toſta; in cœna jus carnis & ambæ pulli alæ, carove alia, modo delicata ſit & parva quantitate edatur, quandoque duo ova recentia tantum; potus ſit aqua cum pauxillo vini, melius tamen foret ſi æger abſtemius plane vivat; vinum enim & chocolata ſanguinem inflammant, acrimoniam augent &c. Affectus enim, de quo ſanando agitur, non alia medela quam ſanguinis refrigeratio ejusque acredinis temperatio eſſe poteſt; ſanguis enim naturale balſamum eſt omnium corporis partium.

Elapſis ſex ſeptimanis *Æger Nobiliſſ.* certiores nos faciat neceſſe eſt ſucceſſus hujus therapiæ, ut inde *de Semicupio* aliquandiu æſtate proxima in uſum vocando & *de uſu lactis* Autumno inſequente reiterando certius decernamus.

Congruenter *ad illud Conſilium Ægro Nob. miſſus è brachio fuit ſanguis,* qui quàm ante ſeroſior apparuit; idem *bis purgatus fuit* ullo abſque ventris dolore, licet quantum anteà alvo phlegma ejectum fuerit, inde *quotidie mane per ſex ſeptimanas lac aſininum hauſit;* octo primis diebus lac redolentes vapores ad os paſſim è ventriculo ferebantur, qui decima die *eadem repetita purgatione* ceſſarunt; illinc *decima quaque die purgatus fuit* eodem ac antea ſucceſſu, tribus primis ſeptimanis pigrior fuit alvus quàm ſequentibus; ex intervallis tertia à paſtu hora gravitatem quandam in auribus paſſus eſt; menſam ſemper deſeruit fame non planè repletâ, quæ *toto uſus lactis tempore* multò quàm antea vege-

vegetior fuit, licet enim *quaque die horâ quintâ matutinâ lactis aſinini* ℔j. *hauriret*, nona inſequente fere tantum juſculi è vitulina aut pullo gallinac. ſorberet, meridiana pulmenti hordeacei etiam amplius, atque ſimul pullum gallinaceum toſtum totum in prandio comederet, & veſperi tantundem pulmenti ejusdem hordeacei cum duobus ovis recentibus in cœnam: altera tertiave à lacte aut juſculo ſorpto hora copioſe mingere ſolitus eſt; urina mane ante prandium aquea erat, à prandio verò & cœna nonnihil flaveſcebat; & quo magis corpus refrigeraret & humectaret, etiamſi non ſitiret, nihilominus aquam ad unc. vj. in paſtu hauſit: ſomnum vero quod ſpectat, quaque nocte quinque horas ſine interruptione dormivit; nunquam tamen inquietatus non fuit tuſſi ſicca, cum ſenſu alicujus vellicationis in imo gutture: quin etiam ex quo die quadam veſperi ruri præ æſtu æſtivo levi veſtimento indutus Boream ſolito frigidiorem paſſus eſt, vox nonnihil ipſi rauca eſt: quotidie hora 5. matutina è lecto ſurrexit & munere ſuo publico ut antea eſt functus.

Doctoris Raoult alterum Reſponſum Medicum.

RErum non naturalium uſus debitus valetudinem tuetur; pravus eandem peſſundat.

I. *Ægro Nobiliſſ.* aër convenit temperatiſſimus, id eſt nec calidior, nec frigidior, nec ſiccior, nec humidior, ideo & æſtum ſolis nimium & aerem veſpertinum & pluviam vitet.

II. Alimenta ſint euchyma & eupepta: vitulina, pulli gullinacei, capones & omnis caro delicata & alba maxime conveniunt; butyrum, legumina, ſalſamenta, aromata, ſaccharata, acida ipſi nocentiſſima ſunt: mane juſculum è vitulina & pullo gallinaceo jejunus ſorbeat, in prandium pulmentum aliquod & panem ſine ſale piſtum, atque carnem ſeu elixam ſeu toſtam etiam inſulſam ſobrie edat; cœna autem pulmento tantum & ovo recenti conſtet, pro fame tamen etiam aliquid vitulinæ aut pulli gallinacei adjungatur & quoque in paſtu ad unc. x. bibat.

III. Corporis exercitium eſto moderatum, equo carrucam & rhedam præfero.

IV. Vigiliæ imprimis *Ægro Nob.* noxiæ ſunt, tanta eſt illius maſſæ ſanguineæ acredo & viſcerum ſiccitas, ut ſomnus etiam protractior ipſi conducat.

V. Alvus impigra ſit, ſeu *enemate blando* excitata ſeu *ſemel bisve in ſeptimana pulp. Caſſ. recent. extract. mane ante prandium ad* ℥ß. *deglutita.*

VI. Vitet mœrorem atque quemvis alium animi affectum gravem.

Ravis de qua conqueritur, fit à reliquiis catarrhi, neutiquam ab *ipſo lacte aſſumto*, quum *lac* alimentum ſit omnium acredini illi humoris ſeroſi ad trachæam delabentis & pulmones ipſos vellicantis (unde illa tuſſicula ſicca) demulcendæ aptiſſimum: author ipſi nihilominus ſum, ut *Lactis uſum* ob ferventes tempeſtatis hujus æſtus omittat, atque ſingulis diebus mane juſculum è vitulina & pullo gallinaceo ſorbeat cum pulmento hordeaceo eodemque colato & quam tenuiſſimo: *Menſibus* verò *Septembri & Octobri proximis eundem* repetat *lactis aſini-ni uſum*; bonum ipſi erit duas horas *poſt lac ſumtum* dormire, & *poſt purgantem potionem* quieſcere. Fames aucta *Lac* prodeſſe ſignificat. Vox rauca *Semicupium* in uſum vocari non patitur, ſecus quieſcentem aliquem humorem movere poſſet, unde raucedo augeretur. Aurium gravitas poſt cibatum nullius eſt momenti, fit ab aliquo craſſo vapore, dum cibi in ventriculo concoquuntur elevato, qui, quum in aquam condenſetur, mirum non eſt, ſi illius aquæ expurgatio hoc ſymptoma minuat. Præſtat pulſum lentum eſſe, quam magnum & frequentem. Somnus quinque horarum ſine ulla interruptione proles eſt ſanguinis belle temperati & caloris non excedentis.

Lutetiæ Pariſiorum d. 8. *Jul.* 1678.

Ex quo *mane lac bibere Æger Nob.* deſiit, minus à tuſſicula illa inquietatur, imo dum in lecto decumbit non tuſſit, inter deambulandum ad tuſſim irritatur & magis quum frigidam hauſit aut extra domum in aëre aperto degit, ſubinde raucus fit, quin & inde non raro febricitet cum gravitate quadam artuum inferiorum & pruritu nocte in multis corporis partibus inſtar pulicum moleſto, indeque pituita craſſa ſolito copioſior ore & naribus excernitur, quæ ſubinde mane flavet: ex quo *à lacte* abſtinet, non tamdiu dormit uti antea dum hoc bibit. *Octava quaque die in ingreſſu prandii pulp. Caſſ.* ℥ß. *ſumſit*, inde phlegma alvo excerni ſolet, licet non tanta copia, quâ *poſt hauſtas potiones purgantes prædictas*: *Enema* etiam interdum *emolliens & laxans* applicitum fuit, ſed nunquam ſine torminibus, licet *Caſſiam* impune deglutiat atque hæc humorum excrementitiorum amplius quam *Clyſteres* è corpore purget: mane à juſculo è pullo gallinaceo ſorpto ad prandium uſque urina aquea eſt, alio tempore flavedinem quandam participat, etiamſi aquam ſolam bibat, nulla etiam hypoſtaſis in urina ſubſidet, ſed enæorema tantum pendet aut ſimile quid in fundo apparet: poſt paſtum ſubinde gravitatem aliquam in auribus patitur: nuper pediculi frequentes ſparſim in capillitio reperti ſunt, 20. retro an-

nos

nos non viſi, quibus ſemel expulſis, alii non ſucceſſerunt. Corpus macilentum admodum eſt, quamvis bene comedat, ſemper appetitu vigente. Nunquam ſitit, nec p. n. calet, nec nocte ſudat, nullaque pectoris gravitate impeditur, nec ſpirandi difficultate urgetur. Scire avet *Nobiliſſ. Dominus Æger*, an *potus parcior, medicamenta ſudorifera, diuretica & alia, inter quæ ſulphur eminet*, qualia *Willis* experientia & ratione fretus, in phthiſi incipiente uſurpata proponit, ſibi ſint profutura? cùm tamen *ex ſententia Medicorum Pariſienſium* affectus, de quo ſanando agitur, curationi perficiendæ *lac & ſola medicamenta humectantia & refrigerantia* ſufficiant. Nulla ventriculi incommoda experitur etiamſi abſtemius vivat & diætam *Medicor. Pariſienſ.* exacte obſervet: nuper triduo aquam quinta vini parte dilutam bibit, atque inde gravitatem illam aurium minui ſenſit: ideoque ventriculi roborandi gratia, an ipſi utile fuerit vini aliquantulum aquæ immixtum imposterum bibere? an vero plane à vino abſtinere præſtet? etiam *extra uſum lactis.*

Brevi rurſus *uſum lactis aſinini,* ut antea, aggreſſurus eſt, hancque ob cauſam ſcire cupit 1. *An ſacchar. roſat. lacte diſſolutum, quod Medici omnes cenſent, ipſi ſit nociturum?* 2. *An ſalutiferum ſibi foret, ſi etiam vesperi lac bibat? atque ſi lac bis de die ſumptum proſit, an ultra 6. ſeptimanas ejusdem usum prorogare debeat?* 3. *Modum rectum lacte aſinino utendi ſcire expetit.*

Tertium Doctoris Raoult Med. Pariſienſ. Reſponſum Medicum.

TAntum abeſt, ut *ſententia Thom. Willis*, quam proponis ad phthiſin curandam experientia & ratione fulciatur, quin ipſamet experientiâ quotidianâ teſte nullus hactenus ejusmodi therapiâ phthiſicus ſanatus fuerit, idque ratio ipſa perſuadet: etenim duplex tantum phthiſis eſt, legitima altera, ulcus nempe pulmonum; altera notha, macies videlicet & pulmonum marcor, illa incurabilis cenſetur, hæc vero debita aëris & ſanguinis temperie corrigi poteſt; hi enim duo tantum ad pulmones perveniunt, quorum calor & ſiccitas p. n. excedentes aërem & ſanguinem puros refrigerantes & humectantes ſui medelam indicant, quod unicum pulmonum Balſamum cenſent, quibus rectus ineſt rationis uſus. *Medicamenta ſulphurea & potus parcior*, non niſi ſanguinem primò, inde & pulmones uſtulare poſſunt. *Medicamenta ſudorifera & diuretica* talia habentur, quia ſanguinem liquant & in ſerum convertunt, quod deinde ad pulmones expulſum ipſos vellicat & op-

primit, idcirco *ſudorifica* pulmonibus infeſtiſſima ſunt: quamobrem ut *lacte aſinino* rurſus utaris author tibi ſum, & quidem *quaque die mane* ut ante hac, & *veſperi hora nona, idque bimeſtri ſpatio: lac* enim unicum pulmonum male affectorum ſolatium eſt: malim omnino à vino abſtineas, quod ſanguinem incendit. *Ita cenſet Raoult.*

Lutetiæ Pariſiorum die 4. *Septembr.* 1678.

Tito Albineo Med. Doctori Celeberrimo
S. P. D.
Joh. Jacobus Wepferus Med. Doct.

SErius mitto *Conſilium & Reſponſum ad caſum pridem miſſum*: diu domo abfui; redux citiſſime *Doneſchingam* properare cogebar, ubi jam per aliquot dies moror. Quàm potui diligentiſſimè omnia expendi: libere meam ſententiam de catarrhorum origine fero; id poſtulare videbantur indicationes, quæ hoc poſito fundamento certius formari & poſtea *congrua auxilia* reperiri poſſunt. Mentionem feci *Pulv. antihect. Poterii,* qui nobis in frequenti uſu eſt & laudatiſſimos effectus in catarrhis & phthiſi nondum penitus conclamatâ præſtat. Dedi illum poſt ſæpius recidivantem hæmoptoën, phthiſicis purulenta tuſſi rejicientibus cum difficili reſpiratione, febri lenta macie. *Inter hos nomino Nob. Dominum Thaddeum Ludov. Pfeiffer Lucernatem Signiferum cuſtodiæ Pontificis inter Helvetos Romæ*: hic poſt largas repetitas hæmoptoës *à Medicis Romanis* Phthiſicus ob ſigna pathognomonica judicatus; *hujus præcipue beneficio ut & conſerv. roſ. bellid. min. Item gelatina C. C.* præter omnium ſpem convaluit, ut domum redire poſſet: cum denuo *Romam* profectus eſſet, æſtivo tempore recidivam paſſus eſt: rurſus in uſum vocavit *nota Medicamenta*; hinc iterum convaluit: relictâ *Roma*, cujus aër infenſiſſimus eſt, nunc *Lucernæ* permanet, ubi commode vivit & nuperrime illum, dum ibi eram, vegetum comperi. *Vale & me ut Nobiliſſimo Domino commendes rogo.*

Doneſchingæ d. 12. *Octobr.* 1673.

Conſilium & Reſponſum Medicum.

AFfectus *Illuſtriſſimo Domino* præcipue moleſti & *opem medicam* poſtulantes ſunt catarrhi; coryza ſcilicet bronchusque, nunc cum febre juncti nunc citra illam affligentes: nam mucum emungere cogitur, quandoque induratur, ut nares tenaciter obſtruat ægreque eliciatur: frequenter autem ſputum vel ſcreatu vel tuſſi nunc fortiore, dum mate-

materia adhuc cruda eſt & aquea minusque acris impulſui cedit; nunc faciliori negotio etiam ex intimis pulmonum receſſibus inſpiſſatum & craſſefactum excernit.

Horum catarrhorum indaganda materia, ex qua tam frequentes & diuturni producuntur; locus, ex quo in nares, fauces & in pulmonum bronchia ſtillat, forte etiam in ventriculum: cauſa materiam ad tam largam & crebram exſtillationem impellens: atque hæc ſcire ad faciliorem curationem plurimum intereſt, & in medendo magnum momentum adferet.

Materiam quod attinet, non videtur lympha in ſpecie ſic hodie nuncupata, cum illius motus ſit ab externis ad interna ſcil. aut ad receptaculum chyli aut ad ramos venarum majorum non uno in loco: ſed ſerum, quod cum ſanguine per arterias ad partes defertur, per quas aliàs tum ſuperfluum, tum uſui alicui inſerviturum excernitur. Seri natales & omnia, quæ de illo dici poſſent, *huic Conſilio* inſerere intempeſtivum foret & prope in volumen excreſceret: pauca delibabo atque ea ſolummodo, quæ ad explicationem *Nob. Domini* affectuum pertinebunt. Primum non negabitur ſerum perpetuum & individuum ſanguinis comitem eſſe eique permiſceri cum vitæ primordiis, auſim dicere illud jam ſanguini junctum in veſicula ſaliente, antequam ullum quodque viſcus conformatum eſſet; niſi enim ab illo dilueretur, ſanguis nec fluidus eſſet, nec per minutiſſima capillamenta exporrigeretur: ut taceam illum ipſum ſanguinem nihil niſi limpidiſſimam aquam prius fuiſſe, *quam Harveus colliquamentum appellat.* Deinde certum eſt; ſerum maſſæ ſanguineæ quotidie in ſanis reparari non ſolummodo ex potulentis, ſed etiam eſculentis, nam & hydropotarum ſanguis qui parciſſime bibunt & non raro demum tertio vel quarto die: item avium quarundam, quæ nunquam potulenta inglutiunt, ſero diluitur. Aquilæ duæ heic, ubi hæc ſcribo, jam à 26. annis enutriuntur rariſſimeque animalibus ſeu vivis ſeu mortuis ſanguine irriguis, ſed plerumque carnibus exſuccis & exſanguibus ſcil. inteſtinis & extremis animalium potiuntur ac ne guttula potûs apponitur, nihilominus more aliarum avium mingunt; paradoxon pridem, at nunc *Phyſicis curioſioribus* non ignotum: ego ipſemet in omnibus avibus renes & ureteres urina candida turgidos & non ita pridem in aquila hujusmodi, & dum hæc ſcribo, in cloaca aquam limpidiſſimam cum ſedimento cretaceo in falcone reperi. Inſtauratur autem ſerum hac ratione; aſſumta liquida non diu in ventriculo manent nec in inteſtinis moras longas nectunt, ſed inde celeriter per vaſa lactea ad receptaculum chyli & cor amandantur; ſanguini confunduntur & poſt iteratas circulationes citra magnam aliquam, neſcio quam, coctionem in viſceribus partim uniuntur, partim

partim per vias à natura ad id deſtinatas à ſanguine ſeparantur & nonnunquam brevi poſt eliminantur. Tertio ſerum non ſolum plurimos uſus corpori humano præſtat, verum etiam ipſum morboſum plurimorum ſymptomatum morborumque cauſa fit, ſi vel copia, vel qualitate, vel motu, vel loco peccat: Apud *Nob. Dominum* peccat copiâ, qualitate ſalſuginoſa, loco frequentioris excretionis ac receptionis incongruo, atque etiam propterea graviora minari videtur. Sero abundare macilentos, fuſcos, venis amplis & capillis nigris præditos paſſim *Carolus Piſo de Colluvie ſeroſa & alii* tradunt.

Nobiliſſimum Dominum verè hujus plurimum cumulare, non ſolum ex frequentia & pertinaci duratione catarrhorum, ſed etiam ſenſu ipſo conſtat, dum in ſanguine *Venæſectione* emiſſo, multoties ſeri proportio debitam excedens quantitatem inventa fuit: Hoc in maſſa ſanguinea *Nob. Dn.* non credo coacervaſſe ob nimiam potulentorum ingurgitationem, cum ſemper temperanter vixerit. Superflue potius in maſſa ſanguinea colligi videtur, quia in illa portio moleſtiam paritura permanet, nec per vias & ductus à natura deſtinatos ſufficienter excernitur, videlicet renum, quos forte hæreditario imbecilliores nactus eſt, *Fratrum* enim *unus* ex ulcere renum & phthiſi, *alter* iſchuriâ obiit; atque *ipſemet Nob. Æger ab anno* 1653. *ad annum* 1673. dum merum bibit ac victu calefaciente & exſiccante fruebatur, urinas colore, conſiſtentia, ſedimentis varias excrevit, quandoque obſcuras cum ſedimento copioſo, craſſo etiam mucoſo, non ſine ſuſpicione renum ægrorum; aut glandularum ſubcutanearum ob habitum corporis macilentum ſicciorum minusque perviarum, nec ad ſudorem aut inſenſibilem tranſpirationem ſatis bene diſpoſitarum; eoque minus, quia ſerum ad feliciorem exitum non rite præparabatur, nam *Nob. Dominus* ob negotiorum multitudinem & gravitatem legendo & ſcribendo maximam partem ſedentarius traduxit minusque calorem, egregie ſuperfluam aquam abſumentem, excitavit; aut denique glandularum inteſtinalium, per quas maſſa ſanguinea Vere & Autumno non raro diarrhœis ſalubriter depletur atque à ſuperfluis humiditatibus vindicatur & levatur; nam plerumque alvi ſiccioris fuit. Serum ſalſuginoſius eſſe ſapor ſputi manifeſtum facit, inſuper patet ex ſabulo ſeu ſubtiliſſimis arenulis rubris & flavis, ut & ex operimento urinæ telæ aranearum ſimili, quæ nihil niſi ſalinæ concretiones ſunt, ſive matulæ fundo aut lateribus adhæreant, ſive ſedimento permiſceantur, nam demum poſt aliquam moram apparent, ſimiles prorſus *cryſtallis Nitri*, *Salium fixorum*, *Tartari*, quæ in liquore aliquo ſoluta poſt quietem mediis in undis coagulantur: atque operimentum urinæ, pinguedo hactenus credita, *Monitore Excell. Williſio de urinis* Sal eſſe comperitur, ſi exſiccatum cultri apici imponitur

nitur & candela ardens ſubjicitur, nam nec diffluit, nec flammam concipit, ſed inſtar ſalis culinaris crepitat. Unde ſalſuginem excedentem obtineat ſerum *apud Dn. Ægrum* prolixe res explicanda foret, ſi cum contentioſis agendum mihi eſſet: rem paucis abſolvam.

Primo ſerum omnium animalium ſanguineorum in ſicco viventium ſalſum & nitroſum eſſe exiſtimo, quum quædam ne guttam quidem ſalis culinaris aut alterius ſeorſim exiſtentis deguſtent, nam urina omnium quotquot novi acrimonia ſalina nares ferit & deguſtata ſalinam ſobolem proderet: pullus aſininus nullo alio cibo nutritus quam lacte materno, alias ad ſanguinem edulcorandum tantopere commendato, urinam ſalſam emittet: cuniculi ſolo *Soncho levi & lactuca* cibati acerrimam urinam emittunt: equos graminibus paſtos *Vena ſecta* copioſiſſimum ſalſiſſimumque ſerum acquirere *veterinarii* fidem facient & ſudor illorum teſtatur. *Deinde* arbitror ſalſuginem ſeri quotidie reparari & quandoque augeri, nam quamvis à primordiis vitæ aliquid ſalis ipſi immixtum fuiſſet, vel millies evanuiſſet, cûm naturæ volatilis ſit, ut ex ſeri & urinæ deſtillatione notiſſimum eſt. *Tertiò* concedetur mihi cibos & potus pleroſque, ceu corpora perfecte mixta, aliquid ſalini & pinguis continere, niſique his prædita eſſent, ad nutriendum inepta fore, quod utrumque rationibus & inductione alimentorum probarem, niſi brevitati ſtuderem. *Denique* non negabitur alimenta in chylum lacti ſimillimum converti, adeo ut lac nunc plures nihil niſi chylum eſſe, tantùm non apodictice demonſtrent. Chylus igitur cum lac ſit vel lacti ſimillimus, utique quoque cremorem ſeu portionem pinguem habebit, calidi nativi ſcil. pabulum, quod aliorum pinguiorum more à flammula vitali incenditur, deflagrat ac fuligines poſt ſe relinquit; & quamvis harum portio per exſpirationem & per inſenſilem tranſpirationem avolet, pars tamen magna ſanguini permixta manebit, quæ in liquore ſoluta illum ſalinum efficiet, non ſecus ac à cineribus lixivium enaſcitur. Cum itaque omne ſerum ſalſum ſit, illud quotidie reparetur ex cibo & potu, dum non ſolum alimenta ſolvuntur, ſed etiam portiones pinguiores comburuntur, quaſi & deflagrant, facile conſtabit, quo temperamentum totius calidius, eo ſerum ſanguinis magis ſalinum evaſurum. Quoniam igitur *Illuſtriſſimus Dominus* quoque tale temperamentum nactus eſt, uti ex plurimis indiciis conſtat, quia inſuper maſſa ſanguinea ipſius à frequentibus febribus continuis & intermittentibus toties tantum non combuſta fuit, mirum non eſt, pinguibus conſumtis maximam partem, ſalina magis in propatulum veniſſe & tandem prope principatum obtinuiſſe ſerumque ſalſiſſimum evaſiſſe.

Mucum, qui emungitur ex glandulis narium; ſputum, quod ſim-

plici ſcreatu prolicitur ex glandulis ſupra pharyngen in faucibus ſitis, item extremæ tunicæ palati juxta uvulam inſculptis & tonſillis, prodire exiſtimo, cum in ovibus & hominibus his in locis phlegma ſeu mucum facile non ſemel expreſſerim; neutiquam vero ex intimis cranio incluſis partibus & à cerebro hûc deſcendere, *ſolidis argumentis D. D. Schneideri de Catarrhis fretus*, credo. An mucus in broncho è faucibus per laryngem in aſperam arteriam delabatur? ambigo, cum pauxillum liquoris rimæ iſti illabens tantum non ſuffocationem intentet: novi exceptionem, quam regerunt; nimirum catarrhoſam illuviem ſenſim & ad latera deſcendentem tale periculum non afferre; verùm cùm in broncho ſputum copioſum per plures ſeptimanas ejiciatur, vix turbas iſtas *Nob. Dominus* evitare poſſet: ut taceam me non raro bronchos obſervaſſe, in quibus fauces prorſus ab illuvie mundæ, imo quandoque prorſus aridæ erant; quod nunc quoque multis his in oris febri maligna decubuis accidit, multum ſine pleuritide aut peripneumonia tuſſientibus, ſuccedente in quibusdam ſputo absque difficultate, ſimillimo catarrho ſine febri contingenti. Exiſtimo potius ſputum hoc exſtillare ex glandulis bronchialibus & extremis capillamentis Arteriarum pulmonicarum: nam ſero bronchia undiquaque perpetuo irrorari, conſtat inde, quia ſemper tum aſpera arteria, tum rami etiam extremi liquore intus imbuti reperiuntur; inflatis pulmonibus etiam mactatorum animalium ſpuma ab exagitato liquore copioſa reſultat, fluctuante nihilominus liquore in ramulis: denique non ſemel obſervavi aſpera arteria ſecundum longitudinem diviſa digitoque obtenſa & fortiter preſſa, protinus liquoris plures guttulas exſudaſſe intus. Nec abſurdum eſt ſerum in maſſa ſanguinea ſecretum & deſpumatum tumultuans uno eodemque tempore diverſis in locis exitum quærere & invenire: nam non ſemel obſervatum fuit broncho & coryza affectos, ſimul largiter ſalivaſſe, copioſius ſolito minxiſſe, inſuper ſudaſſe, imo quosdam quoque dolores arthriticos expertos, aliis quandoque ſimul alvum largâ diarrhœâ ſolutam fuiſſe: exorbitans enim in tumultu hoc, quâ datâ portâ ruit ac effluit. Glandulæ iſtæ ſerum ab arteriis accipiunt, quibus ubique pulcherrime exornantur & ditantur.

Serum commovetur & à maſſa ſanguinea ſeparatur, aliquando ſuâ ſponte & citra cauſam aliquam præviam, quæ alicujus momenti eſſet, prægreſſam, quando nimirum copiâ aut acrimoniâ peccat. *Apud Nob. Dominum* fiebat pridem à quavis tempeſtate frigida, unde diu, *Dominæ Matris more* frigoris impatiens fuit: ultima vice evenit æſtuante corpore à perfrigeratione in umbra frigida idque per antiperiſtaſin quandam ſero, per habitum corporis exitum quærente, in vaſa ſanguifera repulſo alibique exitum impetuoſius inveniente. An illius commotio & ſegregatio aliquando fiat præcipitatione quadam, ceu fieri ſolet acido

do lacti inſtillato non certo ſtatuerim, quamvis nec impoſſibilis ſit, nec deſint, qui hoc etiam rationibus probent. Serum commotum per oſcula glandularum narium, faucium & bronchiorum exitum ſibi parat, quia naturaliter aliàs per illas evacuatur, propter crebros vero catarrhos illarum oſcula vaſorum deferentium magis patula, cavernulæ ampliores & oſtia in cavitates prædictarum partium magis hiantia exiſtunt, ut inde ſine impedimento large emanare poſſit: largius & diutius continuato effluvio elabitur, quia ſerum acri ſua ſalſugine oſculorum labia prorſus nervea & exquiſito ſenſu prædita continuo laceſſit atque ad ulteriorem affluxum ſollicitat, quæ eo uſque perdurat, donec ſeri magna pars depleta illudque tandem in illarum cavernulis inſpiſſari & craſſius fieri cœperit: unde etiam ſero *à lactis aſinini potu* mitiore reddito *Nob. Dominus* minus tuſſiit: & mutato victu calido & ſicco in humidum & frigidum ab his moleſtiis vixit immunis.

Febres continuæ tum ſolæ, tum cum catarrhis exorientes adſcribendæ ſunt accenſioni ſanguinis aliàs fervidioris ulteriori, potiſſimum à cauſis externis: nam temperamentum totius calidum & ſiccum ſcribitur eſſe, quod ſolummodo à tali ſanguinis conſtitutione dependet, atque aliàs ſæpe ex levi occaſione & commotione, etiam à dolore exardeſcit. Intermittentes præterea fomitem aliquem poſtulant, qui bilis eſſe videtur, nam *Illuſtriſſimus Dominus* toto durationis tempore carnes faſtidivit ac plerumque mitigata & ſubducta bile curabatur.

Sententia hæc nimium propriæ credulitati litantis videtur; neminem inficias iturum catarrhos ita frequenter recurrentes ab intemperie viſcerum naturalium calidiore & ſicciore, multa humorum excrementitiorum colluvie ſtipata primario ſcaturire: ejusdem ſortis eſt, quæ paulo poſt ſubjicitur, vel certe illam illuſtrat ſcil. colluviei humorum excrementitiorum partem craſſiorem & terreſtriorem in viſcerum naturalium venulis *OMNIBUS* indeſinenter ſtabulantem inſtar fermenti ex intervallis incaleſcere atque fermentari, inde maſſam ſanguineam ebullire atque hoc modo recurſus hujus catarrhi frequentes fieri.

Certe qui ſanguinis motum circularem agnoſcunt, hoc effatum ridebunt: nolo *Judicium Italorum* adjungere de illis, qui ſuperciliose hunc motum *in tanta rerum anatomicarum luce* ſpernunt. *Cum plurimis Viris doctiſſimis per maximam Europæ partem* ſentio ſanguinem venoſum ubique ſibi ſimilem eſſe, nec diverſum in pollice pedis dextri exiſtere ab illo, qui in auricula cordis dextra detinetur, excepto illo momento, quo chylus recenter per ductum thoracicum affertur, brevi tamen pollicis ſanguini ſimilis futurus. Exiſtimo quoque colluviem craſſam & terreſtrem cum ſanguine in venulis omnibus viſcerum naturalium ſtabulantem, alios potius morbos, non multum recidivantes

 quam

quam catarrhos pariturum: à ſtagnatione enim oriuntur inflammationes, cancri, ſcirrhi, ſcrophulæ, tumores cum folliculo aliave mala. Prætenditur quidem antiquitas hujus opinionis, quæ tamen vix *Fernelianam ætatem* ſupergredietur. Novi *Exc. Riolanum* huic ſententiæ faviſſe ac propterea circulationem ſanguinis peculiarem excogitaſſe: attamen quoque egregie *ab Excell. D. Slegelio Hamburgenſi de motu chyli & ſanguinis aliisque* vapulavit.

Phthiſi *Nob. Dominum* à pulmonum ulcere oriunda non ægrotare libera reſpiratio, ſputum etiam ex imis bronchiis productum puris expers & febris lentæ abſentia demonſtrant. Num illa quæ à marcore & pulmonum ariditate originem ducit, vel adſit vel metuenda foret? ſummopere dubito, cum *Nobiliſſ. Domini* pulmones aliàs ob crebros bronchos nimium irrigentur. An omnino talis viſa fuerit? non auſim negare, quamvis illam nunquam obſervarim *in Praxi mea* 31. *annum excedente*, nec viderim, quamvis non pauca phthiſi emortuorum cadavera ſecuerim: *Waldishuti ad Rhenum in vicino monte ſpecus eſt, in quo lapides molares effodiuntur & dedolantur; in illo aer ſemper, etiam gelidiſſimâ Brumâ, calet pulvisque volitat ſubtiliſſimus, loculos coriaceos penetrans arctiſſime clauſos & nummos conſpurcans: quotquot lapicidarum ultra annum in illa morarentur, quod non pauci faciunt, diviti lucro inhiantes, omnes phthiſici fiunt, quidam etiam anno nondum elapſo: aliquot novi, qui purulenta rejecerunt; pauciſſimi & non niſi mature opem poſcentes evadunt: Forte his pulmones exareſcunt. Certò id affirmare nequeo, quia hactenus nullo cadavere potiri potui, quamvis id precibus & pretio attentarim.* Ab hac phthiſi *Nob. Dnus* ut ſibi metuat, nullam rationem habebit, licet macilentus ſit, nec à liberaliore victu habitus augeatur: maciei autem cauſæ plures aliæ, præter febres lentas eſſe poſſunt, plurimorum habitus non augetur, licet nullus morbus adſit vel propter ſuccum unicum nutritium, ob ſalſuginem quoque, minus ad inſtaurationem aptum. Quia vero *Dnus Parens & Fratrum unus* phthiſi obierunt, oportebit ſaltem medentes cautiores eſſe atque etiam tuta timere. Plerique ſalſos catarrhos phthiſin minitari tradunt, quibus tamen *Platerus in Praxi* adverſatur: plures quoque novi frequenter illis obnoxios ad ſeram ſenectutem perveniſſe, ut quotidie videmus ſerum ſalſum ſine damno pulmones permeare.

Forte *Illuſtriſſimus Dominus* jam aliquid arthritici experitnr, dum in his paroxyſmis catarrhoſis humerus ſiniſter, ubi *Fonticulum* geſtat, aliquoties doluit, niſi ſymptoma hoc adſcribendum *Fonticulo devio &*

nimium

nimium verſus tendinem deltoidis vergenti, vel affluxui alicui ſeri ſalſuginoſi ad partem *à Fonticulo* aliquantulum debilitatam & ad affluxum diſpoſitam.

His ita præſuppoſitis, indicationes erunt, ſerum in maſſa ſanguinea redundans imminuendum, ſalſius & fluxibilius edulcorandum & denſius reddendum; ſanguinis inflammabilitatem emendandam & pro virili incendium declinandum, denique oſcula glandularum nimis patula coarctanda eſſe: quibus his auxiliis ſatisfaciendum eſt.

Venæſectionibus ſemper aliquid ſeri detrahitur ſimulque ſanguinis impetus coërcetur, nimia ebullitio & effervescentia obtunditur: At illas neque uſque adeo crebras ſuaſerim, cum *in qualibet V. S.* non exigua ſpirituum portio profundatur, unde ob hanc ſpirituum deprædationem ſanguis ſeroſior redditur, qui cachexiæ & *ſecundum Avicennam* apoplexiæ pararius tandem evadit. *A Scarificationibus* vix utilius quidpiam ſperarem, quàm *à Venæſectionis ſuccedaneo* expectari poteſt: idem *de hæmorrhoidum apertione* ſentio, quâ non alius ſanguis *hirudinibus* elicitur, quàm ſi alii venæ affigerentur. *Fonticuli* ſemper aliquid ſeri de maſſa ſanguinea ſubtrahunt, dum illud quotidie fit, non ſine ægri commodo contingeret, ſi in dextro quoque brachio alter excitaretur; in pedibus vero raro illos paro, cum ſæpius eryſipelata ſuperveniant, ulcerum difficilium curatu authores, quod *Domino Ægro* facile eveniret ob maſſam totam debitò fervidiorem.

Veſicatoria in habitu macilento & ad febres proclivi, renibus aliàs etiam debilibus, imprimis ſi è *Cantharidibus* pararentur, facile turbas excitarent: tutius propterea omittentur.

Purgantia ex Caſſia, Senna, addo Rhabarbarum, Tamarindos, ſyrup. roſ. ſol. ſimpl. Syrup. fl. perſicor. & ſimilia non improbanda, attamen in his modum ſervandum exiſtimo, cùm *à frequentibus purgantibus* ventriculus & inteſtina mire enerventur: *fortiora* vero *hydragoga ex Gialappa, Gummi guttæ & ſimilibus* in habitu macilento & ad febres admodum proclivi deteſtor.

Sudorifera & diaphoretica non penitus damnanda arbitror, cùm ſerum æque ac *purgantia* evacuent, nec metuendum illud acrius inde evaſurum, non enim mera aqua his viis excernitur, & fuſio ſanguinis non nocentior ab illis, aut graviores, quam *à purgantibus* turbæ excitantur; ſive namque irritando oſcula glandularum inteſtinalium, ſive ſanguinem fermentando, ſive utraque ratione *purgatio* fieri putetur, id nunquam ſine ſanguinis commotione peragent. Certè in principio

cipio quoque phthiſeos vix quicquam *purgantibus* nocentius exhiberi poterit : nullum novi, qui horum uſu convaluerit, tenue principium ab illorum abuſu invaluit & ſemper mortem ipſis acceleravit : unde non immeritò *Hippocrates* diarrhœam phthiſicis etiam *citra purgantia* ſupervenientem lethalem pronuntiat. *S.* 5. §. 14. *& alibi.* Non tamen ſuaderem *ſudorifera aut diaphoretica valde calida :* quamvis ſint, qui etiam tabidis *decocta ex Guajaco & ſimilibus parata* ſuadeant & ſe cum fructu adhibuiſſe *publicis Scriptis* bona fide atteſtentur : *Joh. Freitagius in conſilio contra phthiſin : Arcæus apud Schenk. etiam Riverius in ſuis obſervat. & alii.* In ſudore vel leviculo madore ciendo mitiorem rationem inirem, nec ab illius eruptione tantopere terrerer : nimirum ſi mane circa horam quartam aut quintam ſudor emergeret, neutiquam illum ſtatim ſupprimerem, ſed ad bonam tolerantiam manare ſinerem; nec moderata exercitia, ob ſudoris emerſuri metum, mane cœlo ſereno & benigno aut in conclavi temperato, vel veſperi tantopere prohiberem, quia calore nativo aliquantulum excitato & vegetiori reddito multùm ſeri, catarrhorum materia futuri, ſi non per ſudorem, ſaltem per inſenſilem tranſpirationem ſubtrahitur citra ullum incendii periculum. Præterea abſque ullo ſcrupulo *Domino Ægro* ſæpe darem, maxime *Menſibus autumnalibus, hybernis & vernis diaphoretica abſorbentia ſimulque ſanguinem edulcorantia, juxta potum lactis aſinini*, *aut juſcul. carn. vitul. aut ſimilis idque ſummo mane hora ſcil.* 4. *vel* 5. *Cujusmodi ſunt Pulv. antihect. Pot. C. C. ph. ppr. Ebor. phil unic. foſſ. terr. ſigill. turc. bol. Arm. & ſimilia.* Tantum abeſt, ut hæc nocitura ſint, ut auſim dicere, me aliquot phthiſicos, qui adhuc ſuperſtites ſunt, *benedicente Deo*, integræ valetudini reſtituiſſe : nec poſſum percipere, qui tutius catarrhorum fons perpetuus ſine his exhauriri poſſit. *Doleo Williſium, Virum optime de re Medica meritum hoc nomine ſugillari ac neminem ipſius methodo à phthiſi vindicatum fuiſſe, licentioſius pronunciari : nolo nunc illius cauſam agere, illud ſolum addo rectius neminem ex pulmonum ulcere phthiſicum curatum hunc fateri, ſcil. æterno illo circulo clyſterum, venæſectionum, purgationum & ptiſanarum ; utpote ſi res penitus excutiatur methodo vere rationi & experientiæ refragrante & umbram non corpus, ſymptoma non ulcus aggrediente. Prædicta* hac ratione exhiberem.

℞. *Pulv. antihect. Poter.* ʒij.
C. C. ph. ppr. Corall. rubr. pp.
Terr. ſigillat. āā. ʒj.

Unicorn.

Unicorn. foſſil. pp. Matr. perlar. ppr. ãã. ℨß.
Tab. man. chr. perlat. ℨvj.
Mſc. F. pulv. ſubt.

Doſ. ſit. ℨß. *cum. aq. ſcabioſ. aut veronic. horâ ſupra memoratâ. Aut omiſſis Tabul. man. chr. reliquum pulverem miſcerem conſerv. roſ. r.* ℥iij. *fl. bell. min. nummul. aut ſimili* ℥ij. *ſyr. viol. parum Mſc. F. Elect. doſis* ℨij. *vel* ℨiij. *etiam mane.* Quandoque *ex ſolo pulvere antihectico pilul. cum ſucco veron. fl. bellid. min. numular. aut ſimili inſpiſſato paro ſc. ex* ℨj. *No.* 40. *doſis ſunt pil. x. cum pauxillo ſyrup. viol. fl. bellid. min.* &c. Hæc raro ſudorem movent, aut ſi ſudor emergat, nemini vel minimum nocuiſſe teſtari poſſum: nollem tamen illum culcitris aliterve violentius cieri.

Eadem *diureticorum* ratio eſt, quæ non prorſus exſibilanda videntur, nec illi ipſi, qui verbis illa deteſtantur, improbant, dum *Lac aſininum, juſcul. vitulin. caſſiam* ſuadent, quæ *ipſamet diuretica.* Fateor tamen *mitiora* ſeligenda, *calida* fugienda eſſe.

Lac aſininum mane hora 6. vel 7. & veſperi hora 5. ad ℔j *tepide Nob. Dominus* bibere poſſet: admiſceo ſemper *Julep. roſar. aut violar.* ℥j. *ad* ℥iß. ut ventriculo gratius ſit minusque aceſcat. Continuare *illius potum* poterit, non per unum alterumve menſem, ſed etiam pluribus menſibus, quamdiu nimirum illius potum ventriculus toleraverit, (nam non raro *Lac* faſtidit, & ſummopere averſatur) nec ſymptoma prohibens ſupervenerit. Ad podagram expugnandam jam pluribus proficue ſuaſi: illius inſultus hac ratione *Nob. Dominus* evitaret, quos dolor humeri ſiniſtri & *Nobiliſſ. Dominæ Matris* valetudo, quæ demum ſexagenaria podagrica facta fuit, minari videtur.

Si *lac aſininum* non amplius bibet, *juſculum vitulinum* ſubſtitui poterit, at non nudum, ſed *alteratum ſcorzonera, endivia aliisve cichoraceis recentib. addito pauxillo hordei mundati*, hac enim ratione major ſeri portio ſimul recederet ac ſanguinis efferveſcentia compeſceretur. *Chocolatam* omiſſo *pipere Indico aliisque aromatibus* non omnino improbarem, cùm *nucleum Cacao* Hecticis imprimis conducere legerim aliquando *in Hernandi theſauro rerum medicarum Hiſpan. novæ.* Commendant quidam contra catarrhos *potum Caffeé, Theé*, ambo tamen *Domino Ægro* minus convenientia opinor, ob calorem, quo prædita ſunt, licet nunc apud plures in uſu ſint & ſua quoque beneficia præſtent. *Hæ potationes antiquorum potui Caldæ* reſpondere videntur, quas

Europæi

Europæi ab Orientalibus mutuantur. *Semicupia ſeu inſeſſus* in conclavi temperato paratos *ex humectantibus ſcil. rec. Malv. equin. fl. nymph. violar. hord. furfur. macris in aqua font. decoct.* extra paraxyſmos catarrhoſos non rejicio, cùm quoque hac ratione ſalſugo emendetur, pori reſerentur, habitus ad incrementum diſponatur: verùm illis utatur *mane, tepide, non ultra horam, poſt inſeſſum* lectum petat & toto die corpus contra frigus muniat, ne catarrhis anſa præbeatur.

Pulmonibus, maxime dum catarrhus adhuc tenuis & aqueus eſſet, prodeſſent *Rotulæ tales pectorales.*

℞. *Bol. Armen. Or. ppr.* ʒij.
Spec. Diatragac. frig.
Succin. alb. ppr. āā. ʒj.
Conſerv. roſar. r. ℥ß.
Confect. alkerm. inc. ʒiß.
Extr. tuſſilag. ℈ß.
Sacch. alb. in ſ. q. aq. ſcabioſ. ſol. ℥iiij.
Mſc. F. Confect. in Rotul.

De quibus ſubinde *interdiu unam alteramve* ſumat. *Noctu ante ſomnum* capiat *cochl. ij. vel iij. hujus mixt.*

℞. *Diacod. Montan.* ℥ij.
Syrup. papav. err. ℥j.
Aq. lactuc. ℥ij.
Mſc. D. ad vitr.

Ad glandulas faucium roborandas conduceret *gargariſmus levicule adſtringens ex Fl. roſ. rubr. malv. arbor. bugul. hord. &c. paratus.*

Diæta accuratiſſima ineunda eſt: aër frigidus, nebuloſus, pluvius, nivoſus ſemper nocebit, etiam præfervidus. Cibis veſcatur boni ſucci, facilis digeſtionis: *cum lactis potu* carnium teneriorum animalium eſum nunquam prohibeo: cibi aromatibus, ſale nimium, item ſuccis acidis cydon. citr. aurant. &c. aceto aut ſaccharo nimio conditi, item fructus horæi crudi penitus fugiendi: piſces, paſtæ farinaceæ ſuccum nimis glutinoſum præbentes, cùm glandulas globoſas inviſcent, omittantur. Butyri uſum non penitus rejicere poſſum, cùm etiam flammulæ pabulum ſuum debeatur & particulæ quædam pinguiculam refocillationem exigant: abuſum vero ejus, ut & ipſius olei, etiam optimi, aliorumve alimentorum præpinguium damno quoque, cum effervеſcentiæ ſanguinis anſam præbeant. Vinum, *dum lac bibitur,* in cibo

cibo & potu exulet. Præ aqua fontana laudarem ob frequentes catarrhos *decoctum aliquod ex. gr. in aq. fontan.* ℔iij. *coq. lign. viſc. quern. aut lentiſc. aut ſantal. citr. aut rad. chin.* ℥ij. quibus commode *paſſul. maj. exacin* ℥j. *vel* ℥iß. adderetur. Nulla inde exſiccatio noxia timenda eſt. Cœna longe parcior ſit prandio. Exercitia moderata nihil prorſus nocebunt. Somnum pomeridianum & lucubrationes ſummopere diſſuadeo: non tamen ſtatim à cœna ſe ad ſomnum componat, ſed demum poſt aliquam obambulationem. Si alvus ſponte aperiatur, *clyſteres* ſuperflui videntur, imo Rectum & Colon temere enervant, flatibusque implent.

Et hæc ſunt, quæ mihi hactenus ſuccurrebant, quæ Deus T. O. M. ſalutaria eſſe jubeat!

Ad Fontem Danubii d. 12. *Octobr.* 1678.

Joh. Jacob. Wepfer, M. D.

Johanni Jacobo Wepfero, Med. Doctori
S. P. D.
Titus Albineus, Med. Doctor.

EN mitto *Tibi Conſilium*, quod in ultimis promiſeram, *Theophili Boneti Medici Genevenſis Celeberrimi*; ſerius quidem quàm ipſi ſperabamus, ſed hanc remoram *verſio è Gallico idiomate in Latinum* injecit: etenim *Dominus Cancellarius Ampliſſimus* ſubinde de variis conſulere animum induxerit, ac *conſilia*, quæ inpoſterum *Genevâ aut Pariſiis & aliunde* accepturus eſt, *Tibi* communicare ſecum ſtatuerit, noſtri idiomatis, ſi eò modo ſis ſciens, ut *Gallica ſcripta* intelligere valeas, licet minus ſcribere, nihilominus longe minori negotio omnis *Tecum* res peragetur, cujus rei certiores *Nos* facias, rogamus. *Æger Ampliſſimus* jam *menſtruo ſpatio quâque die mane hora 6. lac aſininum recenter mulctum ad* ℥xvj. in lecto hauſit; altera inde hora è lecto ſurrexit & decimâ ante meridiem *hordeatum per cribrum excretum atque cum jure è vitulina & pullo gallinaceo mixtum ad* ℔ij. ſorpſit, ac unà pullum gallinaceum in veru toſtum in prandium edit; hora 4. pomeridiana *idem hordeatum cum ſimili jure mixtum* atque ova duo in cœnam ipſi fuerunt; denique *hora 9. veſperi eandem, quam mane lactis aſinini hauſit quantitatem*, & 10, cubitum ivit: Tota nocte ad 5. matutinam horam tranquille dormivit, licet interdum, media ſæpius nocte vel primâ poſt mediam noctem horâ, urinæ copioſæ emittendæ gratiâ (quam ita copioſam altera tertiave *ab hauſto lacte* horâ etiam mane ejicere

 ſolet)

ſolet) expergefiat, verum mox rurſus ſomno obruitur: ceſſerat maximam partem tuſſis quidem, ſed enim aëri humido per vindemias ſeſe cum expoſuiſſet, rediit, nec frequentia tamen nec violentia urgens, cum raucedine nihilominus aliqua. Laudabilior quam antea apparet, minus etenim pallet ipſius facies, quin & totus corporis habitus melius habet: Gravitas illa aurium plane jam abeſt: fames ipſa viget, omnino à vino abſtinet, aquâ fontanâ contentus, hanc etiam paucam, cum raro ſitiat, bibit, nec frigidam: totum jam menſem à Catharſi abſtinuit, ſingulis nihilominus diebus alvum laudabiliter exoneravit; quin bis ſponte quaſi *levi cathartico* mota cita eſt alvus, mictæ poſt paſtus urinæ ſubcitrinæ ſunt, *à lacte hauſto* verò ſeu mane ſeu veſperi inſtar aquæ fontanæ limpidæ ſunt; lotium longe copioſius quam antea emittere ſibi ipſi videtur, imo potum ipſum ſuperare. *Fonticulo* brachio inſculpto longe major ichoris excernitur copia, quam per totum annum elapſum. Nullo quovis modo ſeſe *ab uſu lactis* lædi advertit, præterquam quòd raro toto abdomine vagantes non patitur flatus, qui in nuperis duobus levibus alvi fluxibus dolores intulerunt aliquos, qui evacuatione ceſſarunt. Heri *pulpæ caſſiæ recenter extractæ* doſin me authore, *ſemihorio ante prandium* deglutivit, unde quater alvo copioſe ejecit maxime phlegmata. *Vale & Tui Obſervantiſſimo favere perge.*

Neocomi Helvetiorum die 14. *Octobr.* 1678.

Conſilium Medicum Theophili Boneti,
Medici Genevens. Celeberrimi.

QUinque veluti totius hujus Ædificii fundamenta ponimus: 1. *Ægrum Nobil.* calidioris & ſiccioris eſſe temperiei. 2. Habitûs eſſe corporis rarioris & multum apertæ texturæ. 3. & 4. Cerebro & ventriculo humidioribus præditum eſſe. 5. Denique naturâ ipſâ pulmones illius debiles eſſe.

I. Corporis temperiem calidiorem & ſicciorem teſtantur habitus macer & extenuatus, cum corporis tum etiam animi motus promti & alacres, vaſorum latitudo &c. corpus quidem actu ipſo tactum calidiſſimum non percipit, verum id ob fuliginoſorum vaporum calidorum & acrium, magna copia intus genitorum per totum habitum veluti cribroſum, effluvium frequens & copioſum accidit, qui ſi intra corpus aſſervarentur calidiſſimum id ſine dubio tangeretur: intemperiei huic calidiori & ſicciori accepta ferenda eſt tantæ ſeri copiæ generatio, quod catarrhi illius ita pervicacis cauſa evadit proxima; cujus proventu ultra naturæ limites facto (ſeu propter ejusdem feracia copioſius eſitata,

ſitata, qualia ſunt olera, fructus horæi &c ſeu. propter tranſpirationem ab aëre frigido impeditam) maſſa ſanguinea fermentatur, ebullit & ſerum ſeparatur, atque ad partes receptui humorum habiliores & maxime ad pulmones hisque adnexa bronchia, & tracheam confertim affertur; adde quod *tractûs Neocomenſis Aër* multum ad id ipſum conferat, *Pedemontano & Italico* non multum abſimilis: *Neocomo* enim *rupe ad lacum* ſuperſtructo, indeque aëris calore ob reverberium duplicato, corpora multum ideo incaleſcunt & aperiuntur, 4. vero aut 5ta veſpertina hora ventus quidam, *Joran ab Incolis dictus*, è *Burgundica regione vicina* flare ſolet, qui frigiditate ſua intenſa illa inopinato adortus refrigerat & ſtringit, hocque modo vapores & humores ſeroſos à præcedenti calore ad habitum allectos ad interiora repellit; corpora robuſta, temperata & texturæ compactæ non æque quidem ſubito inde alterantur, verum quibus contraria inſunt, quæque humoribus calidis, ſeroſis, ſubtilibus & facile mobilibus ſcatent, ſtatim non leviter affliguntur.

II. Intemperiei illi totius corporis textura rara & teneritudo quædam adjungitur, cujus causâ omnes aëris injurias facile ſubit, quæ nullo veluti obice obſtante ad intima viſcera præſertim ad pulmones penetrant, qui, quia illis reſiſtendo non ſunt pares, earundem inuſtas veluti notas retinent.

III. Humidius cerebrum antea pronuntiavimus, ob crebro recurrentem illum catarrhum & ſomnum longiorem & profundiorem, quàm qui cerebro ſicco conveniat: cauſas quod ſpectat illius humoris ſuperflui, cum hæreditarias & naturales, tum adventitias illas cenſemus. *Hæreditarias* quidem, cum *Domina ipſius Mater* catarrhis fuerit maxime obnoxia, qui, ex quo arthritis apparuit, facta humorum metaſtaſi, mitius afflixerunt. *Naturales* ob intemperiem calidiorem & ſicciorem, humorum ſeroſorum feracem, cerebri & ventriculi humiditatem nimiam, ſed potiſſimum ob calidiorem viſcerum intemperiem, à quibus ingens vaporum copia ad cerebrum jugiter effertur, qui poſtquam ibi in aquam concreverunt ad partes inferiores deſcendunt, ſi huc etiamnum cauſæ attrahentes veluti poſt menſam meditatio &c. accedant, hancque ob cauſam etiam plures vapores ad cerebrum ferantur, major humorum ſeroſorum in eo fit proventus; qui huic vaporum ad caput ſublationi non aſſentiuntur, eorundem humorem ſeroſorum in vaſis fermentationem ſurrogant, atque ſeparationem à maſſa ſanguinea & ſublationem ad caput, quum cauſa aliqua occaſionalis attrahens urget, veluti radii ſolares, pathema aliquod animi &c. Intemperies illa cerebri humida humoribus illis ſeroſis potiori rationi adſcribenda venit quàm pituitæ, (cujus metropolis cerebrum *ab Hippocr.* ſtatuitur) quoniam catarrhi illi ſubito accidunt, quod humori ſubtili

 ſolùm

ſolùm & facile mobili convenit, quales ſunt humores ſeroſi, minime vero pituitæ, quæ cùm viſcoſa ſit & craſſa, non ſubito moveri apta eſt; huc accedit, quod ſalivam *Æger Nobiliſſ.* aliquoties ſalſam deguſtavit, ob immixtos nempe humores ſeroſos, qui totum, quod ineſt ſalis, in corpore noſtro imbibunt, etiam quod pruritum in plerisque corporis partibus paſſus eſt, qui ſine dubio à ſalſugine humorum ſeroſorum oriundus eſt.

IV. Ventriculum intemperie humida affectum aſſeruimus, quia *Æger Nobiliſſ.* multùm appetit & difficile concoquit, atque inde cruda aggeruntur & magnus ille phlegmatis proventus fit, intemperie calidiori ſymbolum adjungente, ut phlegma illud proles potius dici mereatur depravatæ quam diminutæ chyloſeos.

V. Pulmones denique naturâ & forte etiam hæreditariò debiles eſſe poſuimus; hanc debilitatem manifeſte præ ſe ferente tuſſicula frequentiſſimâ, quæ quum pathognomonicum ſit pulmonum male affectorum ſymptoma, horum morbum aliquem ſeu ſimilarem ſeu organicum ſeu communem neceſſario ſequitur.

Harum Hypotheſeon filo, facilius affectuum, quibus *Æger Nob.* affligitur, cauſas & curationem mente aſſequemur: cum jam diu fluxionibus, cum ad partes externas tum & potiſſimum ad pulmones, atque etiam febribus ſeu ephemeris ſeu putridis opportunus fuerit, earum prima origo nobis indaganda eſt: fluxio ſymptoma eſt in excretis, vel ob facultatem expultricem irritatam vel retentricem debilitatam, accidens ut ſciamus, quænam illarum laboret pars mandans quærenda eſt; quandoquidem fluxio fit ad pulmones, pars mandans altiori loco locata eſſe debet, quæ non aliam ſeſe offert quam caput ipſum: verum quærendum incumbit, num materiam fluentem ipſum caput generet? an vero aliunde ipſam recipiat? meâ quidem ſententiâ utrumque hic locum obtinet. Etenim 1. cum cerebrum humide intemperatum eſſe antea evicerimus, cujus cauſa facultas concoctrix debilitata eſt, neceſſario multos humores ſuperfluos ab hæmoiſi reſtare neceſſe eſt, qui in partes inferiores delabuntur. 2. Cum viſceribus naturalibus intemperies fervida inſit, indeſinenter illinc vapores ad cerebrum aſcendunt, frequenti fluxioni materiam ſuppeditant. 3. Adde quod quoties in vaſis totius corporis fit fermentatio, humores ſeroſi ſuperflui, qui magnâ copia in illis continentur, facile ad cerebrum ferantur, atque quando eodem à meditatione poſt paſtum aut alia animi contentione aut corporis ipſius motu violento attrahuntur: ſi quis objiciat humores illos ſeroſos non materiam eſſe poſſe illius phlegmatis, quod quandoque *Æger Nobil.* per os & nares ejicit; reſponſum habeat 1. Phlegma illud ab intemperie humida in cerebro generari. 2. Experientiâ ipſâ conſtare

conſtare humores ſeroſos, aquam limpidam hactenus putatos, ſubdito igne craſſeſcere, ita ut partium ſpermaticarum jam alimentum eſſe à plurimis cenſeantur, ideoque tabidis, quorum maraſmus ad partes etiam ipſas ſolidas pervenit, *Lac aſininum*, quod Latice illo ſeroſo maximam partem conſtat, præſcribi; ita ut exiſtimandum ſit illas *Ægri Nobiliſſ.* frequentes fluxiones partim debilitate facultatum concoctricis & retentricis cerebri, partim culpâ ipſius expultricis, cum acrimonia humorum illorum ſeroſorum, qui ſalſi ſunt & nitroſi, tum eorundem copia nimia, quæ facultati retentrici oneri eſt, irritatæ, fieri.

Humores illi ſeroſi ſimul cum phlegmate labuntur, præſertim in pulmones, accedente potiſſimum cauſa aliqua externa, ex. gr. radiis ſolaribus poſt exercitium corporis violentum, erroreve alio in diæta, imprimis poſt epotum merum, cui multum ſulphuris inſit, quale *Neocomenſe*, vel quod jam aceſcat vel vapeſcat, ſed tum præcipue quum corpus incalefactum ſubitò auram frigidam ingreſſum in eadem aliquandiu moratur, humores enim ſeroſi & vapores ad corporis circumferentiam delati intrò recedunt, ſi præſertim tum collum nudetur, nulla enim pars eſt externa corporis, quæ plura vaſa majora ideoque plures humores ſeroſos, quam ipſum collum contineat; humores autem hi ſeroſi è maſſa ſanguinea ſecreti tenues cum ſint, facile fluunt & in partes inferius ſitas deſcendunt, verum præ omnibus in pulmones, qui prompte illos recipiunt, cum ſitûs inferioris & ſubſtantiæ ſpongioſæ cauſâ, tum imbecillitatis naturalis, quæ mollities & flacciditas dicitur, cujus ratione licet pulmones minime ſint ulcerati, phthiſi nihilominus recipiendæ ac tabi toti corpori inferendæ apti ſunt; porro præter ſeroſos humores è cerebro ad pulmones defluentes varia inquinamenta maſſæ ſanguineæ immixta ejusdem motu circulari jugiter ad eosdem appellunt, quæ eorundem nutrimentum male inficiunt, indeque illorum nutritio depravatur, unde heterogenea impura multa anacatharſi ejiciuntur; pulmones autem depravate nutriti pravam ſubſtantiam ſenſim nanciſcuntur, atque tincturam pravam maſſæ ſanguineæ tranſeunti inurunt, unde prava totius corporis fit nutritio.

Hactenus de fluxionibus, nunc febres, quibus non raro laboravit, conſiderandæ veniunt. Nemo negaverit corpora calidiora & ſicciora febri magis obnoxia eſſe, quam quæ aliûs ſunt temperamenti, idque propter qualitatum in illis ſimilitudinem, in his verò diſſimilitudinem: cauſæ autem febrificæ in corpore ab humoribus excrementitiis vacuo ephemeram cauſantur; quo in caſu *Venæſectio & purgatio* nocumenti plus inferunt quàm levaminis; hæc enim febris curatu facilis eſt, ac harum abuſus hecticam febrim accerſere potis eſt. In corpus impurum ſi incidant, cauſæ eædem febrificæ humoralem producunt, putridam

 tridam

tridam quidem ſi humores putreſcant, non putridam verò, ſi ſolummodo p. n. incaleſcant: utramque paſſus eſt *Æger Nobiliſſ.* prædictarum febrium ſpeciem 1. ephemeram 2. putridam *Menſ. Febr.* 1675. 3. Humoralem non putridam, humoribus ſeroſis ſanguinis comitibus p. n. incalefactis, dictam catarrhalem ob catarrhum conjunctum, tum enim humores ſeroſi in vaſis fermentantur, atque ob ſpatium tunc minus in vaſis ex ipſis effluunt & in varias corporis partes effunduntur, unde catarrhus.

Fluxiones & febres prædictas ab obſtructionibus quibusdam hypochondriorum foveri forte non immerito ſuſpicabimur & maxime glandularum meſenterii, quod quum fit, craſſior & viſcoſior lymphæ pars in illis glandulis moratur, ſubtilior vero fluxionum materia fit: Tumefactiones axillarum (axillis inſunt glandulæ magnitudinis notandæ) id ſuſpicandi anſam præbent, quoniam harum glandularum cùm ejusmodi ac illæ meſenterii indolis ſint, iisdem affectionibus ſubjectæ ſunt: porro aurium tinnitus (licet ebullitioni dictorum humorum ſeroſorum in vicino cerebro tribui poſſit) originem ducere poteſt à vaporibus ex hypochondriis ſublatis, quorum partes calefactæ (harum caloris multæ ſunt notæ) fervorem humoribus contentis imprimunt, unde vapores ad ſublimem corporis regionem exhalantur; verum abdominis borborygmi id ipſum etiamnum teſtantur, ſi *Æger Nobiliſſimus* aliquos paſſus eſt *extra uſum lactis;* urinæ etiam eandem conjecturam certiorem reddere poſſunt; quæ non raro operiuntur pellicula, illi non abſimili, quæ in juſculi è carne frigefacti ſuperficie concreſcit, cum arenulis minutiſſimis in ejuſdem urinæ fundo; plerique hanc pinguedinem putantes, ideoque illos, quorum tales ſunt, tabidos & deſperatos ſtatim pronuntiant, qui vero *Anatomen Chymicam urinæ* proprio labore norunt, cremorem eſſe, qualis aquæ, cui incoctus fuit tartarus, innatat, evincunt. Idque ita ſe habere ulterius ex eo probatur, quod illa pellicula igni admota non liquefiat, verum in cruſtam ſalinam concreſcat: aliàs ſi colliquationem minaretur, jam diu *Ægri Nobiliſſimi* totum corpus colliquefactum eſſet. Memini jam ante 16. vel 18. annos ejusmodi pelliculam ipſum mihi in urinæ ſuperficie oſtendiſſe; obſervantur autem id genus urinæ in affectu hypochondriaco laborantibus, in quo ſal & tartarus &c. prædominatur; arenulas autem in iisdem urinis contentas quod attinet, non ſemper à renibus male affectis ortum trahunt.

Ab his ita longe deductis non aliæ ſuppeditantur indicationes ac illæ quas *Braïer & Raoult Medici Pariſienſes Celeberrimi* jam elicuerunt.

Materiam *remediorum* quod ſpectat, & *primò è Chirurgia* petendam *Phlebo-*

Phlebotomiam abſque urgente neceſſitate in uſum ducendam non cenſemus 1. quia ſanguis inſons eſt, cacochymia verò ſeroſa peccat, quæ ſui purgationem indicat. 2. Cum corpus *Ægri noſtri* apertum maxime ſit, *Venæſectione* præſertim liberaliori vires & calor naturalis nimium diſſolverentur. 3. Si & affectione hypochondriaca *Æger* ſimul laboret *brachii phlebotomia* etiam inutilior erit, hac enim ſanguis purior effluet, craſſiori & terreſtriori in vaſis cœliacis & meſentericis morante, quo in caſu, *Hirudinum in vaſis ſedalibus applicatio* præſtaret. 4. Quia experientia ipſa nos docet *venæſectionem* in catarrho, cui etiam jungitur febris, factam, ipſum crudiorem & pertinaciorem reddere. Cum *Fonticulus brachio ſiniſtro inſculptus* copioſas illuvies effundat, atque circumjacentes partes interdum intumeſcant, palàm inde fit multis humoribus excrementitiis ſcatere, ita ut non modo cura diligenti hic continuandus ſit, ſed alii inſuper excitandi: ad fluentes in pectus humores avertendos *Medici Neoterici lapidem cauſticum* utrinque in parte dorſi ſuperiori, quarto transverſo digito ſub cervice, ſpatio quinque digitorum transverſorum intermedio, ſpina ipſa medium tenente apponunt, ut ulcera 4. vel 5. piſorum capacia excitentur; talia emiſſaria habuit *Dominus Seguier magnus illæ Franciæ Cancellarius* nuper defunctus, eaque ad mortem uſque cura diligenti ſervavit, atque his longævitatem ſuam præ aliis quibusvis tribuebat. *Dominus Majernus Celeberrimus ille Medicus* non alio loco inurenda eſſe *Cauteria*, iis quibus phthiſis imminet, cenſebat, minori quidem incommodo, quàm in brachio, quoniam abſque ligaturâ *emplaſtro tenaciſſimo piſa* in illis continentur. *Inter materias Chirurgicas* locum quin etiam ſibi vendicat *Semicupium*, quod in noſtro caſu minus probari videtur, ne humores liquando fluxionem excitet, ſed nullo jure hoc timendum eſt. 1. Quia partes tantum abdominis *Semicupium* alterat. 2. Quia ureteres & vaſa humoribus ſeroſis excernendis dicata reſerando eosdem à pectore avertit, in corporibus naturâ poroſis (quale eſt *Nobiliſſ. Ægri*) urinas copioſas movere, nihil autem hoc excogitari utilius; quam humorum ſeroſorum expurgatio. 3. Quia cauſæ antecedenti prius providendum eſt. 4. Quia ſi quid affectus hypochondriaci inſit, *convenientiori remedio* acrimonia humorum temperari, obſtructiones reſerari non poſſunt, ut alia inde commoda provenientia taceam.

Jam *de pharmaceuticis* agamus: variæ quidem cacochymiæ ac præſertim ſeroſæ, cujus uber eſt proventus, *purgationem ex intervallis repetendam* cenſemus. Verùm *potionis purgantis præſcriptæ formulam* & ea ex quibus conſtat, diſpiciamus: *Formula* ſine dubio intemperiei calidæ

calidæ & ſiccæ, quæ ſui humectationem indicat, etiam *Sennæ*, quæ calida & ſicca eſt, corrigendæ ratione tanta liquoris quantitas præſcripta fuit: ſi vero tantundem intemperiei humidæ ventriculi rationis habeatur, ut quantitas illa liquoris aquei etiam repetita, ejus fibras laxando ipſi noceat atque chylo rite concoquendo minus aptum hunc reddat, verendum erit: *Methodus Italica* huic præferenda mihi videtur, quâ *Catharticum* minima mole *mane ſumendum* præſcribi ſolet; *veſperi verò Julepus*, qui viſcera refrigeret & humectet, tum enim ventriculum minima mora pertranſit: jam vero *ad ipſa medicamenta* quod attinet *Sennam* nempe *& Caſſiam*, minus hic mea ſententia conveniunt. *Senna* enim humores craſſos ad ſe trahit & bilioſis magnopere infenſa re ipſa comperimur, ideoque tormina atque ſitim alvique pigritiem triduanam aut quatriduanam inducit: *Caſſia* vero, quæ hic forte *Sennæ corrigendæ gratiâ* adjungitur, jure merito *à multis Practicis* improbatur, quippe quæ virulenti quid in ſe contineat, atque ventriculum molliat & ejusdem inverſionem cauſetur, quin etiam gravia tormina excitaſſe etiamnum cum leipothymia comprobatum eſt, nemo neſcit eandem valde flatulentam eſſe, *ut & ipſam Sennam: Rondeletius Cel. Medicus Caſſiæ uſum affectus catalepticos cauſaſſe aſſerit*, quoniam facile cerebrum replet. Pæferrem hic *Mannam* pectori amicam, *Tartaro correctam* humores ſeroſos egregie purgat, modo ab illa aſſumta paſtus non diu differatur, aliàs in alimentum ipſa vertitur. Magni hodie nec abs re fit, *Syrupus auratus dictus*, quòd leniſſime humores ſeroſos purget, atque modo debite ſit clarificatus, guſtui gratiſſimus erit, nec alvi ſiccitatem inducat, nec ſitim excitet. Si alvi pigritiei *Eccoprotico aliquo* ſuccurrere neceſſe eſt, *Elect. cathol. aut lenitiv.* ℨv. *vel* ℨvj. *cum Crem.* ♀ ℈j. *ſemihorio ante paſtum* ſperato cum ſucceſſu *forma boli* deglutiantur, nec ideo ab hoc aſſumto domi manere cogitur, ſed eidem negotia conſueta per medicamentum aſſumtum obire licet: etiamſi *Caſſia utriùsque prædicti Electuarii* pars ſit, nihilominus ita aliis corrigitur, ut nociva minime obſervetur; adde quod alimenta, quæ non diu poſt aſſumuntur, quidquid malitiæ ineſt illi, domant. Si aſſertioni meæ experientiam ipſam quis opponat, quâ *potio purgans à Medicis Pariſienſib. præſcripta* comprobatur, huic experientiæ itidem experientiam, præter argumenta præmiſſa, oppono, quæ & eſt *Plurimorum etiam Medicorum*, qui hac in re me ſunt imitati.

Quæſtionibus utique propoſitis ut ſatisfiat: iisdem de cauſis, quas *Medici Parienſes* adduxerunt, *Succoladæ uſum* improbamus. *Remedia ſulphurea* jam diu ad affectus pulmonum humidos in genere commen-

dantur

dantur & iis, qui ad phthiſin inclinant, ideoque uſui excedenti humidorum diffidendum eſt, omni procul enim dubio cùm *dieta ſudorifera* pulmonibus humidioribus atque ſubſtantiæ mollioris & flaccidæ tantopere proſit, humectantia tantâ copiâ aſſumta iiſdem oberunt; fateor indicationes hic oppoſitas obtrudi, atque totius corporis intemperiem calidam & ſiccam humectationem indicare, ſi vero ratio potiſſima illius, quod magis urget habenda ſit, ſi ex intemperie humida ſua maraſmum atque ruinam pulmones toti corpori minentur, nonne illius correctioni, prædictâ aliâ indicatione non omiſſâ incumbendum erit? nunquam phthiſi, non longe à maraſmo diſtanti, laborantes *Guajaci decocto*, quod potentiſſime exſiccat, integræ ſanitati reſtituti ſunt? quid ſibi volunt *navigatio maritima*, *commoratio in montibus, in quibus reſinæ colliguntur*, *phthiſicorum mora in plagis Orientalibus ex Medicorum conſilio cum ſucceſſu inſtitutæ?* quid dicemus *de piſtrice illa phthiſica, quæ ſolâ ad furnum morâ curata fuit?* ſummatim dixerim ſano propius eſt maxime ulceribus & ubi timor ab illis eſt: verùm ut media incedamus viâ *author ſum Domino Cancellario Illuſtriſſimo, cum Petro Salio Diverſo Medico Italo Excellent. & Riverio Medico Practico inſigni*, ut *decocto trium ſantalorum, eo modo parato, quo vulgo Guajaci, chinæ, ſarſaparillæ &c.* paratur, utatur, quod ad fluxum ad pulmones ſiſtendum, atque eorundem labem auferendam valde efficax eſt: ſi verò ratio ſimul habenda intemperiei calidæ & ſiccæ corporis, *china huic decocto* addenda erit & pullus gallinaceus incoquendus, pluribusque diebus contiguis hauriendum erit; hoc modo *ſulphurea* ſi minus arrideant vitabuntur; *prædictum ſantalorum decoctum diureticum etiam eſt & ſudoriferum, aut ſaltem diaphoreticum*, quod ſumme hoc in caſu expetitur.

De diæta demum pauca quædam ſolummodo ſtrictim proferemus, quandoquidem *à Medicis Pariſ.* ſufficienter præſcripta jam eſt. Aërem quod ſpectat, locuti ſumus jam ſupra de indole *Aëris Neocomenſis* qui revera ob puritatem ſalubris quidem eſt, inſalubris vero ob inæqualitatem, cujus cauſa *Æger Nobiliſſ. vento Joran flante* domi ſe jure contineat; ſi vero tum ruri agat in aere aperto, pallio eum arceat, aliàs ſubtiliſſimus & efficaciſſimus cùm ſit, altiſſime corpus penetrabit, potiſſimum apertum & calefactum. Quantum ad victum, antea humectantium abuſum notavimus, quorum è cenſu ſunt ipſa juſcula, quæ humores ſuperfluos, eosque putreſcere aptos, generant, quorum etiam putredo ipſis pulmonibus facile communicari poteſt, partes quin etiam ſolidas effœminant, *ut ipſe Hippocrates loquitur*, maxime ſi ſummo mane jejuno ventriculo hauriantur, tum enim ventriculus humido ex-

 cremen-

crementitio ſuperfluo ſcatet, quod juſculo inſuper ſorpto augetur, & ipſe ventriculus inde magis relaxatur & enervatur; verum in ingreſſu [illegible] quia tum viſcera humore illo ſuperfluo jejunio abſumto veluti exſiccata prompte illa ad ſe trahent, unde quam minima in ventriculo mora facta, huic minus nocebunt. Abſtinentiam etiam omnimodam à vino & hydropoſiam abſolutam minus probamus, *aquæ* enim *Neocomenſes* minus ſalubres ſunt, quam ipſum vinum, quod moderate ſumtum nullo modo obeſt, ſed potius primæ coctioni prodeſt, cujus errores, *ipſis etiam Medicis annuentibus*, in ulterioribus non corriguntur: vinum non melius corrigi poteſt, quàm ipſum temperando *paſſular. & baccar. coriandri decocto;* aliis autem vinis, quod *la Coſte* ſuppeditat, præeligi meretur, quia pulmonibus & ventriculo amicum eſt, corpus facile pervadit & per urinas excernitur.

Ampliſſimum Dominum Cancellarium obnixe rogamus, ut hoc qualecunque conſilium boni conſulat

Genevæ d. 9. *Septembr*. 1678. Theophilus Bonet.

Reſponſum ad præcedentes literas & Conſilium *Excell. D. D. Boneti.*

Tito Albineo Med. Doctori Celeberrimo.

S. P. D.

Joh. Jacobus Wepferus Med. Doct.

PRocul dubio tradita nunc fuerunt, quæ nuper *de Illuſtriſſimi Domini de Montmollin Cancellarii Ampliſſimi Valetudine Doneſchingæ* conſcripſeram: hactenus alteras accepi, in quibus traditur *ſucceſſus potûs lactis aſinini & Conſilium Exc. D. Theoph. Boneti. Lac aſininum* non contemnenda beneficia præſtare & ulteriora polliceri, facile perſpicio: illius uſum diu continuandum arbitror, quamdiu ſcilicet illud ventriculus tolerabit, nec ſymptomata prohibentia ſupervenient. Aliàs ſoleo *ejus potum mane hora 6. & veſperi circa quintam*, ſcil. duabus horis ante cœnam ſuadere; verum quia *Illuſtriſſ. Dominus* parce cœnat & *hora* 5. *veſpertina hordeatum* bibit, potus nocturnus non multum nocebit, licet ad mictionem ſtimulet atque ſomnum aliquo modo interrumpat, quia ſtatim rurſus indormiſcit. *Excell. D. Boneti Conſilium quod attinet*, video in præcipuis, maxime in illis, quæ *in curatione* attenduntur, nos conſentire. Primum enim mucum ſtatuit catarrhorum ſc. coryzæ & bronchi materiam. Serum eſſe, cùm tenue & mobile ſit, addo ſemper præſens, adeo ut ad quamvis cauſam externam catarrhos, etiam ſubitaneos, parere poſſit: non vero phlegma,

quod

quod tardioris motûs ſit; nec obſtare catarrhorum viſciditatem & craſſitiem, quæ tum imprimis conſpicitur, quando vulgo coqui dicuntur, cum nunc notiſſimum ſit, ſerum ſanguinis facile à calore ſpiſſius & *gelatinæ ſimile* reddi. Serum quoque ſalſius fatetur, teſtibus guſtu & totius pruritu. Copioſius generari putat ob intemperiem totius calidiorem & ſicciorem, modum non explicat, forte ſalſuginem nimiam ab illa derivat: at cumulari ob inſenſilem tranſpirationem inhibitam, imprimis propter *Ventos Neocomenſes* veſperi frigidos, quoque ſentit; accedente abuſu fructuum horæorum & olerum. Loco moveri ſerum & exitum affectare, ex vaſis ſanguiferis aſſerit quoque mecum, ob copiam retentrice labefactatâ, propter acrimoniam ſalinam & nitroſam expultrice ſollicitatâ. Item ob perfrigerationem poſt æſtum, imprimis denudato collo vaſis ſanguiferis maximis inſtructo; ob radios ſolares intenſius caput ferientes. De loco ubi ſerum percolatur & ex vaſis elabitur in hac coryza & broncho remotiore ſeu extremis apicibus arteriarum capillarium, nulla quoque diſſenſio *inter Excell. D. D. Bonetum & me* erit, cum materiam catarrhorum ſerum exiſtimet illudque non niſi per illas ad partes affluat; aliqualis intercedet de propiore loco mandante, quamvis ſi recta ratione rem reputemus inter locum remotiorem & propiorem non longior diſtantia ſit, quam vel dorſum eſt tenuioris cultelli.

Ex omnibus perſpiceo *Excell. D. D. Bonetum* credere adhuc catarrhorum fontem eſſe cerebrum, unde fingit cerebrum *Ampliſſ. Dno* humidius eſſe, ob ejus coctionem debiliorem ſeroſi plus in illo produci; cumulari à vaporibus ex partibus ſub diaphragmate locatis aſcendentibus; augeri à meditationibus poſt paſtum, allici & attrahi quaſi à radiis ſolaribus; exprimi inde per quandam antiperiſtaſin. Verum primò dubito cerebrum *Domino Ægro* admodum humidum eſſe, utcunque profunde dormiat, nam non dicitur propterea ſomnolentus admodum, imo ſcribitur in omnibus actionibus, ſine dubio etiam in animalibus, alacrem & promptiſſimum eſſe. Deinde vaporum ex abdomine aſcenſum ad caput, ſimilique illud quo caput tecto fumoſæ domui impoſito aut alembico comparatur, poſt circulationem ſanguinis in lucem productam, plures pridem exploſerunt ac *publicis Scriptis* impoſſibilitatem rationibus & experimentis demonſtrarunt, nihilque ex abdomine & pectore ad cerebrum pervenire, niſi per arterias carotides internas & vertebrales; vaporum obicem in imo ventre eſſe diaphragma, in pectore pleuram, in baſi cranii duram meningem ibi denſiſſimam & prope quadruplo craſſiorem: nec cranium in vivo aut demortuo animali, nondum omnibus membranis ſpoliato, ſimile credendum illi, quod in oſſuariis reperitur; imò oſcula illa, quæ in baſi conſpiciuntur omnia

ita obturari, ut humori vel etiam flatui ne minimus vel ingreſſus vel egreſſus pateſcat, ut facile experiri licet: unde etiam merito affirmant ſerum intra calvariam extravaſatum alios potius affectus, quam catarrhos facturum, ſcil. affectus ſoporoſos, apoplexiam, in tenella ætate hydrocephalos &c. niſi intra venas reſorbeatur, aut alibi quàm per nares aut fauces exitum inveniat. Et ſi oſtia hæc tam patula ſunt, cur poſt graves contuſiones capitis *ad Trepanum* properandum eſt? cur non ſupra modum catarrhoſis quandoque cranium non perforatur? imprimis ſi ſuffocationem aut alium periculoſum morbum intentent. Tertio nuper innui me ambigere de ſeri per laryngem in bronchia deſcenſu; addidi rationes, quas hic repetere nolo: moneo ſolum pulmonum debilitatem non conſiſtere in illorum flacciditate, cùm hæc ipſis naturalis ſit, componuntur enim ex tenerrimis veſiculis, vaſis ſanguiferis, lymphaticis & bronchiis, quæ omnia cavernoſa & exceptis bronchiis molliſſima & ad diſtenſionem & receptionem promptiſſima eſſe debent; verum in oſculorum nimia apertione, per quæ naturaliter fuligines & portio ſeri ad veſiculas & bronchia humectanda exſtillat, ob nimiam vero dilatationem plus ſeri elabitur, imprimis ſi aliqua deſpumatio in maſſa ſanguinea fiat, neque illi propter pororum cutis ſubitam conſtrictionem tranſpiratio concedatur. Denique mihi ſuſpecta eſt & multis contradictionibus obnoxia ſententia de obſtructione glandularum globoſarum, ob quam lympha detenta corrumpatur, acrior fiat, anſam det febribus, fermentationi & ſegregationi ſeri &c. cum quotidie plurimi ſcrophulis circa collum, ſub axillis & in inguinibus refertiſſimi horum nihil vel rarius patiantur, qui omnes tamen quoque his glandulis auctis in abdomine ſcatent, *ut aſſerunt Riolan. & alii, ipſemet quoque Anatome comperi.* Adjungit his ventriculum humidiorem debito, quamvis huic effato adverſetur appetitus integer & pridem proclivitas nimia ad alvi conſtipationem: ſi enim humidior eſſet, obtunderetur ſenſus ac pylorus laxaretur, ut cibo nondum penitus ſubacto, exitus pateret ante tempus, unde fluxus cœliacus, lienteria aut certe alvus lubrica hactenus magis contigiſſet. Et quid opus eſt ventriculum humidiorem cauſare, cum ob alias cauſas ſerum cumuletur. Verum videbor merito fruſtra in ſcaturiginem horum catarrhorum prolixe inquiſiviſſe, cum *Domini Pariſienſes & Dominus Bonetus* præteritâ antipraxi decantatâ viſcerum, omiſſâ recenſione *aperitivor. ſtomachicor. cephalicor. pneumonicor.* (quibus aliàs ſcatent *Conſilia* omnium nationum exſtantia de affect. hypochondr. & catarrhis) rectà pergant in medendo ad emendationem ſanguinis & ſubtractionem ſeri, ac ſi ipſimet agnoſcerent omnem labem in ſanguine deliteſcere illâque ſublatâ *Illuſtriſſimum Dominum* ad unguem curatum iri: qua in re non invitus

invitus aſſurgo, credoque tum in hoc morbo, tum in plurimis aliis, ſanguinem morbi ſedem, utcunque miſellus ex partium numero expungatur, plurimorum morborum & ſymptomatum cauſam, fontem & terminum à quo, & neſcio, quæ non alia exiſtere.

Materiam igitur auxiliorum quod attinet, *D. D. Bonet V. S.* illam non magnifacere videtur: nec ego nuper frequentiorem & largiorem laudavi; at penitus illam proſcribere in temperamento calido & ſicco non auſim, neque etiam in febri catarrhali, quæ non ſemper putredinis expers ex calore mordaci, urina craſſiore & turbata comperietur. *Hæmorrhoidum apertionem* non majoris facio, quàm *aliam venæſectionem* ubivis factam, & ſi omnino credantur *Hirudines* idioſyncraſiâ quadam ſanguinem aduſtum & ſalſum allicere, *ut Nic. Fontanus opinatur*, ſine verecundiæ jactura, *alibi quam venis ſedalibus* apponentur. Certe *Hæmorrhoidum apertio*, utcunque *ab Italis* ſumme extollatur, *in Praxi* non illam operam fert, quam præſtare multi pollicentur, quia ſæpe *alibi vena ſecta* laudabilior ſucceſſus conſequatur. *Fonticulos in interſcapulio excitatos* nunquam vidi; at ſæpe in collo *loco Setacei. Exc. D. Willis* commendat phthiſicis & empyicis *Fonticulos in ſpatiis intercoſtalibus excitatos*: cum locus interſcapulii commendetur *ab Excell. Dn. de Majerne*, non negligendus erit, ad quem eligendum exemplum *D. de Seguier* permovebit. *A purgantibus* maſſa ſanguinea ſero abundans ſæpe egregie depletur, at *illorum abuſum* improbo *cum Exc. D. D. Boneto*, imprimis ſi ventriculo bene ſit, æger appetat, alvus quotidie exoneretur: *nimium frequentes purgationes* ventriculum & inteſtina enervant, vitamque decurtant. Quæ *in Senna & Caſſia* carpuntur, eadem *in Manna à ſcrupuloſo* animadverterentur: diſſuadetur Cholericis, adulteratur *eſulâ, ſcammoneo aliisque: novi illam hypercatharſes effeciſſe & tormina plerumque infantibus funeſta. Syrupus aureus* tutior eſt. *Succolatam cum Excell. D. Pariſienſibus* meritò damnat, at ſolummodo *paratam pipere Indico & non aromatibus omiſſis factam*, quam etiam Hecticis concedunt *& memini Magno Hetruriæ Duci emortuo vel propter ſolos catarrhos & ad habitum augendum in frequenti uſu fuiſſe* 1646. *Sulphurata & decocta magna* non reſpuit *D. D. Bonet:* attamen nec illorum neceſſitatem imperare videtur præſens *Nob. Domini Ægri* valetudinis ſtatus, nec aliàs facile ſuaſerim illa, antequam mihi penitius ejus conſtitutio innotuiſſet. *Decocta ſantalorum, Rad. chinæ, præmiſſo bolo ex conſerv. roſar. rubr. fl. bellid. min. & pulv. antihect.*

hect. Poterii ſuo tempore commendarem. Interea *Nobiliſſ. Dominus* his præteritis pergat *lactis aſinini potu*, cum inde tuſſis imminuatur, raucedo vere evanuerit ac habitus incrementa ſumpſerit; nam quia urinæ copia potulenta quantitate ſuperat, *Diureticum* eſt, qùia tuſſis imminuitur ſeri ſalſuginem corrigit, quia denique habitus inde augetur, alimentum ultimum ab illo emendabitur: adeo ut vix *laudabilius medicamentum & quidem alimentoſum*, id eſt tutiſſimum excogitari poſſet: eidem ſuccenturiari videtur *juſculum vitulinum hordeatum*, ſi pauxillum *endiv. recent.* adjiceretur, magis caverentur febriles inſultus, minusque afficeretur ventriculus, quem humidum exiſtimat *D. D. Bonetus*, nec tam facile inde putreſceret ſanguis, ſi omnino talia à juſculis mane potis metuenda ſint, ſecus ac nunc ſeu novo modo, ſeu antiquato in uſum revocato creditur, dum ibique locorum mane bibuntur vel *Chiocolata vel Theé vel Caffeé &c.*

Vinum dum Nobil. Dominus lac bibit penitus diſſuadeo, cum ſæpe graviſſima damna attuliſſe ſciam illis, qui podagræ causâ lactis cura fruebantur. Baro quidam Eques Melitenſis illa felici cum ſucceſſu diu utebatur & podagram tantum non expugnaverat, in principio harum turbarum bellicarum ex his oris in Cliviam Patriam ſuam profectus, ab Equeſtribus Nobilibus ad compotationes ſollicitatus, poſt paucos errores ut mihi à Medico ſcribebatur, primum in febrim Anomalam incidit, quam excepit hydrops, juveni adhuc paulo poſt funeſtus: exiſtimo a vino non ſolum in ventriculo lac, ſed etiam in maſſa ſanguinea, quorſum ejus portiones integræ abripiuntur, teſte ſero lacteo ſanguine ſtatim poſt potum V. S. emiſſo, coagulari, periculoſarum obſtructionum Authorem. Perplacet *Illuſtriſſ. Domino* in prandio pleniorem victum *in hac cura* concedi, quod etiam facere apud podagricos conſuevi: pauci enim victum illum tenuem ſufferunt, quem *Itali & Galli in cura lactis* imperant. Tinnitum aurium nuper præterii, factum fortaſſe à portione ſeri tenuioris in labyrintho & cochlea aurium devia: quia evanuit, de illo non multa verba facienda ſunt, nec inquiſitionem ulteriorem meretur, num quoque ab hypochondriorum æſtuario provenerit, nec ne? cæterum ſi lubet *Conſilia Gallico Idiomate* transmittere in poſterum mihi perinde erit, modo literæ bene pingantur, nec mihi diu hariolandum ſit: *Gallicam* quidem non loquor, at Scriptum maximam partem intelligo, defectusque *Lexica aut Amici* reſarcient. *Si ulterius Illuſtriſſ. Dno inſervire potero, prompto animo id faciam, cui me commendes rogo. Vale Vir Excell. & fave porro.*

Scaphuſii d 30. *Octobr.* 1678.

Tria

Tria hæc Memorialia die 14. *Martii* 1679. *legenda miſit.*

Memoriale primum
à 16. *Novembr.* 1678. *ad* 20. *Jan.* 1679.

FEbris intermittens quotidiana ſeu duplex tertiana, quam *Nobiliſſ. Dominus* ſingulis annis experitur, hoc anno multo mitior ac annis præcedentibus aderat: horrorem leviculum ſolum in pedibus veſperi ab hora tertia ad ſextam uſque percipiebat, ſequebatur æſtus moderatus ad mediam noctem durans, dein indormivit, ac ſudavit in femoribus largiter, plus quam in reliquo corpore, inde in pedibus multum alleviatum ſe ſentit. Finiente febri per periodos, cephalalgiâ, odontalgiâ, aurium gravitate affligebatur, ſimul tormina ventris moleſta erant, hæc ſymptomata circa horam unam durant. Alvus dein per biduum conſtipabatur, hujus cauſâ *ante prandium pulpæ caſſiæ* ℥ß. deglutiit, inde bis alvum copioſe exoneravit. Appetitus antea proſtratus rediit, qui hucusque viget. Paucis abhinc diebus febris remiſit, tinnitus & gravitas aurium evanuerunt: verum alia ſupervenerunt incommoda, manuum ſcil. torpor & pedum gravitas, manus ad aliquid apprehendendum & attollendum ſine aliquo dolore tamen non acuto claudere & res firmiter tenere nequit. Hæc autem omnia exceptâ odontalgiâ remittebant, ſudat ſubinde mane. *Circa feſtum Nativitatis* aliquales dolores in capite, dentibus à dente quodam carioſo, ventriculo & abdomine ſed non magnos experiebatur. Urina erat turbida cum ſedimento craſſo & ſabulo parietibus vitri urinarii adhærente: ſumpſit ʒvj. *pulp. Caſſiæ*, inde copioſe alvum dejecit, hinc urinæ tenuiores factæ fuerunt cum ſedimento copioſo, in quo atomi ſalinæ fluitabant, urinæ erant coloris citrini. *Auſpicante anno* 1679. meliorem valetudinem recipere cæpit, melius ac unquam dormivit; color faciei vividior ac ante plures annos nunc eſt: gravitas aurium omninò evanuit. Ab aliquo tempore in regione renis ſiniſtri dolorem quendam obſcurum ſed lenem, dum huic incumbit, patitur, attactum etiam fortiorem perfert. *Fonticulus* multùm ichoris fundit, cutis circa hunc veluti adusta & puſtulis inſtar ſcabiei obſeſſa conſpicitur, mox tamen eſchara quaſi ſeparatur. Aeris injurias ac frigus multò melius ac annis præcedentibus tolerare poteſt: nec exſcreatio mane tam moleſta eſt hac hyeme ac pridem.

A feſto Sti Martini deficiente lacte aſinino hucusque *lac caprinum* bibit. *Mane* poſtquam evigilat *lactis caprini recenter mulcti* ℔j. *vel* ℥xvj.

℥xvj. *calide* haurit: *poſt quatuor horas prandet pultem hordeatam ex hordeo optime cocto, cui lactis vaccini* ℔j. *addit & invicem ebullire ſinit, tunc panem conciſum admiſcet: ſex horas à prandio ſimilia in cœnam ſumit. Noctu hora* 9. *aut* 10. *rurſus lac uti mane bibit*: obſervans excrementa alvi nimis exſiccari ac indurata dolorem in his egerendis creare, *tertiam partem decocti hordei mane & veſperi lacti caprino*, quando hoc bibere vult, admiſcet, in prandio ac in cœna *loco lactis vaccini pultem hordeatam juſculo vitulino* diluit. Hactenus *juxta uſum lactis* ſolis hiſce brodiis *ad initium Menſis Decembr.* 1678. veſcebatur, nunc autem ad meliorem nutritionem in prandio aut pullum gallinaceum aut carnem vitulinam in veru aſſam comedit, in cœna autem non. Excrementa hactenus molliora reddita minori cum moleſtia libere quotidie excernuntur. Nihil nec in prandio nec in cœna bibit, cum nulla ſitis ad potum ipſum invitet, à vino omnino abſtinet.

Memoriale ſecundum

à 20. *Januarii ad* 20. *Februarii* 1679.

A 20. *Januarii* nihil cœnavit *Nobiliſſimus Dominus*, quum fames ipſum non urgebat. Expergefactus *mane lactis caprini conſuetam doſin* bibit, cui nunc *lactis vaccini tertiam partem aut totidem decocti hordei* admiſcet, more conſueto prandet ac *noctu lac uti mane* bibit: in negotiis ſeriis tractandis meditando & ſcribendo multum nunc occupatus eſt. Quum aggravationem quandam in abdomine animadverteret, ante prandium ℥ß. *pulpæ caſſiæ d.* 3. *Febr. ut & d.* 15. *Febr. totidem* ſumſit, bina vice fœces largiter dejecit, multum inde levabatur. Odontalgia, in illo latere ubi dens carioſus conſpicitur, & aurium gravitas valde exacerbabantur, propterea dentem hunc carioſum evellere curavit, hinc omnes dolores ac aurium gravitas totaliter remiſerunt: In pedibus & manibus multùm alleviatum ſe ſentit. Somnus eſt placidus, & non interruptus. Minore quantitate urinam reddit, quum nihil etiam bibat, hinc noctu non amplius ad urinam reddendam expergiſcitur. Pulſus eſt bonus & plane naturalis. Si *lac tertia decocti hordei parte* non diluit, tunc fœces alvinæ exſiccantur & in ſcybala globulorum adinſtar indurantur, quæ cum moleſtia excernuntur.

Memoriale tertium

à 20. *Februarii ad* 14. *Martii* 1679.

D. 20. *Febr.* 1679. *Illuſtriſſimus Dominus* tempeſtate valde frigida ac borea flante *Solodurum* contra frigus optime munitus rhedâ vectus

tus eſt: in itinere & *Soloduri* uti alii comedit & vinum bibit, etiam Bachanalia per biduum celebravit; nullum inde incommodum experiebatur, melius ac domi dormivit, vox aliquomodo rauca facta eſt: illo die, quo *Soloduro* domum remeare voluerat, mane cum euphoria blande ſudavit. Domum rediens *lac caprinum conſueto more mane & veſperi* bibere incepit, ac conſuetam diætam obſervavit, à vino rurſus totaliter abſtinet. Ab incipiente die ad mediam uſque noctem ſeriis negotiis intentus demum poſt noctis medium lectum petit, ac plerumque placide ad horam 6. aut 7. dormit. Ex quo *Soloduro* domum rediit, non amplius ſudavit. Odontalgiam ac aurium gravitatem hucusque non patiebatur. Torpor in manibus & pedum gravitas penè evanuerunt.. Urina tenuis & coloris citrini ſemper excernitur. Nihil ob ſitis abſentiam *præter lac ac ſua juſcula* bibit. Pulſus vegetior nunc ac à 10. annis tangitur. Habitus corporis incrementum ſumit. A duabus ſeptimanis obſervat phlegmata, quæ mane ſcreando ex faucibus prolicit, nigricantia eſſe, quod fumo candelarum majorum noctu accenſarum adſcribit. Alvus quotidie aperta eſt, nec excrementa amplius tam dura, *lactis potus* ipſi nullos flatus nec ullas murmurationes in abdomine uti ante annum cauſat.

Tria hæc Memorialia Neocomo die 14. *Mart. miſſa accepi die* 19. *Martii* 1679. *ad d.* 20. *Martii* 1679. *ſequentia reſpondi.*

EX *Memorialibus* manifeſte patet *Lactis caprini potum* egregie *Illuſtriſſ. Domino* conducere; poſtquam enim febris intermittens ſive quotidiana ſive, quod credibilius, tertiana duplex remiſit, tum ob ſudorem criticum levamen adferentem, tum *propter uſum Caſſiæ*, indies ſymptomata antea moleſta remiſerunt. Nimirum *à lactis potu* tota maſſa ſanguinea ejusque ſerum indies magis magisque emendantur, ut bene reficiatur & nutriatur, ſymptomataque ceſſent à ſero nimis acri & fluxili dependentia vel evaneſcant vel mitigentur: habitus corporis incrementa ſumit, facies vividior evadit, hac hyeme non tantopere à frigore lædebatur; tuſſis non fuit moleſta, minus exſpuit; pulſus proin melior eſt ac à decem annis obſervatus fuit. Urina non amplius turbida, craſſa & viſcida eſt atque arenulæ minus ſubſidere comperitur. Parcius quoque minxit. Appetit, non ſitit; alvus rite officium facit: bene dormit; aurium gravitas & odontalgia evulſo dente carioſo evanuerunt; caput non amplius dolet: ſudores non ſunt moleſti: nihil prorſus arthritici patitur. *Illo lactis potu ulterius pergendum*, quia nondum ſeri acrimoniam debellatam exiſtimo, quum manuum torpor quidam in apprehenſione rerum aliquo modo dolorificus nondum penitus remiſerit: cutis *circa fonticulum* aut aduratur aut puſtulis ceu ſcabie quadam

operiatur: Ren ſiniſter à decubitu in latus illud doleat, forte & quandoque arenulæ ſubſiderunt. *Modus lac bibendi perplacet, imprimis inventio illa ingenioſa, quâ lac diluitur decocto hordei,* unde alvus rite ſolvitur, fœces coctæ excernuntur; ructus, murmura & flatus abſunt.

In diæta moneo, ut à vino abſtineat: quod poſt vehementem excandeſcentiam Baroni Willichio febrim ſpuriam peperit ſubſequente funeſto hydrope Coloniæ. Nec aër frigidus ſiccus congruus, qui cauſa erat in autumno 1676. quartanæ, quamvis jam *lacti* aſſueverit, quod quinque annis bibit; ſervo hæc memorialia, cum magnam lucem afferant: ſi in viciniam venero *Neoburgi Illuſtriſſimum Dominum* conveniam: *nunc Stuttgardiam mihi abeundum eſt*, vix ante menſem revertor. Quia res bene ſuccedit non opus habebit *aliis medicamentis.*

DEUS T. O. M. ulterius hiſce benedicat.

Scaphuſii d. 20. Mart. 1679. Joh. Jacob. Wepfer, M.D.

Illuſtriſſ. Dominus Cancellarius de Montmolin, ad quem prolixum conſilium ſcripſi Anno 1678. *&* 1679. *de quo in præcedentibus videatur.* Multa paſſus eſt à ſero tenui acri, imprimis varias defluxiones. Ab illo tempore nihil prope, niſi *lac recenter mulctum, aut rurſus calefactum* aſſumpſit: quando nullam defluxionem paſſus eſt, quandoque comedit panem aliosque cibos, verum rariſſime, bibitque parum vini idque propterea ne ventriculus nimium aſſuefiat *lacti*, neve poſtea nullum amplius alium cibum toleraret. Nunquam *lac* nocuit, quamvis quotidie 3. vel 4. vaſcula bis vel ter aſſumſerit: verum quando ſentit appetitum imminui ℥j. *Rhabarbari veſperi infuſit in cyath. j. aquæ fontan. mane colaturam bibit;* bis terve alvum ſolvit. Nunquam ſitit. Quando aliis cibis veſcitur, illo die *lac* omittit. *De medicamentis*, quæ ſuadebantur, nullis quam quæ præſcripſeram, imprimis *pulvere antihectico Poterii*, nec tamen illo frequenter, utebatur, quia non admodum obœſus eſt, quia inſuper defluxiones non amplius tam frequentes ſunt, nec comites habent inflammationes, nec febres, ſed ſolummodo quosdam calores moderatos. Experitur *hunc pulverem* prodeſſe, levem ſudorem provocare & alvum laxare: verum ne forte in graviore morbo minus poſtea rurſus juvet, rarius illo utitur: dictum ipſi fuit illum abſorbere nimium acidum ſtomachi atque ita obeſſe digeſtioni. A 7. annis ſemel tantummodo paſſus eſt febrim, ſcilicet *ante tres annos menſe Maji.* Contra illam ſolummodo *lacte* uſus eſt, *cum dimidio aquæ mixto & pulvere antihectico Poterii ſeu diaphoretico* ♃, unde

de convaluit & non niſi illa vice *ſanguinem emiſit ad ℥vj. circiter.* Nunc facies vividior & coloratior eſt, quæ antea pallidior erat. Non amplius tam iracundus eſt: dormit ſex horis quiete, niſi à catarrho turbetur, facile interdum dormiret, verum nullum locum ſomno concedit: obambulat ſine impedimento, nec delaſſatur, licet toto die ſit extra lectum: verum anheloſior fit, ſi arcem petat altius ſitam. Hac hyeme dolores circa malleolos paſſus eſt, verum ingreſſum non impediebant: uno die plantæ pedum magis quam altero afficiebantur, dolores tamen magis ſub unguibus in extremitate digitorum, quam in ipſis articulis affligebant, ceſſarunt poſtquam ſudavit in pedibus. Sol, venti, pluviæ & frigus non amplius tam manifeſte nocent, ac fecerunt antequam *lac* bibit; uno verbo multo melius ſe habet.

An hoc vitæ genus mutandum ſit? ſuaſum ipſi fuit, ut frequentius cibos ſolidiores comederet, ne ſanguis reddatur debilior, neve ventriculus tandem deſtruatur. Putant quidam ventriculum frequentius purgandum ab excrementis, quæ *lac* poſt ſe ibi relinquat: quidam *diaphoreticum ♃. ſeu pulv. antihect. Pot* ventriculum ejusque acidum enervaturum exiſtimant. Obſervat memoriam debilitari ac ſomnolentiorem fieri. Animadvertit hac hyeme pedes magis aggravari quam aliàs unde hydropem timet, qui aliquot ipſius anteceſſorum funeſtus fuit. Cæterum prægreſſa ſymptomata non amplius ipſi tam moleſta ſunt, nec dolorem memorabilem efficiunt. Veretur dyſpnœam in aſcenſu arcis evenientem eſſe prænuntium aſthmatis, quo *Domina Mater* ſed annoſa obiit.

Hæc ſcribebantur d. 29. Januarii 1687. Neoburgi & mihi Solodurum ibi tunc commoranti mittebantur, ac hinc. d. 1. Febr. reſpondi.

Reſponſum.

Ad Illuſtriſſimum Dominum Cancellarium.

Curam lacteam opem inſignem attuliſſe, multa ſunt, quæ confirmant, nam hactenus nihil moleſtiarum *Illuſtriſſimus Dominus* quas antidhac expertus eſt, amplius patitur: facies eſt vividior, minus iraſcitur, non læditur amplius à ſole, ventis, pluviis & à frigore uti pridem: toto die extra lectum moratur, obambulat ſine laſſitudine. *Pluribus ante aliquot annos Illuſtribus Viris ac quoque Religioſis ſuaſi hanc curam, qui adhuc feliciter illa pergunt.* Cum itaque hactenus non pauca beneficia *Perilluſtri Domino lac* præſtiterit, nec ullum indicium appareat, quod illius uſum ulteriorem prohibeat, audacter illud continuandum arbitror. Sanguinem debilitari, ſeu aquoſiorem minusque fibroſum

broſum inde fieri, non tam facile credo, cum *lac* nihil prope aliud ſit, quàm chylus atque ex illo æque bonus chylus produci poſſit ac ex aliis alimentis ſive carnes, ſive piſces, ſive olera & fructus ſint, imò præſtantior, quod ex tam luculenta ſanguinis correctione manifeſte patet. *In hac cura* alios cibos non denego, ſi modo tales eligantur, à quibus chylus non corrumpitur nec vel aceſcit vel bileſcit: concedo carnes vitulinas, hœdinas, agninas, pullorum gallinaceorum, perdicum, avicularum montanarum, ſive elixas ſive aſſas, etiam fructus dulces coctos, item olera cum butyro recenti cocta. Nocent vero valde ſalita, aromatizata, frixa, acida, nimis dulcia & ſaccharata: cibis boni ſucci & facilis digeſtionis in prandio potiſſimum frui poſſet; nec ut *lac* illo die mane intermittat, neceſſe eſt. Vinum penitus improbo, quod non ſolum in ventriculo & inteſtinis chylum corrumpit, ſed etiam jam cum ſanguine permixtum, unde ſequuntur periculoſæ vaſorum capillarium obſtructiones gravium morborum authores. Cænam ſemper in hac cura parciorem ſuadeo, imprimis in ſenibus nunquam tamen penitus omittatur.

Neſcio quam ob cauſam *Illuſtriſſimus Dominus* crebrius & fortius purgandus eſſet, quàm hactenus fiebat: nam nihil de ventriculo afflicto conqueritur & maſſam ſanguineam plurimum emendatam ſuperius recenſita beneficia teſtantur: merum commentum eſt,. Lac tot & tantas ſordes legitime potum, in ventriculo relinquere, citra illius vel aliquales læſiones. *Novi plures hâc curâ fruentes vix ſemel in anno lenitivum aliquod aſſumere, idque ſine ulla ſanitatis noxa:* ſufficiet igitur *Illuſtriſſimo Domino ſola rhabarbari infuſio.* Nodum quoque in ſcirpo quærere videntur illi, qui *Pulverem antihecticum Poterii* rariorem improbant: poſito illum fermentum ſtomachi, quod plures opinantur acidum eſſe, edulcorare; at hac ratione *tutior lactis potus* redditur: illum vero fermentum effœtum prorſus reddere, nemo mihi facile perſuadebit: certo ſi æquo animo reputare velint adverſantes, facile animadvertere poſſent *uno atque altero mane* ſumto *hoc pulvere* eodem & ſequentibus diebus ægros tam bene appetere & alimenta aſſumta coquere, ac antea fiebat, imo plerumque & melius cibus ſapit & laudabiliter diſſolvuntur alimenta, quam diebus prægreſſis, modo *Nitrum* probe ab illo eluendo ſublatum fuerit.

Hydropis quidem prænuntii ſunt reſpiratio difficilior, verum quoniam toto die obambulare ſine laſſitudine valet, vix credo œdema, quod alicujus momenti ſit, adeſſe eoque minus, quoniam pedes quandoque ſudarunt. Si ſolummodo reſpiratio difficilior obſervetur in adſcenſu ad arcem, non tanta erit, ut *Illuſtriſſimum Dominum* terrere debeat;

beat; hoc enim ſenectutis culpa, non ab aliquo vitio intra cavum pectoris abſcondito aut graviore minante fit: certe ſi domeſticas ſcalas citra interpoſitam quietem, adſcendere valet, ſique in lecto non altum decubitum eligere cogatur, quod vix credo, quoniam ſex horis continuo noctu dormit, nec hanc dyſpnœam timendam arbitror.

Memoriam apud ſenes imminui in vulgus notum eſt, at & hæc plerumque non fit ob aquam intra cranium ſtagnantem, ſed quia objecta negligenter, ceu pridem nota, non attendunt, aut quia propter multivaria negotia, quæ recenter obveniunt, à ſuccedentibus obliterantur, hanc ob cauſam non forem author *Illuſtriſſimo Domino*, ut pro roboranda memoria uteretur *Confectione Anacardinâ*, *pulvere Mneumonico Tritheimii*, *aut ſimilibus exſiccantibus*, quibus maraſmum ſenilem accerſeret: *præcipuum remedium erunt induciæ à copia negotiorum, imprimis tædioſorum & animi quædam tranquillitas.*

Concludo ulteriorem lactis potum Illuſtriſſ. Domino proficuum fore; frequentes purgationes nocituras, pulverem antihecticum ſeu diaphoreticum ♃. præſervationis cauſa ſemel in ſeptimana profuturum aut urgente affectu etiam crebrius ſumtum, levamen allaturum, & lacti citra ullam noxam pleniorem victum nec quicquam obfuturum.

Deus T. O. M. Illuſtriſſ. Dn. porro conſervet, curæ benedicat, ipſum ad Neſtoris annos ſalvet!

Soloduri d. 1. Febr. 1687.

Joh. Jacob. Wepfer, M. D.

OBSERVATIO CV.

Catarrhi.

N*Obiliſſimus Dominus Johann. Franciſcus Zwier de Evenbach*: 67. annor. ſtaturæ juſtæ, gracilis. Circa 41. ætatis annum miſere colicâ bilioſâ excruciabatur, adeo ut de vita deſperatum fuerit: morbus *à medicamentis* exacerbabatur. NB. per ſeptennium male habuit tum à melancholia tum à colica bilioſa, quarum ultimam *crebra purgantia* attraxerunt. Colicæ bilioſæ medebantur *acidulæ*, quæ in principio pareſin pepererunt, continuatæ non ſolum colicam, ſed etiam pareſin radicitus ſuſtulerunt. Ab illo tempore crebrius *acidulas* bibit. Obſervavit *acidulis* tempore æſtivo potatis ſubſequente vere catarrhos cum impetu ad pectus ruiſſe & tantum non ipſum ſuffocaſſe. Anno

 ætat.

ætat. 44 podagrâ ægrotare cœpit, quæ ſæpe ſæviſſima erat & duravit non raro ad tres menſes. Invaſit ſemel in anno, aliquando bis vel ter, non raro per integrum annum ab illa immunis fuit. Catarrhoſus eſt admodum & præter podagram catarrhi ad pectus & ventriculum ruunt. Catarrhi ſunt menſtruales, ſubinde hebdomales: aliquando diutius emanent. Appetit plerumque bene, bis in die comedit, non faſtidit ullum cibum. Prandium largius eſt, cœna parcior, ſi largior ſit, circa 11. aut 12. noctis ſomnus turbatur, aliquando tardius: dum adhuc hypochondriacus erat, præciſe circa undecimam noctis expergeſiebat. Nunc iſtæ ſomni interruptiones non amplius tam crebræ ſunt, nec accidunt, niſi ſi largius cœnet aut ab animi paſſione ſive ira ſive etiam nimia lætitia turbetur. Nam hæc ſymptomata etiam podagram accerſunt. Quando catarrhus ad ventriculum ruit aut evomendus eſt aut per diarrhœam evacuatur: nuper utrumque evitavit *uſu pulv. ſtomachi. c. Maximil. Imperator. ex multis radic. ſemin. aromat. &c. calidis concinnatis: hoc anno* 1673. aliquoties evenit. Facile iraſcitur, ſed ira brevi evaneſcit. Alvus ſæpe per dies 3. vel 4. ſuppreſſa eſt, unde caput dolet, nonnunquam quotidie, unde bene habet. Equitatione alvum optime promovet, quod à bile commota fieri puto: imo equitatio alvum ita accelerat ac ſi *purgans* ſumſiſſet. Urina plerumque ſpicea & tenuis eſt. Sudat crebro & copioſe. Jam à multis annis vinum aqua diluit aut juxta vinum *aquam coct.* bibit *ex* ♀ *vin. paſſul. maj. cortic. citr. colatur. infund. cinam. ac.* Reſpiratio libera eſt. Cor quandoque palpitat ſubito in lecto ſine cauſa externa, brevi tamen durat. Pulſus eſt robuſtus, plenus, ſubdurus, paulo nunc celerior. Caput raro dolet: aliquando tenduntur tempora & tunc defluxiones coryza &c. ſuperveniunt: nunquam dolet occiput: aures non tinniunt. Videt ad diſtans. Vertigine quandoque corripitur ſed rarò, cui medetur *ſemin. Carvi* imprimis, ex cujus eſu vertigo rarior nunc eſt. In artubus robuſtus eſt, non tremit manibus, imo præter ætatis rationem firmus eſt. Obambulat. Sternutat ſubinde mane. Ante aliquot ſeptimanas ex hauſtu frigidæ & comeſtis fragis immaturis, crudis, coryza cum tuſſi ſicca, quaſi catarrho ſuffocativo correptus fuit, nam inter tuſſiendum inaniter, maximè in menſa, reſpiratio intercipiebatur aliquandiu fere penitus. Appetitus proſtratus fuit & facies flavior reddita. *Die* 29. *Jun. ipſum Clinglavii conveni;* facies erat vividior: tuſſiit rarius. Sputum facilius ſuccedebat. Appetitus rediit. Uſus eſt *ex meo Conſilio diacod. Mont. noctu: & tabell. ex ſpec. diatrag. frig. bol. armen. &c.* cum fructu.

Reſo-

Reſolutio.

NObiliſſimus Dominus temperament. calid. & ſiccioris videtur ab ætate virili ad hanc ætatem abundaſſe lympha bilioſa, tenui, fluxili admodum; quæ bilem diluendo & ſuccum pancreaticum augendo affectum hypochondriacum in juventute peperit: poſt crebra purgantia ad plexus meſentericos allecta colicam bilioſam produxit. Lymphâ mitigatâ & per vias urinarias eductâ, ambo affectus evanuerunt: ſupervenit podagra & nunc catarrhi varii, qui tamen nec ſævi admodum nec diuturni ad victus rationem accuratam. Cumulatur tamen materia catarrhorum ob ſomnum protractiorem, vitam magis ſedentariam. NB. Plerumque plurimum mingit, unde quoque catarrhorum pericula evitat feliciter. Crebrius maſſa ſanguinea deſpumatur per membranam pituitoſam poſteriorem. Nupero catarrho anſam dederunt frigidæ potus & fraga immatura, nam inde lympha crudior. Unde juvarunt *diacod. Mont. Rot. ex diatrag. frigid.* Ne inpoſterum hi catarrhi tenues periculum creent vitet cruda quantum poſſibile. Illo ingruente utatur *conſerv. roſ. rubr. majoran. anthoſ. theriac. Androm. bol.* ſi fortior *diacod. Mont. Rot. pector.*

OBSERVATIO CVI.

Conſilium pro Catarrhis tenuibus.

REver. Dominum temperamenti eſſe calidioris, ex colore faciei, habitu corporis & ex iis quæ hactenus paſſus eſt abunde conſtat, unde etiam in maſſa ſanguinea ſerum acrius colligit, quod cum moleſtia quadam exſtillat in fauces & aſperam arteriam; quod acrius eſſe manifeſte nuper patuit, nâm limbus palati, uvula & poſtica pars faucium, ſeu pharynx rubuerunt, cum puſtulis quibusdam rubellis, unde ſequebantur raucedo, tuſſis, dolor ſub medio ſterno & in lateris parte dextra; hanc ob cauſam ſæpe experitur hæmorrhagiam narium; urina quoque eſt tinctior, non ob bilem, ſed copiam ſalis permixtam. Quæ cum ita ſint, in hac ætate juvenili, in qua calor aliàs intenſior eſt, quam alias ſolet eſſe, cavendum ne *vel alimentis vel medicamentis* calor & acrimonia augeatur, & ſi qua ſeri ſecretio fiat, ut nuper talis ad fâuces & pectus & pridem ſæpius ſimilis contigit, ſerum non acuendum, turbandum, aut amplius agitandum, quod fit ſi *medicamenta pectoralia calidiora* ipſi exhibeantur, aut *fortiora purgantia* dentur, imprimis *vomitoria* ingens damnum afferre poſſent, nam facile ſputum cruentum provocare valerent, quia ſanguis aliàs eſt acris & fluxili

xilis. Itaque in ſtatu ſano vel dum valetudo non valde afflicta eſt, ſibi caveat à cibis valde ſalitis, fumo induratis, nimium aromatibus conditis; à nimium auſteris & acidis, illi enim ſanguinem ejusque ſerum acrius reddunt, hi pectori valde nocent. Bene faceret ſi in illa loca pervenerit, ubi vina generoſa, admodum inflammantia, bibuntur, vinum aſſueſcat diluere aquâ fontanâ ſimplici, quia non ſemper occaſio habetur illud *decoctis* attemperandi. Vix creditur ab inexpertis, quantum commodum ſanitati afferat dilutum vinum, certo plurimum conferet *Domino*, quia alias mane ſiticuloſus eſt. Quando ab itinere, aut labore incaleſcit ſudatque, caveat diligenter ne ſubito refrigeſcat, ſed ſenſim in loco tepido ad ſtatum temperatum redeat. Maſſa ſanguinea attemperatur variis modis, verum *Domino* vix hac vice concederetur *longa curatio*; igitur citra temporis jacturam aut impedimentum in ſtudiis *æſtate ſingulis menſibus per octo dies ex. gr. Majo, Junio, Julio & Auguſto* bibere poſſet *juſculum aut ſerum lactis alteratum herbis hepaticis & pectoralibus.*

Ex. gr. Radic. cichor. ℥ß.
Herb. ſcabioſ. pimpinell.
chærefol. hepat. nob.
Flor. borrag. buggloſſ. ãã. *Pj.*
Sem. aniſ. ʒj. *Mac.* ʒß.

Inciſ. & contuſ. coq. in juſcul. carn. non ſalit. Menſ. j. per dimid. quadrantem horæ.

Bibat *mane uncias ſex vel ſeptem calide*: poſt potum obambulet. Si *purgandum* erit, fiat id benigne *ſc. fol. ſenn. rhabarb. crem.* ♀. *ſem. aniſi.* Si ſerum ad fauces & ad pectus ruet, ſive hyeme ſive æſtate id fiat, dentur ſtatim ſerum mitigantia & demulcentia: itaque paretur *tale decoctum.*

Sumantur *Radic. tuſſilag.* ℥ß.
liquirit. ʒij.
Herb. ſcabioſ. veronic.
Flor. papav. err. bellid. min. ãã. *Pj.*

Inciſ. & contuſ. coq. in aq. font. menſ. j. c. mell. cochlearib. ij. per hor. quadrantem: colet. bibat M. hor. 6. & V. hor. 4. ℥*v. calide.*

Si fauces doleant lingat ſubinde *Mixturam ex melle roſato, diamoro & aqua prunellæ æquali pondere mixtis: noctu hora ſomni* ſumat *cochlearia*

cochlearia tria diacodii Montani cum pauxillo aquæ papaveris erratici diluti. Maneat in loco temperato donec melius ſe habeat.

Deus T. O. M. hæc ſalutaria eſſe jubeat!

Soloduri d. 4. *Febr.* 1687. Joh. Jacob Wepfer, M. D.

OBSERVATIO CVII.

Tremor.

R*Everendiſſimus D. D. Ch. W. Præpoſitus Stutgardianus* 57. annor. ſtaturæ gracilis, mediocriter carnoſus, facie rubicunda prædītus: 10. annis *Theologiam* profeſſus eſt *Tubingæ* : 13. annis *Concionator Aulicus Stuttgardiæ* & jam *Præpoſitus* bis in ſeptimana ex ſuggeſtu concionatur cum vehementia quadam. Delectatur acetariis. A 10. annis conſuevit ante concionem ſumere *cochl. j. ſpir. ceraſ. nigr.* ad facilitandam expectorationem. Sudat facile & largiter mane in lecto, item finita concione, at tunc valde debilitatur. Jam diu tremere brachio dextro cœpit. *Die* 11. *Julii* 1682. obſervavi tremore manum affici, licet brachium totum menſæ impoſuerit: præ tremore vix cochleare ori admovere poteſt: ſi gravius corpus apprehendat, illud firmius tenet, quàm levius, ſic apprehenſo baculo hoc mane non multum tremuit, ſimul impotentiam in manu animadvertit, ob quam corpus gracilius amplecti & propterea quandoque ſcribere nequit, citra ſtuporem aut formicationis ſenſum. Inter concionandum tremore in brachio dextro incipiente, ſiniſtrum quoque & pedes tremunt. Dolet continuo ſub axilla dextrà non autem ſub muſculo deltoide nec in collo. Nullam vertiginem, nullum aurium tinnitum, nullum capitis dolorem aut perturbationem ſentit, dormit 7. horis ſuaviter: ſi longius ſomnum protrahat, caput gravatur, ſomnum non ſtatim à cœna inire licet, ſed poſt obambulationem ad minimum duabus horis durantem, ſi negligat illam inquietus dormit. Delectatur imprimis oleribus. Aliquando *ab acidularum potu* vertiginem & capitis obtuſionem contraxit. *A balneo* per aliquot dies protracto ſenſit artus vegetari. Ingenio, memoria & judicio *Vir doctiſſimus* valet & in ſtudiis aſſiduus eſt. Si brachium ſub culcitra detineat non tremit. Totum latus dextrum debilius ſiniſtro à primis unguiculis eſſe putat, quod hoc magis præ iſto ſudare ſoleat, magisque ſordes contrahat.

Analyſis.

TRemorem affectum eſſe manifeſte conſpicitur, & licet digiti manu quiete locata moveantur, non tamen videtur motus iſte ſpaſmodicus

dicus eſſe, cum tremorem hunc in lecto manu & brachio ſub culcitra detentis non patiatur; evenire videtur, quia muſculi flexores, qui manuum digitos firmos detinere deberent, imbecilliores ſunt extenſoribus. Cauſam proximam ejus exiſtimo influxum ſpirituum animalium impeditum, non intra cranium, quia nulla adſunt ſigna cerebri & cerebelli læſi; nam omnibus ſenſibus valet, rite dormit, non capite dolet, nulla adeſt vertigo, obtuſio, tinnitus &c. ſed circa nervos axillares & quidem ſub axilla, quia ibi dolet, non in humero nec in cervice: impediti influxus ſignum quoque eſt impotentia amplectendi corpora graciliora ex. gr. pennam, acum, cochleare &c.

Impedimentum nervorum ramis incumbere potius, quam medullam occupare exiſtimo, quia dolet circa illa loca, ubi glandulæ & ganglia nervina *Fallopii* exiſtunt, & quia ſenſus formicationis atque ſtupor abſunt; eſtque ſerum non expers acrimoniæ potius, quàm mucus quidam frigidus & inſipidus, nam tali *Reverendiſſ. Dominum* abundare temperamentum totius teſtatur; hujusque cumulationi anſam dedit *Sp. ceraſor. uſu diu continuato*, quod univerſo glanduloſo & nervoſo generi nocentiſſimum eſt.

Tremor totiûs inter concionandum potius imaginationi adſcribendus eſt, quam originis corporis medulloſi læſioni, niſi aliquam ſpirituum diſſipationem ob fortiorem & intenſiorem motum concurrere velimus. Quia *Reverendiſſimus Dominus* eſt provectioris ætatis, quia tremor jam diu duravit, quia denique nervini affectus ægerrime cedunt, ſollicite & pertinaci ſtudio cauſa hujus tremoris auferenda & gravius malum declinandum erit.

Quoniam *Reverendiſſimus Dominus* ad ſudores matutinos proclivis eſt, illi neutiquam impediendi, cum illi imprimis ſerum copiâ peccans exhauriant & prope felicius, quàm *purgantia*, quæ aliàs hac tempeſtate locum non habent, ſed non diu urgendi, ne ſimul ſpirituum jactura fiat. Ad cauſam proximam auferendam; pergere poterit *pulvere jam præſcripto*.

Utiliſſimam in hoc morbo comperi quoque *Salviam*, quæ multivariam in uſum duci poterit: *ſcil. mane* ſumere poſſet *pulv. cum aqua ſalviæ & veſperi horâ ante decubitum Fol. ſalv. pug. j. decoqui poſſet in juſcul. carn. non ſaliti* ℥ *iiij*. quas ebibat *hor. poſt ſumtum pulverem.* Illa quoque cibi in prandio & cœna condiri poſſent. Antequam cubitum eat, ſumat ʒ*j. hujus Elect.* ℞. *Conſerv. roſ. r.* ℥*ij. conſerv. fl. ſalviæ* ℥*j. Ther. Androm.* ʒß. *bol. arm.* ʒ*iij. Mſc.* *Emplaſtr. diachalcit. pelli molliori inductum* humero cum portione colli & partibus ſubaxillaribus impona-

ponatur, diu noctuque geſtetur. In ſummo æſtu *duos cyathos acidularum mane* ſine damno ebibere poſſet ad ſerum attemperandum.

Imprimis *inſeſſus ſemel in ſeptimana* prodeſſet *per hor. j. mane decoctis in aqua ſerpill. Miiij. ſalv. Mij. poſt inſeſſum* lectum repetat.

Victûs ratio ex cibis boni ſucci & facilis coctionis ſit: vinum bibat, quod non ſulphuratum ſit: quia illud aquâ dilutum bibere nequit, loco aquæ fontanæ bibat interdiu aut in prandio ſiti urgente *hauſtum talis decocti* ℞. *Fol. ſalv. Mj. paſſul. maj. exacin.* ℥*j. coq. in menſ. aq. fontan. Conſuetæ purgationes, V. S. ſcarificationes* ſuo tempore non ſunt negligendæ: *Fonticulus* apertus ſervetur.

Reverendiſſimi Dni D. Tremor *d.* 28. *Martii* 1683. adhuc permanet; imo hactenus incrementa ſumſit, nam & alios artus corripuit, & ipſemet putat ſe toto corpore vacillare, nec pedes, ceu columnas corporis, ſatis firmos amplius eſſe, quamvis inter ingrediendum nullam nutationem *cum D. D. Härlino* poſt meridiem obſervarim. Interea negat ſe vertiginem pati, forte gyroſam; an vero titubante afficiatur certo judicare nequeo: obſervaretur forſan verius mane jejuno ſtomacho; quod eo veriſimilius eſt, quia memoriam imminui ſentit: unde concionaturus pro ſublevamento διάγνωσιν in promptu habet, ne quid intercidat, & nunc longiore tempore majoreque labore proponenda pro concione memoriæ imprimere cogitur. Dormivit ſuaviter & optime per plures horas, nulla experitur inſomnia phlegmatica, ſæpe aërea: expergefactus ſe multis ingenii laboribus defatigat, quibus tamen nihil certi determinare valet, poſtea omnia rite & prompte expedit. Omnibus reliquis ſenſibus valet. Scribit & pingit literas pulchre, ſed non conſueta promptitudine. Reliquæ facultates vitales & animales rite ſe habent. Eſt carnoſus, robuſtus, bene coloratus: non ſitit.

Videtur nunc tremorem iſtum non evenire tantum ob denegatum aut impeditum influxum ſpirituum animalium ſufficientem, vel inde conſtat quia etiam ex. gr. repoſita manu aut brachio, manus inquietatur & ad latus quaſi pellitur, ac ſi aliquid convulſivi concurreret. *Reverendiſſimum Dominum* ſero acri & ſalſo abundare indigitat facies guttâ roſaceâ infecta. Paſſus eſt hactenus hordeolum in palpebra dextra, quod in abſceſſum degeneravit. In cerebro cumulat humores propter aſſidua ſtudia.

Quia *medicamenta aliaque auxilia* vel faſtidivit vel propter occupationes neglexit, ſuaſi *Thermas Ferinas.* Illis præmittat *potum acidularum Deinaccenſium.* Bibat *per dies* 10. *in ſummo ad* ℔*ij. mane* Comedat ſimul *fruſtulum Tab. ceph. ſequent. inter bibendum.*

 ℞. *Cinamom*

℞. *Cinamom. acut.* ℥ij. *galang. cubeb. cardamom.* āā. ʒß.
Santal. rubr. ʒj. *Mſc. F. Pulv. add. minutim conciſ.*
Condit. humid. Nuc. moſch. ℥ij. *cort. aurant. citri* āā ℥j.
Zingib. ʒß.
Amygd. dulc. excort. pinear. rec. mundat. āā. ℥ij.
Cum ſacch. alb. ℔j. *ſolut. in ſ. q. aq. cinamom. bugl.*
Mſc. F. conf. in morſell. ad ſcat.

In Thermis mane inſeſſui præmittat *hauſtum* ℥vj. *vel* ℥viij. *acidular.* Poſt potum obambulet. Excretis *acidulis inſeſſu Thermar.* utatur, quotidie tamen non aſcendat hor. 4. *à balneo* lectum petat. Veſperi ſi ſitiat *poſt balneum*, bibat *hauſtum acidularum*, ſi debilitatem ſentiat, ſumat *fruſtul. Tabell.* Antequam *ad acidulas* proficiſcatur, ſumat *Pilul. ceph. Num. x.* *In Thermis,* ſi conſtipetur aut caput gravetur, *harum poſt parcam cœnam* capiat *viij. ante decubitum.*

℞. *Extract. cochiar.* ʒj.
Senn. ſ. rhabarb. ſ. ana. ʒß. *caſtor. gr. iiij.*
Magiſt. jalap. gr. vj. ol. d. roriſmar. gutt. iij.
Elix. propr. Parac. q. ſ.
Mſc. F. Pil. Num. 65. *de* ☉. *conſperg.*
Pulv. ſant. rubr. d. ad ſcat.

Hanc Cucupham geſtare poſſet.

℞. *Maſtich. Elect.* ℥iij. *ſuccin. alb.* ℥ij.
C. C. uſt. ℥iß.
Summit. majoran. roriſmar. fl. roſ. rubr. āā. ℥j.
Mſc. F. Pulv. goſſypio excipiend. & ſyndon. r. interpaſſ. in cucupham.

V. S. niſi forte plethora urgeat, non repetenda. Dum *in acidulis & Thermis* verſatur, omnia graviora negotia omittenda; ſoli curæ vacandum eſt. Veſcatur cibis boni ſucci: non ſolum poſt potum ſed etiam poſt paſtum obambulet omnique ingenio animum excitet. Cura vix ante 5. ſeptimanas abſolvetur.

Exc. D. D. Härlinus ſcribit d. 24. *Jul.* 1683. *Acidulas & Thermas* optime pertulit nullumque ſymptoma ſenſit: octiduo elapſo actiones vitales & animales rurſus imminui cœperunt, rediit tremor, memoriæ & virium debilitas: cauſam putat animi pathemata, obambulat, in publicum prodit, non ſitit, appetit, verum à cibo non reficitur: alvus aperta: dormit,

Exc.

Exc. D. D. *Camerarius* ſuaſit *Elect.* & *Trag. cephal.* Poſt reditum neglexit *acidulas* : poſtquam illas rurſus bibit melius habet.

Reſpondi : Tremorem hunc cum reliquis ſymptomatibus provenire à calore ſolvente potius, quam illo oppreſſo. *Condito add. pulp. pom citr. N. ij. trag. ſpec. diarrh. Abb.* ℈j. *diamargar. Fr.* ℈ß. *tab. man. chr. perl.* ℥ß. *Mſc.* Continuet *potum acidular. mane* : ſi additur *pauxill. ſyr. acetoſ. citr.* magis ſaperent.

Reverendiſſimus D. D. & Præpoſitus W. Stuttgardiæ d. 1. *Nov.* 1683. *rurſus ab Excell. D. D. Härlino & Me viſitatus & examinatus fuit mane:* manu dextra continuo tremit, etiam quando illam ad quietem reponit, illaque veluti ſuccutitur motu quodam tremulo convulſivo, id etiam obſervavimus in pollice manus ſiniſtræ : ob hunc motum tremulum nec juſcula cochleari comedere valet, nec ſcribere amplius poteſt niſi tardiſſime, adeo ut cum labore nomen literis ſubſcribat. Bibiturus ambabus manibus vas apprehendit. Cæterum craſſiora corpora ex. gr. alteriûs manum, ſatis firmiter comprehendit, detinet, imo illam comprimere valet. Diu pedibus inſiſtere nequit, quin ſemper inter ſtandum illos aliquantulum loco moveat. Inter incedendum quandoque pedibus impingit, non tamen paralyticorum more illos trahit : veretur caſum ac putat ſe vacillare, aut titubare inſtar ebrii, licet in ingreſſu non obſervaverimus : vertiginem gyroſam non animadvertit, at titubantem adeſſe dicit. Caput nunquam dolet. Aures non tinniunt, omnibus ſenſibus externis valet, ignorat ſenſum formicationis : minutis literis impreſſa etiam Græca legit. Querebatur ſe non amplius tam facile ac prompte percipere, quæ legit, nec ea felicitate & facilitate memoriæ lecta imprimere, ut pridem, nec illorum recordari, adeo ut mane lecta poſt meridiem non niſi ægre & cum labore quodam depromere valeat. Oculi multoties manant, & facile illachrymat, tum propriæ tum alienæ miſeriæ conſideratione, quamvis ante virilem animum habuerit & memoria vel millenis præcellerit. Plurimas conciones animo concepit, non literis conſignavit, promptiſſime recenſuit, inter quas 8. *in Danielem* erant, quarum nunc non amplius recordatur. Inter concionandum ſudore prope defluxit, maxime in dextro latere, ſudor ille nunc fere ſubſtitit, hodie tamen manus dextra maduit. Dextrum latus à 13. annis debile fuit, imprimis vero brachium dextrum. Caput maximam partem calvum eſt : capilli tamen pro ætatis ratione non adeo cani. *Fonticulum* geſtat in brachio ſiniſtro, qui nunc minus quam pridem manat : caput ſibi obtuſum queritur & omnes artus ac omnem reliquum truncum veluti plumbeum, cum antea agilis eſſet & curſu cæteros ſibi coætaneos vinceret. In tertio matrimonio vi-

vit. Conjux ejus moderna obſervavit aliquoties tremorem hunc convulſivum brachii dextri ipſi in ſomno ſæpius eveniſſe: addidit ipſe frequenter totum corpus & artus ceu à rigore concuſſos fuiſſe. Ut pridem, ſic etiam in hoc valetudinis declinantis ſtatu aſſiduus eſt in legendo nec à lectione ullo modò arceri poteſt. *Die 2. Nov. Veſicatorium* utrique carpo impoſui: *hora 6. veſp.* aperui, veſicas excitarunt ſine magno dolore easque mediocres.

Analyſis.

Apud *Reverendiſſimum Dominum* non ſolum medullam ſpinalem p. n. affectam ſed quoque ipſum cerebrum labe quadam infectum eſſe, patet: per medullam ſpiritus animales non ſufficienter influere probant tremor manuum imprimis dextræ, imo omnium artuum mane quando ſurgit & perfrigeratur antequam veſtibus indutus ſit, alacritas omnium artuum imminuta, ob quam ſe totum plumbeum putat, licet nullus tumor artuum œdematoſus adſit: non poteſt firmiter talis inſiſtere, vacillationem timet, quandoque inter incedendum pedibus impingit, licet pedes nondum paralyticorum more trahat, juſcula aliaque potulenta comedere ſine profuſione nequit, non niſi lentiſſime ſcribit. Cerebrum imbecillius innuunt ſenſus capitis obtuſi, phantaſiæ quædam imbecillitas ut & memoriæ, unde, quæ legit non tam prompte aſſequitur, nec tam cito in memoria retinet, nec tam feliciter depromit ut pridem: lachrymæ tum ſponte manant, tum propriæ tum alienæ miſeriæ conſideratione largiter erumpunt. Vitium tamen intra cerebrum nondum magnum eſſe, vel inde conſtat, quia caput non dolet, omnibus ſenſibus externis valet, etiam formicationis ſenſum ignorat, denique judicio egregie adhuc pollet. Cauſa proxima non alia eſſe poteſt, quàm ſerum ſanguinis, nam ſolum hoc ſe citra graviora ſymptomata medullæ ſpinali & reconditis cerebri porulis & meatibus, per quos ſpiritus diſtribuuntur & moventur, immergere & hac ratione has actiones imminuere poteſt. Sero hoc *Reverendiſſ. Dn.* abundare, ſudores largiſſime tum aliàs tum inter concionandum effuſi & nunc prope ſuppreſſi evincunt. Verum hoc ſerum non ſolum immerſione & inſinuatione in medulloſas partes peccat, verum etiam vellicatione membranularum nervearum nervos inveſtientium, nam manus ſuccutiuntur cum digitis, ſi illas ad quietem componat, imo inter dormiendum non ſolum brachium dextrum, ſed omnes artus ceu à frigore concuſſos fuiſſe aliquoties obſervabatur indeque à ſomno excitabatur, manente ſuccuſſione. Vellicationem adſcribo ſeri acrimoniæ, quam ipſi conciliavit temperamentum calidius multis ſignis eluceſcens, imprimis ex facie rubra, promptitudine & alacritate in omnibus actionibus &c.

His morbis occurrendum magno & pertinaci ſtudio, tum quia indies

indies cum ætate incrementa ſumunt, tum quia nervini affectus aliàs ægre eradicari poſſunt eoque magis, quia *Reverendiſſ. Dn.* has partes intenſis & diu continuatis ingenii laboribus multum defatigavit, ſenſimque ad hoſpitandum hoc ſerum diſpoſuit. Ergo ſerum in tota maſſa ſanguinea & propriis vaſis redundans imminuendum, à principio nervorum revellendum, illi inhærens diſſipandum ſimulque corrigendum erit.

Quod hac ratione præſtabitur. *Rev. Dn.* tutò *purgari* poſſet *ſyr. roſ. ſ. ſ.* qui in majori quantitate partitis vicibus largiſſime ſerum citra periculum evacuat. *Ex. gr. dentur ejus ℥vij. vel ℥viij. paux. aq. beton. dilut. mane hor. 6.* Si ad 9. non *purget*, dentur tunc ulterius *℥ij. vel ℥iij. Fonticulus* apertus ſervetur. Crebro *veſicatoria* brachiis imponantur ſemper duo ſimul, mutatis locis. *Frictiones matutinæ* juxta fornacem utiliſſimæ ſunt *pilâ ex panno confectâ. Mane hora 6. & veſperi hora 5.* dentur 5. *vel 6. harum pilul. cum pauxill. aq. majoran. vel betonicæ.*

℞. *Diaph. ♃. ʒj. C. C. ph. ppr. ung. alc. pp. ana. ʒiß. cinnab. nat. ʒß. Extract. lign. al. ℈j. ambr. gryſ. gr. iiij. Mſc. F. c. mucil. trag. pil. ex ʒj. No.* 40.

Hora 8. *matut.* ſumat *cochl. ij. hujus gelat. cum juſculo carn. calid.*

℞. *Gallin. macil. dim. ped. vitul. N. j. limat. C. C. crud. ℥ij. ung. alc. ℥ß. Herb. major. acetoſ. Hiſp. cochl. ana. Mj. Macis. ʒß. pom. citr. N. j. Inciſ. & contuſ. ind. Lagen. ſtann. affund. aq. fontan. ℔ij. vin. alb. ℔ß. bene obturata locetur in cacab. aq. pl. ſinatur ebullire hor. v. Poſtea coletur & exprim. fortiter. Colaturæ add. conf. Alk. c. ʒj. Mſc.*

Cubitum iturus ſumere poſſet *jugl. magnit. hujus Elect.*

℞. *Conſerv. roſ. r. ℥j. Anthos. ℥j. ſpec. diambr. ʒj. pulp. pom. citr. N. j. Mſc.*

Mane & veſperi vertex inungatur *balſam. cephal. Cucuph.* ulterius geſtet.

Si debilitatem, ſiccitatem oris aut vertiginem ſentiat ſubinde ſumat maxime in ſenatu *rotulam*.

℞. *Spec. diambr. diamoſch. ãã. ʒj.*
diacubeb. diarrhod. Abb. ãã. ʒß.
Conſerv. roſar. rubr. ℥ß.
Conf. alkerm. c. ʒj.
Sacch. alb. in ſ. q. aq. majoran. ſolut. ℥iij.
Mſc. F. Confect. in Rotul.

Si *V. S. & Scarificationi* aſſueverit, non omittantur. Veſcatur cibis boni ſucci. Vinum diluat *decoct. lign. viſc. quern.* Lectionem à paſtu fugiat. Mœror omni ingenio excutiatur.

OBSERVATIO CVIII.

Affectus nervinus Convulſionem aut Pareſin minitans.

MAtrona quædam *Mercatoris Dn. N. N. Vitodurani Uxor* 28. annor. circiter. Staturæ mediocris, carnoſa & bene colorata. In pueritia ſtranguriâ afficiebatur & lapillos excrevit, hujus ſymptomatis vix recordatur. Paſſa eſt pleuritidem circa ætatis annum 10. Poſtquam primum menſes eruperunt, comeſtis pomis muriâ conditis ſubſtiterunt ad biennium fere, inde chloroſi afficiebatur: *variis uſa eſt medicamentis:* juvarunt tandem *Thermæ Badenſes in Argovia. Anno* 1685. ſævam lumbaginem paſſa eſt cum ſtranguria, illo tempore duæ tineæ, quæ bazii amplitudine poſt variolas permanſerunt, nec *medicamentis* curari poterant, ſua ſponte evanuerunt. Ab illo tempore incepit affectus de quo nunc conqueritur. Paroxyſmum præcedit veſperi ſitis, cibi aliquid adverſi ſapiunt, aures tinniunt, quandoque præcedit vertigo titubans, quæ cum aliquando in templo affeciſſet, ſudorem expreſſit, aliquando horror præcedit ſubſequente calore non magno, poſtea oculos claudere cogitur ſine dolore; attenditur circa radicem naſi, hinc putat aliquid è nucha delabi: pridem convellebantur artus, mente integra permanente: nunc artus quaſi ſtupidi & impotentes redduntur, ut ſibi aliquid apoplectici timeat; cor debilitatur, attamen nec extrema frigeſiunt nec expalleſcit: aliquando retro & anterius dolorem conſtrictivum ſentit in paroxyſmo. Poſt paroxyſmum dolent nucha & tempora; durat paroxyſmus tribus horis, aliquando toto die. Gravidam quatuor ſeptimanis ante partum ſemel afflixit, ſed duravit ſolum per diem dimidium. 1687. *à* 20. *Februar. ad* 15. *April.* prope quotidie illo corripiebatur. Enixa eſt *circa medium Octobr.* Infantem lactat. *Circa* 20. *Novembr.* rediit Paroxyſmus nunc quotidie nunc alternis diebus, citra tamen apertas ſeu manifeſtas convulſiones. Ob paroxyſmos imminentes aut timendos domi manere cogitur. *D* 10. *Decemb.* 1687. *me convenit:* Eques *Scaphuſium* venit: vegeta erat, bene colorata, capillis nigris prædita. Maritata fuit ante 6. annos. Liberos 5. peperit atque in penultimo partu gemellos. Appetit, non ſitit, alvus quotidie aperta eſt. Vinum bibit rubellum, illud aliquando ſine noxa aquâ temperat. Menſes, licet lactet, ſubinde videt ſed parce. Reſpiratio

ratio non eſt difficilis, ſemper humili ſitu poteſt decumbere. Pulſus eſt bonus. Senſibus omnibus valet: in acclivium aſcenſu debiliora experitur fœmora & genua: urina hodie erat glauca cum ramento mucoſo: mingit nunc ſine dolore, attamen bis noctu ſurgere cogitur. Non facile ſudat. Hodie ab equitatione, cœlo nivoſo manus circa carpum leviculè tumuit.

Analyſis.

Affectus iſte nervinus eſt ex illorum numero, qui convulſiones aut pareſin minantur, nam genus nervinum non procul ab exortu ſpinalis medullæ affligi, indicio ſunt tinnitus quidam utriusque auris, vertigo titubans, qua antrorſum ſibi cadendum putat: hæc aliquando in templo tam magna erat, ut ſedere cogeretur & ſudor exprimeretur; mox palpebræ decidunt illasque aperire nequit, ſine ullo dolore, putat aliquid è nucha decidere per dorſum, inde artus elangueſcunt & ad motum impotentes fiunt; pridem convellebantur; poſt paroxyſmum dolent nucha, tempora & radix naſi tenditur.

Cauſa ſpinalem medullam hoc in loco premens, alia non poteſt eſſe, quam ſerum, quod citra ſuppurationem aliamve praviorem corruptionem aliorſum defluere & ſine reliquiis diſſipari poteſt. Hoc cumulat *Domina Ægra* propter renes à pueritia debiles, nam in pueritia aliquid nephritici paſſa eſt cum ſtranguria; idemque affectus præceſſit hos inſultus, deinde parum ſudat, & forte vitam nimis ſedentariam vivit. Huc decumbit, poſt deſpumationem maſſæ ſanguineæ, ut *Carolus Piſo loquitur*, nam paroxyſmum præcedit ſitis, ſapor ciborum adverſus, horror ſubſequente calore leviculo.

Malo huic occurrendum diligenter, ne in morbum convulſivum aut pareſin degeneret.

Aliter tractandus extra paroxyſmum, aliter in ipſo paroxyſmo.

Extra Paroxyſmum ſerum evacuandum, circa principium ſpinalis medullæ abſorbendum, unâque operâ genus nervoſum roborandum eſt. Itaque *ſingulo mane* ſumat *hor. 6.* ℨj. *hujus pulveris cum aqua flor. tiliæ* maneatque adhuc ultra horam in lecto.

℞. *Pulv. radic. valerian. ſylv. pœon. ana.* ℨiij.
C. C. ph. ppr. Ung. alc. pp. ana. ℨiß.
Cinnab. nativ. Ungar. aut ♁*ii rectif.* ℨß.
Ol. nuc. moſch. expr. gr. iij.
Sacch. alb. ℥iß. *Mſc. F. Pulv.*

Veſperi hora ante cœnam ſumat ℨß. *hujus pulv. etiam c. aq. fl. Til. ſemel*

Ppp

mel in menſe, ſi non lactet, *ante novilunium*, *duabus horis à cœna parca* ſumat *has pilulas cum pauxillo vini.*

℞. *Extr. pilul. cochiar. gr. xxiij.*
caſtor. gr. iij.
Ol. d. roriſmar. gtt. j. Mſc. F. Pilul. Num. xiij. de ☉.

Fonticulus in ſiniſtro brachio multùm auxilii afferret ſenſim ſerum exhauriendo. *Frictiones* dorſi valde etiam prodeſſent : in victu vitet cibos viſcidos, lentos & crudum ſuccum præbentes ſcil. piſces, paſtas farinaceas, fructus crudos, carnem ſuillam, braſſicam & betam muria conditas. *In menſura una aquæ* coquatur *ligni viſci querni* ℥j. quâ vinum diluat. Subinde ſe obambulando exerceat: vitet ſomnum pomeridianum. Si mane ſudor erumpat, illum non ſupprimat ſed potius promoveat.

In paroxyſmo odoretur *balſam. ſuccin.* ſed non illinatur, *aut caſtor. cum aſa fœtida & ol. ſuccin. in pilam nucis moſchatæ magnitudine redactam.* Detur ſæpe *cochleare hujus mixturæ*

℞. *Aq. flor. til. pœon. ana.* ℥ij.
Eſſent. caſtor. ℈j. *cinnab. nat.* ℈ß.
Pulv. March. ʒß.
Ol. deſt. chamom. gtt. iiij. ſuccin. gtt. ij.
Sacch. perlat. ℥ß. *Mſc. dilig. d. ad vitr.*

Spiritus camphoratos omitterem. In paroxyſmo vel vinum omittat bibatque *decoctum lign. ſaſſafr.* vel probe illud diluat *decocto lign. viſc. quern.* Quieta teneatur.

Die 1. *Maji* 1688. *ſcripſit R. D. Andreas Steiner V. D. M. ex uſu medicamentorum præſcriptorum* affectum nunquam rediiſſe, ſubinde tamen occiput dolere & cervicem tendi ac defluxiones capitis moleſtas eſſe. *An alia medicamenta neceſſaria? Reſpondi* & ſuaſi ut pergeret *pulvere præſcripto.* In autumno alia pro re nata convenient.

OBSERVATIO CIX.
Convulſio particularis.

D. *Anna Eliſabetha S--- Tigurina*, ſtaturæ juſtæ, fuſca, carnoſa, bene colorata, 21. annorum, menſtruata 16. ætat. anno ſtatâ periodo, primo anno largius, poſtea parcius hucuſque. Nunquam

quam gravius ægrotavit. Variolas puella paſſa eſt, ut temporis non recordetur: etiam dyſenteriam, cujus tamen quoque non recordatur. Nulliûs caſûs aut contuſionis capitis meminit: Nec cephalalgiam novit. *Menſ. Febr.* 1694. dum Sorori nondum 4. annor. adſtitit, ſubito debilitate quadam correpta fuit, ut, niſi *à D. Matre* ſuſtentata fuiſſet, humi cecidiſſet: debilitas hæc duravit tribus ſeptimanis. In hac debilitate non potuit extra lectum permanere, extra illum nullam paſſa eſt vertiginem, nullam viſus obfuſcationem, timebat leipothymiam, nulla tamen ſecuta eſt, nec perfrigefiebant extrema: appetitus proſtratus penitus, ut nihil niſi juſcula comederit ſine pane intrito: non ſitiit: os non amaricavit, at ſiccabatur, cujus causâ 2. vel 3. poma comedebat, nunquam vomuit, nec ad vomitum ſtimulabatur. Poſt 3. dies ab invaſione hujus debilitatis caput per dies 3. valde doluit cum æſtu, ut febrim malignam timuerit: urina vitioſa admodum erat: bibit primo *Ptiſanam*, poſtea vinum temperatum aqua fervida. *D. D. Lavater* dedit *aquam turbidam ſubrubram*, quam poſt d. 8. averſabatur penitus: non illam purgavit, dedit poſtea *pulv. ſtomach. rubellum*. Circa finem tertiæ ſeptimanæ appetitus & vires redierunt, ut extra lectum perdurare ſenſim valuerit. A 12. ætatis anno ad 14. ſæpe hac debilitate correpta fuit, plerumque mane in templo aliquoties: adſcribebatur nimio & celeri augmento ſtaturæ: ſtatim ab invaſione lectus petendus erat, poſt horas duas remiſit, prandere tamen nequiit. Veſperi quaquaverſum obambulavit, cœnavit cum appetitu. *Ante* 3. *annos* debilitate hac correpta fuit in templo poſt prandium, ante hanc doluit humerus dexter, ita tamen, ut brachio pro lubitu uti valuerit, debilitas poſt decubitum 2. hor. remiſit, at dolor humeri valde augebatur, ut illo uti nequierit: circa axillam & muſculum deltoidem & articulum verſus claviculam inprimis afflixit, nullus tamen tumor, aut rubor apparuit, at putavit duritiem quandam adeſſe, quamvis nihil prominuerit, putavit illam ſub cute & immobilem eſſe. *A tribus annis* animadvertit particularem convulſionem primo ſolum in palpebra inferiore ſin. poſtea etiam in palpebra ſuperiore, ut oculum claudat. Hactenus invaluit, ut genam totam, labium & mentum ſiniſtrorſum trahat, cum faciei deturbatione inſtar μυκτηρίζοντος. Convulſio hæc particularis invadit ſæpius in die & prope ſingulo quadrante, duravit brevi vix ultra duo P. N. Non obſervat hanc magis affligere tempore pluvio quam ſereno: caput nunc non dolet, non tinniunt aures, nullam vertiginem patitur, non obnoxia eſt coryzæ nec catarrhis: noctu bene dormit. *Thermis Badæ* hac æſtate uſa eſt: illis lavit faciem, ut inde effluerit. *Inſeſſus* optime pertulit ad duas ultimas ſeptimanas, tunc enim non potuit diu amplius illis immorari, angebatur valde, ut cavendum fuerit, nulla tamen ſequebatur debilitas.

 Me

Me convenit d. 5. *Sept.* 1694. ſaniſſima cæterum excepta hac particulari convulſione. Vidi hanc eſſe motus convulſivos parvis intervallis ſæpius repetentes : non veluti in *Nakir*, ſed vere partes faciei & palpebræ inferioris, etiam labium & mentum trahuntur à naſo verſus aurem, indeque facies aliæque partes aliquomodo rugeſcunt, mox tamen rurſus complanantur. Ita motibus convulſivis plane obſiſtere nequit.

℞. *C. C. ph. ppr. Ungul. alc. ppr. ana.* ℨj.
Rad. pœon. ℨß. ☉. *horizont. gr. vj.*
⊖ *volat. ſuccin. gr. j. extract. caſtor. gr. vj.*
Sacch. alb. ℨj. *Mſc. F. Ps.*
Divid. in Doſ. 6. æq. D. ad chart. M. & V. ſumend.

Non nimium indulget fructibus crudis : at prope in ſingulis cœnis præterita æſtate comedit acetaria. *D.* 14. *Septemb. me convenit ante meridiem :* motum paſſa eſt mane hor. 8. & rurſus poſt 10. duravit diutius, quam multis antea prægreſſis vicibus, ſcil. fere ad dimid. quadrant. hor. motui huic convulſivo nullo modo reſiſtere potuit, nec preſſioni ſub zygomate, quod aliis vicibus valuit : redibant motus brevibus intervallis, aliquando diutius convulſæ partes manebant : ſuccutiebantur ambæ palpebræ, naſus corrugabatur, pinna dextra movebatur, genæ tractio conſpiciebatur, ut circa zygoma & articulus maxillæ inferioris, labia mire diſtorquerentur : oculus inde parum doluit : os pro lubitu aperit, loquitur : dentes non colliduntur.

Reſolutio.

Affectus *nec Nakir, nec* πάλμος ſeu palpitatione cutis & partium ſubcutanearum conſpicuus, *de quo peculiarem libellum Galen. ſcripſit*, licet affinitatem habere videantur mihi, cum ambos hosce affectus malim veriſimilius adſcribere ſpaſmo coonvulſivo, quàm flatibus ſub cute detentis : unde enim flatus tam ſubitò & frequenter ad has partes emitterentur & citò conſumpti renaſcerentur ? Manifeſte conſpicitur, motum hunc convulſivum eſſe, nam partes motæ involuntariè trahuntur ſiniſtrorſum verſus aurem à parte dextra. Motus convulſivus potius appellandus, quam convulſio, quia brevibus intervallis ſæpe alternant relaxatio & retractio.

Sedes cauſæ hujus motus convulſivi non poteſt in quolibet horum muſculorum eſſe, quia diverſi ſimul in uno momento præter voluntatem moventur, ut nihil obſiſtere valuerint. Veritati conſentaneum eſt illam hærere circa nervum, qui ramulos ſuppeditat nervoſos omnibus his muſculis in dextro latere ſc. palpebrarum, naſi, labiorum & faciei

faciei, ſc. in ramo paris 4., qui poſt ephippium ſub oſſe cuneiformi ramos ad has partes ut & dentes maxillæ ſuperioris, linguam &c. mittit. *vid. Vieuſſens, Willis Pathol. &c.* Hæc videtur circa ramulum illum ſibi nidum paraſſe nervulumque vellicare, nullo modo inflari aut in illo explodi, nam tenſi aliquandiu quandoque muſculi moventur, aut celerrime ſe conſequuntur motus & aliquando ſæpius vigilantem paroxyſmi corripiunt: an dormientem quoque ignoro.

Vellicans eſt ſerum, quod hæc intima loca ſubit, in illaque ſemper irrorata vim ſuam exerit, ob moram facilè colligitur, & per motus convulſivos exprimitur, denuoque inſtillatur, nec tamen facile ſuppuratur. Viam ad hunc locum inveniſſe videtur ante triennium, quo tempore ob ſibi familiarem debilitatem ſævum dolorem humeri paſſa eſt: nam illa ipſa debilitas productum videtur ſeri, quia à decubitu & quiete ceſſavit, ut & dolor humeri, quia citra inflammationem & ſuppurationem aufferebatur, potiſſimum per diaphoreſin.

Cauſa externa author hujus affluxûs ignoratur, non doluit valde capite; coryzæ, odontalgiæ &c. non obnoxia eſt: nullius caſûs, contuſionis, recordatur. Ad ſerum hoc ab illo loco aufferendum ſuaſi *hunc pulv. antiepil.*

℞. *Limat. C. C.* ʒ*iij. Ungul. alc. ppr.* ʒ*ij.*
Ocul. ♋. *pp. diaphor,* ♃*al.* ℈*iiij.*
Cinnab. nativ. ℈ß. *Pulv. caſtor.* ʒß.
Ol. d. ſuccin. gtt. iiij. Rad. pœon. ʒ*ij.*
Sacch. alb. ℥*ij. Mſc. F. P.*
Doſ. ſummo mane in lecto ʒß. *c. aq. fl. til. aut pœon.*

Ante fluxum menſium.

℞. *Summit. roriſmar. meliſſ.*
puleg. āā. *Pj.*
Cort. ☉*ant. Mac.* āā. ʒß.
Baccar. laur. No. vj.
Inciſ. & contuſ. ind. nodulo ex linteo raro affund. vini opt. Menſ. j.

D. octo ante periodum bibat *pro primo hauſtu in prandio & cœna* ℥*iij.* In victu vitet imprimis valde acria, ſalſa, acida, fructus crudos.

Cogitata Excell. D. D. Brunneri.

Mirificas, ego quidem, convulſiones obſervavi in ſexu ſequiori, cælibibus imprimis, & tunc temporis quando menſtrua erunt proruptura

ruptura : nec magis afflixerunt, quam ſanguineas ſuccique plenas. Nemini, qui ſatis aſſequutus fuerit motum ſpirituum *animalium*, & inde partium humani corporis, non mirum eſt; ſi non ſatis claram motuum convulſivorum cauſam redolere poſſimus. Hinc *Willis in præfatione de motibus convulſivis* non miratus fuit, ejusmodi motus *Cacodæmoni* ab imperita plebe nonnunquam imputari. Probo *antiſpaſmodica*, ſed hiſce addo *refrigerantia vulgo dicta, tam in diæta quam pharmacia, cum Dna Patiens* videatur fuſca, & fervidioris forte temperamenti. Vinum denego. *Serum lactis caprilli, plantis refrigerantibus temperatum*, inprimis *acidulas* ſuaſerim, vitando acria, ſalſa, ſpirituoſa. Vidiſti ipſemet *Venæ ſectiones menſtruas* juviſſe, irritis omnibus aliis : idem *apud Domicellam de Neveu* expertus ſum, reliqua tuæ induſtriæ committo. *Vale.*

OBSERVATIO CX.

Convulſio particularis.

VIr circiter triginta quatuor annorum, temperamenti phlegmatico-melancholici, coloris faciei pallido-plumbei, habitûs corporis modicè carnoſi, non macilenti nec laxi ſed toroſi : præclaris animi dotibus, inprimis ingenii acumine præditus, aſt gaudens texturâ, primo ſpirituum adeo fluxa ac difflabili, ut nec ullas aëris ſubitas mutationes ac injurias, nec etiam inſultus quosque interdum leviſſimos morbidos impunè ferat, quin ſubinde inopinanter obruatur animi deliquiis : dein fibrarum adeo debili ac tenerâ, ut etiam *leviſſima pharmaca purgantia* perferre nequeat : munere fungitur occupationibus laborioſiſſimis nunquam vacuo, tædiis pleno, negotia graviſſima quoque audacter aggrediens, in quibus obeundis, judicioſum ſe ſemper, expeditum ac ſolertem præſtat, nec genii vivacitas ſuccumberet unquam, niſi corporis deficerent vires : venationibus indulget nimium, minus palato ac gulæ, imo in exacta diæta obſervanda, nunquam non ſollicitus, à variis jam prægreſſis accidentibus ab aliquo tempore, cautus; interim numeroſæ jam prolis vegetæ parens. Hic ab aliquot annis, præter inflammationes & deſtillationes catarrhoſas ad tonſillas ac partes vicinas glandulares certo tempore periodice inprimis vernali invadentes, alia graviora pathemata nulla paſſus, præterquam ultimis hiſce pauciſſimis menſibus frequentius quaſi per crebriores paroxyſmos, denuo & longe atrocius hiſce defluxionibus non ſaltem ad partes faucium internas & omnes reliquas glandulas ſalivares, ſed & ad externas circa muſculos ad partes tendinoſas colli, inprimis lateris dextri (hocce tempo-

tempore ſubſultus quoque ac ſpaſmos tremulos vagos in membris perſentiebat) ab occipite ad homoplatam uſque decumbentibus conflictatur uſque adeo, ut illæ continuum ptyalismum interdum ſputa liquidiora, mox autem & quidem longe majori cum moleſtia, craſſiora ac viſcidiora reddentem: hæ vero dolores diſtendentes ac ſpaſmodice diu noctuque excruciantes percrearent: donec tandem ultimo hoc tempore ab aliquot ſeptimanis, non quidem quotidie, ſed fere alternis diebus, per certos paroxyſmos plerumque 6. 8. imo 18. horas durantes, ac plerunque unico vel reiteratis ſudoribus finientes, ingruentes, adeo ingraveſcerent, ut præter tenſiones ſumme dolorificas in nucha, inprimis anterius circa laryngem ac jugulum tantam compreſſionem ſtrictivam cauſarent, ut ægrotus laqueo quaſi ſtrangulari videretur, nullatenus tamen deglutitione interea ullo modo impedita, nec ulla tuſſi, nec alia dyſpnoëtica vel aſthmatica moleſtia afficiente, quin potius ſupinus decumbere & libere reſpirare queat: hoc quidem obſervavi, quo magis ſputatio deficiat, ac ſaliva viſcidior reddatur, ductusque ſalivares magis obſtructi, hancce ſtricturam circa jugulum &c. quoque magis intendi: hiſce durantibus appetitus ac ventriculi digeſtio, alvique ſolutio, ſi non ſemper naturales ac laudabiles, nunquam tamen plane ceſſant, præterquam quod ſæpius defluxione ad ventriculum uſque procedente, diarrhæa levis ſubſultibus torminoſis ſubſequatur: Reliquis patiens noctibus de nulla conqueritur agrypnia: pulſus ſemper naturalis ac æqualis, minime hecticus nec febrilis: urina interdum clara, mox turbulenta, ſæpius cum hypoſtaſi mucoſa, color lixivialis.

In horum occurſum, *purgantibus hydra-phlegmagogis*, *omnivariis anticatarrhalibus internis, externis, ac tandem diæta ſudorifera cum decocto lignorum, ac ſudatione in ſtupha, per tres fere ſeptimanas* ſtrenue fuit allaboratum, in tantum autem non perfectum, quin *Dnus Ægrotus* adhuc indeſinenter moleſtiſſimo ptyaliſmo, viſcidiſſimæ ſalivæ rejectione incommodetur, imo proxime præteritam noctem, præcedentium omnium longe crudeliſſimam præprimis ob ſtricturam ſupra dictam, duxerit; præterita æſtate, *Aquas Piperinas* penes ſcaturiginem, & quidem ſummo cum fructu ac levamine bibit, *quæritur de hiſce hacce æſtate reiterandis, quæritur de applicando Fonticulo, ejusque numero ac loco, quæritur de reliquis ulterius agendis, à Tua Excellentia petit Conſilium omni gratitudinis genere compenſandum.*

Celebritatis Nominis Tui

Devotiſſimus

Platerus, Doctor.

P. S.

P. S. Ante uſum diætæ ſudoriferæ, veſicatorium ſupra homoplatam obſeſſam fuit applicitum, optimo ſubſequente effectu, ubi hoc occurrebat memoratu dignum, quod ceſſante fluxu, ſex dies durante, mox ſymptomata omnia circa ſalivationem fuerint exacerbata, cum antea prædicti, fluxu durante, paroxyſmi emanſerint.

Conſilium Medicum.

NObiliſſ. Dni Wetſtenii Affectus eſt convulſio particularis muſculorum cervicis & colli, in dextro potiſſimum latere: nam patitur in parte poſtica ab occipite ad homoplatam & à nucha laryngem verſus tenſionem admodum dolorificam, & ſenſum compreſſionis ac conſtrictionis, ſtrangulatione ceu laqueo intentatus. Quinam muſculi colli potiſſimum & cervicis convellantur, ab oculari inſpectione & tactu *per præſentem Dominum Medicum* indicari, quam accurate à me definiri poſſent: id tamen auſim ſtatuere, muſculos hos cum tantis cruciatibus junctos tantopere contrahi: irritatis potius nervorum ramulis à ſpinali medulla procedentibus, quam à paris vagi ramulis: quia libere deglutit, & reſpirat, ac pro lubitu decumbere valet: & omnino propagines nervorum cervicalium à medulla oriundas vellicari cum aliis, inde manifeſtum eſt, quia jam in artubus experitur ſubſultus & ſpaſmos vagos. Particularem convulſionem affectum voco, quia in paroxyſmis mens adhuc ſemper conſtitit, & reliqui muſculi à vera convulſione immunes perſtiterunt.

Serum hujus vellicationis ſeu illecebræ ad convulſionem circa hos ſurculos nervoſos ſtagnans, cauſam exiſtimo, quia hoc ſolum ad intimos hos aditus pertingere totumque diſſipari poteſt citra ſuppurationem, & nova effuſione facta paroxyſmos periodice excitare valet, nunc breviores, nunc longiores, prout vel citius vel tardius recedit. Atque omnino ſerum cauſam hujus mali eſſe, vel inde quoque manifeſtum fit, quia paroxyſmi finiuntur largo ſudore: minus afficitur, ſi ſalivam tenuem largius exſpuat, aut aliàs effluat: juvarunt quoque *cura ſudorifera & veſicatorium* homoplatis impoſitum.

Sero *Nob. Dn. Ægrum* abundare color faciei pallidus, ſublividus & frequentes defluxiones ad fauces teſtantur, ac largior ſudatio: ad ejus cumulationem vitæ genus multum contulit, nam ſtudiis deditus eſt, atque in officio aſſiduus, licet ſubinde venationibus indulgeat.

Apud omnes homines ſerum ſalſum eſt, forte tamen *apud Nob. Dn.* ſalſius, quod innuit quoque dolorum ſævities, ipſumque hoc ſymptoma, magis id innoteſceret ſero ſanguinis deguſtato aut ad ſiccitatem inſpiſſato. Hoc eo gravius affligit, quia textura membranarum alia-

rumque

rumque partium nervoſarum tam exquiſito ſenſu prædita eſt, ut citiſſime & promptiſſime affligatur, ſcil. à mutatione aëris, *purgantibus* & aliis, indeque inopinanter leipothymiâ obruatur. Ad hunc locum ſerum decumbere veroſimillimum eſt, quia caput plurimum laboribus ingenii ab aliquot annis defatigavit, & inter ſcribendum, legendum &c. potiſſimum ad dextrum latus inclinavit forte.

Serum in toto imminuendum, & à loco, in quem extillavit, eliminandum, unâ operâ mitigandum, & genus nervoſum corroborandum eſt, idque citra cunctationem, eoque magis, quia jam ſubſultus ſpaſmodici artus attentare incipiunt. Quomodo hiſce indicationibus ſatisfaciendum ſit, hoc opus, hic labor erit: quid ſentiam, paucis indicabo, & *Excell. Dn. D. Platero* mecum ponderanda committam. Sedem cauſæ proximæ talium convulſionum particularium profundius latitare comperi, quam foris circa inſertiones & origines muſculorum cervicis & colli, quia plures ſimul muſculi ad hanc eorum contractionem ſtimulantur, & expertus ſum illam haud facile cedere *topicis cujuſcunque generis ſint & efficacibus ſollicite applicitis ſive ſpiritibus ſive unguentis ſive emplaſtris aut fotibus*, imo quandoque malum ab illis exacerbatum novi. *Purgantia* hoc malum non tollere certo ſcio, nec forte tuta forent, quia partes nervoſæ plurimum irritabiles ſunt.

Remedium contra particulares convulſiones inprimis cauſa proxima detenta vel intra cranium, vel intra canalem medullæ ſpinalis intra vertebras *tutiſſimum & efficaciſſimum* deprehendi *ſudoris provocationem ſuper ſcamno ſudoriſero*, exhibitis ſimul ſerum attenuantibus, diſſolventibus & mitigantibus hac methodo.

Primo *mane & veſperi hora quinta* exhibeatur ℈j. *hujus pulveris cum aq. flor. til. aut pœon. cochlearibus tribus vel quatuor.*

℞. *Antihect. Pot.* ʒß.
Mag. ♄ *diaph.* ℈ij.
Cinnab. nativ. aut ♄ *rectif.* ℈ß.
C. C. ph. ppr. ʒij.
Ungul. alc. ppt. ʒiß.
Ambr. gryſ. gr. vj.
Sacch. alb. ℥iß.
Ol. roriſmar. deſtillat.
majoran. deſtillat. ãã. *gutt. ij.*
Mſc. F. P. ſubt. ad ſcat.

Secundò : elapſa fere hora bibat æger ℥iiij. *vel* ℥v. calide *hujus decocti.*

℞. *Rad. Sarſæparill.* ℥iii.
Paſſul. maj. exac. ℥j.
Sem. fœnicul: ℥ij.

Inc. & contuſ. coq. in vaſe ſtann. bene clauſo cum aq. font. ℔iiij. *per horam integram, vaſe in cacabum aquâ plenum locato : vaſe ſponte frigefacto coletur.*

Tertio : dum hæc fiunt, *ſcamnum* adaptetur, calefiat, & circa horam 6. matutinam *Nob. Dn. Æger* jam probe *ſcamno calefacto* imponatur : dum ei incumbit, ſubinde *hac aquâ ſudoriferâ*, & acrimoniam ſeri obtundente utatur.

℞. *Aq. fl. til.*
ſatur. purp. ana. ℥iij.
Pulv. epilept. M.
Mag. ♃*ii diaph. ana.* ℈j.
Conf. alk. c.
de hyacinth. c. ana. ʒß.
Syr. de rub. Id. ℥ß.
M. ad vitr.

Quarto : *ſuper ſcamno* relinquatur *Æger* prima vice non multum ultra horæ quadrantem, & deterſus reponatur in lectum calefactum, ibique ſubinde refocilletur *uno alterove cochleari aquæ diaphoreticæ.*

Quintò : collo circumponatur *linteum calefactum & bene perfumatum pulvere ſuccini & maſtichis.*

Sexto : niſi motus convulſivus admodum infeſtet, *veſperi* non locetur *ſuper ſcamnum* : ſin vero ille ſæviret valde, & ſi paroxyſmi prorogarentur, imponatur eâdem ratione ſcil. detur *horâ quartâ pulvis, poſt dimidiam horam decoctum, & hora quinta ei incumbat, & reficiatur aqua diaphoretica.*

Hæc continuanda eò usque donec ſymptomata vel evaneſcant vel multum mitigata fuerint. In hac cura nunquam *purgo*, neque alia *medicamenta* ſuggero : ſi forte alvus cunctetur, ſuadeo *clyſterem emollientem temperatum, non valde irritantem.* Cavendum imprimis durante hac cura, ne corpus frigori exponatur, cibetur cibis optimi ſucci, facilis

facilis coctionis: plerisque vinum denego, pro potu ſuadeo *decoctum chinæ cum paſſulis majoribus aut minoribus.* Obambulationem commendo: prandeat horâ decimâ: cœnet horâ ſeptimâ veſpertinâ: ſi ſomnus ſit inquietus, horâ ſomni dari poſſet *hauſtus emulſionis amygd. dulc. cum pauxillo ſirup. violar. edulcorat.*

Quoniam pulſus eſt naturalis, in paſtu quandoque hauſtus vini *decocto chinæ* diluti concedi commode poſſet. Durante hoc ſymptomate, nec domi, nec in loco *potum thermarum Fabarienſium* ſuaderem. Præteritâ æſtate domitâ convulſione particulari tali illum cum *Genero meo Dn. D. Brunnero* conceſſi *Generoſo Dn. Colonnello Gredero:* Arcendus erit omni ſtudio à negotiis tædioſis, & laborem ingenii poſtulantibus. *Deus T. O. M. hæc ſalutaria eſſe jubeat.*

Joh. Jacob. Wepfer, M.D.

Scribit Clar. D. D. Platerus die 8. *Jul.* 1693. Mane per d. 14. continuavit *ſcamnum,* adſcendit ſenſim & ei incubuit tandem ad horam, quamdiu ſcil. conceſſit virium tolerantia, ſudorique per horam in lecto vacavit, hinc illius uſum intermiſit. Inde ita ſublevatus fuit, ut nullum amplius paroxyſmum expertus fuerit, nec alio graviore ſymptomate moleſtatus: extra lectum conſueta munia obit, nec ullarum actionum læſarum indicia præbet. Conqueritur ſolum de ſpaſmo muſculorum cervicis & colli in latere d. putat Scaleni & Maſtoidei, & quidem longe atrocius & pertinacius, quod illum valde excruciat, cum aliàs bene ſe habeat. Cum ſymptomata pleraque à colluvie ſeroſa ſublata excepto ptyaliſmo nondum penitus ceſſante, reſtare putat ſublationem ſymptomatis hujus *per Topica,* fruſtra aliis ac multivariis ſimilibus adhibitis hactenus. Quando interdiu diutius ſtat & confabulatur, vertiginem tenebricoſam cum virium languore patitur. *Quæritur, quid remedii conveniat? an fonticulus? num thermæ Plumbariæ in Lotharingia? ad harum uſum inclinat D. Æger. Vel an alia ſpecifica ſciam? rogat ut ſuppeditem.*

Reſpondi die 11. *Jul.* Tenſio in colli latere d. ad ſcapulam videtur à ſpaſmo fieri quoque muſculorum capitis, quia caput ad inclinationem tendit antrorſum, anne ad latus non exprimitur, quod fiet maſtoideo uno aut ambobus affectis, quia ſiniſtrorſum quoque vergit dolor: ſpaſmum ideo credo, quia tenſio cum dolore juncta eſt. Vertiginem exiſtimo fieri per conſenſum ob dolorem cervicis perturbantem ſpiritus animales intra cranium; non per eſſentiam, quia munere ſuo inoffenſe fungi poteſt, & non niſi longa confabulatione evenit cum ſtupore aliquo: reliquias ſpaſmi cauſæ ſupereſſe probant, quæ auferendæ

rendæ; cum jam *ſuper ſcamno* ſudaverit, inſuperque poſtquam lectum repetiit, *à ſudoriferis* vel violentius ſudorem provocantibus aliquandiu feriæ concedendæ, imprimis nunc in canicularibus, tum quia animus eſt *Plumbarias* adire. Interea tamen ne hoſtis novos cuniculos moliatur, & graviores moleſtias denuo creet, ſuaderem *pulv. antiſpaſmodicum alternis mane* ʒj. ſumendum, *toti compoſitioni add. Extract. caſtor.* ⊖ *volat. lumbric. ana.* ʒß. *ſacch.* ℥ß. *Mſc. alternis noctibus* dentur *gr. iij. ad iiij. theriac. cœleſt.* Collo circumponatur *Empl. diacalcit. apud Hildan. alutæ craſſiuſcule inductum*, quod diu noctuque geſtet, quo in pertinaci dolore humeri uſus ſum. Si vero dolor tenſioque invaleſceret, *Scamni uſum* ante abitum *ad thermas* per dies 8. commendarem. In nervinis talibus affectibus pertinacibus aliàs ſoleo illius uſum ſingulis menſibus per d. 14. repetere, donec devictus ſit.

Plumbarias pro lubitu adire poterit: *Embrocam* in illis probarem quoque: quomodo ſudores provocent, neſcio; ſi cum vi quadam fieret, conſultius eſſet illos omittere; ſi neceſſarium domi rurſus moveri modo jam noto, qui citra virium proſtrationem inſtitui poſſet, ut jam expertus eſt.

Fonticuli excitatio differatur, donec redierit domum; imo ſi dolor pergeret, illi *Setaceum* præferrem, quod abſque notabili dolore paramus, & modum novimus, cujus beneficio geſtatio ejus non moleſta & pro lubitu iterum exareſcere conceditur, promptius & certius juvaret quam *fonticulus*.

Nob. D. Wetſtein uſus fuit *thermis Plumbar. potu & inſeſſu ac embrocatione per d.* 16. optimo cum ſucceſſu; hujus enim curæ beneficio amiſſæ vires redierunt multum caputque grave fere totum levatum eſt: vertigo vero penitus ceſſavit, dolores in cervice & humero imminuti, ut rurſus ſuo munere & negotiis abſque ſingulari moleſtia vacare poſſit, *ut ſcripſit d.* 20. *Nov.* 1693.

Reſpondi, ad reliquias tollendas caput contra frigus muniat: vitet lucubrationes: ſudores matutinos juvet, & quandoque *gr. iiij. vel v. theriac. cœleſt. noctu ſumptis promoveat.*

OBSER-

OBSERVATIO CXI.

Convulſio particularis cum Hæmorrhoidibus cæcis.

NObiliſſ. *D. N. N. Uxor*, 38. annor. duodecies peperit & nuperrime quoque, adeo ut non ita pridem è puerperio exierit: ſtaturæ juſtæ, bene colorata, mediocriter carnoſa. A biennio præter voluntatem caput ad latus trahitur, ſuâ tamen ſponte citra operam manuum in oppoſitum latus dirigere poteſt; quamprimum vero ſui obliviſcitur, aut niſi ſtudio caput erectum ſervare annititur, ſtatim iterum ad latus ſiniſtrum dilabitur; præterea in ſomno caput ſubinde ſuccutitur, quandoque cum moleſtia & ſomni interruptione. Pridem hic tractus noctu tantum afflixit, nunc etiam interdiu: at ſuccuſſio non contingit interdiu, niſi decumbat in lecto.

Ex quo fœtum duplicatum ante 16. annos peperit, hæmorrhoides cæcas patitur, ſemel in anno ſumme dolorificæ ſunt, excreſcunt ad magnitudinem nucis juglandis, dolor durat 14. diebus. *Anno* 1685. *quo ipſam d.* 12. *Auguſt. conveni*, rurſus inceperunt dolere: eſt alvi durioris, excrementa non poteſt excludere, niſi excretionem digitis adjuvet; intus in recto inteſtino quoque tubercula inſtar acinorum uvarum tangit: *Suppoſitor. mellita* non tolerat. Queritur etiam de anxietate & dolore compreſſivo præcordiorum.

Suaſi propter tractum 1.

℞. Rad. valerian. ſylv. ℥ß.
pœon. ʒij.
Limat C. C. ʒiij.
Ol. N. M. expr. gr. vj.
Sacch. alb. ℥iij.
Mſc. F. Pulv. ſubt.
Doſ. ſummo Mane ʒj. *cum aq. fl. til.*

2. Pulv. contra Fluxum.

℞. Maſtich. ſel. ℥j.
Succin. flav. ℥ß.
Herb. roriſmar.
calcatrip. cærul.
Flor. lavendul.
Mſc. F. Pulv.

Propter hæmorrhoides 1. *apertionem fol. fic. præmiſſo vapore ex decoct. verbaſc. malv. eq.* 2. *Liniment. alvum lubricans ex butyr. vitell. ovor. croc.* 3. *Cibos laxantes ante paſtum.* 4. *Liniment. anodynum vel ex ol. verbaſc. per triplicem infuſionem, vel ex vitell. ovor. cremor. lact. ol. roſac.* 5. *V. S. in dorſo.*

Die 16. Auguſt. rurſus illam conveni in Lenzburgica arce : decubuit jam à tribus diebus propter dolorem hæmorrhoidum vehementiſſimum. *Poſt meum abitum d. 14. Aug. venas dorſales ambas* prope os ſacrum *incidendas curavit,* largiter fluxerunt illasque ſiſtere cogebatur, inde nullum levamen percepit. Angebatur ſummopere ob alvum duriorem; nam cum aliàs alvum non niſi cum lachrymis ſolvat, nunc ſibi magis quam unquam timet. *Liniment. ex butyr. vitell. ov. & croco* ſuperficiarie uſa eſt, ſed ajebat ſe intra alvum hactenus intrudere non potuiſſe.

Eod. die narravit mihi tractum nullam anſam accepiſſe vel à caſu vel ab alia capitis alliſione : at caput jam ante aliquot annos quandoque ſtupore quodam affectum fuiſſe, in quo ſenſus quaſi omnes perire videbantur, cujus cauſa etiam me *Bernæ* conſuluit ipſique tunc *Pulv. cephalic.* cum fructu præſcripſi. Putat occaſionem dediſſe coryzam; certi tamen nihil affirmare potuit. Cæterum frequenter occiput doluit & adhuc dolet, patitur quoque ſæpe defluxiones ad humeros, unde grave pondus illis incumbere putat. Eryſipelas capitis verum nunquam paſſa eſt. Primum exordium hujus tractùs indicare nequiit; illo præſente aliquantulum dolet in occipite & ad latus colli, attactum tamen optime tolerat : aliquando ab illo immunis eſt, ut vidi dum decubua eſſet; ſi caput erigat aut erecta ſedeat, ſi velit, illam inhibere valet, ſi autem ſui obliviſcatur, ſtatim tractus ſiniſtrorſum fit, ac aliquantulum caput diſtortum manet idque plerumque toto die, dum extra lectum eſt, ſive ſedeat ſive ſtèt ſive obambulet : illud tamen in rectum ſtatum nunc reducere voluntatis imperio poteſt, nunc manu capiti admotâ illud in rectum ſitum quaſi redigere neceſſe habet : raræ à tractu induciæ conceduntur, & vix unquam niſi quaſi ſtudeat caput erectum tenere. Præſente hæmorrhoidum dolore non multum auctus fuit tractus. Cum ſuccuſſione ita comparatum eſt, quando decumbit & dormit, caput blande ex uno latere in alterum movetur, non ſecus ac infantibus in cunis decumbentibus dum ad ſomnum conciliandum cunæ agitantur quandoque ſomnum interrumpit, plerumque tamen non. Cætera ſana eſt, bene colorata : appetit, non ſitit, bene dormit, alvi ſemper durioris : de dolore compreſſivo non conqueritur, niſi præſente dolore hypochondriaco. Pulſum habet bonum. NB. in

puer-

puerperiis hæmorrhoides plane non ſunt moleſtæ, an ob lochiorum fluxum?

Suaſi hodie potiſſimum *remedia* contra hæmorrhoides, *ſcil. ol. ovor.* 2. *Liniment. paratum ex butyro in quo ſcrophular. & ſolan. rec. coct. add.* ✠. *de lithargyr. clyſter. ex ol. lin. vitell. ovor. mell. & lact.*

Reſolutio.

TRactus iſte capitis videtur eſſe convulſivus, non paralyticus partis oppoſitæ, nam caput erectum tenere valet, ad ſiniſtrum latus inclinans imperio voluntatis in legitimum ſitum, etiam ſine ope manûs reſtituit: dolet ſi diu in ſitu p. n. caput jacere negligat idque in occipite & collo: imprimis hoc patet ex agitatione capitis tempore ſomni aut ſi decumbat. Cauſa ejus eſt aliqua nervuli vellicatio ab humore ſeroſo; hoc intra cranium ſtagnare innuunt ſtupor pridem prægreſſus in capite, dolor occipitis, defluxiones frequentes ad humeros. Occaſionis ulliûs non eſt memor, ſcil. vel alliſionis vel frigefactionis colli à vento, tempeſtate pluvia, nivoſa &c. An dolor hæmorrhoidum anſam dederit, quod cum cervice aliquam communionem habet, *ut obſervavi, imprimis in uxore D. D. Hurteri p. m.*

Igitur contra hunc affectum proderunt *antiepileptica*: præter priora conveniet quoque *Spir. bezoard.* & aliquando *Cinnabar. Item Frictiones*, quæ tamen ita attemperandæ, ne detur occaſio dolori hæmorrhoidum.

OBSERVATIO CXII.

Convulſio mira.

R. *Anna Maria R - - - Conventualis Inzikoviana:* 19. annor. gracilis, tenera, candida, facie rubicunda. Ultra annum omnia aſſumpta mox evomit: ſiticuloſa fuit. Cibum vix ultra quadrantem horæ retinuit. Antequam vomat, ſentit circa cartilaginem xyphoidem dolorem compreſſivum & anxietatem, nec ulla ceſſatio, donec evomat. Vomit abſque labore. Sitit diu noctuque. Potum retinet, niſi ſimul cibum ſumat. Quandoque jentaculum ſcil. cochl. v. vel vj. juſc. retinet: quandoque etiam panem aliquandiu, quem tamen poſt aliquot horas demum evomit. *Ante biennium ſumpſit pulverem Marchionis, poſt integrum annum elapſum demum evomuit iterum aurum muco permixtum.* Poſt vomitum melius quidem habet circa præcordia, non tamen penitus ceſſat, ſemper os amaricat, ac ſi gentianæ radicem comediſſet. Menſes ab uno & dimid. anno ſubſtiterunt

ſcil.

ſcil. à principio hujus vomitus: menſtrua ante 14. annum ætatis manare cœperunt. Conſtipationi admodum obnoxia fuit. Sæpe ad aliquot ſeptimanas alvus occluſa. Meticuloſa à pueritia fuit, adeo ut ob metum puellula adhuc ſæpe dormire nequierit. *Die 9. Martii 1672. ſt. n.* primum convelli cœpit: diu præceſſit anxietas circa præcordia, reſpiratio inæqualis, proclivitas ad lachrymandum. Convulſio primum invaſit poſt cœnam: poſtea poſt prandium & cœnam præcedente vomitu: præter tamen illud tempus etiam aliis vicibus convellebatur interdiu nunquam noctu. In motu convulſivo movebat p. n. manus, pedes, caput, lingua quoque concutiebatur: ſemper tamen intellectum retinuit integrum: oculis apertis vidit, audivit, loqui tamen non potuit, nec ore ſpumabat, nec dentibus ſtridebat, nec facie terribilis fuit. *Die 8. Aprilis 1672. Vena ſecta fuit.* Veſperi Hæmoptoë afflicta fuit: duravit per dies 4. quotidie ſanguinis ſpumoſi floridi unc. vj. Hactenus iterum bis evenit. Præceſſit tenſio in pectore. Poſt hæmoptoën in hunc uſque diem ſentit tenſionem in pectore anterius ab una axilla ad alteram & dolorem in dextro pectoris latere, ac ſi vulnus inflictum fuiſſet. Poſt Paſcha in paroxyſmo convulſivo mentem & ſenſus amittere cœpit, & paroxyſmi ſtatam horam obſervare cœperunt: ſc. mane ante 9. veſperi poſt 3. & ante 7. Paroxyſmus quilibet ultra horam durat: qui horæ ſpatio non penitus ceſſant, quamvis remittant aliquantulum. Paroxyſmum præſentit à tenſione pectoris & anxietate, imminentem prævidet ex circumgyratione quadam quæ in capite fiebat, quam mox paroxyſmus excipit. Poſt paroxyſmum melius habet circa præcordia, at aliquandiu vertiginoſa & laſſa eſt. Hilarior longe eſt, ridet, atque optime ſpirat. *Not.* Ex pulmonibus ſe ſanguinem redolere ait, item ſenſit ex dextra pectoris parte ſanguinem in hæmoptoë calide aſcendere. Non appetit, non tamen faſtidit cibos: ſitis adhuc perſeverat. Vomit toto tempore convulſivi iſtius morbi cibos, ſtatim ac aſſumpſit, crudos adhuc in cœna & prandio. Alternis diebus aperta eſt alvus: clauſam movet panis butyro obductus. Noctu, ſi dormiat ſudat. Non dormit noctu, licet ſubinde dormituriat, non tamen indormiſcere poteſt ob terrores in principio ſomni ipſam invadentes, quibus terroribus nocturnis à pueritia obnoxia fuit. Laſſitudinem ſpontaneam diu paſſa eſt. Pedes plane non tument.

Die 2. Julii 1672. Ipſam Inzikovii conveni: pallidior eſt ſolito, facies lividior: attamen calet & manus ſudant, pulſus frequens, celer. Urina ſubflava cum ſedimento lutulento & phlegmatico. Paroxyſmos 2. & 3. *Julii obſervavi;* qui tales erant: primum in ſella ſedenti caput antrorſum & retrorſum alternatim indeſinenter movetur, mox cum capite totus truncus antrorſum & retrorſum quaſi pellitur, ut retro pulvinari

caput

caput ne valide allidatur, anterius manibus excipiendum ſit, ne in terram prona præcipitetur: manus interea plerumque pendulæ ſunt, quandoque vicina illis apprehendit, aut percutit. Poſtquam hæc aliquandiu durarunt, mox in pedes ſubſilit, tunc à quatuor *Monialibus* brachiis geſtatur, toto corpore brachiis incumbens nunc Tetano toto corpore quaſi rigida jacet, capite opiſthotono retrorſum tracto, aliquando totum ventrem ſublatis quaſi clunibus in altum tollit: brachia conquaſſat & manibus obvia quæque fortiter apprehendit aut percutit, niſi manus cum brachiis valide teneantur: dum manum ſiniſtram cum brachio detinui, obſervavi validiſſime muſculos contrahi: pollicem volæ nunquam indit, at digitos cæteros valide comprimit, & apprehenſa fortiter detinet, ita tamen ut digitos, ſed cum vi aliqua, explicare potuerim. Poſtquam aliquandiu brachiis incubuit ſeu Tetano & opiſthotono afflicta, caput, quod antea retrorſum pendebat, cum trunco erigit, ac quaſi fugam arripere conatur: tunc iterum in ſellam locatur & primum caput ſolum, mox totum truncum retrorſum & antrorſum magna vi movet brachiis nunc pendulis, nunc inquietis. Motus iſte p. n. in ſella & dum brachiis geſtatur ſæpe ultra quadrantem horæ alternant: dum adhuc oculos ſemper clauſos habet, nihil videt, nihil audit, non conſtat mente. Poſt quadrantem horæ aliquando tardius aliquando etiam citius in ſella ſedens ambas manus & cubitos celerrime movet, ac ſi olera elixa more coquarum noſtrarum feſtinantiſſimo labore cultris ad id factis in minutias conciſura eſſet, ac motu aliquandiu continuato ocyus in pedes ſurgit ac celerrime bis terve corpus circumgyrat, iterumque in ſellam locatur & ſtatim ad mentem redit, ſed loqui nequit, at ſe rationis compotem & adſtantes videre ſe & audire nutibus indicat: tunc aliquandiu frequentiſſime reſpirat, pectore non valde dilatato aut ad claviculas ſublato: ac ſi curſu defatigata eſſet: mox reſpiratio ad viſum plane intercipitur per aliquot momenta, ſtatim redeunt cita reſpiratione: tandem vero naturalis evadit: interim loqui nequit. Verum paroxyſmus nondum abſolvitur, nam paulo poſt motus p. n. in ſella & brachiis redit, ut in principio, atque inſultus iſti continuant, donec quinque horæ quadrantes abſoluti fuerint, quorum quadrantum quilibet finitur motu cubitorum & manuum citiſſimo ac totius corporis circumgyratione: reſpiratione nunc frequenti, nunc intercepta. Toto tempore paroxyſmi oculos clauſos habet: dentibus non ſtridet, nec ſpumat. Color faciei vividior eſt: attactu calet. Totus paroxyſmus perfecte ceſſare ſcitur: ſi iterum loqui valet, tunc ait ſibi bene circa præcordia eſſe, hilaris eſt & ridet.

Die 3. *Julii* veſperi ante ſolutionem uniûs actûs paroxyſmi ſepties totum corpus celerrime circumgyravit: in ipſo actu vix animadvertitur reſpirare, pulſus quaſi ſepultus eſt: poſt paroxyſmum celer-

rime ſpirabat, pulſus frequens, celer : facies rubicunda. Inſigni robore valet in paroxyſmo, cum aliàs debilis ſit, & à muſca, ut ajunt, proſterni poſſit.

Reſolutio.

MOtus iſte convulſivus an per eſſentiam, an per conſenſum fiat? dubium eſt. Per conſenſum eſſe, innuere videtur, quia primum per aliquot ſeptimanas integra mente contigit : anxietatem & dolorem compreſſivum diu in præcordiis paſſa eſt, nunc eſſentialiter caput affectum videri poſſet ex circumgyratione, quæ intra caput fieri ab ipſa videtur, deinde quia nunc mente privatur. At nec ante, nec poſt paroxyſmum quicquam in capite adverſi ſentit : verum dolet in præcordiis, ibique angitur continuo : & primum poſt paſtum potius quam aliis vicibus paroxyſmi invadebant. Inſuper nunc citius vomit, quam ante morbum hunc convulſivum. *Williſius* equidem credit hos motus convulſivos fieri cerebro afflicto : at quid ni & contingerent nervo aliquo circa inſertionem afflicto cerebrum in conſenſum rapiente? *Id certe evenit pueris ex cicutaria comeſta.* Quoniam hæc Ægra pridem conſtipationi admodum obnoxia fuit, & jam ultra annum & ut putant, cum dimidio, ſtatim cibos aſſumptos evomuit, doluit in præcordiis & angebatur continuo in hunc uſque diem : quia etiam ☉ oryzum per integrum annum in ventriculo retinuit, & nuper lac coagulatum per dies duos integros, neceſſum eſt aliquid circa pylorum p. n. latere, quod ſolidioribus tranſitum denegat, nec ventriculo quies conceditur, donec cibos ſolidiores maximam partem evomuerit. Non quidem ulcus adeſſe credo, quia cardialgia non tanta eſt : ſed ſolum dolor compreſſivus cum anxietate. Quid ſi pylorus conſtrictior eſſet ob lympham aliquam copioſiorem in plexum nervoſum pylorum ambientem effuſam? nam à bile aut ſucco pancreatico hanc conſtrictionem accerſere non poſſum, quia vomitus non fit, niſi poſt aſſumtum cibum: nec building bilioſa aut acida evomit: niſi dicere velimus à bile vicina pylorum foris & intus nimium imbui: nam os ſemper amaricat, & quaſi gentianâ imbutum eſſe ait : anne forte calculi in veſica biliaria? *ut in Fœmina Feurthalenſi*: certe valde ſiticuloſa eſt. Fortaſſis etiam ſanguis hic concurrit, & circa præcordia ſtagnat: nam à biennio menſes ſubſtiterunt, & viâ præcluſâ vena in pulmonibus rupta per os exitum quæſiverunt. Lympha tenuis abundat in toto corpore, quia tantummodo potulenta manent & diſtribuuntur. Non negarim propterea nunc quoque cerebrum per eſſentiam affectum, lymphâ quoque nimium nunc cerebrum irrorante. Lympham prædominantem innuunt pallor & livor faciei extra paroxyſmum & ſudores ſi obdormiſcat. Annon quoque *ova Gravii* in ovario ad motum convulſivum ſymbolum conferant, quia

brachiis

brachiis geſtata in altum tollit ventrem levatis natibus? *ut in Mebelii Uxore vidi Venere deſtituta per plures menſes ob mariti ægritudinem.* Quidquid demum ſit, videtur vellicatio & irritatio extremitatum nervoſarum partium potius quam exploſio culpanda ob diuturnitatem & crebritatem paroxyſmorum. Unde etiam tanta humoris explodendi copia ſuggereretur, tam brevi tempore ſemper reparandi.

Igitur ſuaderem Pulverem, humorem acrem nervis inimicum abſorbentem & genus nervoſum roborantem, ſanguinem copia & loco peccantem imminuerem & revellerem: ventriculum roborarem. Itaque ſumat *mane hor.* 5. & 10. *veſp. hor.* 2. 5. & 9. *gr. x. pulv.*

℞. *Rad. valerian. ſylv.* ℥j.
pœon. ℥ß.
C. C. ph. ppr. ʒij.
Matr. perlar. pp. ʒj.
Ol. N. M. expr. gr. vj.
Sacch. ad pondus omnium.
c. aq. fl. til. ſumend.

Præcordia inungerem *balſam. ſtom. V. S. alternis menſibus & ſcarificationem* adhibeat alternatim in pedibus, ſuris, interna parte femoris. *Clyſtere* pergat. In paroxyſmo naribus admoveatur *balſ. ſuccin.* non illinatur, *it. Caſtor.* Bibat dein *Saſſafr.* Refocilletur *aq. antiepileptica* ſtatim à paroxſmo. *Aq. fl. til. ceraſ. n. cum pulv. March. Eſſ. caſtor. ol. d. chamom.* ſi *acidulas* abhorreat, abſtineat ab illis.

Poſt abitum meum *d.* 4. *Jul.* vehementius convellebatur, *d.* 5. *Jul. V. S.* in brachio ſiniſtro: ſanguis fuit teterrimus craſſa gryſea membranâ coopertus, cum prius pulcherrimus eſſet. Per dies quinque *à V. S.* convulſiones & anxietas circa præcordia remiſerunt, ſolum cor palpitabat, & celerrime reſpirabat ſtatis tribus horis per horam integram: die ſexto poſtea ſtatâ horâ anhelabat, hinc rationem perdidit, jactabat caput antrorſum & retrorſum celerrime: per horæ quadrantem anhelabat ac mox ſurgebat, & cum impetu ſubſidebat, ut conclave tremeret quater, idque integra mente; mox tamen redeunte capitis jactatione & poſt violenta ſeſſione: quæ ambo ſtatis horis ad horas duas durant. Ceſſante paroxyſmo conqueritur de dolore totius corporis: pallida eſt: à paſtu delirat melancholice, quod ante nunquam factum fuit.

Suaſi *d.* 14. *Jul. V. S. & pulv. Smaragd. add. pulv. antiepil. & borrag. in juſcul. Scribebat* 19. *Jul. D. Præpoſita.* Veſperi poſt ultimas

 literas

literas rediit paroxyſmus vehementiſſimus, cor extrorſum pepulit, ut vix illud detinere potuerint cum forti clamore & crebra ſæpius ſpiritus interceptione, ut ſuffocationem timerent: mente ſemper integra duravit per tres horas. Ab illo tempore quotidie ter invadit, durant paroxyſmi duab. vel un. & dimid. hor. Imaginationes triſtes habet, nunc ſtat, nunc in genua procumbit. Alte ſuſpirat, anxie circumſpicit, tremit & ſudat, donec paroxyſmi redeunt, quibus ceſſantibus triſtis imaginatio redit. Poſtquam ceſſant, ait, ſe *à Judæis* ita affligi. *Not.* Nihilominus patitur illos motus antrorſum & retrorſum ac jactationes, durat melancholia toto tempore; quo in ſella perſiſtit.

Die 18. *Jul. V. S. fuit* in brachio ſiniſtro, unde admodum debilitata fuit. Veſperi anheloſe reſpiravit: hora ſeptima redierunt convulſiones per unam & dimidiam horam. Melancholiam poſtea diu excûtere nequiit, quæ nunc circa mortem verſatur.

Diſſuaſi *V. S.* inpoſterum ob ſummam debilitatem: non omittant tamen *medicamenta, d.* 21. *Jul.* 1672.

Die 30. *Octobr.* 1672. ſcribit illam maximum levamen *à V. Sne* habere, ac *à menſe Julio ad hunc diem decies quatuor vicibus ſanguinem emiſit*, inde non debilitatur; ſanguis emiſſus non ſanguini ſimilis, nam totus cooperitur pelle alba ceu membrana craſſiore; mirantur illam inde non languefieri. *Ab omnibus medicamentis* abſtinet. *An crebræ V. S. non ſint noxiæ futuræ?*

Reſpondi V. S. ſi parca inſtituatur, non multum obfuturum, modo reficiatur cibis optimi ſucci, ut loco peſſimi ſanguinis, qui author horrendarum convulſionum, melior ſubſtituatur. *Non negligenda tamen erunt medicamenta*: imo ſolum *Succin. ppr.* abſque alteratione inſigni exhiberi poſſet.

OBSERVATIO CXIII.

Convulſiones Infantis recens nati.

SErenisſimus *Princeps Carolus* natus eſt *d.* 26. *Decembr. Anni* 1688. veſperi hora dimidia ante decimam, cujus *Sereniſſima Domina Mater* per aliquot dies dolores partûs paſſa eſt eosque vehementes. *Deus T. O. M* Ipſum ſalvum & incolumem ſervet. *Beneficio ſyrup. fl. paralyſ. cichor. c. rhabarb. & ol. amygd. d. rec.* Meconium intra triduum probe fuit expurgatum. Totus macilentus hanc lucem vidit, licet abdomen valde tumidum ac inflatum fuerit, adeo ut inter

reſpiran-

dum non tantum in utroque latere in fine coſtarum, ac circa os enſiforme notabiles foveæ animadverſæ fuerint; ſed & ipſum os ad ſuperiora quaſi incurvatum. Avide mammas apprehendit, bibitque ad ſatietatem: indies robuſtior evaſit. Plures flatus indies emiſit, idque hucuſque ſtrenue continuavit. Quoties faſciis liberatur excrementa adſunt, utplurimum viridia, quandoque flava, acidum ſemper redolentia; haud raro extant grumoſa adinſtar ovorum coctorum & inciſorum. *De pulvere ſeq.* prout dudum conſultum fuit, *ſingulis fere diebus* hactenus exhibuerunt.

℞. *Pulv. epilept. March.* ℈ij.
Ocul. ♋. *ppr.* ℈j.
Margarit. Or. ppr.
Lapid. Smaragd. ppr.
Chryſolit. ppr. ana. ℈ß.
Cinnab. nativ. gr. vj.
Fol. ☉ *No. j. Mſc.*

Quandoque *Ol. amygd. d.* ſolum, ſubinde *c. ſyrup. papav. rh. mixtum* dederunt.

Die 15. *Jan.* 1689. Propter tormina & inflationes abdominis primum *Enema è lact. ol. amygd. d. & tantill. vitell. ov.* applicuerunt cum maximo levamine, ac excretione muci albi ſatis copioſa.

Die 17. *Jan.* Poſtquam ex coryza fere continua, ſternutatione frequenti ac crebriori; oculorum non minus inter vigilandum quam dormiendum circumgyratione & quidem tanta, ut nil niſi album oculorum videre licuerit, judicatum fuit, ſerum acre ac copioſum, pariter ac *in pie defunctis Sereniſſimis Liberis* in occipite juxta principium nervorum ſtagnare, *ſuaſu Medicorum Celeberrim. Excell. D. D. Wepferi, D. Camerarii, D. Brunneri, ut & meo, veſicatorium* nuchæ fuit applicitum, unde abſque notabili moleſtia intra 6. horas veſica fuit excitata, quæ multum ichoris valde acris continuit. *Chirurgus Aulicus* teſtatus eſt ichorem fuſum à ſe deguſtatum tantæ fuiſſe acrimoniæ, ut elapſa horâ acrimoniam adhuc in lingua ſenſerit.

Die 18. *Jan. Sereniſſimus Princeps* bene habuit, quietè degit, nec amplius ut præterito tempore oculos in gyrum egit.

Die 19. *Jan.* Ob tormina animadverſa *Enema ſuperius* iteratum fuit, unde quater bilioſa flava, viridia, grumoſa ac mucoſa excrevit cum levamine, noctu quietè dormivit: excreta ſingula acidum redolebant.

Die 20. *Jan.* *Veſicatorii* fluxu ceſſante, *Chirurgus* ſpontaneo auſu denuo *tantillum empl. veſicator. cum empl. de melilot. mixti* impoſuit parti læſæ, unde mane paulò inquietior fuit. Repetitus fuit *Clyſter*, qui juxta cum excrementis copioſis etiam multos flatus eduxit. Veſica denuo multum ſeri circa veſperam fudit.

Die 22. *Jan. vocatus Ipſe Neoſtadium veni, Sereniſſimumque Principem* vividum floridique coloris deprehendi; at abdomen valde inflatum erat ac diſtentum. Velocius debito ac crebrius reſpirabat, notabiles non minus circa utriusque lateris coſtas quam ſcrobiculum cordis relinquens foveas. In occipite nullam mollitiem, ut in ultimo defuncto, deprehendi; cæteraque omnia rite erant conſtituta.

Die 23. *Jan.* Paulo inquietior fuit, multos flatus emiſit: exhibito *ol. amygd. d.* melius habuit. Inter ſugendum non minus, quam alio tempore, ſæpius halitum ſervat, ac ſi flatus eſſet expulſurus.

Die 24. *Jan.* Suaſi 1. Pergerent *Pulvere, cui ad mentem Excell. D. D. Camerarii aliquid de ſperm. Cet. & rad. irid. Flor. addidi.* 2. *Mane & veſperi* inungant ventrem ac latera *Axung. anſer. ac ol. chamom. camphorat.* Umbilico vero *Balſam. Zibeth.* imponant. 3. *Enemata* repetantur neceſſitate exigente. 4. Subinde porrigant *de ol. amygd. d.* 5. *Veſicatoria* etiam poſt aures, præſentibus indicationibus ponantur. 6. Nutrix ſibi caveat ab ira, mœrore &c. Diætamque obſervet convenientem.

Ita ſcripſit ad me Excell. D. D. Härlinus d. 28. *Januar.* 1689. *& cum Sereniſſima Mater anxia ſit ob Infantis abdomen inflatum, reſpirationem frequentem, oculorum diſtorſiones, fœces acorem redolentes, ulterius petit Conſilium.*

Hanc Relationem miſi *Excell. D. D. Brunnero*, ut mentem ſuam hac de re mihi aperiat, *qui d.* 4. *Februar.* 1689. *ſcripſit* in ultimo Infante defuncto multum aquæ in cerebro inventum fuiſſe: abdomen quidem diſtentum fuit, ſed nihil præter flatus in inteſtinis reperiebatur, unde putavit ab acrimonia ſeri par nervorum vagum & intercoſtale vellicatum viſcera imi & medii ventris affligere potuiſſe, ſpiritibus animalibus perturbatis; inde inteſtinorum functione turbata flatus producuntur, fœces corrumpuntur, tormina excitantur; hinc afflicto diaphragmate retractio ſub coſtis nothis & reſpiratio concitatior fit. Inde præludia convulſionum in oculis jam adſunt. *Foris* ſuadet *Ol. lumbric. chamom. anagallid. Intus Ol. amygd. d. cum ſperm. Cet. item Pulv. Marchion. c. Cinnab.*

Cinnab. ♄ii. *aut pulv.* ☉. *D. D. Gmelini : Clyſteres* nunquam adhibuit. *Veſicatoria* probat. *Secundum Lowerum* caput altius locandum.

Die 7. Febr. 1689. Reſpondi Excell. D. D. Härlino: Quoniam in cadavere ultimum defuncti aqua acris in occipite inventa, qui eadem ſymptomata paſſus eſt ante obitum, vereor talem quoque hic ſtagnare; probabile fit, quia tali *per veſicatorium* ſublatâ melius habuit: at nihilominus lac in ventriculo & inteſtinis corrumpi, fœcum grumi, color viridis & odor acidus teſtantur, unde inflatio & tormina à duplici cauſa ut motus convulſivi excitantur. Acrimoniam ſeri & fermenti ſtomachi ac inteſtinorum corriget & demulcebit. 1. *Pulv. Marchion. Cinnab. nat. aut* ♄ *ter ſublimat. ut Pulv.* ☉. *abſque tamen Ol. cinamom. vel Bezoard. Chryſolit. ſmaragd. Margar. pp.* 2. *Ol. amygd. d. c. ſperm. cet. & rad. Irid. Flor.* caute. 3. *Clyſter. ſine ſacchar. &* ⊖. 4. *Olea foris cum linteo.* 5. *Veſicatoria* in brachiis, ne fiat inquietus. 6. *Cucupha ex teſtis cochlear. goſſypio inſpiſſat.* proderit, quia coryzâ & ſternutatione afficitur.

OBSERVATIO CXIV.

Motus convulſivi.

MAtrona Illuſtris; annos nata 25. jam totum decennium *ab epotis Baſileæ* præter cauſam *acidulis*, ſæpius de frigiditate doloreque gravante ventriculi, præſertim cum quid crudi aut fructus aut acetarii &c. deguſtavit, conqueſta; hepatis calidioris & ad ſiccitatem inclinantis; capitis frigidi & magis humidi, ideoque ipſius dolori gravanti obnoxia, tum maximè, cum illud aëri frigido nebuloſove expoſuit, & catarrhis frequentibus doloribusque dentium, quorum plures inde ſunt vitiati; complexionis bilioſæ ex prædominio & ex ſubdominio ſanguineæ, non ſine pituitæ aliqua copia; alvi naturaliter pigræ; & cui menſtrua ſtatis periodis quidem fluxerunt, ſed diminutè niſi *medicamentis* fluxus adjuvaretur: at ab ultimo puerperio, quod abhinc retro decimo quarto menſe habuit, ſuppreſſa etiamſi non lactet; in deliciis imprimis habens cruda, coctu difficilia, legumina, fructus, olera, acetaria &c.

Jam prægreſſo & qui delabitur anno ex inæqualibus temporis intervallis, ſed ſenſim frequentius exercita eſt murmure, torminibus & inflationibus abdominis, ac imprimis dolore gravante & diſtendente ventriculi, cum nauſea frequenti, ructibus, ex quibus non nihil levata videbatur, vomitu copioſo maximam partem bilis vitellinæ & por-

raceæ craſſitie & viſciditate ovi albumini non abſimilis; & quoties vel tantillum juſculi ſorpſit, toties ſtatim aut brevi poſt evomuit, oſcitationibus, pandiculationibus & artuum laſſitudinibus dolorificis, nec abſque febre; ſæpius paroxyſmi inceperunt cum rigore & tanto totius corporis frigore, ut vix tandem linteis calefactis admotis incaleſceret; & cum malum ulterius eſt progreſſum accedebant inſuper difficultas reſpirandi, cordis palpitatio, imo in nuperis paroxyſmis vigiliæ, delirium, motus convulſivi & epileptici, & ſopor gravis, qui à caro vero ſeu comate valido nihil diſtabat & ſæpe cum catarrho ita affatim irruente, ut ſubinde imminuerit ſuffocatio; quibus ſymptomatibus, ingenti copia potiſſimum flatuum infra emiſſa, ſenſim liberata de dolore imprimis occipitis conquerebatur, atque ſuperiores artus admodum graves tremebant movendi ferè plane impotentes, præſertim dexter & uterque cum tumore levi flatuoſo & in manibus formicationis ſenſu, quâ motûs impotentiâ fere integrâ & gravitate etiam nunc tenentur brachia ſalvo tamen tactu; hypochondria dolent etiam extra paroxyſmum, præſertim dextrum abſque tamen tumore, duritie & tenſione.

Interea vero *Medicus accerſitus* & durante paroxyſmo & extra illum non defuit officio, inque uſum vocavit *ex Chirurgia V. Snem* cum brachii tum pedis, *frictus & vincula partium inferiorum, ſicyas modo ſiccas modo cum ſcarificatione, veſicas excitantia* poſteriori cervicis parti applicita & tandem *cauteria* alterum quidem in brachio ſiniſtro : alterum verò in femore dextro ſcalpello, ut hodiè paſſim fit, inciſa, quæ hactenus ichores ſanioſos & purulentos impigre eructarunt. Atque debitâ præſcriptâ diætâ, *è Pharmacia* eſt mutuatus *lenientia*, alterantia & imprimis ventriculum, hepar, uterum & caput reſpicientia & menſtrua moventia & illa præ aliis cum reſurgebat, quæ affectioni hyſtericæ ſedandæ totâ ſubſtantiâ appropriatâ creduntur, *item purgantia, diſcutientia, imò chalybem & radic. chinæ;* idque *clyſteribus frequentibus, potibus, electuariis mollibus, pilulis, fotibus ſiccis, inunctionibus, unguentis & localibus, ut fœtentibus* naribus admotis, *pulvere ſternutatorio, emplaſtro matricali, fumis ex odoratis* locis muliebribus exceptis &c.

Sed horum plerorumque, *etiam in Conſilium altero advocato Medico,* cum brevi non animadverterent levamen allatum, cum ægra ipſa tum & maxime adſtantes fæminæ uſum mox ſæpius interrupère, qui mos impatiens forte ubique nimium invaluit & *Medicis præſertim junioribus* grave non raro faceſſit negotium, maximo ægrorum malo & medicinæ immeritæ aliquâ infamiâ, ita ut nedum melius habeat noſtra ægra quin potius res ejus in pejus quotidie ruant, ideoque tot tantisque ſymptomatibus

tomatibus jamdiu vexata *manum Medicam peritiorem & feliciorem ſuaſu ipſius Medici familiaris* implorat.

Ego vero Titus Albineus, Medicus ille familiaris, qui caſum hunc quam breviter & verè fieri potuit rogatus deſcripſi, *Medicum* qui conſuletur obnixe oro mihi hoc gratificetur, ut non modo *curationem planam* tantorum affectuum edicat, ſed & ſententiam de ipſorum eſſentia & prognoſi lucide aperire & annectere non gravetur, tantum ipſi me debere profitebor, & ſi datâ occaſione quâ in re illi inſervire poſſim, profecto ingratum animum non teſtabor; *feliciter valeat quisquis ille Vir magnus fuerit.*

Datum Neocomi Helvetiorum d. 28. *Aug.* 1672.

Reſolutio.

Concurſus tot ſymptomatum *apud Matronam Illuſtrem* non ſolum in primis & mitioribus, ſed poſtmodum in ſequentibus & gravioribus paroxyſmis in cenſum affectuum ſpaſmodicorum ſeu convulſivorum venire videntur: utcunque enim forte affectionis hypochondriacæ & hyſtericæ nomine inſigniantur vel appellari poſſint, ſi tamen attentius expendantur, præcipuis convulſivi quidpiam ineſſe comperietur. Nam ventris tormina cum abdominis diſtenſione non nata videntur tam ab humore aut flatibus intra cavitatem inteſtinorum concluſis (cum ab illis potius diarrhœa, aut ſi humor acrior, dyſenteria producta fuiſſet) quam à conſtrictione convulſiva inteſtinorum, præcipue tenuium, excretionem impediente, quæ colicæ bilioſæ familiaris eſt, & poſt obitum non raro in defunctorum cadaveribus reperta fuit. Et ipſe vomitus non tam fit à bile vitellina ventriculi tunicas laceſſente, quam ab inteſtinorum & ventriculi motu ἀνάῤῥοπῳ ſeu inverſo, cujus cauſa eſt conſtrictio inteſtinorum ventriculo vicinorum, nam non ſolum bilem, ſed poſtmodum cibos omnes etiam juſcula exiguâ copiâ deglutita omnisque acrimoniæ expertia, protinus per vomitum egerit.

Hactenus cauſa convulſionis inteſtinorum & ventriculi in plexibus meſenterii potiſſimum hæſiſſe videtur, quia pectus & caput liberum adhuc à ſymptomatibus fuit; quanquam principium nervorum non ab omni labe immune cenſere poſſim, quoniam plerique paroxyſmi inceperunt cum horrore vel rigore, oſcitatione, pandiculatione & laſſitudine ſpontanea, nam hæc ſymptomata non tam muſculorum & panniculi carnoſi vitio, quam principio nervoſo irritato adſcribi poſſunt, quia ſubito ingruunt & paroxyſmo ceſſante nihil vitioſi in muſculis aut habitu corporis reperitur, nec cauſa ſudore unquam diſcuſſa dicitur.

In progreſſu morbi & ſubſequentibus paroxyſmis dyſpnœam ſeu ſpiritûs interceptionem rectius convulſivo cuidam affectui tribuerem, quàm cuivis alii cauſæ, cùm ceſſante paroxyſmo nulla tuſſis mentio fiat, nec aliûs excretionis: quod idem de cordis palpitatione credendum arbitror, nam ceſſante parōxyſmo vel ante illum nulla mentio fit pulſus inæqualis, qui deprehenditur in cordis palpitatione à cauſa domeſtica pendente. Nempe videtur à prægreſſis paroxyſmis, genere nervoſo debilitato, cauſa quoque in plexus nervoſos pectoris irruiſſe, à quibus ſurculi nervoſi ad cor feruntur & plurimi per pulmones diſperguntur.

In ultimis paroxyſmis ſcil. malo jam altius radicato & genere nervoſo ulterius labefactato, non amplius ambigere licet ipſum principium nervorum afflictum fuiſſe, nam in paroxyſmis aderant vigiliæ & deliria: imo motus convulſivi non amplius occulti & conjecturis aſſerendi, quoniam aperte in artubus videntur ac jam propemodum epileptici exiſtunt: quæ ſymptomata Coma ſequitur & ſub finem paroxyſmi catarrhus vere ſuffocativus: poſt paroxyſmum principii nervoſi affecti veſtigia ſuperſunt, nam dolet occiput, brachia tremunt & ad motum impotentia ſunt cum ſenſu formicationis, ſalvo tactu, quod aliàs etiam in pareſi colicam conſequente obſervatur. Extra paroxyſmum quidem dolor quidam dextrum hypochondrium affligit, quia vero abſque duritie, tenſione & tumore exiſtit, illum potius reſiduo cuidam humori in plexu nervoſo meſenterico ſuperiori hærenti, quam alii cauſæ adſcriberem: flatus enim diſtenſionem efficerent, ut taceam illos liberè in fine paroxyſmi elidi, ſcibala in cellis perſiſtentia tangerentur, maxime in gracili & abdomine jam tunc ſubſidente.

Cauſa proxima motuum convulſivorum non videtur pus circa plexus fluctuans, quia vix credibile illud primum in abdomine, poſtmodum in pectore, tandem in capite productum fuiſſe, ut taceam nulla abſceſſus ſigna præceſſiſſe *apud Matronam Illuſtrem*; nec pus periodici affectûs cauſam eſſe credibile eſt, imo teterrimorum & vix ſine nece conjunctorum ſymptomatum ſemper author eſt circa partes nervoſas, niſi maturè exitus pateat. Nec ſanguis in vaſis plexibus vicinis aut ipſos ambientibus vel principium nervoſum irrorantibus aliquo modo ſtagnans, ut in varicibus & aneuriſmate, aut in motu ſuo impeditus, ut in inflammationibus, aut extravaſatus culpari poteſt; nam ſanguinis talis conditio affectum pertinaciorem, nec per periodos redeuntem ac aliis quoque ſtipatum ſymptomatibus excitaret, atque aut vitam tolleret aut brevi evacuato alicubi ſufficienter ſanguine ceſſaret. Nec bilem hic accuſarem, quamvis enim in Ictero bilis ſanguini per minima imprimis ejus ſero permiſceatur, illaque ad intima quæque etiam partium nervoſarum diſpergatur illisque ſe inſinuet, ut in cornea

videtur

videtur, neque nervoſum genus ab illa immune eſſe poſſit, vix tamen centeſimus ictericorum hujus generis ſymptomata patitur.

Ad plexus nervoſos indubie humor aqueus pertingit, atque perpetuo tali non ſolum ſpinalis medulla, ſed & omnes nervorum ſurculi irrorantur, quin etiam frequenter humor limpidus intra cranium inter meninges in anfractibus imo in ipſis ventriculis reperitur: hunc *Carolus Piſo* ſeroſam colluviem, ſi nimius ſit, appellat, cujus labrum partes intra cranium putat. *Thom. Williſ. in Anat. Cerebr. & Pathol. nova Cerebri* paſſim ſerum, lympham, ſuccum nervoſum & quandoque copiâ aut qualitate peccantem copulam heterogeneam etiam exploſivam nuncupat, quatenus nimirum aliquando etiam cauſa motuum convulſivorum evadit: non ſemper tamen cauſam in lympha hærere opinatur, ſed quoque præter hanc aliam copulam ſtatuit.

Hunc humorem tot calamitatum peccantem quantitate & qualitate *apud Illuſtrem Matronam* cauſam eſſe non uſque adeo obſcurum videtur, nam illum in capite & circa genus nervoſum copioſe colligi probant coma paroxyſmo declinante & catarrhus propemodum ſuffocativus in fine paroxyſmi, item brachiorum tumor, quem potius œdematoſum, quàm flatulentum crediderim & forte ex impreſſis & manentibus digitorum veſtigiis clare cognoſceretur: eundem acrimoniæ participem & non ſolum acrem, ſed peculiariter nervoſo generi inimicum (nam in luę venerea, pædarthrocace, lepra & qualibet ſcabie ſerum acre eſt, in quibus tamen morbis hæc ſymptomata non obſervantur) evincunt vigiliæ, deliria & motus convulſivi: & licet in declinatione coma conſequatur, non tamen inde contrarium obtinebitur, hoc enim tunc demum contingit, vel quia ob prægreſſa ſymptomata ſpiritus animales diſſipati, aut à copia liquoris aquoſi obruti, aut tantum non ſuffocati aliqua ex parte fuerunt.

Serum copioſum & acre ac malignum in tota Maſſa ſanguinea collectum fuit ob temperamentum calidum & ſiccum, cujus generis complexiones ut vocant plerumque tali ſero ſcatent. Auxerunt hanc colluviem errores in victu, ſcil. nimia indulgentia in fructibus crudis, oleribus, acetariis, leguminibus ſumendis: quibus addenda *Vinum Neocomenſe, Rivenſe album ♀re conditum*, ſæpe pendulum, aliàs alibi horum malorum cauſa. Item ſuppreſſio menſium ultra annum, forte etiam ſudorum: neglectus exercitiorum & vita ſedentaria ob laſſitudinem ſpontaneam & tædium ob toties irruentes paroxyſmos ad labores: & ſi quæ aliæ cauſæ ſuperſint.

Intra caput & circa genus nervoſum liquor iſte cumulatus fuit, quia caput à vitæ primordiis debile obtinuit, unde ab aëre frigido, humido, nebuloſo frequenter incurrit in capitis dolorem gravativum;

odontalgiæ admodum obnoxia eſt, indeque plures dentes carioſi facti & frequenter catarrhos paſſa eſt. Caput ſeu genus nervoſum amplius labefactarunt & ad irruptiones crebriores ſeroſorum humorum admittendas promptius reddiderunt paroxyſmi frequentiores, unde quoque illi indies truculentiores invadunt.

Paroxyſmi vero contingunt, quoties ſeri copia tanta nunc intra cranium cumulatur, quanta ad hæc ſymptomata efficienda requiritur; aut quoties ſerum impetuoſiùs commovetur, quod fit, quando illud in tota Maſſa ſanguinea nimium redundat, tunc enim ſua ſponte movetur, & *ut Car. Piſo loquitur*, natura ſe deſpumat, unde paroxyſmos quoque febris aliqua comitatur, aut à cauſa externa ad motum irritatur ſcil. à tempeſtate aquilonari, aut contraria auſtrina, hypocauſtis nimium calefactis, irâ, corruptelâ nidorosâ ſtomachi aut ſimili prophaſi. Remittit, quando cerebrum moleſtiam excutit, alio rſum hoſtem amandat, aut potior ejus portio imprimis à glandula pituitaria, *ut Lower. de Cord. exiſtimat*, reſorbetur.

Fortè credetur Flatus in numerum cauſarum tot tantorumque ſymptomatum admittendos eſſe; at illos ex inteſtinis per ventriculum & gulam intra Cranium penetrare, *in hac rerum anatomicarum luce*, nimis quam frivolum eſt; illos verò ex inteſtinis vaſa lactea ſubire, per thoracicum ductum cor tranſire & demum Caput petere non credibile eſt, nam quamprimùm inteſtina flatibus diſtenta ſunt, obliterantur illorum oſcula, ut pertinaciſſimè omnia contenta retineant nullique illorum exitum concedant, imo citius rumperentur, ſi vis adhiberetur, quam ullius egreſſum admitterent: nec phænomenorum à flatibus per vaſa remeantibus ulla mentio fit, quæ vix latuiſſent *D. Medicum adſtantem*, nam æque pedes ac brachia flatus ſubiiſſent, cum pari ratione ſurſum deorſumque ſanguis ruat. Igitur in fine paroxyſmi flatuum emiſſorum copia potius ſignum remittentis conſtrictionis in inteſtinis eſt, quam cauſa ulliûs cæterorum ſymptomatum. Copioſius tamen intra inteſtina cumulantur in paroxyſmo, quia liquores inteſtina irrorantes, ſcilicet ſuccus pancreaticus bilis & fermentum ſtomachi acriores ſunt, tum ob totius & viſcerum intemperiem calidam, tum ob ſerum, quod magnam partem illorum conſtituit; deinde quia in conſtrictione inteſtinorum diutius detinentur atque agitantur, quam decet, unde pituita, quâ inteſtina nunquam deſtituuntur, in flatus reſolvitur. &c.

Prognoſis. Affectus curatu difficilis & pertinax eſt, quod omnibus propemodum nervoſis morbis ſolemne eſſe praxis nimium, quàm verum facit: eoque deterior, quia nervoſum genus valde à tot paroxyſmis debilitatum fuit, & periculoſior, quia in fine paroxyſmi carus ſeu coma & catarrhus ſuffocativus eveniunt. Certe malum in epilepſiam

ſiam, &, *quod Deus avertat*, in apoplexiam degenerare poſſet. Quia tamen *Illuſtris Domina* adhuc juvenis eſt, nondum deſperandum, cum exempla exſtent hoc modo affectas integræ valetudini reſtitutas fuiſſe, & nos tales recenſere poſſemus, ſi modo illa *præceptis Medicis* obtemperet, nec incuriâ recidivis anſam præbeat.

Indicationes præcipuæ ſunt, ſerum redundans evacuandum, omni ingenio à cerebro revellendum, totam Maſſam ſanguineam eademque operâ ſerum & lympham in toto ab acrimonia vindicandam, ac viſcerum intemperiem calidam & ſiccam corrigendam, ac cerebrum & univerſum genus nervoſum roborandum eſſe. Quomodo ſingula peragenda ſint, præſtabit *methodo executiva* explanare.

Aliud in paroxyſmo, aliud extra paroxyſmum eſt agendum. In principio paroxyſmi, ſi vigiliæ & delirium per diem unum & alterum perdurent, interdiu *mane hor. 6. & veſperi hor. 4.* darem ℈ß. *pulv.*

℞. *Pulv. Marchion.* ℈ij. *Spec. diamarg. fr.* ℈j.
Lap. bez. Occid. ℈ß. *Tab. man. chr. perl.* ℈ij. *Mſc.*

Exhiberi poſſet *cum aq. flor. til. ſatyr. purpur. ceraſ. nigr.* Tempora illinirem *Ung. alabaſtr.* Quotidie injicerem *clyſt.*

℞. *Herb. violar. ſenec. rec. endiv. ana. M. j.*
Flor. pœon. p. j. ſem. hord. mund. M. j.

Coq. in ſ. q. aq. font. colat. ℞. ℔j. *add. ol. violac. lil. alb.* āā. ℥j. *vitell. ov. No. iij. Sacch. Thom.* ℥iij. *Mſc.*

Omittenda puto *purgantia*, ne humores jam turgeſcentes & efferi magis irritentur. Poſt cœnam ſtatim & circa medium noctis darem qualibet vice *cochl. ij. vel iij. hujus liquoris.*

℞. *Laud. op. perl. gr. ij. Pulv. Marchion.* ℈ß.
Syrup. papav. alb. ℥ß. *Aq. lactuc.* ℥iij. *Mſc.*

Mire enim *opiata* frænant efferos humores, & *ceu vere ſudorifera* diſcutiunt *teſte Platero.*

Si vero brevi tempore vigiliæ & delirium perdurant, protinusque paroxyſmus in motus convulſivos erumpat, vix prædictis locus concedetur: igitur naribus objiciantur *pila hyſterica ex caſtor. aſa fœtid. ſem. rut. & ol. ſuccin. parat. Spir.* ✻*c. vitro incluſus & veſicula foraminulis pertuſa coopertus, balſam. ſuccin. &c.* Verum *nec balſamus, nec hujus generis alia* illinantur, cum poſt paroxyſmum ægræ admodum à prodiga horum perunctione ſibi caput aggravatum conquerantur;

 quod

quod quoque *calceamentorum fruſta, ſuccinum, pennæ &c. incenſa* efficiunt. Indantur *ſuppoſitoria acria.* Si ad mentem redeat, aut ſi per convulſionem deglutire poſſit, detur ſubinde *cochl. j. hujus liquoris*

> ℞. *Aq. meliſſ. flor. til. pœon.* āā. ℥iß.
> *Eſſ. caſtor.* ʒj. *ol. chamomill. deſt. gt. ij.*
> ⊖ *vol. C. C. gr. iij. Pulv. Marchion.* ʒß.
> *Lap. Bez. Or. gr. vj. Tab. man. chr. perl.* ℥ß. *Mſc.*

Emplaſt. matricalia: *ſuaveolentia* pudendis admota &c. causâ proximâ intra cranium conſtitutâ, non magni facio. Atque aliàs *cum Clariſſ. Thom. Williſ.* in paroxyſmis talibus ægras non multum defatigandas exiſtimo, ne duplici violentiâ vires peſſundentur nimium.

Quamprimum Coma incipit, magna vi à cerebro humores revellendi, ne ſpiritus penitus ſuffocentur. Plerumque in tali caſu ſufficiunt *veſicatoria*, quæ utrique carpo & internæ tibiæ paulo ſupra malleolos *Dahleri amplitudine* applicarem; ſubinde quoque *Spir.* ✱*c.* naribus admoverem. Proſunt quoque tunc *Frictiones & clyſteres acriores*, quibus tamen nunquam *crocum metallor.* permiſcerem: ſufficiet, ſi *ſupradictis Clyſter.* adjiciatur *El. Hier. Picr. Logadol. ad* ℥*ij.* vel ſi lubet, parari poſſet *Decoct. ex Herb. cephal. add. Gialapp.* ℥ß. *cujus Di.* ℔*j. add. El. Hier. Logad. diaphæn. de ſucc. roſ.* āā. ℥*j. Mſc.* Toto paroxyſmi tempore reficiatur juſculis, quibus *Gelatin. Cappon.* admixta fuerit. Potus vero ſit ſolummodo *Dec. Chin.* Sunt qui in paroxyſmo ipſo *V. S.* adminiſtrant: atque utilitatem afferre poteſt, cum humorum impetum coerceat, æſtum temperet & portionem humoris pravi ſubtrahat: hoc nomine quandoque profuit ac paroxyſmos breviores effecit: *memini tamen quoque poſt V. S. truculentiores convulſiones & tantum non ſuffocationem intentantes ſecutas fuiſſe apud quandam Matronam Nob. Apud Monialem vero juvenculam hunc Paroxyſmum, in quo vena ſecabatur, abbreviatum fuiſſe: at ſequentes immaniores & diuturniores poſtea evaſiſſe.* Si vero vires ferant ac *Matrona Illuſtris V. S.* aſſueverit, *V. S.* non prorſus in paroxyſmo prohiberem.

Extra paroxyſmum indicationibus præcipuis commodius ſatisfieri poterit nunc uni nunc pluribus ſimul: ita tamen *Medicamenta pro Domini Medici prudentia* ſubordinentur, ne unum alterius vim in agendo turbet, ſed omnia ad valetudinem *Matronæ Illuſtris* conſpirent.

Purgantibus ſerum acre feliciter ſubduci unâque operâ ejus evacua-

vacuatio & revulſio aliqua fieri poteſt. Verum caute his agendum eſt, nec enim quævis, nec crebra conveniunt, imo non raro in hujus generis ægrotis denuo hos paroxyſmos reſuſcitant. *Novi colicæ bilioſæ obnoxios non ſine periculo purgari*, quando enim apparatus humorum hoc malum efficientium in corpore latet, protinus ille rurſus excitatur, atque pareſin forte emanſuram, accelerant. Si itaque vel minima torminum veſtigia in abdomine ſuperſint, ſatius erit *purgantibus* ſuperſedere, atque illorum profligationem *Clyſt. lenitivis* tentare. Deinde ſeligantur *purgantia ſerum evacuantia*: ex multis nomino *Gialappam & gumm. gotte ſp. ⊕l. ter quaterque irroratum atque ita vi emeticâ exutum. Magiſteriis Gialapp. & ſcammon. Item extractis, quibus colocynthis permiſcetur*, non fido. Quæ *ex ſenn. rhabarb. carthamo &c.* parantur, imbecilliora videntur, quàm ut ſerum evacuare & revellere ſufficienter valeant. Si vero omnino facilis ad alvi ſubductionem ſit, ex iis etiam *purgantia* ad lubitum parari poſſunt, *add. ſyrup. roſ. ſ. ſ. & comp. de flor. perſic. diaſer. &c.* Non neceſſum *horum formulas* utpote ubique obvias annotare. Id ſolummodo monendum arbitror, non per plures dies continuanda *purgantia*, nec crebro exhibenda: ſufficiet illa ad ſummum *bis in menſe ſcil. triduo ante novi- & plenilunium* exhibuiſſe. Hoc nomine improbarem *decoct. longa & vin. medicat. It. Pil. ut vocant uſuales ſeu ſæpe ſumendas, quales ſunt F. F. aliæque ſine cura dictæ*: nam *frequenti purgantium uſu* facile humores ad plexus meſenterii allici ac colica accerſiri poſſet, quam infallibiliter poſt plures recidivas Pareſis exciperet.

Sudoriferis non ſolùm ex vaſis ſanguiferis & lymphaticis, verum quoque in glandulis ſtagnans evacuari poſſe nullum dubium eſt, quia hæc inanita nonnunquam feliciter ſerum extravaſatum reſorbere hydropes curabiles fidem faciunt. Ergo hæc non negligenda erunt. *Diætam ſudoriferam ſuper ſcamnum vel in lecto perficiendam & per plures ſeptimanas continuandam* ſuadere non auſim, quamvis felici ſucceſſu illam non raro imperarim: *Matronæ* enim habitus corporis, qui fortè gracilis & tener eſt, & vires ignotæ mihi ſunt: quamvis modus etiam mihi notus ſit, quo ſine inſigni virium proſtratione ſudatio perficitur, mallem tamen primum per intervalla ſudoris prolectionem tentare; nimirum *ſemel vel bis ſummo mane* exhibeatur *ſudoriferum*, ac citra vim ſudor promoveatur, primum vix ultra horam ſudorem juvando, & ſi bene ſudationem toleraret, ad horas duas circiter, nunquam vero ulterius. Non abhorrerem *ab antimon. diaphoret. optime ppto. ac omnis reguli experte, cujus* ℈j. *vel* ʒß. exhiberi poſſet *cum congruo vehiculo, etiam additis aliis, cordialibus imprimis: ex. gr.* ℞. *An-*

℞. *Antimon. diaph.* ℈j. *Lap. bezoar. Occid.* ℈ß.
⊖ *vol. C. C. gr. iiij. Aq. fumar. ſcabioſ. vel*
Card. ben. ℥iij. *ſyr. baccar. juniper.* ℥ß. *Mſc.*

Si ♁ *diaph.* diſpliceat.

℞. ⊖ *vol. C. C.* ⊖ *vol. ſuccin.* ãã. *gr. iiij.*
Lap. bez. Occid. ℈j. *C. C. ph. ppr.*
Ung. alc. ph. ppr. ãã. *gr. xv.*
Aq. Angelic. ſ. vin. deſt. ℥iiij.
Tab. man. chr. perl. ʒij. *Mſc. dilig.*

Theriac. & *Mithrid.* mihi ſuſpecta ſunt. *Rob. ſambuc.* & *Ebul.* forte ingratiora forent. Aliàs commendatur etiam *ſyr. ſ. ambroſ. diureticis* multum ſeri auffertur. Itaque ſubinde mane *cum aq. chærefol.* ℥ij. *ſyr. capill.* ♀*r.* ʒij. *ſpir.* ⊖ *dulc. gt. vj. Mſc.* dari poſſent. Vel ſingulo mane *ſpir. aperit. Penot. aut ſpir.* ⊖ *dulc. aut ſpir.* ✳*c. correct. gt. iij. cum juſculo carn. in quo rad. petroſelin. coct.* exhiberi poſſent, imprimis ſi urina potulentorum quantitati non reſpondeat. Aliàs in hoc affectu parari poſſent *Pilulæ diureticæ* & *diaphoreticæ.*

℞. *Therebinth. Cypr.* ℥j.
Croc. ♂*t. aperitiv.* ʒij.
Extract. Caſtor. ʒj
Guajac. ʒiij.
Sarſæparill. ʒij.
Pulv. Marchion. q. ſ. ad conſiſtent.
Mſc. ex ʒj. *F. Pil. No. xxx.*

Harum pil. ſingulo mane dentur *v.* ſuperbibat *juſcul. alterat. Fol. meliſſ. vel. flor. borrag. vel fl. bugloſſ. vel ſimili, Emulſionibus ex ſem. 4. frig. maj.* non multum tribuo.

Quæ totam Maſſam ſanguineam emendent *medicamenta* plura ſunt, quorum quædam ſunt, quæ quoque vim diureticam obtinent. Ex his laudantur *Acidulæ* : quia vero ipſas ſemel infeliciter bibit hisque exordium hujus calamitatis adſcribit, ipſarum potum non urſerim, quamvis norim has tantum non omnibus *aliis remediis* in profliganda colicaílioſa palmam præripere, *teſte multiplici experientiâ.*

Laudantur quoque *Thermæ Piperinæ potæ,* quoniam vero purius ex ipſo fonte bibuntur, nec *Matronæ Ill.* per paroxyſmos locum aliàs

liàs horridum adire licet, aliud ſeligendum erit. *Serum lactis ſimplex aut deſtillatum aut cum herbis alteratum* vix feret ventriculus nauſeabundus: eadem quoque ratio erit *decoctorum longorum & ſyruporum*; nam hæc vix ultra menſem citra faſtidium continuabuntur, imprimis poſtquam *à multis medicamentis* ventriculus defatigatus fuit. *Gelatinam C. C.* in pertinaciſſimo nervoſi generis affectu *Illuſtriſſ. cuidam Comitiſſæ* ſuaſi, quæ illam jam ultra triennium quotidie ſumſit atque hactenus ab illa immunis perſtitit: hac ratione parari poſſet ℞. *Raſur. C. C. crud.* ℔ß. *indatur vaſi terreo vitreato, affund. aq. font.* ℔ij. *ſtent in digeſtion. per noct. in loco calido :* Mane lento igne coquantur fere *ad conſumpt. dimid. Tunc add. Flor. til. fl. paralyſ. Fol. majoran. meliſſ. ana. M. j. conſerv. roſ. r.* ℥ij. *Paſſul. maj. exac.* ℥j. ulterius coq. donec plus quam ℔j. liquoris conſumpta ſit: poſtea coletur & exprimatur : ſervetur in loco frigido, & in Gelatinam concreſcet: primum *mane horâ 6. & veſperi hor.* 5. dedi *cochl. ij.* ſeorſim calore liquefactæ aut juſculo carnium permixtæ : poſtmodum *ſolummodo veſperi* exhibui.

Aliàs novi Matronam Nobilem per vices crebras redeunte ſæviſſimâ colicâ cum horrendis convulſionibus vere epilepticis, pluribus diebus durante afflictam, ſolo lactis vaccini potu promiſcuo & pro lubitu ultra biennium continuato ab hac miſeria penitus liberatam fuiſſe. Quantum enim *Lac* emendet ſerum ſalſugineum, manifeſte experimur *in curatione nova Podagricorum*, quæ in plurimis Aulis invaluit, *& ego illius nunquam à me creditam virtutem in tribus comperii, quorum duo penitus ab iſtis cruciatibus vindicati ſunt, tertius illam mitiorem nunc patitur.*

Verùm antequam *Cura lactea* ſuſcipiatur, grumefactio & nidoroſa corruptela in ventriculo ſtudioſe cavenda : ob illam acor in ventrilo latens edulcorandus eſt *præcipitantibus*, qualia ſunt *omnia oſtracea Mater perl. &c. oc.* ♋. *Corall. C. C. uſt. ebur uſt. & hujus generis alia*: ob hanc bilis eliminanda iteratis vicibus. Inſuper obſtructiones in viſceribus reſerandæ, quod quoque præſtant *diaphoretica & diuretica* aliquandiu uſurpata, quæ ſi non ſufficere videantur , *Intybacea aliaque hepatica & ſplenetica in juſculis cocta* in uſum vocari poſſent. Inſuper per annum integrum Vini omniumque acidorum deguſtatio ejuranda eſt. *Modum Lac bibendi Dominus Medicus adſtans ex Anno 2. Miſcellan. Medico-Phyſico-Curioſor. petere poterit*; aut ſi expetet nos explanabimus.

Juxta hæc, aut his aliquandiu præmiſſis, exceptis illis diebus, quibus

bus *purgantia* ſumit, genus nervoſum corroborandum: ex multa farragine *ſola antiepileptica* ſeligo *Ex. gr.*

℞. Rad. valerian. ſilv. ℥j. rad. pœon. mar. ℥ß.
Ung. alc. ppr. ʒiij. C. C. ph. ppr. lign. viſc. quern. ãã. ʒij.
Semin. pœon. ʒj. ⊖ vol. C. C. ſuccin. ãã. gr. iij.
Extr. Caſtor. ʒß. Tab. man. chr. perlat. ℥ij. Mſc.

Doſ. mane horâ ſeptimâ & veſperi horâ quartâ ʒß. cum aq. flor. til. pœon. aut ſatyr. purpur. cochl. ij. vel iij. Idem pulvis cum ſacch. alb. in tabellas vel cum conſerv. roſ. r. majoran. anth. &c. in formam electuarii redigi poſſet. Verum nimius & longus *Sacchari* uſus mihi ſuſpectus foret, cum inde ſerum acerrimum reddatur, nam *ex ſaccharo* liquor ad aquæ fortis acrimoniam accedens deſtillari poteſt, quam quoque ſanguini permixtus toties circulando procul dubio exſereret. Vertex & nucha *mane ac veſperi hoc balſamo* inungi poſſet:

℞. Unguent. Alabaſtrin. ℥j. Ol. N. M. expr. ʒiij.
Ol. deſt. roriſm. majoran. rut. ãã. gt. viij.
ſuccin. gt. iij. Mſc. dilig.

Menagoga alia hac vice vix concederem præter memorata, cum ex his ſint multa, quæ ſanguini circa uterum exitum pararent, ſi ille in corpore redundaret, nec vi morbi conſumtus eſſet. Si omnino ſanguis moleſtiam pareret & menſtruorum excretionem molientium indicia adeſſent, *Saphæna* alternis menſibus ſcil. circa ſtata tempora ſecari poſſet. Eorum causâ quoque *pediluvia ex herbis uterinis in aq. cum pauxillo vin. & ⊖ coctis* parari poſſent. Rarius *V. S.* in artubus ſupernis inſtituerem. Sufficiunt *duo fonticuli*: hi ſtudio aperti ſervandi. *Setaceum* ceu moleſtiſſimum remedium, imprimis afflicto jam occipite & brachiis propemodum pareticis non ſuaſerim. *Veſicatoria* extra paroxyſmum non apponerem, niſi forte hemicrania aut occipitis dolor nimium urgeret. Conſuevi in pertinaci capitis dolore unâ veſiſicâ conſolidatâ protinus aliam in parte vicina excitare, eo uſque donec dolor ſedatus fuiſſet. *Scarificatio*, ſi illi aſſueverit, non omittenda.

Diætam prolixe definire non neceſſarium duco, *cum Dominus Medicus ordinarius* id præſtare præſens poſſit. Cibos ſuadebit boni ſucci & facilis coctionis: prohibebit omnia, quæ ſanguinem acrem reddunt ſcil. pinguia, frixa, nimium aromatizata aut ſalita: item caput replentia, ſinap. raphan. cæpas, allium. Aut ſerum augentia, quales ſunt fructus crudi &c. ſanitatis ſtudium eſſe inculcabit non ſatiari cibo. Vinum ultra annum denegandum: potus ordinar. ſit.

℞. Rad.

℞. *Rad: chin.* ℥j. *raſur. ebor.* ℥ß.
Fl. til. p. j. Paſſul. maj. exac. ℥j
Coq. in aq. font. ℔iiij.

Ab aere frigido, nebuloſo ſibi caveat. Iram & mœrorem ceu peſtes ſanitatis fugiat. Alvus aperta ſervetur *ſuppoſitoriis, clyſteribus.*

Deus felicem ſucceſſum largiatur.

Scaphuſii d. 12. *Sept.* 1672. Joh. Jacob Wepfer, M. D.

OBSERVATIO CXV.

Motus convulſivi.

ILLuſtriſſima quædam Juvencula annor. 12. pro ætatis ratione ſatis adulta, habitûs carnoſi, bene colorata. *In autumno* 1687. rhedâ vecta infortunio quodam comprimebatur pes ſiniſter, ille aliquandiu doluit, tandem dolor evanuit. *Anno* 1688. *Menſ. Martio* doluit pollex pedis ſiniſtri, dolor ſe latius diffudit & totum pedem occupavit: ſecuti dolores vagi articulorum, quandoque dyſpnœa quædam : poſt aliquot dies magis magisque ſe exeruerunt artuum & partium reſpirationi dicatarum motus convulſivi. *D. D. Scherpfius nervina, antiepileptica, diaphoretica interna & externa* adhibuit, *item revellentia ſcilicet veſicatoria & clyſteres,* ſine profectu.

D. D. Möglin Pforzhemio evocatus d. 3. *Aprilis poſt meridiem hæc obſervavit: D. Patiens* primum querebatur de æſtu quodam volatico, poſtea ex imo pectore ſuſpiria duxit, ſupervenit dyſpnœa, anguſtia circa præcordia, hinc rigiditas artuum cum dolore ab attactu & ſuccuſſio corporis ceu à rigore febrili : mens conſtabat adhuc, querebatur de dolore in extremis artuum, de compreſſione præcordiorum, deglutiendi difficultate & impedita loquelâ, genæ rubore ſuffundebantur: horâ elapſâ lachrymas profudit ac mortem inſtare dixit, ferale loculum præ foribus ſtare : duravit ad dimidiam horam ferè, mox hilarior facta bene ſe habere dixit. Extra paroxyſmum pallida magis eſt: appetitus utcunque vegetus, ſitis eſt tolerabilis : abſunt ſigna febris, alvus *clyſteris beneficio* ſolvebatur. Horâ 9 noctis rediit paroxyſmus, in hoc artus rigidi, brachium ſiniſtrum contractum, querebatur imprimis de doloribus in omnibus membris, maxime vero brachii ſiniſtri, attactum non pertulit, duravit paroxyſmus 4. horis. *Infuſum aq. fl. til. cum Eſſent. caſtor.* deglutire nequiit. *Pilam ex Caſtor. ſem. nigell. rut.*

 ſpir.

ſpir. ⊖ ✱c. *irroratam* non odorabatur extra paroxyſmum, multo minus in paroxyſmo. Hor. 1. noct. ſubito ceſſavit paroxyſmus, ſupervenit riſus, & poſtea placidus ſomnus 7. horar. quietus nec interruptus.

Die 4. *April.* hor 2. pomerid. rediit paroxyſmus mitior, nihil querebatur de dyſpnœa, ſed ſolummodo de rigiditate artuum dolorifica, duravit per ſeſqui horam, finiebatur cum riſu: cœnavit bene. Hor. 9. noctis alius rediit ſimilis paroxyſmo diei 3. April. niſi quod brachium ſiniſtrum non ita contractum fuerit, duravit quoque per ſeſqui horam. *Noctu* datæ fuerunt *pilul. theriac. cæleſt. cum extract. caſtor. cinnab. nativ. Hodie purgabatur infuſ. ſenn. fl. cord. &c.*

D. 7. *April.* rediere paroxyſmi, ſed vix animadvertebantur, unde diſceſſit.

D. 24. *April.* poſt multas ſaltationes recidiva facta fuit.

D. D. Möglin Affectum vocavit convulſivum cum melancholia junctum: cauſam proximam ſtatuit humorem acrem ſalinum irritantem non caput ſed medullam ſpinalem; quia ſubito invadit & ſubito ſolvitur, ſub forma vaporis affligere credit: remotas cauſas putat turgeſcentiam quandam ſanguinis ob inſtantes menſes, vitam delicatam ſupplentem ætatis adhuc defectum. Prædixit affectum gravem & curatu difficilem eſſe, ac minari epilepſiam, melancholiam: recidivas timendas, donec menſes manare incipiant, *Medicamentis antiepilepticis addenda* putat ♂*tialia.*

Die 22. *Maji* 1688. *Illuſtriſſimam D. Patientem conveni & ab Adſtantibus ac D. D. Medicis porrò hæc audivi:* Invaſit plerumque ſine ullo prodromo tam ſubito, ut vix lectum petere vel aſſequi potuerit: rarius præceſſit calor volaticus: in principio querebatur de anxietate præcordiorum, mox ſequebantur omnis generis motus convulſivi, opiſtotonos, emproſtotonos, aliquando tetanus, variæ ſuccuſſiones & verſationes brachiorum, fœmorum, tibiarum; aliquando totum corpus mire volutavit in lecto, manus in pugnum contraxit; aliquando alterutra manu digitos apprehendit & traxit, ac ſi illos evulſura eſſet: reſpiratio in uno paroxyſmo ſæpius diu intercipiebatur, & tunc plerumque ſequebatur opiſtotonus. In primis paroxyſmis tactus tam acutus fuit, ut nemo illam attingere auderet, imo non liceret propius adire, aut loqui aut ſe movere; aliquando licuit pulſum tangere qui naturali ſimilis erat. Sæpe plurimum meræ aquæ ex naribus emanavit, quam juſſit detergere, non erat acris, quia nihil circa nares erodebatur, imo nec rubebat, quandoque ſiccæ erant. Aliquando apertis oculis nihil vidit, querebaturque ſe non videre, aliquando vidit & non audivit: aliquando loqui nequiit; ſemel per horas 2. obambulans loqui

non

non valuit. Non rarò deglutire non potuit, licet ſiticuloſa potum petierit. Aliquando mucus ex ſinu pudoris excernebatur. Nunquam in paroxyſmo eructavit aut vomuit. Paroxyſmus ſubitò & præter exſpectationem penitus remiſit illoque finito riſit ac Deo gratias egit; aliquando actorum recordabatur, aliquando non omnium. Poſt paroxyſmum nihil querebatur vel rarò de laſſitudine. *Die* 20. *Martii* querebatur de pedis dolore & *Die* 28. *ejusdem* motus convulſivi inceperunt, graviſſimè afflixerunt *Die* 1. *Aprilis.* Paroxyſmi 24. horar. ſpatio ter, plerumque bis, aliquando ſemel ipſam invaſerunt, durarunt paroxyſmi 5. 4. 3. ad minimum 2. horis. Atrocius afflixerunt circa Novilunium, mitius circa Plenilunium, adhuc mitius in quadris lunæ. Circa finem April. aliquot diebus immunis erat à paroxyſmis, pedes tamen circa genua tenſi erant, ſaltavit nihilominus, hinc recidivam paſſa eſt, ſed poſtea brevi rurſus emanſerunt paroxyſmi. A 15. Maji ad 24. Maji in publicum ivit, rhedâ in campum vehebatur ſine ulla moleſtia aut recidivæ ſignis, nec in novilunio d. 19. Maji quicquam animadvertit. Cæterum facile ad lachrymandum inducitur & ob leviculas cauſas: eſt miſericors, facile compatitur, optimam habet indolem, *Illuſtriſſ. D. Matrem* 4. & *D. Patrem* 10. ætatis anno amiſit. Caput ante & poſt paroxyſmum doluit & non raro motuum convulſivorum prodromus fuit. In paroxyſmo aliquando riſit, in alio flevit, in altero cantavit cantiones non admodum ſibi notas Gallicè, Germanicè, Italice; in quodam preces fudit, & quamlibet harum actionum inſuetarum ad 3. horas continuavit. Semeſtri ante eruptionem horum motuum convulſivorum in illa animadverterunt dyſpnœam in acclivium aſcenſu.

Die 24. *Maji* poſt meridiem in pagum vicinum rhedâ vehebatur, nihil quicquam in itu & reditu nec in loco querebatur, domum redux hilaris erat, è rheda deſcendit, ſcalam plurium graduum alacris aſcendit, comedit fruſtum panis butyro recenti abſque ſale obductum, cœnavit bene, poſt cœnam luſit, nullum paroxyſmum timuit. Poſt 9. noctis veſtibus induta ſubito lecto incubuit, ajebat ſe in toto corpore dolere, doloris tamen rationem explicare nequiit, non convellebatur, mente conſtabat, duravit paroxyſmus vix ultra horæ quadrantem, tunc quoque ſubito remiſit citra ullam excretionem. Poſtmodum quæſivi, ubi potiſſimum doluerit, indicavit 2. vel 3. digitis ſub hypochondrio ſiniſtro, ſcil. ibi, ubi ligamentum uteri latum affixum eſt: poſtea veſtibus exuta tota nocte bene dormivit.

Die 25. *Maji* mane expergefacta ſtridore querulo imminentem paroxyſmum prodidit, ac ſi angeretur, mox oſtendit ſe mente non valere; cum illam intuerer perſpicillo, quia ad diſtans non video, mox inſtar mimæ digitum indicem nunc rectum, nunc incurvum oculo admovit

 movit

movit, ac ſi mihi irridere vellet, in riſum inconcinnum effundebatur, poſtea cantavit etiam cantiones ludicras, varie corpus jactavit, abſurda loquebatur, nunquam convellebatur, licet variè corpus jactaverit: ſymptoma circa meridiem remiſit: pranſa eſt bene. Nec ante hunc paroxyſmum nec poſtea conqueſta eſt de Cephalalgia, cui imprimis obnoxia eſt, & præcipue circa verticem affligebatur: nullos ructus emiſit: urina erat optima, tenuis, cum ſedimento laudabili: pulſus fuit naturalis: hilaris erat. In paroxyſmo videbatur à neſcio quo objecto phantaſiam valde turbari, nondum tamen ſyſtema nervoſum ad motus convulſivos ab illo concitabatur. Poſt prandium inquirens ſimulavit ſe omnium ignaram fuiſſe vel forte erat. Cænavit bene, poſt cænam ſubitò rediit paroxyſmus cum dolore artuum: totus paroxyſmus conſiſtebat in delirio, in quo loquebatur & agebat à ratione vel ſaltem à ſuis moribus aliena; in ipſo delirio errores agnovit & correxit, imprimis in hanc ſuam garrulitatem invehebat & dictis S. S. damnabat: brevi duravit, & ut ſubitò incepit, ita ſubito deſiit, illo finito nullius ſe recordari dixit, quamvis conſcia eſſet in delirio matutino obſervatorum & illorum, quæ poſt prandium agebantur. Similis mihi videbatur affectus Somnambulorum & in ſomno loquentium, nam & multa effutiebat, quæ ſana & vigilans, licet cogitaſſet, nunquam vel verbulo prodidiſſet; inſuper hinc inde ſine verecundia absque convulſivo motu corpus jactavit petulantis inſtar, cum aliàs ſedata ſit & compoſitiſſimis moribus prædita.

NB. Ancilla retulit illam diu ante hunc affectum valde de dolore verticis conqueſtam fuiſſe, ut vix illam pectinare auſa fuerit: in paroxyſmo ſemper caput doluiſſe atque illud ambabus manibus ſecundum tempora fortiter compreſſiſſe, ſubinde tunc aures, aliquando dentes, imo linguam doluiſſe; aliquando obambulantem per tres horas mutam fuiſſe: ante hos motus convulſivos ſe jam fluorem animadvertiſſe ſed parcum, ex quo verò iſti motus convulſivi eruperunt, largius illum manare dixit, eſſe album cum flavitie tinctum, mucoſum & acrem: pruritus vehementiſſimus in aliquot paroxyſmis & poſt illos accidit ut valide fricanda fuerit, aliquando frictionem non pertulit.

Die 26. *Maji* dum aberam, rediit paroxyſmus ut & *d.* 27. *Maji* mane poſt prandium & veſperi; tunc miras geſticulationes toto corpore peregit, abſurda loquebatur & agebat, an ſemper motus convulſivi fuerint, dubito. Bis mane poſt ſuavem ſomnum & diu continuatum contigit, incepit cum ſuſpiriis, ambabus manibus tempora compreſſit, mox aderat paroxyſmus.

Die 28. *Maji* quando evigilavit, aliquandiu loqui nequiit: cætera ſymptomata emanſerunt. Toto die hilaris erat ac extra lectum perſti-

ſtitit, ac ſi nihil unquam mali perpeſſa fuiſſet, pranſa eſt & cœnavit bene, tota nocte dormivit.

Die 29. *Maji* hor. 7. ipſam *cum D. D. Medicis* viſitaturus dormientem invenimus. Circa 8. matut. diſceſſi.

Reſolutio.

ETſi magna affinitas ſit hujûs affectûs cum illo quibusdam prope naturali, ob quem diu multumque ſomno ſepulti loquuntur aut obambulant, nam omnibus ſenſibus quaſi ligatis hæc peragunt, quorum, quando evigilant, non amplius conſcii ſunt vel raró; diverſus tamen ſtatus ſpirituum animalium videtur eſſe *apud Illuſtriſſimam Domicellam*, nam placide ſine interruptione noctu pluribus horis dormit, nec in naturali hoc ſomno quicquam indecens obſervatur. Certum tamen eſt ſenſus in paroxyſmis, licet non ſemper in principio, ſed poſtea aliquo modo imminui & feriari, nam aliquando adſtantes non agnoſcit & neſcit ſe videre, ipſamet ajebat ſe non videre, inclamata non reſpondet, increpata non obtemperat, cum aliàs ad nutum obedientiſſima ſit: *pilam vel nodulum ex Caſtor. ſem. nigell. ſpir.* ⊖ ✳c. *irrorat.* non odorabatur, *Caſtoreum* aliquando ſuaveolens prædicabat, cujus tamen fœtorem poſtea agnovit: tactus in principio quidem vigere conſtat inde, quia angitur in principio, aliquando nec minimum attactum pertulit, pruriit inſigniter cutis, caput compreſſit manibus; tandem quoque illum fere aboleri quaſi vel inde patet, quia citra doloris antea permoleſti ſenſum varie artus & truncum jactat, fortiter ſibimet digitos attrahit, ac ſi illos è manibus evulſura eſſet, percutit lectum &c. De guſtu nihil referri poteſt, quia nihil vel parum in paroxyſmo aſſumit. Læſio hæc quatuor ſenſuum externorum manifeſta, quia ſimul & ſemel prope fit, ſenſûs communis vitio contingere videtur, nam ex. gr. licet ſe videre neſciverit nuper, obtentu tamen digitorum ſe vidiſſe oſtendit, eoque magis illam vidiſſe inde conſtat, quia in ſequente paroxyſmo viſorum in prægreſſo paroxyſmo recordabatur. Phantaſiam mire paroxyſmis turbari loquela & actiones deliræ, cantiones item, riſus & fletus teſtantur. Objecta quædam ipſam oblectari teſtantur verba quædam; cantiones, riſus, agitationes corporis, alia ipſi adverſa prodit ex increpatione, ludificatione, indignatione, percuſſione. In delirio ratiocinari videtur & recordari multorum, longæ preces ordinate ab illa recitatæ teſtantur. Poſt paroxyſmum ſe omnium immemorem dicit, quamvis obſervarim in uno paroxyſmo actorum, illam in ſequenti recordatam fuiſſe.

Vitium hoc ſenſûs communis & phantaſiæ non provenire videtur à ſtupore aut oppreſſione quadam, ſed ab inordinato motu, ut minus prop-

propterea hi ſenſus ad objecta ſenſuum externorum attendant, vel ut plane illa negligant, imprimis phantaſia, ac verſentur circa alia objecta. Inordinatum ſpirituum & fibrillarum motum excitant quædam peregrina ſanguini permixta atque ad cerebrum delata, quod *de Opio, Maſlach, Datura, Hyoſcyamo & ſimilibus* creditur, vel potius quædam nervos aut membranas nerveas vellicantia aut corrugantia, nam his vel in diſtantiſſimis à cerebro locis afflictis quandoque totum ſyſtema nervoſum in conſenſum trahitur, cerebrò vicinisque ei locis ab omni labe immunibus; nervos vero nervoſasque partes irritari, teſtantur in principio paroxyſmi anxietates, ſuſpiria, dyſpnœa, aliquando plena interceptio reſpirationis, loquelæ impedimentum, deglutiendi difficultas & tandem miri motus convulſivi illique veri, licet non omnes agitationes & jactationes corporis convulſivas dixerim, ſed quasdam à phantaſmatibus imperari certo innoteſceret, ſi ad illas accurate attendere permitteretur.

Quænam nervorum retia aut membranæ nerveæ lædantur, vellicentur atque ad fortem corrugationem adigantur, certo non conſtat: de Ovario ſuſpicionem movent menſtruorum eruptio prima inſtans, fluor albus mucoſus cum aliqua flavitie ejusque acrimonia, item phantaſmata venerea. Circa caput & intra cranium tale quoque fieri innuunt dolores capitis pridem prægreſſi & nunc paroxyſmum antecedentes, dolores aurium, dentium, linguæ, liquor aqueus copioſe ex naribus procedens. Et omnino vellicationem indeque conſequentem conſtrictionem in culpa eſſe tot ſymptomatum, evincunt ſubita paroxyſmi invaſio & ſubita ceſſatio citra ullam evacuationem humoris alicujus per vomitum, ſeceſſum aut ſputum &c. imo ante & poſt paroxyſmum bene ſe habet, appetit, concoquit, urina eſt naturalis ut & pulſus, non tuſſit &c. Exploſionem hic admittere nequeo, nam paroxyſmi aliquando quinque horis perdurarunt. Intra cavitatem cranii multum ſeri ſtagnare à vero plane alienum eſt, nam extra paroxyſmum actiones animales probe obit. Pronior ad hunc affectum creditur, quia aliquid hæreditarii concurrere putatur, nam *Illuſtriſſ. D. Avus maternus* in puerili ætate tale quid paſſus fuiſſe dicitur.

Illuſtriſſ. Domicella abundat ſero acri & generi nervoſo adverſo, quod patet ex ſævo dolore pollicis pedis ſiniſtri poſt diu prægreſſam contuſionem tibiæ, ex ſignis arthritidis vagæ hunc pollicis pedis dolorem gliſcentibus, & inſigni pruritu cutis in & poſt paroxyſmum, ex fluore albo acri & mordaci. Exacerbare lympham ac magis generi nervoſo inimicam reddere valuit contuſio tibiæ & imminens prima menſium eruptio.

Indicationes igitur erunt acrimoniam in maſſa ſanguinea corrigendam & attemperandam, atque ſimul genus nervoſum roborandum ac placandum eſſe. Humo-

Humorem iſtum emendat & ſimul genus nervoſum roborat placatque

I. *Pulv. antiepilepticus Holſatus* imprimis contra motus convulſivos valens, qui diù *quotidie Mane ſummo & hor.* 5. *veſpertin. ad* ℈ß. *cum aq. fl. til.*. exhiberi poteſt.

II. Vel ejus loco *Pulv. antiepilepticus talis temperatus.*

℞. *Limat. C. C. C.* ʒij.
Ungul. alc. ʒj.
Unicorn. ver.
Cinnab. nativ. aut ♄ *ſexies ſublim.* ãã ʒß.
Rad. pœon. ʒij.
Extract. caſtor. gr. vj.
Sacch. alb. ℥ iß *Mſc. F. P. ſ.*
Add. Fol. ☉. *No. iiij.*
Doſ. ℈ß. *M. & V. cum aq. fl. til. vel ceraſ. n.*

III. *Rad. valerian. ſylv. cujus p. j. add. Sacch. alb. p. ij. Mſc. F. Pulv. Doſ. M. & V.* ℈j. *cum aq. fl. til. betonic. pœon. &c.*

IV. *Mane unâ atque alterâ horâ poſt ſumptum pulverem* dari poſſet *hauſtus decoct. fol. betonic. & fl. til. roriſmar. more decoct. herb. Theé parat. & ſacch. pauxillo conditi ad* ℥ iij.

V. Hunc affectum pertinacem ac jam incurabilem creditum *Curâ lacteâ* penitus ſublatum novi: verum nondum locum hic habere exiſtimo.

VI. *Acidulas* in hac ætate nondum ſuaſerim.

VII. Si paroxyſmi in uno die plus quam una vice *Illuſtr. Domicellam* affligerent, cum fructu dari poſſent *Paregorica hora* 9. *aut* 10. *noctis: ſcil. pilul. cum aq. papav. err. ejuſque ſyrup. pauxillo:*

℞. *Theriac. cœleſt.*
Succ. papav. err. inſpiſſat.
Extract. caſtor. ana. gr. j.
Mſc. F. Pil. No. iij.

Aut hauſtus emulſion. ex amygd. d. ſem. fr. maj. papaver.

VIII. Si paroxyſmi rariores evenirent, tutiſſime *purgari* poſſet *laxante mitiore.*

℞. *Fol. ſenn. ſ. ſ.*
Rhabarb. el. ãã. ʒij.
Agaric. alb. ʒj.
Flor. paralyſ. Pij.
Sem. fœnicul. ʒj.
⊖ *abſinth.* ℈j.
♀ ℈ß.

Inciſ. & contuſ. infund. hor. 12. *in aq. fontan. calid. q. ſ. in vaſe vitreo bene clauſo in loco temperato : mane facta levi ebullitione coletur citra expreſſionem: colaturæ* ℞. ℥v. *add. mann. elect.* ℥j. *vel.* ℥iß. *iteretur colatura bibatque mane hor. 6. duabus hor. a potu nihil comedat: poſt illas ſumat juſcul. bis vel ter ante prandium.*

IX. *Venæſectio* cautiſſime inſtituenda ob ætatem minus adultam.

X. *Fonticuli* nondum locum habent, nec *ſcarificationes* aliquid præſtant.

XI. *Veſicatoria* ob repentinos inſultus nondum neceſſaria ſunt; ſi vero dolor cum paroxyſmis gravius ſerpſerit, hæc quandoque utilia erunt, imprimis ſi dentes & aures excrucientur.

XII. *Menagoga* nondum utilia comperio, neque neceſſaria ſunt: natura gravata viam oſtendet, ab intempeſtiva provocatione nimiam hæmorrhagiam uteri ſecutam novi.

In victu fugiantur omnia illa quæ ſanguinem acriorem faciunt, ac membranam ventriculi & inteſtinorum irritant, ſcil. ſalſa, fumo indurata, nimium aromatizata, in butyro frixa, valde acida; lentorem ſanguini conciliantia, ut paſtæ farinaceæ, piſces; ſuccum lentum præbentia, ſanguinem inflammantia & humores nimium concitantia aut aliter turbantia, ut vinum, ſaccharata, ira & mœror; atque imprimis in hoc affectu opera danda, ut animus ſemper pacatus ſit, ſpirituum motus laudabili delectatione ordinatus conſervetur.

Ad d. 4. *Jun.* 1688. *ſcribit D. Zachman,* illam hactenus aliquot leves paroxyſmos perpeſſam fuiſſe.

Vir Celeberrime, Fautor Honoratiſſime!

EX ultimis Tuis, quæ non potuerunt non eſſe gratiſſimæ, vidi priſtino Te Nos amore proſequi, quem ut continuare velis, enixe rogito : *Sereniſſimus Noſter Princeps* gaviſus eſt, cum Te aliquando huc venturum nunciavi, jam vero abeſt *Durlacum* prægnantibus de cauſis profectus; exſpectat autem Te ſuboriente hoc verno tempore, quo alias

aliàs *Durlaci Sereniſſimam Familiam* inviſere ſolebas, *Princeps Sereniſſima* multumque gaudebit, ubi in tempore adveneris, cum de uno alterōve *Sereniſſ. Familiæ* incolumitatem concernente conferendum nobis ſit: Ægrotat quoque à ſeptem diebus *Illuſtriſſ. Domicella N. N.* metuitque *Sereniſſ. Marchioniſſa*, ne priſtino malo (quod *T. Excell.* notum ſatis eſt, cujusque hiſtoriam unà cum tuo Conſilio ceu olim abs Te literis conſignatam huc adferri haud gravatim petit) corriperetur. Quantum mihi ex diſpoſitione totiûs aliisve ſymptomatibus colligere licuit, à lympha ſeu latice aquoſo ſale acido acri impregnatâ, atque heic illic, maxime circa partes membraneas nerveasque exſtillante, fibrasque ipſarum irritando criſpante præcipuam malorum lernam pullulare viſum fuit, cujusmodi, ſive in glandulis ſubſiſtendo ſive in maſſa humorali luxuriando effervescentiis febrilibus, ſive etiam circa dictas membraneas partes ſtagnando & rodendo, doloribus atrocibus & quandoque inflammatoriis anſam ſuggerit: ſingula autem prolixius in præſentiarum excutere nec opus eſt, nec vacat: tute ex prævia narratione ſymptomatum ætiologiam curamve facile divinabis. D. 1. morbi, quæ fuit præterita Sabbathi, prehenſa fuit horrore gravi cum ſubſequente calore: *Clariſſ. D. D. Scherpfius*, qui Te perofficioſe ſalutat, paroxyſmum febris continuæ catarrhalis unà mecum ominatus eſt, itâ tamen ut hucuſque metuerimus, ne quid inflammatorii in pleura vel alibi hanc invaſionem excipiat, ſuſpicionem de catarrhali febre confirmarunt gravedo & tuſſis, quibus aliquot diebus ante divexata fuit, citra incommodum nihilominus obambulando: calorem comitabantur dolor capitis gravativus, aliqualis circa præcordia oppreſſio, laſſitudo artuum doloroſa, pulſus juſto celerior, ſed nec elatus nec ſerratus & æqualis: ſitis non erat valde intenſa, adfuit autem oris amaror, oculi lachrymabantur tantiſper & mane vomituriit, quæ vero nauſea ceſſavit jam: *præſcripta fuit Mixtur. ex aq. ſcabioſ. card. Mar. Mixtur. ſimpl. &c. per intervalla ſumenda* cum diæta tenui & *decoct. pro potu ordinar.* D. 2. retulit ſomnum quidem obrepſiſſe ſed inquietum: dolor capitis idem, ſed amaror oris non tantus, nec ſitis urgens: pulſus heſterno ſimilis, appetitus aliqualis; juxta verò de dolore punctorio circa coſtas imas dextri hypochondrii querebatur, qui autem fixus non fuit, ſed mox omoplatas verſus adſcendit, mox ſpinam dorſi invadebat: per nares multum excrevit, & tuſſi quoque ſputum viſcidiuſculum ſubflaveſcens reddidit: urinæ ſanorum ſimiles cum laudabili ſedimento: *Mixtur. ex aq. deſtill. iterata add. ♃ diaphor. raſur. dent. apr.* Poſt meridiem in eodem verſabatur, niſi quod de aliquali oppreſſione & tuſſiendi difficultate conqueſta fuerit ob dolorem punctorium recrudeſcentem, citra tamen anhelationem vel ſtertorem aut ejulatum, cujusmodi in pleuritide exquiſita vexare ſolent: decubuit quoque in latus

ſiniſtrum facilius, difficilius in dextrum. Exhibuimus *hac veſp. Sperm. Cet. in juſculo, & ſpir. antarthrit. noſtr.* parti dolenti affricare juſſimus, *præſcript.* ad faucium aſperitatem mitigandam *Syrup. granat.* D. 3. reducibus noctem inquietam fuiſſe ob continuam tuſſim pauco ſubſequente ſputo retulerunt: urinæ heſternis ſimiles: dolor capitis mitior; heri quoque veſperi & noctu ſudatiunculam experta fuit, cætera in eodem: *præſcript. Pulv. in 2. Doſ. ex diaphor. ♃al. ♄ diaph. & ocul.* ♋. Poſt prandium revertentibus conqueſta eſt de dolore punctorio atrociori, videbaturque *Sereniſſ. noſtræ Principi* ſe tumorem aliquem circa coſtas nothas contingere, qui autem, cum nobis præſentibus denuo exploraret, diſparuit: reſpiratio difficilis multum nobis non apparuit, furtim tamen ſe reſpirare quandoque *Dna Ægrota* dicebat; tuſſis crebra ſed non cum exquiſitiore dolore vel anhelatione, ſputum paucum, ſpumoſum præcipue, alvus libera. Quod vero metum auxit, fuit dolor qui à pede imo aſcendendo *Dnæ Ægrotæ* loquelam intercepit, qui rediit ilicò *cochlear. ſyrup. granator.* aſſumpto. *Mixtur. ſimilis hac nocte ſumenda præſcripta, cum empl, ex theriac. Androm. ſperm. cet. camphor. croc.* propinatum juxta *oleum amygd. d.* & recommendata juſcula ſæpiuſcule ſumenda. D. 4. frequenter tuſſiit, dolores punctorii non modo coſtas imas ſed alias partes, brachia, pedes, dorſi ſpinam &c. heic illic infeſtabant: pulſus idem, urinæ turbidæ cum ſedimento viſcido ſubrubro: ſumpſit doſin *Pulv. epilet. Holſat. juxta porrectum cum mixtur. antipleurit. parat. decoct. ex rad. liquirit. chin. lign. ſaſſafr. jujub. & ſem. aniſ. præſcript. pulv. hor. 4. ſumend. ex diaphor. ♃. C. C. ph. ppr. raſur. dent. apr.* Sub veſperam ſymptomata pleraque erant mitiora, vivide circumſpexit, pulſus æqualis, blandus & in frequentia multum remiſſior: ſudavit parum per intervalla: perrectum *in mixtur. & pulv. Holſat.* D. 5. mane querebatur tuſſis crebritatem nocturno tempore: doloris punctorii in variis partibus inſultus, oris amarorem poſt potum aſſumptum: pulſus heri veſpertino frequentior paulo, ſed blandus minimeque ſerratus: urina turbidior cum ſedimento lixivioſo: *præſcript. pulv. in 2. doſ. ex diaphor. ♃. huicque ſimilibus*, & commendata *Mixtur. ſæpius haurienda.* Atque hæc ſunt, quæ Tecum communicanda habui, ut videas, ecquid agatur *in Aula Sereniſſ. Principis*, ſimulque methodum noſtram tuæ cenſuræ ſubjiciam; Tu verò *Vir Excell.* optatiſſimâ tuâ præſentiâ cum *Sereniſſimam Marchioniſſam hujusque familiam*, tum Nos propediem exhilares. *Vale Celeberrime Domine & fave*

T. Excellentiæ Studioſiſſimo

Baſileæ d, 6, Martii 1689. Joh. Jacob. Hardero, M. D.

Vir

Vir Celeberrime, Fautor Honoratiſſime.

NOn dubito Te meas accepiſſe, ab illo tempore *Illuſtriſſ. Domicella* melius habere cœpit, ſymptomatibus remittentibus, & pulſu jam naturali exiſtente cum urinis: appetitus rediit ſitisque ceſſavit: ſola tuſſis adhuc per intervalla invadit ſed citra dolores punctorios, cui, tum *diaph. ♃. tum aq. veronic. ſcabioſ. ſyrup. jujubin. & liquirit.* obviam ivimus. At ab illo tempore *Illuſtriſſ. D. Patiens*, quo *Sereniſſ. noſtræ Principis Filiola Princeps* natu minima 30. ſeptimanar. à catarrho ſuffocativo diem ſuum obiit, triſtis multumque lamentans denuo male habuit, præprimis verò nupera die Solis gravi paroxyſmo hypochondriaco, ceu nobis viſum fuit, & tute judicabis, prehenſa fuit; enimvero graviter ejulando, artus miſere tremore ſuccuti, ceu motibus convulſivis prehenderetur, cœpit, cum gravi oppreſſione præcordiorum: brachia ad attactum frigebant, animique fortiter contriti ſuſpiria crebro ingeminabat: *ab exhibito Pulv. abſorbente ex corall. ebor. &c.* paroxyſmus remiſit; *addita mixtur. cordiali ex aq. meliſſ. veronic. cinam. cyd. conf. alkerm. inc. Margarit. & ſyrup. de cinam. cydon.* obrepſit hinc ad dormiendum propenſio, ſed ſomnus inquietus fuit & inter dormitandum inſultus tremuli in artubus obſervabiles: à ſomno rariſſime hactenus ſe recollegit, imo non ſine metu huic indulget: in ſequenti die de oris nidorulentia ut & ſequentibus conqueſta eſt, ventriculi & inteſtinorum ſubita inflatione, murmuribus & rugitibus, dolore nunc contorquente nunc lancinante ſub coſtis nothis, quem plerumque anxietas, præcedanea primum aurâ frigida in interioribus ſenſibili, cum tremore hiſce diebus leviori excepit, nunc corpus ſubfrigeſcit, mox calore tantiſper redeunte, ſudore blando, calido madeſit: pulſus blandus & æqualis maximam partem, niſi quod in frequentia parum à naturali deflectat, quandoque tamen mitior, ſerratus & tardus, inſtante paroxyſmo. Alvus *à binis clyſteribus injectis* flatus fœcesque cum muco viſcido copioſo excrevit, atque ab his bene ſe habuit: *pulv. abſorb. ex corall. ebor. bolo, cinnab. nativ.* nunc, nunc *Bez. ♃. C. C. ph. ppr. nitrique tantillo*, humorum ferociam ad tempus uſque fere mitigarunt; paroxyſmi verò redeuntes licet minus crebro vel fortiter cum *D. Ægrotæ* tum nobis anxietatem pariunt, quamvis norim hoſpitem hunc contumacem eſſe, & continuatum medicamentorum convenientium uſum requirere. Heri *tantillum lapid. bezoard. pulverib. abſorbent.* addidimus, quod *D. D. Scherpſius* metuit, ne quid maligni ſubliteſcat. Urinæ ſedimentum laudabile hodie deponunt, comparentibus in fundo rubris ſalium ſpiculis non paucâ copiâ, quoad conſiſtentiam paulo ſaturatiores & viſcidiores naturalibus eſſe videntur: appetitus tantum

 non

non dejectus eſt prorſus, ſitis non multum intenſa. Hodie *lene Emeticum* exhibuimus, à quo materiam viſcidam fluidamque, ſubviridem ſaporis vitriolici, ſeu ipſamet retulit, copioſe ejecit, cumque poſtea juſculum exhibebatur, nidorulentiam in ore imminutam eſſe dicebat. Animus eſt in hiſce medicamentis pro ratione pergere, additurí etiam alia, quæ cum Authores, tum experientia & ſana ratio utilia fore nobis commendarint atque oſtenderint: cogitavimus etiam *de juſcul. herb. alteratis*, & ego unà *de ſero lactis caprill. iisdem alterato.* De his verò quid futurum ſit, dies docebit. Nos iſta communicanda duximus, ut quantocyus iter tuum huc ſuſcipias, ſi fieri poſſit.

Vale Celeberrime Domine & fave

Tuæ Excellentiæ

Addictiſſimo

Baſileæ raptim d. 13. *Martii* 1689.

Joh. Jacob. Hardero. D.

Reſponſio ad literas Excell. D. D. Joh. Jacobi Harderi Prof. Baſil. d. 6. *&* 13. *Mart.* 1689. *datas.*

AFfectus, cujus prodromos *Illuſtr. D. Ægrota* jam *ſub finem Februar.* percepit, *die* 2. *Mart.* in pleuritidem emerſiſſe probant horror gravis ſubſequente æſtu, dolore punctorio hypochondr. d. præcordiorum oppreſſio, tuſſis dolorifica, pulſus frequentior debito, inappetentia, cephalalgia gravans, noctes inquietæ &c. quamvis urina naturali ſimilis videretur: confirmant id *juvantia, ſcil. diaphoretica, mixtur. ſimpl. ♁ diaphor. ♃. ſudor* jam *d.* 3. *Mart.* imprimis veſperi *d.* 5. *Mart.* & inde remittentibus ſymptomatibus *d.* 6. *Mart.* Morbum tamen convulſivum & in hac pleuritide repullulaſſe atque ſui indicia præbuiſſe obſervo, quia *d.* 4. *Mart. Illuſtr. Domicella* percepit à pede dolorem ſurſum aſcendiſſe ac loquelam intercepiſſe, & *d.* 5. *Martii* dolorem in univerſum prope habitum omnesque artus eumque vagum & punctorium diffuſum fuiſſe; nam ante annum hoc ipſo menſe calamitoſus & protheo mutabilior à pollice pedis incepit: *die* 10. *Martii* verò ſub ſchemate affectus hypochondriaci plane in nervum erupiſſe manifeſtiſſimum eſt, & ulterius innoteſcet, niſi magno ſtudio cavebitur: artuum tremor vere convulſivus, ejulatus, oppreſſio præcordiorum, crebra ſuſpiria, abdominis inflatio cum murmuribus, tormina ventris, ſomnolentia, ſenſus auræ frigidæ aſcendentis aliorumque ſymptomatum effectus ſunt convulſivorum motuum. Etſi luctus his anſam dediſſe videatur, tamen quoque apparatum vitioſum in primis viis

concur-

currere veriſimile eſt, quia *D. Ægrotæ* appetitus proſtratus, ipſamet nidorulentiam ſentit, & nuper *Emetico ſumpto* ⊖licum ſaporem percepit : aliis vicibus ante annum extra talem apparatum diu illam afflixit, unde quoque illo tempore *Emetica* omittebantur : rarius dabantur *purgantia,* nec frequenter *Clyſteres* injiciebantur, certe non ſuadebantur *in Conſilio,* cum tum appetitus vigebat, & extra paroxyſmos nihil adverſi percepit vel in ventriculo vel in inteſtinis. Cauſam proximam ſtatui tunc irritamen partis nervoſæ alicujus totum ſyſtema nervoſum in conſenſum rapiens: exploſionem in animum inducere nequii. Hoc expugnandum ſtatuimus *Antiepilept. ſive Pulv. antiepilept. Sereniſſ. D. Marchioniſſæ, ſive meo*, quibus pergendum. *Vale &c.*

Die 26. Maji 1689. Illuſtriſſ. Domicellam conveni Baſileæ, quæ hactenus nullum paroxyſmum epilepticum paſſa eſt, nunc optime habet, utitur *juſcul. alterat. hepatic.* Nondum menſtruata eſt.

OBSERVATIO CXVI.

Motus convulſivi Lateris dextri.

Salve Vir Celeberrime,

Amicorum longe æſtimatiſſime!

UTi prodigus *T. Excell.* in me favor quotidianis obſtrictionibus me ſubinde magis arctiusque occupat, totum etiam mancipat: ſic tanto tenerius ſimul animus æſtuat propriis opprobriis, quoties nil quicquam viciſſim mereri potuiſſe cogitat, atque nec dum quod reponat habet.

Jucundiſſimus mihi fuit aſpectus Caſtrenſis quondam mei igniculos lambentes revidere, quorum ſcintillæ penes me Autopta nec dum micare deſierunt: plurima lego, quorum jucunda nunc ſubit recordatio. Hujusmodi flammulas in me ipſo dum ſeſquianno abhinc urente brumâ, ipſe verò calens interulam mutarem, noctu agminatim è tela linea cum crepitatione proſilientes vidi, meisque omnibus potioris fidei causâ monſtravi.

Cæterum infrequens aliquid *in Familia Ampliſſ. noſtri Dn. Conſulis* ſubrepere videtur: *Filiola* 9. circiter annos nata, alioquin undique ſaniſſima, jactationes ab aliquo tempore præ ſe fert totiûs lateris dextri : torquentur in adverſum muſculi jugulares, palatini, nictant oculi, convellitur obiter cervix, brachium ferè perpetuo movetur inordinate & involuntariè, manus nec officium facit deſtinatum, nec niſi circum-

circumvagando arripit quod vult, nec firmiter retinet, motus anomaliam ipſamet ſive per verecundiam ſive diſtorſionis averſationem lævâ coërcere ſolet: pes ejuſdem lateris perinde vacillat, titubat ac inordinato tractu introrſum ſimul vergit; nil tale ſiniſtrum patitur latus univerſum.

Dubium nobis ſtatum facit puella naturâ fere ſcæva, per conſuetudinem etiam inquieta, ex hujus ætatis more ſolito. Non tamen reticenda etiam ſuſpicio maleficii, ſiquidem perſona haud integræ famæ ſæpius domum ingreſſa, de porcis eorumque numero inquirebat nullâ datâ occaſione, quorum duo confeſtim periêre, uno extrema inſuper ut videtur agente, cumque unde venerint perquiſiviſſet alteram illam domum utique mors porcaria invaſit. Eadem perſona de liberis eorumque numero rogavit, eos laudavit &c. eodem quo talia luculentius in filiola animadverti cœperunt tempore. Acceſſit altera ſuſpicio, inter ludos pueriles cum ſui ſimilibus temeritas quaſdam invaſit evellendi dentes, quos filis alligatos ſaltu facto, ſolidos licet, violenter eradicabant. Hoc pacto ipſa incidentium alterum exturbavit, altero jam ſuppuratione fere corrupto & vacillante. Acceſſit ex lapſu etiam contuſio carpi etiamnum ſatis dolens & nonnihil tumida, cum non exigua illius brachii extenuatione, quam quidem cauſam tremoris putabant; eſſe tamen non poteſt, cum pes eundem motum patiens nil tale ſentiat. Humerus quaſi luxatus & laxatus ſiniſtro pendet inferior, neque etiam legitime attollitur.

Intricata valde videtur eſſe inveſtigatio in cauſam legitimam vitii non contemnendi præſagii atque momenti. Novimus atque etiamnum in urbe oculis noſtris obverſantur exempla tremorum, vel convulſionum potius ſpaſmodicarum in tantum jam delapſarum, ut continuis jactationibus & ſuccuſſationibus artus læſos incommodent. Vidi hoc pacto unam duntaxat manum, vidi etiam artus omnes ſuccuti, dolore nullo, nullo etiam ſymptomate ſive moleſto ſive noxio. Hinc de epilepſia ſollicitos eſſe minime juſſi; muſculorum enim hic affectus eſt potius quam nervorum, ut ſpaſmorum cætera quoque genera pleraque: licet in conſenſum tandem per exceſſum materiæ peccantis & commercia tendinum cum nervoſo genere hos quoque trahi non ignorem.

Maleficii aut malignitatis hujus farinæ ſeminaria non quidem ſtatuam, nec tamen omnino inficiabor, ob circumſtantias non parum ſuſpectas. An verò dentium evulſio & ſuppuratio aliquid hoc loco poſſit, haud contemnendæ diſquiſitionis res eſſe videtur. Spaſmum è cruris læſione jugulares & labiales muſculos invadere exemplo, quo transſcripſi, tandem funeſto, didici conſenſus ex diſſitis illatos, tales *præter Schenkium, Marcellum &c. Tuæ quoque Obſervationes memoriâ digniſſi-*

digniſſimæ confirmarunt. Ac certum eſt, nervorum ſurculos ad dentes à IV. nervorum pari derivatos aliis interdum per anomaliam conjunctos, ſymptomata quoque anomala concitare. Sic pertuſo nervo (ut vulgo ſentiunt) ſub Baſilica brachii, qui tamen, *ſuffragante etiam A. Spigelio*, tendo eſt muſculi bicipitis, ſubitaneam cœcitatem & perſeverantem juvenculæ illatam *Veronæ* vidi, cujus cauſam *nec ipſe* alio modo detegere, *nec Medicorum aut Anatomicorum quiſque*, niſi quod per extravagationem nervi VI. paris, qui frequentiſſime ad cætera paria & loca, quibus inſeruntur, tranſmittit læſionis συμπάθημα, tranſportatum fuerit. Et quid ſi ipſi ſpinali medullæ per ramos nerveos ad faciei muſculos ipſumque os propagatos (qui omnes hoc exemplo noſtro convelli ſolent) violentæ nervulorum tenuis quidem compagis, exquiſiti verò ſenſûs rupturæ ſenſatio, quam totiûs faciei tumor & hæmorrhagia conſecuta eſt, communicata fuerit, indeque haud difficulter ſpaſmodica ſymptomata concitaverit. Perhibuit quidem filiola à ſociis ſe percuſſam intumuiſſe, hoc tamen mihi non probatur, cum tumeſcentia tanta totius faciei ſine çutis decoloratione fieri minime potuerit.

Quicquid cauſæ ſit, affectus ipſe haud levi pendendus eſt, qui facile in perpetuum vitium degenerare poſſet. Præſcripſi confeſtim *Aquam pro convulſionibus arcendis & cataplaſma cervici, ad ſpinalis medullæ principium imponendum : ſententiam Tuam deſiderante mecum Nobiliſſ. Dn. Conſule propediem detegendam ſollicitamus. Vale caput exoſculandum faveque porro ut ſoles*

Tuæ Excellentiæ

Veneratori perpetuo & devotiſſimo

Heilbronnæ d. 18. *Junii* 1680 Joh. Fabro, M. D.

P. S. Addo juſſu *Nobiliſſ. Dn. Conſulis reſponſum Dn. Völteri Chirurgi*, in potiſſimis mecum conſentientis. Placet *epithema cephalicum*, imprimis cum repurgationem capitis jam præmiſerim eique *aquam cephalic.* ejuſdem *cum epithemate* intentionis. Expertus autem ſum, quantum *hujusmodi epithemata* efficiant in doloribus à percuſſione capitis, iisque bis ſanguinem extravaſatum reſolvi ac *veſicator.* nuchæ & inferioribus locis applicitis ad extrema uſque pedum cum decoloratione cutis manifeſta, quo penetrabat ſanguis cæterique humores noxii, deduxi. Nuper etiam puerum, qui per feneſtram cellæ vinariæ præalte delapſus, ἄφωνος factus fuerat & totaliter reſolutus cum convulſionum inſultibus, præter omnium ſpem reſtitui. *De veſicatoriis* vero ambi-

go, an ſatis tutò parti affectæ & principi tantoque tempore, & repetitis vicibus applicari poſſint, cum conſtet φοινίσσοντα vehementer humores ad eam partem, cui inuruntur, attrahere; malim ego cervici vel brachio etiam ſani lateris, ut ſæpe felici ſucceſſu ſoleo admovere. *Pediluvia* non tantum placent, ſed & antehac à me præſcriptæ fuerunt *herbæ cephalic. & articulares pro vaporario* toti corpori idoneo, & lacertis imprimis roborandis, excluſo tamen capite. Cervici quoque *epithema* (*ut ille olea*) admovere ſuaſi ejuſdem plane intentionis. Addidit *ille emplaſtr. de Betonica &* ut conjicio *Theriacam*, quam ipſe quoque, ſic *experimento noſtri P. de Marchettis* edoctus ſuaſi. Mentionem facit *Trepani* regioni temporum applicandi, quod magna difficultate & periculo non caret, & aut temerariæ aut peritiſſimæ manûs opus eſt.

Conſilium Dn. Völteri Chirurgi Stutgardienſis præſtantiſſimi.

NUper *Excell. V. Filiolam* rogatus examinavi, & ex ſymptomatibus reperi, quod talis affectus nempe paralyſis aut jactatio membrorum à contuſione aliqua capitis vel cerebri, unde vel inter cranium & pericranium, vel inter cranium & meninges aut in cerebro ipſo venula aliqua rupta ſanguinem effundebat, dependeat & talia ſymptomata excitare queat. Talia exempla plura dare poſſem, uti id *Obſervationes meæ Chirurgicæ prælo deſtinatæ* abunde teſtabuntur. In hiſce caſibus vero res in eo verſatur, an vena magna vel parva (an id factum fuerit in ſubſtantia cerebri, intra meninges aut circa ſuturas) vim paſſa ſit? & ſanguinis vel multum vel parum effuſerit; ſiquidem ſæpius expertus ſum, quod parva ſolum ſanguinis extravaſati quantitas, etiam aliquando loturæ carnium ſolummodo ſimilis, maxima nihilominus incommoda excitarit. *Ruſticus quidam, Nürtingæ* inſtrumento quodam obtuſo percuſſus fuit in frontem ſupra oculum ſiniſtrum, unde varia graviſſima ſymptomata cum vehementibus doloribus perpeſſus, ut de ejus vitâ anxii fuerint adſtantes, irritis omnibus medicamentis, *Sectionem in præſentia & juxta conſilium Excell. D. D. Metzgeri Prof. Tubingenſ. d.* 15. *Auguſt.* 1664. ſupra oculum verſus naſum in fronte inſtitui ad cranium uſque, unde, licet nil niſi parum ſanguinis corrupti reperiremus, omnis dolor omniaque ſymptomata ceſſarunt, & æger paucis diebus poſt reſtitutus fuit, ex quo concludere licet, quod natura ſolers etiam parum adverſi tolerare vel ſuſtinere nequeat. Alium juvenem tractavi, qui juxta vulnus ſimul contuſionem in capite perpeſſus, is ambobus brachiis & femoribus paralyticus penitus & ſimul ἄφονος factus

factus tribus ſeptimanis in tali ſtatu remanſit, etiam irritis omnibus medicamentis *Trepanationem* inſtitui, unde vix cochleare unum ſanguinis loturæ carnium ſimilis effluxit; æger vero illo ipſo die loqui rurſus, paucis etiam diebus poſt ambulare potuit & penitus convaluit. Sciendum autem eſt, quod ejusmodi contuſiones varia & diverſa pariant ſymptomata, nam quamvis apud multos *Trepanationem* inſtituerim, & in tota fere peripheria cranii, in fronte ſcil. in utroque ſyncipite & temporibus, atteſtari tamen poſſum, etiam apud illos, qui abſque hac operatione curabantur, quod vix duos repererim, qui ſimilia ſymptomata fuerint perpeſſi.

Excell. V. Filiolæ ſuaderem, *conſentiente etiam Medico qui conſulendus*, ut 1. capilli detondeantur, hinc *ſacculi cephalici in vino & aqua cocti & expreſſi* ter vel quater in die imponantur, quibus 2. vel. 3. diebus pergendum, poſtea applicetur *Emplaſtr. cephalic.* 2. *Ol. nervin.* cervix & medulla ſpinalis inungatur calide. 3. Vertici quatuor ſucceſſive diebus & recens quotidie *Emplaſtrum veſicatorium dimidii Imperialis craſſitie & magnitudine* imponant, quod prima vice 10. vel 12. hor. & poſtea relinquendum 6. horis, à quo magna ſeri copia extrahetur: & pro ratione circumſtantiarum *Veſicatorium* hoc poſt 2. vel 3. ſeptimanas repeti poteſt. 4. Utatur *Pulv. ſternutatorio bis quotidie.* 5. *Pediluvia ex vinaceo, ſalice, artemiſia & origano alternis diebus* commendanda. Et hæc ſunt animi mei ſenſa ad periculum majus præcavendum, paralyſin ſcil. plenariam vel convulſiones.

Reſponſum ad præcedentes Literas & Conſilium D. Völteri.

PUellam hanc aliquid convulſivi pati manifeſtum eſt ex jactatione & ſuccuſſione artuum involuntaria & inordinata, nictatione oculorum, motu labiorum, tractu pedis introrſum invito, cervicis convulſione levicula: aliquid tamen paralytici concurrere videtur, quia illa, quæ prægreſſa corporis circumgyratione apprehendit, non firmiter retinet. Convulſionem utcunque dimidiam dextri lateris totiûs partem occupet, particularem nominare licebit, quia mente conſtat & ſiniſtrum latus penitus ab illa immune eſt. Inter rariores meritò numeranda, viſa tamen ſimilis à me *in Puella Illuſtri, quæ illa ipſa, cujus mentionem facit Excell. D. D. Thiermair Conſil. & Schol. Med. Libr. I. C. II. pag.* 152. *& nunc ſaniſſima vivit, atque præterito anno nupſit Illuſtr. cuidam Comiti Auſtriac. poſtquam enim è Bavaria in patriam rediit, ab Excell. D. D. Myllerò Lindav. & à me tractata fuit. Vid. Obſervat. ſequentem.* Vidi

 parti-

particulares alias convulſiones, imo univerſales integra mente: *Particulares capitis in D. Mebelio & Notario Baſileenſi, quibus præter voluntatem caput in tranſverſum rapiebatur, ſimillimæ erant illi, quam deſcribit Arnold de Boot. Univerſalem in puella 7. annor. die 15. Mart. 1656. cui totum corpus rigidum inſtar Schidii ob tetanum pluribus ſeptimanis manſit, integra mente, convaluitque præter ſpem omnium adſtantium congruis à me adhibitis, vixitque ſana 1674. in agro Würtembergico Donningæ maritata.* Convulſiones paralyſi jungi non ſemel in hemiplecticis & pareticis obſervavi, atque aliàs de hac *plures Obſervationes* leguntur: & imprimis in ſcorbuticis ſymptomatum horum alternatio obſervatur. Hyſtericis familiares ſunt univerſales convulſiones; *miras hujuſmodi tum ſolus aliquoties tum cum Excell. D. D. Camerario vidi Inzikofæ, faſcinum quilibet ſpectator credidiſſet, in Moniali quadam per plures annos durante, tantâ truculentiâ, ut tandem illam enecarint.*

Convulſivi motûs cum paralyſi quadam juncti cauſa videtur eſſe vellicans quoddam & irritans continue nervos ſimulque liberum ipſorum motum prohibens, unde aliquid paralytici concurrit, & quidem non procul à principio nervorum, cum plurimi muſculi ſimul p. n. contrahantur, nam muſculi cervicis, oculorum, labiorum, brachiorum & pedum involuntarie moveri videntur; vix enim credibile eſt, tot muſculos ſimul contuſos eſſe: non autem eſt ipſum principium nervorum, cum ſiniſtrum latus ſit integrum & mente conſtet. Irritamen non vehementiſſimum videtur, quia ſymptoma potius eſt motus convulſivus quam convulſio permanens; cujusmodi irritamen quomodo ad hunc locum pertigerit, obſcurum eſſe fateor. An *faſcinum* concurrat? non auſim dicere, utcunque res ſuſpecta ſit, quia puella non refert *Sagam* ſe attigiſſe aut aliquid comedendum dediſſe, quamvis nec tunc quidem *de Veneficio* aliquid temere ſtatuendum ſit, nam non raro dum ſuſpicionibus indulgetur, innocuis magna injuria infertur. *Hoc anno quædam gravida peſſimâ viſcerum conſtitutione prædita vetulam veneficii accuſavit: cadavere juſſu Magiſtratûs aperto nihil tale cum aliis Medicis comperi, ægram vero ſibi necis cauſam & veneficam fuiſſe manifeſte inveni. Hoc ipſo momento Gener meus D. D. Joh. Conrad Brunner Puellæ 15. annor. curam agit, epilepſiam ſæpius in die patientis: ſiticuloſa hæc mane jejuno ſtomacho multum aquæ & vini bibit, comedit pyra cruda, acidum lactis, panem lentum non bene coctum in placentam formatum, cujus ſuperficiem operiunt oleribus, ovis, lardo &c. noſtrates* Dünnen *vocant, inde ſecuta cardialgia vehemens, præ doloris ſævitia in ſylvam*

vam excurrit, ibi ter vomuit, mox convellebatur, & hactenus ſæpius: cauſatur unice vetulam hujus calamitatis authorem, cum tamen pyloro graviſſime affecto ab avidius ingeſtis convulſiones non raro excitentur, ſtigmateque ſemel impreſſo levi ex anſa ſæpius recurrere ſolent.

Valde credibile eſt ſerum extravaſatum vel ſanguinem ichoroſum irritamen hoc ſtatuendum eſſe, cum vix alius humor hîc ſtagnare poſſit, cui anſam dederunt violenta dentis evulſio & contuſio aliqua capitis, quam non levem fuiſſe faciei tumor indicat, & tale irritamen fuiſſe *juvantia ſeu medicamenta hactenus adhibita* innuunt. Quæ *peritiſſimus D. Völter* memorat, ipſe quoque non raro obſervavi, & nuperrime *Ruſtici Wangenſis causâ conſulebar, qui in vertice ipſiſſimo imprudenter bidentis uno apice percuſſus fuit: vulnus à domeſticis brevi conſolidabatur, ſequebantur intenſiſſima cephalalgia & paulo poſt paralyſis dextri lateris ſuccuſſione intermixtâ. Dato balſamo noſtro traumatico, impoſitis ſaccul. cephalic. cephalalgia ceſſavit, brachium & pedem rurſus movere incipit & indies validius, inuncta cervice ol. nervin. & brachio ſtupido ſæpius in die urticâ percuſſo, non neglectis veſicatoriis & cephalicis internis ac externis.* In ſimilibus caſibus non raro hemiplegiæ motus convulſivos comites animadverti.

Affectus diligentem & ſollicitam curam exigit, cum enim cauſa intra cranium & intra oſſa quaſi obvallata jaceat, non facile tollitur: *id in Virgine Nobili J. C. P. ſorore obſervavi, quæ ex equo lapſa graviter occiput alliſit & non niſi poſt annos convaluit. Senex Italus Mediolanenſis ex arbore præceps in verticem toto corpore ruit, poſt ſymptomata periculoſiora magno labore ſuperata, mirum ſymptoma remanſit: nimirum ſtans aut incedens pedibus, brachiis & toto trunco tremit & ſubſultat quaſi: malum immedicabile nec cedens lutis, balneis, decoctis aliisve Italis in ſimilibus caſibus conſuetis, ut mihi ſæpe retulit. Terribilius ſpectaculum hujusmodi motûs convulſivi vidi Meſskirchii in ruſtico Rodorffienſe, qui tamen noluit omnem culpam caſui attribuere: cauſabatur pertinaciter maleficium primarium authorem.* Meliora ſperanda in puellâ 9. annor. in qua ætate omnia magis perſpirabilia. Irritamen revellendum, diſcutiendum, abſorbendum ſimulque genus nervoſum roborandum.

Revelli poterit *Veſicatoriis* repetitis vicibus ſemper duobus in locis impoſitis, ſcil. carpis, mediis cubitis, poſt olecranum, circa fines deltoidis: cervici raro impono, cum ſomnum & decubitum impediat. Syncipiti *D. Völter* cum fructu impoſuit: *imitatus exemplum nuper in*

 ruſtico

ruſtico Stülingenſi vertiginoſo cum cephalalgia, milliare dimidium vix propter impotentiam pedum tribus horis conficere potuit : à ſemel impoſito ſtatim levamen obtinuit , iter poſtea iterato horæ ſpatio abſolvit : mirum nullas veſicas excitare, ſi capilli raſi denſe juncti ſint; extrahit nihilominus aquam limpidam : ſi capilli rari ſint , veſicas excitat, ut in *Comite ;* meningibus nil officit, cum tamen aquam ex cute capillata & partibus ſubjectis extrahat, quæ alias ſemper madent, multo minus cerebro nocet; derivat tamen. Diſcutietur *ſaccul. cephalic.* Proderunt quoque inunctiones verticis *Ol. ſuccin. roriſmar. cum ol. nuc. moſch.* cervicis *Ol. ex flor. Slotan. lumbric. add. ſpir. Juniper. Interne pulv. antiepilept. ex rad. pœon. valerian. ſylv. C. C. Ung. alc. Cinnab. nativ. add. ol. N. M. expr.* Vinum non dandum, præſtabit *decoct. lign. viſc. quern. Hæc profuerunt Puellæ Illuſtr. ut & Lac caprinum. Vale &c.*

OBSERVATIO CXVII.

Motus convulſivi præcedente Hemiplegia & ſequente Aphonia.

ILLuſtriſſima Domicella Comitiſſa N. N. annorum 10. ſtaturæ longioris pro ætatis ratione : gracilis, tenera : *menſe Januar.* 1670. mœrore quodam afficiebatur inſolito , deinde capitis dolore in ſyncipite, mox pedis dextri ſtupore inſigni, poſt paucos dies etiam torpore brachii dextri : aucto capitis dolore acceſſit Aphonia & dextri lateris paralyſis cum dolore tenſivo & pungitivo totius lateris affecti : ſucceſſerunt crebræ convulſiones epilepticæ, ipſamque proſternebant: ore ſpumante ceſſarunt. Ob diuturnitatem mali nunc admodum emaciata eſt. Præcordia tenſa & dura ſunt; ibi & in pectoris regione inferiore patitur motum quendam involuntarium & inæqualiter diſtenſivum ac retractivum. Ejuſdem lateris dextri manus & pedes involuntarie moventur adhuc cum torpore quodam. Data fuerunt *multa medicamenta purgantia, ſudorifera, antiepilept. antiarthrit. &c. eaque calidiora,* unde *Illuſtriſſ. Domicella* adhuc calore intolerabili ſe aduri conqueritur; hinc præterita hyeme rigidiſſima nec levia operimenta nec veſtes æſtivas perferre potuit, & adhuc dum vel maxime de hoc fervore & æſtu queritatur. Remiſerunt *uſu medicamentorum* pleraque ſymptomata : reſtat brachii & pedis dextri jectigatio & motus involuntarius convulſivus, ut ægrius incedere nec pro lubitu brachio uti valeat. *Hæc ſcribebat Raim. Mar. Piſtorinus d.* 5. *Julii* 1670.

D. D.

D. D. Franc. Stoker primogenitum ſeu hæreditarium quid hic latere putat, quamvis *nec Pater nec Mater* quicquam horum paſſi ſint. Uſus eſt pro ætatis ratione *Melancholiam præparantibus & purgantibus,* non neglectis *cephalicis & cordialibus.* Jectigationis cauſam tribuit vaporoſo & craſſo ſpiritui intra muſculos & panniculum carnoſum vaganti & exitum non habenti; hujus cauſa uſus eſt *frictionibus cum decoct. herbar. arthreticarum.*

D. D. de Maphæis & Thiermair palpitationem & jectigationem ſpaſmodicam vocant, ortas à vaporibus melancholicis, forte etiam malignis: poſſet morbus in epilepſiam degenerare. Putant exſurgere ex hypochondriis, forte etiam ab utero; cum non inſolitum ſit virgines mature pubeſcentes ſymptomata hyſterica pati. Forte etiam ad arthritidem flatulentam morbus referri poſſet eorum opinione. *Præmiſſis univerſalibus & ſpecificis* ſuadent *ſudorifera: lenitiva ſcil. ſyrup. aureum: mannam julepatam: Elect. de tamarind. brod. laxativ. &c. Præparata, ſyrup. de pom. d. cort. citr. de pœon.* ſuperbibendo *juſcul. alteratum cichor. borrag. ſem. citr.* Si arthritis urgeat, ſuadent *Elect. de tamarind. add. elect. caryocoſt. cum cort. citr. condit.* Quæcunque cauſa ſubſit, ſuadent *jus gallinæ cum rad. chin. ſantal. rad. pœon. add. tinct. bugloſſ. c. aq. fl. borrag. factam. Emulſion. ſomnifer. noctu cum margarit. ſmaragd. ppt. Item. elect. ſeu theriac. ſmaragd. Zacuti à D. D. de Maphæis correct. cujus doſ. ʒß. ad ʒj. cum aq. ſcorzon. vel de toto citr.* Item ad ſudorem movendum *lapid. bezoard. gr. xij. de V. S.* adhuc judicium ſuſpendunt. *Hoc Conſilium datum fuit Menſe Februar.* 1670. *Hiſtoriam hanc cum ſcholiis Clar. Thiermair habet in ſuis Conſiliis & ſcholiis Med. Libr. II. cap. XI. pag.* 152.

D. 5. *Julii* 1670. *Excell D. D. Medici Electorales Illuſtriſſ. Domicellam* coram videntes ita ſtatuerunt: ſcil. affectum miſtum ex paralyſi & convulſione hanc jectigationem ajunt; ejus cauſam cenſent humorem extraneum in capite collectum vel aliunde tranſmiſſum, qui peccarit copiâ, nam in principio caput doluit & adhuc dolet, ac in principio defluxiones aderant; deinde qualitate prava, cum ſeminale miaſma ſubeſſe *Medicus ordinar.* dixerit. Verentur epilepſiam cujus inſultum jam paſſa ſit, ſperant tamen illam emanſuram *mutatione aeris, ætate, medicamentis.* Suadent *Lenitiva,* non illa quæ humores acuunt, fundunt aut violenter exturbant, ſed mitiora & ſimul attemperantia. *Omnia calida* proſcribunt *Illuſtriſſ. Domicella* exiſtente filioſa: ſuadent adhuc *decoct. chin. Item thermas temperatas,* quas ajunt laxa roborare, miaſma

ma extrahere, ſalina ſolvere, ſulphurea temperare, mercurialia figere: affectibus item uterinis profuturas. Si ſuſpectæ ſint, ſubſtituantur *artificiales*, vel diluantur *aqua fontan. Ex ſpecificis* denuo laudant *theriac. ſmaragd. Zacut. correct.* Commendant *V. S. ſemel in anno, poſtea bis in talo, præmiſſis lenitivis. Item Fonticulum* in nucha. *Topica Ung. fomenta &c. diſcutientia & roborantia, ſed temperata*, quia ad maciem valde proclivis eſt *Illuſtr. Domicella.*

Ita cenſuerunt Nob. D. Joh. Jacob. de Maphæis.
Franciſcus Thiermair.
Raimund. Mar. Piſtorinus.
Omnes Medici Electorales Bavarici.

Reſponſio.

UTcunque plures affectus *apud Illuſtr. Dom.* concurrere videantur; primarii tamen fuerunt & adhucdum ſuperſunt, quos capitis affectibus accenſere & ad facultatem animalem læſam referre poſſumus: nimirum cephalalgia, melancholia repentina & citra cauſam externam invadens, epilepſia & hanc conſequens Aphonia, anne potius loquelæ impedimentum? hac vice ſuperſunt dextri lateris motus convulſivi in brachiis & pedibus, cum horum artuum ſtupore & impotentia aliqua ad motum voluntarium promptiorem & alacriorem, tum quando motus convulſivus ſopitus eſt: item loquela impeditior & denique Atrophia totius ventre inflato diſtentoque cum motu quodam inæquali nunc tenſivo, nunc retractivo. Motus iſti artuum tremor nuncupari non poſſunt, cum jactentur & ſuccutiantur, licet *Illuſtr. Dom.* artus non movere conetur; tremor autem fit tum ſolum, quando virtus animalis debilis ad imperium voluntatis membrum movere incipit, non tamen id firmiter ſatis præſtare & perficere valet, pondere membri obnitente & refragante virtuti debili motum inſtituente, cum quieſcenti membra non tremant. Sunt igitur illi ipſi motus convulſivi, quos plurimi *Galeni Interpretes & Sectatores* non proportionatos ad materiam vocant. His aliquid paralytici commixtum eſſe conſtat ex ſtupore & impotentia motus horum artuum, quos non ea vi & alacritate ac robore ut decet, ad imperium voluntatis movere valet, ut ex loquela impeditiore conſtat. *Hos affectus quandoque conſociari ab Obſervationibus Medicorum alienum non eſt, imo quandoque convulſiones & paralyſes alternare Sennert. Eugalen. Smet. Horſt. aliique, qui de ſcorbuto & morbo illo convulſivo aliquando in Haſſia Epidemio ſcripſerunt.*

Non raro Paralyſi dolorem jungi itidem *in Obſervat. Med.* occurrit,

rit, & apud pleroſque qui poſt colicam paretici fiunt, dolor impotentiæ illi comes animadvertitur. Motus convulſivos univerſales, quales optimo jure *Illuſtr. Dom.* vocari poſſunt, licet ſolum dextrum latus occupent, fieri integris ſenſibus internis, rarius quidem id evenit; *nihilominus tamen nonnunquam hujus exempla tum ab aliis, tum à me quater quoque viſa ſunt, & quidem ſolummodo in ſexu fœminino. Puellam 9. annorum ante aliquot annos tractavi, quæ Tetano ſalvis ſenſibus internis ultra novem ſeptimanas, rigida inſtar Schidii & jacebat, & è lecto ſublevata talis permanebat, ut nulla vi vel brachium vel pedes flecti, vel dentes diduci potuerint; cibabatur autem per hiatum quendam à dente in maxilla inferiore pridem elapſo pultibus & juſculis carnium, commode ipſi conceſſum, qua ratione conſervabatur & congruis medicamentis integram valetudinem recuperavit, & adhuc ſana atque robuſta vivit. Alia puella ejuſdem ætatis ante aliquot annos integra mente malleationem illam, cujus Tulpius exemplum habet, per plures menſes paſſa eſt, in qua indeſinenter brachia pedesque agitabat, iisque lectum ceu malleo ſumma vi & irreſiſtibili nixu per plures horas percutiebat; jam trium infantum mater eſt. Tempore autumnali 1669. morbus iſte, à quo ultra 15. annos libera erat, in puerperio poſt animi motum vehementiorem recruduit, & ſalvis ſenſibus internis periodice ad aliquot horas artus mire ſuccutiebat cum dolore tenſivo quodam valde atroci, & illi, qui in ſpaſmo flatulento ſurarum perſertur, ſimili; quæ nunc rurſus ſana & ab omni labe immunis vivit, ſcil. plethorica & εὔσαρκα, nec infans tum tempore lactans quicquam mali inde contraxit.*

Convulſivorum motuum & paralytici quidpiam in uno ſubjecto concurrere ſæpius obſervatur, & *Exempla apud Practicos occurrunt. Hac vice dum hæc ſcribo, inviſi aliquoties Nobilem Senem 76. annor. qui præterito autumno primum ſubito deglutiendi facultate privabatur, non ob tonſillarum inflammationem, nec muſculorum pharyngæorum vitio, nam nec ſolidioribus, nec liquidis tranſitus concedebatur: aſſumpta in media gula perſiſtebant & angebant eouſque, donec iterum ejiciebantur gula media, ſive ibi paralyſi quadam ejus fibrillis affectis, ſive à convulſione quadam contracta, quod probabilius, nam nixu quodam regurgitabant; ceſſavit fere ſua ſponte, ſpina dorſi ſolum oleis cephalicis à nucha ad medium dorſi valide inunctâ, nam nihil medicamentorum diu deglutire valuit. Præterito Februar. hujus anni Hemiplegia lateris dextri obrutus fuit; recuperavit quidem vim pedem & brachium movendi, at graviſſimos dolores arthritici ſimiles patitur in humero, cubito & carpo, etiam in coxa & genu ſed leviores: ſimul quoque cubitus, manus prope carpum & digiti magis magisque contrahuntur ita & flectuntur, ut nullo ingenio manus & digiti & cubitus incurvi queant extendi, quam veram convulſionem à ſiccitate & inanitione nervorum ad Hippocrat. mentem dixerim.* Atrophiam etiam univerſalem *Gliſſonius aliique Angli* capitis affectibus accenſerunt, illi ſcil. qui ſuccum nutritium à cerebro derivant, quibus tamen hactenus nunquam aſſentire potui: potius illam naturalis facultatis ſymptoma cum Veteribus dixerim; de cujus

cauſis poſtmodum diſpiciendum eſt. Non tamen negarim diſtenſionem in imo ventre & pectore inæqualem & retractivam animalis facultatis læſionibus accenſendam, in cujus tamen ſymptomatis deſcriptione majorem lucem expeterem: memini talia ſymptomata *Williſium* nervis meſentericis & paris vagi ramulis adſcribere.

Loca affecta *apud Illuſtr. Dom.* ſymptomatum facultatis animalis omnino ſunt, ratione cephalalgiæ meninges cerebri, quæ tactu præditæ ſunt, cerebri ſubſtantia hujus ſenſus experte: ratione melancholiæ ipſum cerebrum ſedes ſcilicet ſenſuum interiorum: ratione epilepſiæ quoque cerebrum, ſed non niſi etiam meningibus affectis, quæ irritationem ſentiunt, affecta pridem fuerunt: nunc ratione motus convulſivi, impotentiæ aliqualis in motu, ſtuporis & vitii loquelæ tum meninges, tum medulloſa ſubſtantia afficientur; illæ irritationis capaces ſunt, hâc læſa impotentiæ in ſenſu & motu eveniunt. Et quia hæc ultima ſymptomata in dextro latere perdurant cum loquelæ impedimento, imprimis crus dextrum medullæ ſpinalis è cerebro emergens, & quidem intra cranium læſum eſſe conjicio, quia totum hoc dimidium latus hæc ſymptomata occupant, quia quoque loquela vitioſa eſt: nervi enim loquelæ inſervientes non à cerebello ſed altius, ab hoc nimirum crure, ut *Williſius* ni fallor cum *Varolio* vocat, originem trahit: ſi enim in medulla ſpinali extra foramen ſacrum elapſa cauſa horum malorum hæreret, citra impedimentum loquelam perficeret: vid. *Anatom. Cerebri Williſ.* An vero quoque crus medullæ ſpinalis ex cerebello proveniens affectum ſit, certo ſtatuere nequeo; ſuſpicor tamen illud à læſione quoque non immune eſſe, cum in imo ventre diſtenſionem quandam inæqualem cum aliquo tractu patiatur, quod ſymptoma læſis illis nervis, qui motui involuntario inſerviunt, adſcribendum eſt: nam hos nervos *Excell. Williſ.* à cerebello originem trahere pulcherrime demonſtrat: medulloſum crus ratione motus convulſivi in meninge, ratione paralyſis in ſubſtantia læſa. Cui parti læſæ atrophia potiſſimum adſcribenda ſit, certo citra ulterius & accuratiſſimum examen definiri nequit, cum tot ad illam pariendam requirantur, de quibus inferius plura.

Quid vero illud ſit, quod poſt cephalalgiam, mœrorem ſubitum & inſolitum, ut & inſultum epilepticum, ſymptomata *à menſe Januar. in hunc uſque diem* durantia efficiat, inquiſitionem diligentem meretur: nimirum quænam ſit cauſa proxima motus convulſivi artuum dextri lateris, ſemiparalyſis & ſtuporis earundem partium, ut & impedimenti in loquela. *Clar. D. Williſ. in nova Pathologia cerebri* convulſiones motusque convulſivos plerumque fieri autumat ab exploſione, nimirum ſi ſucco nervoſo & ſpiritibus animalibus humor quiſpiam peregrinus

grinus permiſceatur, illum ceu pulverem pyrium accenſum amplius ſpatium requirere, nervum breviorem evadere, indeque contractionem nervorum fieri. Hanc mihi hactenus imaginari non potui; cum nervi, quantum viſui patet, ſolidi ſint, ac meninges ſeu ipſorum membranulæ arctiſſime medullæ adhæreant. Potius credo in convulſionibus frequentiſſime irritationem & vellicationem nervos ſollicitare, ut verſus ſua principia contrahantur, ſe corrugent p. n. hoſque motus inſtituant; nervorum enim motui dicatorum & partium valde nervoſarum proprium eſt, ut vel ad imperium voluntatis, vel neceſſitate ſuadente in illarum partium motû, quæ voluntatis imperio non ſubſunt (cujusmodi ſunt motus ventriculi, inteſtinorum, cordis aliarumque partium) continuo corrugentur, breviores fiant ac ſe contrahant: ſi itaque à re peregrina ſollicitentur & ſtimulentur, idem ſed validius facient; ſic ventriculus *ex. gr. Helleboro propinato* irritatus, ſic inteſtina *ex. gr. Clyſtere acri* ſtimulata protinus inſurgent vere, omnes nervos, quibus abundant, intendent ut hoſtem expellant, idque revera non niſi illorum nervorum maxime beneficio, qui utrique ſenſum & motum largiuntur. *Ut aliquando certior fierem, hos motus violentos ab irritatione fieri, in ranis vivis nervos crurales denudavi ac acu pupugi, protinus nunc motibus convulſivis pedes concutiebantur, nunc rigidi perſiſtebant, prout vel ictus iteravi, vel acum pertinacius nervo inſigniori affixam tenui. Id poſtmodum ſæpius quoque in canum vivorum ſectione eodem ſpectaculo tentavi. Non ſemel corda canum, lupi adulti, gallorum gallinaceorum apice cultri anatomici irritavi, ut vim ejus in motu peragendo oculis uſurparem, in gallis & lupo protinus in validiſſimos motus proruit, & vel extra pectus erupturum cor videbatur, imo jam vere emortuum denuo titillatum motus rurſus exordiebatur.* Adeo ut nullus dubitem, nervos ipſos, vel partes pluribus nervis præditas ſtimulatas validiſſimos motus inſtituere, quod amplius *venena, acria purgantia, vomitoria maxime ♁iata & ☿alia, ſternutatoria,* nervi punctim læſi & ſexcenta alia abunde confirmant. Quoniam vero pluribus epilepſia & convulſivi motus obtingunt citra puncturam nervorum ab acu aut alio inſtrumento pungente, *citra venenum propinatum, citra Hellebor. ♁ium ☿. & alia hujus generis aſſumpta*, neceſſum eſt, ut analogum quidpiam in corpore humano generetur, quod nervos nervoſasque partes ad motum contractivum proclives irritare, ſtimulare & ſollicitare valeat, ut hujusmodi motus vel præter juſſa voluntatis, vel ſolito violentiores peragant. Hoc analogum procul dubio erunt humores acres mordaces, nervoſo generi inimici: tales in corpore humano pluries generari non neceſſum eſt ut probem, cum quotidie *medicinam facientibus* occurrant, qui non tantæ acrimoniæ participes ſunt, ut non ſolum membranas & carnes exedant, ſed etiam *ceu aq. fort.* calcinent atque com-

 minuant.

minuant. Id tamen negari nequit, plurimos acribus & mordaciſſimis humoribus ſcatere, illosque cum ſanguine cerebrum cerebellumque tranſire, nervos nervoſasque partes propinquiſſime attingere, nullam tamen vel epilepſiam vel motus convulſivos excitare: exemplo ſint leproſi, ſcabioſi, pædartrocace exeſi, lue venerea affecti aliique acerrimis humoribus prædìti, apud quos citra omne dubium tota maſſa ſanguinea, ſuccus nervoſus & lympha acrimoniæ inſignis participes ſunt, & in perpetuo ſanguinis motu quorſumcunque feruntur. Sæpe in hydropicorum cruribus & pedibus vidi ſerum illud quovis lixivio ſalſius, pinguedinem, carnem muſculoſam, tendines, nervos denique undique cinxiſſe, imo ceu ſpongiam partes illas aquam imbibiſſe, atque denudata cuti quaſi gelatinam apparuiſſe, ſauciatas aquam largiſſime ſtillaſſe, citra ullam tamen convulſionem aut paralyſin ad ultimum uſque vitæ halitum. Credo etiam multas eſſe ejusdem ætatis, temperamenti & teneritudinis *cum Illuſtr. Dom.* quæ tamen horum affectuum expertes ſunt. An igitur id fiat ob humorem occultum & ineffabilem qualitatem quandam? an vero ob diſpoſitionem peculiarem cruris dextri medullæ ſpinalis? occultas qualitates quantum poſſum evito, ceu ignoranciæ aſylum & impedimentum maximum in indagandis rerum cauſis; quamvis in epilepſia *divini quidpiam* latere *cum pleriſque Artis Proceribus* cogar fateri. Acrimoniam convulſivos motus irritatione *apud Illuſtr. Dom.* excitare non nego, ſed quatenus apud illam crus hoc medulloſum diſpoſitum fuit, & ad vellicationem promptius ſuſcipiendam & diutius ferendam reperiit, cum ad actionem non ſolum agens validum, ſed & ſubjectum diſpoſitum requiratur.

Quia affectus iſte *ultra ſeptimum menſem* continuo durat, & dum vigilat, artus motu convulſivo quaſſantur, ſemperque ſemiparalyſis ac loquelæ vitium præſto adeſt, licet non amplius eo vigore quo pridem, & nunc affectus omnes mitiores ſint, neceſſum tamen eſt, tale vitium in loco affecto ſemper exiſtere, & humorem acrem perpetuo continere ſemperque præſentem habere, ut affectus hos, ſi rite expendantur, vere continuos gignat; quod fieri conjicio, pia matre à medulloſo corpore avulſa, & in veſiculam quandam quaſi elata, atque hinc ſemper humore acri prægnante: & licet quotidie portiuncula à calore conſumatur, aut ejus portio ulterius propellatur, ſingulis tamen momentis novo humore perpetuo ſanguinis motu allato decedentem reparat. Quod ut credam, me perſuadet *Excell. D. Williſ.* qui in convulſionibus nervorum abdominis apoſpaſmata & veſiculas hujusmodi in plexibus meſenterii nervoſis reperiit, quæ tamen aliæ à vulgatis hydatidibus: *conſulatur Author in Patholog. nova Cerebri.* Apoſpaſma ſeu avulſio iſta membranæ contigit tum ab inſultu epileptico cephalalgiam

&

& melancholiam conſequente, in qua cerebrum vi quadam humorem noxium excutere conabatur, qui ceu humor craſſus ſuccoque nervoſo permixtus, huc delatus ac ſubſiſtens ob calorem in hac ætate vegetum, in flatum verſus fuit. Ex hac cruris medulloſi diſpoſitione intelligi poteſt, qua ratione una eademque opera & convulſivos motus & aliquid paralytici efficiat; nimirum id tantummodo ſitui, non diverſitati humoris tribuendum eſſe: quatenus enim membranam, quæ ſola ſenſus capax eſt, vellicat, convulſivum motum, quatenus medullarem ſubſtantiam nimium irrorat, ſpiritibus tranſitum negando, ſemiparalyſin & ſtuporem gignit. Non autem diriorem convulſionem efficit, quia non acerrimus eſt & quantitate paucus, nec omnimodam paralyſin generat, quia non omnes ejus poros penitius occludit. Atque ita neceſſario fieri debere, nec ſufficere, ut humor acris forinſecus nervos attingat, inde concludo magisque perſuadeor, quia in aſcite, hydrope pectoris & anaſarca vix centeſimus convellitur aut ſtupet, multo minus paralyſin patitur, quamvis aqua illa ſalſiſſima & lixivialis nervos plurimos proxime attingat, ambiat, circumfluat, imo illi ceu mediis in undis natent: *Imo vidi duos Hydrocephalos, aquâ non inter cutim capillarem & cranium, ſed plane intra cranium & in ipſis ventriculis ſtagnante, ſalvis ſenſibus internis & externis, motuque tam voluntario quam neceſſitati naturæ obediente, in uno per aliquot annos, in altero ultra annum & ad vitæ finem integris; quorum prior ſectione ab Empyrico facta, alter catarrho ſuffocativo periit. Seni 70. majori Vietori Podagrico cranium poſt mortem aperui: ventriculi, anfractus cerebri & ſpatium inter duram ac piam matrem, imo etiam fiſtulam ſacram aquæ pleniſſima erant, nec tamen convellebatur, & in artubus graviſſimos dolores cum motus quidem aliquali impotentia non tamen abolitione patiebatur.*

Quomodo verò acris humor intra cruris medulloſi ſubſtantiam & membranam obvolventem effundatur, non neceſſum eſt demonſtrare illi, cui C. S. & arteriarum diſtributio in cerebro & cerebello nota eſt; nam ad crus iſtud pertingunt rami arteriæ carotidis poſticæ & vertebrales, qui non ſolum ejus ſuperficiem lambunt, ſed ipſam membranam penetrant & ſubſtantiam ingrediuntur, quo beneficio etiam ſpinalis medulla gaudet, ut in fœtibus immaturis vertebris forfice diſciſſis vidi, *aſſentientibus Williſio & Blaſio;* & ita fieri neceſſum eſt, aliàs vivere non poſſent hoc nectare deſtitutæ. Acres humores in maſſa ſanguinea generantur & cumulantur varias ob cauſas; quales ſunt totius aut viſcerum principum temperamentum calidius & ſiccius connatum aut acquiſitum: aër fervidus aut nimis frigidus: ſic obſervatum canes & lupos æque bruma rigidiſſima, imo frequentius rabidos quam æſtate fieri, dum per antiperiſtaſin calidæ exhalationes detinentur magisque ſanguinem incendunt: cibi nimis ſaliti, aromatizati, dulces, pingues, item craſſi,

craſſi lenti obſtructiones in minutiſſimis vaſis parientes : vina generoſa, *cerevijia nimis lupulata, aut hormino aliisve ſimilibus adulterata : medicamenta calidiora , ut & ſpiritus vini ac aq. cum vino deſtillat.* vigiliæ : motus & exercitia intempeſtiva & validiora : animi motus nimii plurimum quoque ſanguinem alterant. Excretiones debitæ ſuppreſſæ ſcil. inſenſibilis tranſpirationis, urinæ, menſium, hæmorrhoidum, narium hæmorrhagiæ plurimum ad acrium humorum cumulationem faciunt, ut & denegatio beneficii alvini quotidiani ; nam fœcibus diutius retentis etiam in colo ex illis liquores acriores ab hepate & pancreate huc demandati quaſi exſuguntur & admiſcentur ſanguini. Morbi quoque quidam gignunt & coacervant humores acres abunde , ex quibus febres quaſcunque nomino, & obſtructiones vaſorum tam ſanguiferorum, quam lymphaticorum & ductuum in glandulis conglomeratis occultatorum : vaſis ſanguiferis obſtructis plerumque inflammationes ſæpe periculoſæ & febrium continuarum & ardentium, ſæpe etiam malignarum fomites , *Teſte Spigelio de Hemitritæo,* & abſceſſus oriuntur : & ſi forte non ſemper fiat , tamen ſanguis ſtagnans acrimoniam acquirit, ut in varicibus & aneuriſmate videtur. Et lympha ſtagnans ac humores ex glandulis conglomeratis exſtillandi p. n. retenti acuuntur, hepate ſcil. obſtructo bilis, pancreatis ductu illius ſuccus ferocior evadit.

Apud Illuſtr. Dom. humores acres ob varias cauſas generatos & cumulatos conjicio : ſcil. ob temperamentum quod calidius *ab utroque Parente* habet ; nullam autem diſpoſitionem ad epilepſiam inde obtinuit, cum ambo ab hoc malo immunes ſint, etiam retro longa avorum ſeries fuerit. *Soror* quidem *Parentis* ab hac extincta fuit, quæ tamen hæreditaria non erat , ſed *mala medendi ratione* imprudenter vi quaſi allecta fuit : deinde victûs ratio luculentior forte huc ſymbolum contulit, ſcil. aer craſſior quam patrius : cibi impenſius ſaliti , aromatizati, forſan etiam viſcidiores & craſſiores ex paſtis farinaceis, carnibus ſuillis : potus cereviſiæ aut vini auſteri, quæ in glandulis meſenterii pertinaces obſtructiones facile pepererunt, utpote illa tenera vaſaque anguſta habente ; eoque magis quia ad tales cibos exacte digerendos nullis exercitiis ceu clauſtro incluſa , aut intempeſtivis, qualia obſtructiones potius augent quam impediunt, uſa eſt : forte his *medicamenta calidiora exhibita* non immerito accenſenda ſunt ; & in meſenterio tales obſtructiones ceu anguem in herba latere ex illa ventris inæquali & pulſifica diſtenſione ſuſpicor. Quantum enim hæ glandulæ ad ſeri cumulationem faciant *ex ſectione cadaverum* à catarrhis tabidorum ſalvis nihilominus pulmonibus, & hydropicorum non ſemel obſervavi ; dum in illis pulmones exulcerationis expertes , in his ambo

viſcera

viſcera hepar & lien ſana erant, glandulæ autem numeroſæ & duræ, quædam etiam gypſea materie infarctæ à me reperiebantur. Chylus enim & lympha etiam ſanguis has glandulas alluit, ſi ſtagnat ibi humor, qui ex mora acrimoniam contrahit, eâque æque ſanguinem ac chylum & lympham imbuit, non ſecus ac fontes cuniculos ſubterraneos percurrentes 🜍, ⊖, *arſenicum* aliorumque mineralium vires imbibunt. Num vero *apud Illuſtr. Dom.* fermentum quoddam ab utero ſanguini impertiatur, non facile dixerim, cum nondum per ætatem ſemen generarit, nullumque aliud fermentum ab utero expectari adhucdum poſſit.

Atrophiæ univerſalis certam cauſam, niſi plures circumſtantias cognovero, afferre, ut ingenue fatear, nequeo; ſi enim ſucci nutritii per nervos afferendi defectum cauſarent, ſolummodo dextri lateris atrophia inde reſultaret. Alias univerſalis atrophia fit, quia vel alimenta non aſſumuntur, vel non concoquuntur, vel cocta non diſtribuuntur, ſed per ſeceſſum ejiciuntur, ut in fluxu Cœliaco fit obſtructis vaſis lacteis, vel chylus ſanguini permixtus abſumitur ob febres &c. vel habitui ceu acris & incongruus non apponitur. De fame enim, fluxu cœliaco, febre, diabete ſimilive affectu nihil certi ex hiſtoria conſtat; ſuſpectus tamen eſt mihi æſtus ille, ob quem etiam præterita bruma ſæviſſima integumenta etiam leviſſima tolerare nequiit, è contra veſtimentis æſtivis indui voluit, eòque magis quia *à medicamentis calidis* accerſitus fuit, quæ maxime *aquæ cum vino deſtillatæ*, præterquam, quod ſanguinem mire incendant, acrem faciant, ſimul quoque glandulas indurant ac febres lentas gignunt, *ac memini duas ſorores inſultus epilepticos paſſas quæ aquis talibus deſtillatis delectabantur.*

His præſuppoſitis indicationes erunt ſanguinem acribus humoribus imbutum alterandum, ab illis mundandum eſſe, obſtructa reſeranda, cruris dextri medullæ adhærentem diſcutiendum, diſſipandum, & ſimul cerebrum corroborandum eſſe. An his ſatisfieri, & *Illuſtriſſima Domina* integræ valetudini citra ullam labem reſtitui poſſit? hoc opus hic labor erit. Si morigeram nanciſcamur, ob ætatem *Hippocr. teſte*, non deſperandum eſt. *Remedia auxiliorum ſumenda ex Chirurgia Pharmacia & Diæta.*

Ex Chirurgia: à V. S. non abhorreo, modo *Illuſtr. Dom.* illam non averſetur, neque præ timore novus paroxyſmus epilepticus alliciatur, quod hæmatophobis non rarò evenit, V. S. enim mire ſanguinem attemperat, ejus motum alacriorem efficit, obſtructiones ſæpe feliciter tollit, & non parum vitioſorum & acrium humorum ſimul auffert. Mallem quoque, ut revulſio à capite validior fieret *V. S. in*

pedibus

pedibus adminiſtrata. *Fonticuli* in nucha admodum moleſti, quia commode deligari nequeunt; niſi obſtaret atrophia, rectius in brachio excitaretur, & æque feliciter acres humores imminueret. *Setaceum* nimis dolorificum foret. *Veſicatoria* aliàs in hemicrania humores âcres à meningibus cerebri revellendo, rite applicata & bene correcta *aliis medicamentis* palmam præripiunt, nec verendum illa ſanguinem inflammatura, modo non nimis ampla & crebriora apponantur. *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* cervici & ſcapulis appoſitæ etiam revellunt.

Ex Pharmacia: Lenitiva nullatenus reſpuenda, ita tamen ut ventriculus nimio & crebriore uſu non defatigetur, & ejus fermentum peſſundetur: ſufficiet ſemel illa in menſe adhibuiſſe. *Elective trahentia* maxime ſanguinem acriorem reddentia, qualia etiam *aloëtica* ſunt, omnino fugienda erunt. *Sudorifera* ob atrophiam mihi valde ſuſpecta ſunt, tum quoque propterea, quod aqueis & mitioribus humoribus pulſis craſſiores & acriores ſanguini permixti maneant, & atrocius poſtea ſævituri ſint. *Diuretica temperata*, qualia *ex ſem. 4 frig. maj. aq. gramin. aſparag. herb. cichoraceis &c.* parantur, non ſpernenda videntur, *præmiſſis univerſalibus*, cum ipſa quoque obſtructa reſerent, attemperent & acres humores ad ſolitas & congruas vias reducant. Quibus alia deobſtruentia, incidentia, abſtergentia ſupponenda maxime hyeme erunt. *Decoct. Gall. veter. temperat.* & in hunc finem paratum, ut & *juſcula alterantia Gallorum more* utilia admodum forent. His expeditis *à lactis aſinini uſu* plane non abhorrerem, quid enim *lac* in humoribus acribus immutandis valeat, vel *exempla Magnatum* hoc ſeculo docent, qui *lactis potu rite uſurpato* à cruciatibus podagræ crudeliſſimis vindicantur, & hoc tempore *D. Federer Med. Friburg.* plures Podagricos, colica bilioſa ſimilibusque morbis affectos integræ ſanitati reſtituit. Et omnino in tota maſſa ſanguinea corrigenda atque ab acrimonia in ſolidum vindicanda *remedium ſuave, naturæ amicum & temperatum* eligendum, cum non niſi longo tempore & vel annuo decurſu hoc præſtari valeat: & certe *lac* longe præferrem *ſero caprillo deſtillato*, cum diu innocue ut & *acidulæ* exhiberi nequeant. *Decocta longa* mature nauſeam pariunt & moleſtiſſima ſunt. Non tamen negligenda ſunt *Antiepileptica, quæ in quatuor memoratis puellis ſalutaria expertus ſum*; nullo tamen modo *calidiora, quales pleræque aq. antiepilept. cum vino deſtill.* porrigantur. *Utiliſſimum medicamentum ex rad. Valerian. ſylv. paratur, quod Fab. Columnn. de plant. rariorib. commendat, cui* adjungerem *C. C. ph. ppr. & Ungul. Alc. pp.* *Topica*, quia

cauſa

cauſa proxima, ut valde vereor, intra cranium latet, parum in illa abigenda præſtabunt; non tamen negligenda, ut artubus & medullæ ſpinali ſuus vigor conſervetur. Itaque tota ſpina inungi poteſt *oleis temperatioribus : præſtans hoc in caſu eſt ol. è flor. Slotan. Inſeſſus* parce & caute inſtituendi, *maxime thermarum mineralium*, quæ epilepticis non ſemper tutæ ſunt. *Intruſiones artuum in ventres animalium* illorum robur conſervant.

Diæta accurate inſtituatur: eligatur aër temperatus: cibi ſint facilis coctionis, boni ſucci, ad frigidum inclinantes; vinum denegetur vel certe probe diluatur *decoct. fl. til. chin.* mœror & ira exulent. Exercitia ſint tempeſtiva & moderata. Alvus aperta ſervetur corpusque perflabile.

Meſkirchii d. 31. *Julii* 1670. Joh. Jacob. Wepfer, M. D.

Die 20. *Auguſti Illuſtr. Dom. inviſi Ann.* 1670. De præteritis narravit, ſe mœrore quodam affectam fuiſſe citra ullam occaſionem externam, illumque tantummodo natum fuiſſe ex anxietate de parentum valetudine. Quamdiu *apud Urſelinas* vixit, veſcebatur cibis bonæ notæ: caro ſuilla, braſſica muria condita & paſtæ farinaceæ, ut & acetaria denegabantur, aut parciſſime concedebantur. Bibit vinum album non acerbum aut auſterum, ſed maturum illudque aqua dilutum. Exercitia corporis permittebantur hora poſt prandium, & veſperi hora 4. ad 5. & poſt cænam; reliquum diei conſumpſit legendo, ſcribendo. Capitis dolori pridem admodum obnoxia fuit. *Anno* 1669. *in Feſto omnium Animarum* coryzâ laboravit cum intenſo capitis dolore in fronte, qui tantus fuit, ut prona ſubinde humi ceciderit cum vertigine quadam, duravit aliquot diebus: poſtea ſenſim vacillare pedibus cœpit, ut citra titubationem vix incedere valuerit. Titubatio hæc indies incrementa ſumpſit, ut illam amplius occultare nequierit, nec incedere valuerit, ſi non ſuſtentabatur. *In Feſto Nicolai* ſcribere non potuit amplius. *Ante Feſtum Nativitatis* jam aderat jectigatio & concuſſio involuntaria artuum lateris dextri: *poſt Feſtum hoc ſcil. in principio Januar* 1670. loquelam amiſit, ut non potuerit eloqui verba intelligibilia; unum alterumque verbulum quidem pronuntiavit, ſed non integram enunciationem, adeo ut hemiplegia & motus convulſivi aphoniam præceſſerint. Motu contractivo invaleſcente etiam pes ſiniſter contrahebatur, ita tamen ut monita ad imperium voluntatis illum protinus extenderit. Quo autem tempore verum inſultum epilepticum paſſa ſit, non recordatur: ait ſe nunquam ſenſus omnes

omnes & intellectum amiſiſſe, etiam tunc quando ἄφονος erat. Morbo durante bene appetiit, non exceſſive ſitiit: noctu dormivit: in ſomno nihilominus artus jactabat, quæ tamen ſuccuſſio ſomnum non turbabat. Crebro *purgabatur,* datus fuit *pulv. contra verm.* quem tamen ſtatim evomuit. Spina dorſi & artus illinebantur *ſpir. quodam arthritico:* in nucha & carpis *veſicatoria* applicita fuerunt. NB. Dum *Illuſtriſſ. Dn. Mater* prægnans erat, & *Illuſtr. Domicell.* geſtavit, ipſi inſerviebat ancilla epilepſiæ obnoxia, quam gravida aliquoties cadentem non ſine terrore vidit.

Eodem die præſentem & coram *Illuſtr. Dom.* contemplatus ſum: ſtatura præ ætate longior procera: bene colorata erat; gracilis quidem ſed non emaciata aut tabida. Bene appetebat, non ſitiebat: alvus quotidie aperta: reſpiratio facilis. Pulſus plane naturalis, cor non palpitat, niſi terreatur aut currat: caput non doluit, nec vertigo afflixit: loquebatur ſatis expedite: memoria conſtabat: videbat utroque oculo diſtincte: incedebat pro lubitu, ſcalas ſcandebat, imo currere valuit. Sedenti muſculi aliquot præter voluntatem & non advertenti aliquantulum contrahebantur, ex. gr. in pedibus latiſſimus ſeu faſcia movebat tantum patellam, non totum pedem extendebat, nunc triceps introrſum femur ducebat: nunc imum pedem attollebat, nunc in latus parum torquebat, ſtanti hi motus aut incedenti non eveniebant. In brachio vidi illam nunc axillam levare, nunc manum pronare, nunc ſupinare, nunc digitos extendi, nunc divaricari, pollicem nunc abduci, nunc adduci, nunc extendi. Obſervavi illam manibus apprehenſa minus firmiter tenere, unde diu manu ſiniſtra comedebat; nunc iterum dextra comedere valet rurſusque illâ ſcribit. Uno verbo artuum jectigationes & ſuccuſſiones tam brachiorum quam pedum non amplius tantæ erant ac pridem: ſolummodo præter decorum geſticulare manibus & pedibus quandoque videbatur, cui tamen aliquando ita mentis adverſione imperare potuit, ut minus illa geſticulatio contingeret.

Clar. D. D. Huldricus Miller Ill. D. Comitis Med. ordinar. tunc temporis dedit *Pulv. ſeq.*

℞. *Folior. Hellebor. n. ver.*
Pulv. epilept Marchion.
D. D. Michael. ā͞ā. ℥ij.
Extract. caſtor. ℈ß.
Rad. Valerian. ſylv. ʒß.
Sacch. alb. ℥ij. *Mſc.*

Dat *mane hor. 6.* ʒß. *cum julep. antiepilept. Hor.* 8. præbet *hauſtum lact. caprill.*

caprill. rec. mulct. Veſperi hor. 5. *iterum* ℨß. *pulv. cum julep. Horâ ſomni* datur *hauſtus emulſ. amygd. d. ſem.* 4. *frig. maj. cum pulv. C. C. ph. ppr. ſmaragd. pp.* Spina inungitur *ol. Cheir. amygd. d. de chamomill. pingued. human.* Pro potu ordinar. bibit vin. p. j. *add. decoct. C. C. fl. til. chin. p. ij.*

Jam octava ſeptimana eſt, ex quo domum rediit, & jam aliquot diebus his utitur, quæ cum manifeſte conducere videantur, merito his pergendum eſt: ex quorum uſu diu continuato, *maxime pulv. & inunctionis ac potu ordinar.* melioratio plena ſperanda eſt. *Lac caprill. & emulſ.* etiam continuanda ad emendendam intemperiem calidam & ſiccam atque ad pleniorem nutritionem. V. S. non videtur neceſſaria, quia morbus his cedit, imo terrore facile recidiva parari poſſet. *Balnea* ſæpe occultata movent nec ad locum affectum penetrant. *Inſeſſus unus alterve* non noceret, ſed caute procedendum, ne caput nimium impleatur.

Continuato aliquandiu lact. caprini potu & pulv. antiepilept. D. D. Milleri, omiſſis V. S. veſicator. multis purgantibus &c. indies melius habuit & ſenſim convaluit. Non diu poſt in Galliam profecta, redux ad Aulam Cæſaream pervenit, & ſana ac robuſta 1679. *maritata fuit, atque adhuc ſana & felix vivit.*

OBSERVATIO CXVIII.

Motus convulſivi cum Clavo hyſterico.

R. D. *Magiſtra N. N.* in Amtenhauſen nata 1614. *in Feſto S. Sebaſtiani Villingæ*: *Anno* 1635. paſſa eſt peſtem cum bubonibus & anthracibus, diebus quatuor Menſes continuo manarunt: ob ſummum æſtum *a ſocia* continuo *Epithemata ſeu Frontalia ex frigida* toti capiti imponebantur, unde poſt ſuperatam peſtem caput valde doluit, capilli non exciderunt. A pueritia habuit ulcera capitis manantia uſque ad annum 15. quo profeſſionem, ut vocant, fecit ac capilli detondebantur. A multis annis defluxionibus maxime odontalgiæ obnoxia fuit. *Anno* 1659. præter has defluxiones ſæpe morbos convulſivos nunc integra mente, nunc abolitis ſenſibus internis ſopitâ memoriâ paſſa eſt. Tunc duo tubera in utroque hypochondrio, quodlibet ſeorſim, habuit: aliàs eſt coloris faciei citrinæ, mediocriter carnoſa, iracunda, à terrore valde læditur, ut & à mœrore ac nimia ſollicitudine, cui utpote bona & ſtrenua œconoma nimium ſæpe indulget: ſtaturæ eſt mediocris.

Anno

Anno 1660. ſuaſi ipſi *hanc aq. Hyſteric.* ℞. *Rad. mej.* ℥ij. *rad. fraxinell.* ℥iij. *pœon.* ℥iß. *herb. meliſſ. artemiſ. puleg. centaur. min. beton. majoran. ſalv.* āā. *Mv. N. M.* ʒij. *Mac.* ʒj. *Cinam.* ℥ß. *Croc.* ʒß. 🜔 *Mj. Inciſ. & contuſ. affund. vin. alb.* ℔viij. *aq. font. Menſ. j. diger. per d.* 4. *poſtea deſtill.* ℞. *Hujus aq. deſtill.* ℥iiij. *Eſſent. caſtor.* ʒj. *ol. ſuccin. d. gtt. ij. ſacch. pauxill. Mſc. De hac ſubinde* ſumat *cochlear. j. Hæc aqua* maximo ſolamini ſemper fuit: uſa eſt *illâ ſæpius ad annum* 1679.

Anno 1662. ſuaſi *hanc Tragæam:* ℞. *Cinam.* ℥ß. *N. M. Mac. Z. Z. ſem. fœnic.* āā. ʒß. *C. C. uſt. ppr. Corall. r. ppr.* āā. ʒj. *Flor. roſar. r. ventric. Gallin.* āā. ʒij. *ſacch. alb. q. ſ. ad gratam dulcedinem,* nam valde dulcia averſatur.

Quum *Anno* 1662. 27. *Junii* Convulſiones moleſtæ eſſent cum ſenſu formicationis in brachio & pede ſiniſtr. ſuaſi 1. ut alvus aperta eſſet *aut beneficio ſuppoſitor. mellit. aut potiunc. ſenn. ſemel in ſeptim.* 2. *Mane* ſumat *Pulv. cryſtall. comp.* ℈j. *cum aq. hyſteric. ſupra deſcript. cochl. ij. Veſp.* ſumat *ſolummodo aq. hyſteric.* 3. In paroxyſmo alternatim utatur *aq. hyſter. & Pulv. Marchion.* 4. *Poſt paſtum* utatur *trag. ſupra memorat.* 5. *Mane* vertex *aq. cephalic.* lavetur, poſtea inungatur *balſam. ſuccin.* 6. *Cubitum itura* bibat *hauſtum emulſ. amygd. d. cum ſyr. papav. errat.*

Anno 1666. *d.* 16. *Octobr.* cum menſium fluxus nimius permoleſtus eſſet, ſuaſi *decoct.* ℞. *Herb. centumnod. rec. Mj. rad. tormentill.* ʒj. *coq. in aq. font. menſ. j. hoc* diluat *vinum, eodem* paretur *Emulſio:* deinde poſtquam fluxus horis 12. duraverit, ſumat *M. V. & noctu* ʒß. *Pulv. ſtyptic. m. cum Emulſ.* quieta maneat: vitet in victu omnia calida. *V. S.* in brachio aut manu alterutra *alternis menſibus.* NB. ab hac hæmorrhagia valde lædebatur.

Anno 1672. ſuaſi *continuationem trag.* & propter conſtipationem *Pot. ſennat. cui add.* ob ignaviam alvi *Gialapp. parum.*

Anno 1674. *d.* 9. *Jun.* commendavi *ſeq. vinum medicat.* ℞. *Rad. cichor.* ℥ß. *cariophyllat.* ʒij *pœon.* ℥ß. *Herb. card. b. centaur. min. beton. roriſmar. majoran. meliſſ. ſalv.* āā. *Pj. ſem. fœnic.* ʒß. 🜔 *juniper.* ʒj. *Inciſ. & contuſ. ligent. in nodul. affund. vin. alb. vet.* ℔v.

Anno 1679. *In Feſto S. Sebaſtiani* quo aliàs ſæpe inſultus morbificos paſſa eſt: *item in Feſto S. Ulrici, S. Jacobi, S. Barthol.* patiebatur

ſubito

ſubito quandam ſuffocationem, in qua ſtare cogebatur per horas tres, ſuſtentata *à duabus Monialibus*, reſpiratione prope deficiente cum loquelæ interceptione: poſtea rurſus melius habuit.

Die 4. Septembr. Mane hor. 9. ſcarificatione utebatur, *veſperi pediluvio*: mox invaſit morbus, quo hucuſque afficitur cum tinnitu aurium, non tamen pari ſævitia; tinnit auris dextra tamen continuo *ad d. 9. Decembr.* Invaſit poſtea paroxyſmus *d.* 7. validus erat *d.* 16. *Octobr.* hinc quovis die *ad. d.* 1. *Nov.* Poſtea rurſus atrox. & mortem minitans erat *d*, 21. *&* 27. *Nov. item d.* 3. 4. 5. *& imprimis d.* 16. *Decembr. ſt. nov.*

Die 9. Decembr. ſt. v. 1679. *ipſam conveni* in Amtenhauſen / color faciei eſt citrinus, poſt paſtum rubicundior, ſemper tamen vividus: habitus corporis eſt carnoſus, mediocriter pinguis: veſperi levicule pedes ſeu potius tibiæ œdemate tument maxime dexter, ubi *Fonticulum* geſtat, qui ut & brachii ſiniſtr. multum ichoris fundunt; ille quoque multum ſæpe cruoris. Appetit mediocriter, ſitit multum, parum tamen bibit vini, maxime rubri à quo ſe inflammari dicit: bibit frequenter *decoct. ſem. aniſ. paſſul. maj. & min. &c.* Alvus tardior eſt, quam nunc tertio nunc quarto demum die ſolvit: urina eſt flava, tenuis potius quam craſſa cum ſedimento ſabuloſo ſplendente, nunc flavo, nunc rubro. Reſpiratio eſt æqualis, quando acclivia ſcandit paulo difficilior. Pulſus mane eſt rarior, profundus, renitens tamen; poſt paſtum frequentior, æqualis ſemper. Caput frequenter dolet, maxime à *tempore Paſchatis hujus anni*, incipit plerumque hor. 3. pomerid. durat tota nocte; mane remittit: dolor & gravativus & tenſivus cum ſenſu frigoris in ſiniſtro latere, palmæ amplitudine, indeque ad maxillam ſuperiorem & dentes extenditur. Auris dextra frequenter tinnit *à d.* 25. *Auguſt.* hucuſque: cerumen eſt flavum, viſcidum, non valde copioſum. Cæterum omnibus ſenſibus internis & externis valet. Sudat facile & multum, ſudor permoleſtus eſt. Læditur à frigore, aceto aliisque acidis, ab odoratis nimium ſive fœteant, ſive ſuaveolentia ſint. Laſſa eſt jam aliquandiu, poſt tot ſcil. paroxyſmos perpeſſos, ut vix templum adire poſſit, in hypocauſto tamen ſuo obambulat non difficulter: ſomnus plerumque eſt prope nullus ad medium noctis, poſtea ſatis bene dormit.

Duplices experitur paroxyſmos: unus eſt quotidianus, qui jam *à tempore Paſchatis hujus anni*, & antea ſæpius ipſi permoleſtus fuit, attamen magis invaluit *à d.* 25. *Auguſt.* poſtquam ſcil. *mane ſcarificatione & veſperi pediluvio* uſa eſt. Alter eſt manifeſte convulſivus & terrificus,

cus, cujusmodi *ante viginti annos* plures experta eſt, poſtea rarius *uſque ad Feſtum S. Sebaſt. hujus anni*, & poſtea aliquoties ſed longis intervallis *uſque ad* 25. *Aug.* nunc frequentius hucuſque.

Quotidianus, quem Clavum vocant, eſt hemicrania lateris ſiniſtri cum dolore tenſivo & ſenſu frigoris, quem palma tegeret, incipit plerumque veſperi hor. 3. cum majore & permoleſto tinnitu auris ſiniſtræ: hinc deſcendit ad tempus, maxillam ſuperiorem, inferiorem, dentes, fauces, cervicem, imo ad humerum & pedem ſolummodo in ſiniſtro latere, duratque dolor tota nocte: hunc dolorem æquo tolerat animo quamvis angatur ob gravius malum. NB. omnes adhuc dentes habet, præter unum, in dextra maxilla infer. unus eſt carioſus, nullus manifeſte in ſiniſtr.

Convulſivus & terrificus aliquando quotidianum ſequitur, aliquando etiam citra illum invadit mane, poſt prandium, poſt cœnam, circa medium noctis, nunc ſua ſponte, nunc accerſitus à perfrigeratione corporis, aut occurſu aeris frigidi, odoratu rei fortiter olentis, ſeu ſuaveolens ſeu fœtida ſit, à terrore: jam aliquandiu ſequebatur quotidianum paroxyſmum ſæpius invadentem. In illo primum tinnitus auris dextræ major, hinc ſenſus quidam frigoris ad dentes anteriores & labia pertingit, labia tremunt, tum illa, tum interiora oris trahi videntur; hemicrania & tinnitus augentur; nunc nebulæ, nunc iris, nunc ſplendor veluti ſolis oculis & partibus intra cranium obverſari videntur; hinc putat aliquid, ceu humorem frigidum ad inferiora deſcendere & potiſſimum ad præcordia, mox ibi conſtringitur & premitur, dolorem hunc cardialgiam vocat: conſtrictio hæc ſtatim invaleſcit, ſimulque primum dolorem tenſivum & pungentem in dextro, poſtea in ſiniſtro hypochondrio percipit, quos hepatis & lienis dolores appellat; quandoque conſtrictionem illam tunc in dorſo, plerumque in interſcapulio percipit, ac hunc dorſi dolorem vehementiſſimum eſſe ait. Quamprimum conſtrictio præcordia occupat, reſpiratio intercipitur aliquomodo, ita tamen ut voces querulas edere & ſuam afflictionem exprimere valeat: cor palpitat, expalleſcit, brachiis malleat, pedibus calcitrat, caput jactat hinc inde; aliquando ad vomitum ſine ſucceſſu ſtimulatur, quandoque evomit aquam inſipidam meram: aliquando ſtatim in principio lachrymas fundit: plerumque oculos clauſos habet, ſi illos aperit, non convelluntur, at ſplendidiores adſtantibus videntur. Extrema tum adhuc frigent, quando dolor conſtrictivus per horam dimidiam duravit; aliquando etiam citius incaleſcit in toto corpore, ſudor undique emanat; cor vehementius palpitat, imo in capite, abdomine atque alibi pulſationem fortem percipit: manet ſuccuſſio capitis, artuum & femorum; ſæpe omnino reſpiratio intercipi videtur; quandoque inflatur abdomen: genæ quoque & labia intumeſcunt, ſtridet ſubinde

inde dentibus. Quando conſtrictio eſt vehemens & reſpiratio valde intercipitur, ac motus convulſivi nimium invaleſcunt in artubus, ſenſus interni pereunt omniumque ignara redditur: in declinatione rurſus lachrymas fundit, mox ridet & cantat, & tum paroxyſmus remittit: poſt paroxyſmum rurſus expalleſcit valdeque laſſa eſt, & multorum recordatur, exceptis illis quæ in ſæviſſima conſtrictione fiebant. Invadit ipſam interdiu in ſella ſedentem, durat per horam dimidiam, unam, etiam amplius: noctu in lecto durare poteſt hor. 3. 4. etiam 5. In ſella ſedens, aut præ vehementia paroxyſmi ſurgens, vi ab adſtantibus detinenda eſt: non raro in ſedente ὀπισθότονος, in decubua tetanus obſervatus fuit. In declinatione, præcedente dolore dorſi, patitur tormina ventris.

Die 10. *Decembr.* mane abdomen molle erat: nulla veſtigia priſtinorum tuberum in hypogaſtrio apparebant: ajebat ſubinde ſe circa umbilicum quandam inflationem corporis mollis percipere: pulſus rarior, profundus erat. Mane ſumpſit juſculum, & poſtea ʒj. *trag. cum fruſto panis vino madidi*:

℞. *Cinam. acut.*
Rad. valerian. ſylv.
pœon. ãã. ʒij.
Cubebar.
C. C. uſt. ãã. ʒj.
N. M. Mac. Z. Z. ãã. ʒß.
Sacch. alb. ℥iiij. *Mſc. F. P.*

Circa horam 9. tinniit auris dextra cum incaleſcentia: verita paroxyſmum; ſed ſua ſponte evanuit. Clavus circa hor. 10. moleſtus erat: urina minus tincta quam heri cum ſedimento ſabuloſo flavo. Pranſa eſt bene. Veſperi hemicrania non exacerbata fuit, at totum caput obtuſum & perturbatum erat. Poſt cœnam totum caput dolore tenſivo & gravativo afficiebatur: ambæ aures tinnierunt, magis tamen dextra quam ſiniſtra: cœnavit pulpam pomorum, quam ægrius toleravit: noctu bene dormivit.

Die 11. *Decembr.* Mane ad vomitum ſtimulabatur, non vehementer nec diu, nihil evomuit: urina naturalis cum ſedimento ſubrubro. Mane ſumpſit Juſcul. poſtea *Trag.* Templum adiit: ad hypocauſtum perveniens ſternutavit multum, unde caput turbabatur: nihil adverſi ſupervenit, cum aliis vicibus crebriorem ſternutationem ſequutus eſſet paroxyſmus convulſivus. Pranſa eſt bene; veſperi melius habuit quam à plurimis diebus. Noctu permoleſta fuit hemicrania

& odontalgia, ut hinc verita fuerit, fore irritamen ad motus convulſivos univerſales.

Die 12. *Decembr.* Mane melius habuit: urina pallida cum ſedimento bono: circa hor. 7. ſentiit frigus, lectum repetiit; poſtea ſumpſit juſcul. & *Trag*. pranſa eſt bene: remiſit hemicrania. NB. Quoties piſcibus veſcitur, in lingua aut palato, aut interna parte buccarum oriuntur puſtulæ & veſiculæ à ſero acri, idem ab aromatibus acrioribus evenit.

Reſolutio.

R. D. *Magiſtra* duos præcipue nunc patitur affectus, Hemicraniam ſeu Clavum cum aliquibus motibus convulſivis, & veros motus convulſivos Epilepſiæ valde affines.

Hemicrâniam cum clavo innuit dolor in ſyncipite ſiniſtro cum ſenſu frigoris circa verticem, & fixitate ceu à clavo infixo: convulſivi aliquid concurrit, quia manifeſte ſentit contractionem in faucibus, gena, labiis. Epilepſiam ſeu motus univerſales convulſivos plerumque cum ſenſuum internorum abolitione produnt paroxyſmi convulſivi ſæviores abunde: quater pridem jam ipſam & hoc anno aliquoties, maxime & frequentius *à d.* 25. *Aug. hucuſque* invaſerunt.

Clavi & hemicraniæ cauſa proxima eſt ſerum intra cranium & meninges ſtabulans; nam nullus alius humor tam longo tempore hic hærere potuiſſet, & flatus non tantæ durationis dolorem parere potuiſſet. Sero abundat eoque acri, nam à multis annis variis defluxionibus obnoxia fuit: ſudat multum, pedes œdematoſos habet: à multis annis multum ſanguinis tum in morbis, tum tempore menſtruo, tum denique *V. S. & ſcarificatione* profudit: bibit vinum album. Pars hæc cranii debilitata, relaxata & ad recipiendum atque fovendum ſerum diſpoſita fuit, quia inflexo capite multum nere cogebatur, à pueritia ad 15. ætatis annum ulcera capitis manantia habuit, quæ hucuſque manare deſierunt. Hæmorrhagiis caput debilitatum fuit, ut & perfrigeratione *ab epithematis* tempore peſtis: item à lachrymis, curis, ſollicitudinibus, vigiliis, odontalgia &c. Debilitatis hujus ſignum eſt ſenſus frigoris in vertice jam diu perſeverans. Seri acrimoniam produnt dolores ſæviores à defluxionibus, tractio etiam antequam in univerſales convulſivos motus morbus erumpebat, puſtulæ item in ore & veſiculæ ibi obortæ: urina tinctior. Epilepſiam fieri ab exploſione probabile quidem videtur, quia illam jam aliquoties tinnitus aurium major, ſplendores oculis obverſantes & capitis aliqua perturbatio præceſſerunt: verum credibilius eſt, illam fieri ab Archæo irritamine quodam

dam impulſo, quod ſemper intra cranium præſto eſt ſcil. ſerum: nam oritur nunc ſua ſponte, nunc prægreſſis terrore, mœrore, occurſu frigiditatis, rei fortiorem odorem ſpirantis, exacerbatione hemicraniæ, crebriore ſternutatione & fortiore atque ſimilibus. Una pars poſt aliam convellitur, donec tandem totum ſyſtema nervoſum pervertatur, atque etiam partes principes turbentur & aboleantur: aliquandiu diutius perdurat, quam ut exploſioni, quæ momentanea eſt, adſcribi poſſit. Supervenit in paroxyſmo largus ſudor, eodemque continuante, ac tandem largo lacrymarum imbre ſubſequente videt & cantat, ceſſatura mox contractione nervorum, paroxyſmus remittit.

Indicationes ſunt ſerum acre evacuandum, revellendum à capite, ibi abſorbendum, ſimul roborandum, ac ſemper ejus acrimoniam corrigendam eſſe.

Purgetur Vere & Autumno decocto:

℞. *Fol. Senn. ſ. ſ.* ℥ß.
Gialapp. ʒiij.
Agaric. ʒij.
Paſſul. maj. exac. ℥iß.
Flor. til. Mj.
Sem. fœnicul. ʒj. *Z. Z.* ʒß.

Mſc. coq. in vaſe clauſo c. aq. font. ℔iß. *Colet. citra expreſſion. Doſ.* ℥v. *calide.*

V. S. inſtituenda *Menſ. Febr. Jun. & Sept. ſed parca. Scarificationes ter in anno*, quia illis aſſuevit, repetendæ: non tamen præſente paroxyſmo aut imminente, *Fonticuli* aperti teneantur.

Summo mane hor. 5. ſumat *Pilul. V. ex diaphor.* ♃. ♂. *cum cinnab. nat. &c.* Poſtea *hor.* 7. *& veſp. hor.* 4. ſumat ʒj. *Trag. ſupra memoratæ ex rad. Valerian. &c.* Subinde *bis vel ter in ſeptimana gtt. ij. ol. ſuccin. d.* Capiti imponatur *Cucupha ex fol. beton. fl. til. maſtich. &c. Balſamus ex ol. N. M. expr. ſuccin. majoran.* prodeſſet vertici inunctus.

In paroxyſmo naribus admoveatur *Pil. hyſter.* accendantur *plumæ, corium:* expergefactæ detur *aq. hyſter. cochl. j. ad. ij.* finito paroxyſmo *pulv. epilept. March.* ℈j.

Victus ſit ex euchymis & eupeptis, vinum diluat *decoct. chin. ſaſſafr. paſſul. ſem. fœnic. fl. til.* extra paſtum *add. ſyrup. granator. berber.* Auri indi poſſet *ol. D. D. Scretæ cum bombace, ſed parce,*

Die 19. *Decembr. ſcribit*: *Trag.* optime conferre, nec ſe hactenus convulſionem paſſam: at tinnitum aurium adhuc perdurare.

Die 29. *Decembr. ſcribit*: ſatis commode ſe habere ratione convulſionûm, at catarrhi continue ad pectus iique frigidi ruunt, adſcribit id tempeſtati pluviæ. Tinnitus aurium manet.

Miſi d. 3. *Jan.* 1680. *Rotul. pectoral.* cæteris more ſolito pergat.

OBSERVATIO CXIX.

Motus convulſivi hyſterici.

N*ob. Virgo Mar. Magdalena R - - - Suitenſis* 32. annor. Arthritide vaga ante 13. annos correpta fuit: harum cauſa bis ſibi ſubſequentibus annis uſa eſt *thermis Piperinis*: ſecunda vice motibus convulſivis *in ipſo balneo* correpta fuit, ut ejularet, & *ex balneo* ducenda fuerit. Hinc uſa *thermis Equinis in vallib. Brigantinis*, quæ nunquam convulſivos motus excitarunt, & aliquandiu bene habuit. Bis *Vinaceis* uſa unde quoque melius habuit, at emaciata fuit. *Pediluviis* quoque *ex fœcibus vini* utebatur.

Ante 5. *annos vinum ex poculo antimoniato* bibit, unde enormiter vomuit: ſubſecuti iterum convulſivi motus. Hinc uſa *Inſeſſu hyſter.* & poſtea *Acidulas* bibit commode. Menſes ordinate fluunt: quandoque alba adſunt, manare cœperunt circa 14. ætat. annum. Quando plus comedit, aut quando à cibo ſe non exercet, vomit mane cibos cum multo muco: fere ſingulo mane vomit aquea, tandem crocea ad unc. vj. cum muco multo. Conſtipationi non eſt obnoxia. Præterito vere diarrhœam paſſa eſt per plures ſeptimanas, unde valde debilitabatur: ab uſu vini rubri melius habuit. Per annos aliquot crebro convulſivos motus experta eſt, ſcil. quoties menſes fluebant, quoties dolebat ex digito, dente, aut alibi ex. gr. bubone ſub axilla &c. quoties terrebatur, quoties vehementius iraſcebatur: imprimis à terrore malum redibat: à 4. annis *Zurzachii* ipſam dereliquit: primo anno tamen malum crebrius invaſit.

Puellæ 9. *annorum vena ſecabatur*, poſtmodum crebrius poſt convulſiones; a V. S. paroxyſmo ceſſante melius habuit. *Purgabatur medicamentis fortiſſimis*: ab illis primum paretica fere fiebat. Pridem robuſta erat & carnoſa: nunc parum emaciata. Appetit. Vere *ante acidulas* ſitiit. Noctu cubitum itura pridem *ſpir. vini cochl. ij.* uſa fuit.

Jam

Jam à dimidio anno reſpiratio difficilis in acclivium aſcenſu. Raró caput dolet: ab igne vero vehementiſſimè: ſudat facilè. Vermes ſua ſponte ſæpe excernit, qui tamen *medicamentis* pelli nequeunt. Quoties convellebatur pridem ferè ratio peribat, in mediis motibus convulſivis ridebat, cantabat, plorabat, ex imo pectore exclamabat & ejulabat: aliquando ratio conſtabat, ſed abſurdis locutionibus & actionibus obſiſtere nequivit.

Principium inſultuum eſt Cardialgia & anxietas circa præcordia & ſenſus formicationis in extremis artuum: quandoque pulſum & concuſſionem circa præcordia & ventriculum ſenſit. In ipſa invaſione collum ſtringitur & quaſi buccellam percipit.

Die 19. *Jul.* 1669. *in acidulis Ripplisavienſibus ad ipſam vocabar*: conquerebatur de ſenſu formicationis & cardialgia, ſed non admodum gravi, mox convulſivi motus in nervum erumpebant, concutiebatur admodum truncus corporis & clunes agitabat valde, hinc artus: in ipſo hoc p. n. ſtatu verbis vix perceptibilibus dicebat, nonne prædixeram paroxyſmum? remittentibus motibus concuſſoriis trunci plorabat: ceſſante ploratu loquebatur. Mox ſuras ſummis cruciatibus affici dicebat, hinc valde tendebantur, ſtatim convulſivi motus redibant, in quibus brachia tendebat, & digitos divaricabat: prima vice pollice ex manu ſumto, & ſecunda vice digitis pedum ſurrectis & perfricatis plantis pedum brevi motus remittebant. Dedi *cum D. D. Schnorpſio aliquot hauſtus herbæ Siderit. I. Fuchſ. & fl. ſerpil. in acid coct.* unde nunquam redierunt, & 28. *Jul.* adhuc immunis erat. Per biduum perrexit *Decoct.* Hinc iterum frigidas bibit. *Not.* Nephritidi etiam obnoxia eſt.

Reſolutio.

Succo nervoſo character impreſſus videtur poſt arthritidem malè curatam *à Thermis, Antimoniatis, purgant. &c.* qui author eſt convulſionum, ſero abundare videtur eoque ſalſo, quia habitus laxus, ſubfuſcus, ad iram prona eſt. Juvatur *à V. S. purgatione pil. ſuccin.* quas nuper cubitum ituræ dedi. Univerſus ſuccus nervorum læſus, quia convulſivi motus univerſales hac vice tum cum menſium fluxu, tum poſtea evenerunt. Vellicat nervos, qui ploratui & riſui præſunt: & illos qui veneri, unde illa agitatio clunium: debiles illi, unde circa menſium tempus invadunt. Laryngis quoque & gulæ nervulos invadunt unde buccella in faucibus. Irritatio ſeu exploſio non valida, quia ſurrectis digitis pedum & pollicibus brevi ceſſavit. Hac vice reſpiratio non multum patiebatur: aliis vicibus fere intercipiebatur, ſine tamen lei-

pothymia: ſi vero *Laconica* ingrediatur, protinus animo linquitur: item *à balneo aquæ dulcis fervido*, tum ſimul motus convulſivi adveniunt. Irritatur à ſemine copioſo, menſibus, terrore, dolore, æſtu: non vero à dulcibus aut odoratis. Ventriculi vitium per accidens ſcil. *& à tot & tam validis purgantibus* contraxiſſe videtur.

In hoc affectu ſeroſi humores evacuandi, genus nervoſum roborandum & humores nervis inimici abſorbendi. In paroxyſmo mature excitetur.

Sumat igitur *d. 8. ante & d. 8. poſt menſes gr. xv. MP. de ſuccino Crat. poſt cœnam parciorem. Mane* ſumat *℈j. vel ℥ß. pulv. ex ſuccin. fœcul. bryon. pil. reg. inc. cum caſtor. &c. cum aq. hyſter. c. ex rad. bryon. leviſt. fœnic. herb. meliſſ. artem. puleg. roriſm. majoran. fl. ſerpill. cheir. ſem. leviſtic.* In quo *inf. Caſtor.* In paroxyſmo extendantur mature digiti, fricentur plantæ pedis: detur *aq. hyſteric.* odoretur *pil. hyſteric.* In victu vitet fructus crudos, aromata, acetum, vinum, *ſulph. balnea.*

OBSERVATIO CXX.

Motus convulſivi Epidemici.

M*Arcus M. ex Pago* Ebner *in Sylva Hercynia, Menſe Septembr.* 1693. paſſus eſt morbum convulſivum, quem vocant Kriebelſucht, tunc in hoc pago *Epidemium*, qui adhuc non paucos affligit: non pepercit pueris, puellis, fœminis aut viris, adultis aut ſenibus. Incipit cum ſenſu formicationis in manibus & pedibus: ſequitur ſpaſmus flatulentus: caput quibusdam dolet, aliis non valde. In principio V. S. adhibent, quibusdam illa morbum præcavit: *Marcum* non juvit. Poſt principium vere manus & pedes convelluntur valde, ut ejulare & exclamare cogantur. Quidam delirant ſine convulſionibus: *Uxor Marci* valde doluit in capite & deliravit, non tamen convellebatur. Duravit paroxyſmus per dies 14. diu tamen mentem non recuperavit. In paroxyſmo *apud Marcum* dolores tam atroces erant à motu convulſivo, ut ſibi manus violentas intuliſſet, ſi inſtrumenta ad manus fuiſſent; ideo uxorem & adſtantes rogavit poſtea, ut removerent in paroxyſmo cultros, ſecures aliave hujus generis. Tota hyeme immunis ab hoc malo erat. Vere rediit morbus convulſivus, cum folia arbores edebant, & quidem vehementior cum mentis amiſſione & dyſpnœa: recidiva duravit *d.* 14. longius tamen amens manſit, *ſcil. per 3. ſeptimanas. Menſe Majo circa Pentecoſten* ſenſim viſum amiſit; manifeſtius

ſeſtius ille imminuebatur circa Novilunium. *Die* 28. *Sept.* 1694. *me convenit : ante* 3. *ſeptim.* adhuc in cœlo ſtellas & lunam vidit, nunc non amplius, at ſolis corpus ; animadvertit tamen lucem diurnam & candelæ. Caput non dolet, at punctiones ſentit à temporibus verſus oculos. Cum oculorum vitio incepit in pene glandis flexura, ut recta emingere nequeat, ſed ſemper niſi caveat, interfœminea permingat ; flexura tamen tam violenta non eſt, quin poſſit glandem corrigere, una tamen vice fortior eſt quam aliâ : ſubinde hujus morbi convulſivi veſtigia ſeu reliquias patitur, prodentes ſe laſſitudine ſpontanea, punctionibus in artubus, ſed momentaneé. In paroxyſmo appetunt valde, & quidam tantum non famem caninam habuerunt. Quidam tam fortiter delirarunt, ut mitterentur in illam domum, quorſum Maniaci ablegantur. Alii tantum non vinculis coercendi aut aliter cuſtodiendi erant, ne in ſylvas & campos excurrerent.

Cauſam adſcripſerunt *Pagi incolæ* ſeu uredini ſeu uſtilagini frumentorum, quum ante annum ros melleus frequenter frumenta oblinens, ob lentorem attactis ſpicis adhæſerit digitis : ſemina forinſecus nigricabant, intus candebant, & multum nihilominus farinæ ſuppeditabant. Ob annonæ caritatem ſemina nigra non ſeparabat *Marcus iſte & alii* à ſano frumento, reputantes nullum damnum allaturum. Hæc frumenti uſtilago diverſa eſt ab illa, quæ ſpicis evenit, ſi circa radices culminum vermes nidulentur, nam ſpica ſecedit in pulverem nigrum ſimilem fuligini, unde etiam farina & panis ex illo formatus nigricat.

Marcus iſte vir robuſtus eſt, bene coloratus : eques huc ivit è ſuo pago, qui ab urbe noſtra ad minimum 4. milliaribus diſtat; eſt quinquagenario major, nondum canus. In morbo convulſivo panem & placentas ex farina frumenti uſtilagine corrupti penitus faſtidiebat: delectabatur imprimis rapis ad mollitiem coctis ſale conditis : averſionem panis hujus patiebatur quoque uxor per d. 14. nec in juſculis illum admittebant.

In Autumno 1693. invaſit primum puellum ſuum 6. annorum, dum in campo erat, præ laſſitudine in ſylva decubuit toto die: caput per dies 2. doluit; hucuſque laſſus eſt, nunquam paſſus eſt ſpaſmos. Alter minor natu motus convulſivos vehementes paſſus eſt per 3. ſeptimanas, nunc penitus ab illis liber eſt nullamque recidivam paſſus vere: plures autem vermes ab eodem excernebantur. Filia 3. annorum graviter illo affligebatur in autumno, & vere rurſus, ac hucuſque prope ſingulis d. 14. paroxyſmum experitur per diem unicum.

In autumno tunc morbus hic convulſivus erat *Epidemius in pagis Gravenhauſen*, ubi quinque homines mortui ſunt terribili genere mor-

tis; nam à motu convulſivo caput ad latus aut retrorſum trahente & diu durante, liveſcebant & ſuffocabantur. *Lenzkirch*, Grünwald/ *in Capell.* ubi 150. hoc malo afflicti numerabantur. In jumentis nullus morbus *Epidemius, ut in Hegoja*, obſervatus fuit, exceptis jumentis *Bondorffii*, patiebantur 40. ex vaccis, bobus &c. oculi intumuerunt & manabant, quæ negligebantur exceptis duobus ſponte convaluerunt: duo hæc & alia, quibus *remedia* adhibebantur, excœcabantur.

Morbus iſte convulſivus tantum pauperes invaſit, qui ob annonæ caritatem ſemina nigra à bonis non ſeparabant, quod tamen divites faciebant. Convulſorum quorundam aſpectus erat tam terribilis, ut plures illos accedere nollent, adſtantes meticuloſiores illos deſererent.

Victûs ratio *Incolarum hujus pagi* Ebnet eſt mane jus avenaceum, hordeaceum, piſorum cum pane intrito: & lac coagulatum acidum: prandium ſimile jus cum oleribus aut rapis coctis: cœna jus cum lacte acido. Potus aqua. Raro *die Dominica* carnes ſalitæ & fumo induratæ, aut placentæ; rariſſime vinum, aut fructus, ſcil. poma aut pyra cocta. Aer eſt frigidus & aſper.

NB. Lolium hic & longe lateque in vicinia non inter ſegetes reperitur, nec quidem ſatum creſceret, ob cœli ſcil. inclementiam ut putant.

Vid. quæ hanc in materiam commentatus eſt Excell. D. D. Brunnerus in Miſc. Nat. Cur. Dec. III. An. II. Obſerv. 224. *pag* 348.

OBSERVATIO CXXI.

Catalepſis.

N*Ob. Dni Præfecti N. N. in E. Filia Maria Magdalena* 15. annorum cum dimidio: *Novitia in Monaſterio Beravienſi:* robuſta, bene colorata: Puella adhuc ſæpe convulſiones paſſa eſt: imprimis anno ætatis 5. ut fere ipſam enecaſſent. Vere 1685. nunc die 8. nunc 14. quocunque in ſitu corporis erat, ſive ſtans ſive ſedens & quocunque in loco ſubitò oculos fixos tenebat, labia liveſcebant atque intra os retrahebat; quandoque deliravit, mirasque geſticulationes peragebat. Dabantur *in Monaſterio remedia*, unde paroxyſmus 5. ſeptim. emanſit: *Menſ. Auguſt.* per dies tres quotidie ſemel: die 13. & 14. quotidie bis illam invaſit. Brevi durant vix ad octantem horæ, nunquam per quadrantem: quandoque multo breviores ſunt: poſtquam præteriit paroxyſmus omnium ignara eſt: niſi quod agnoſcat ſe non amplius in eo loco, ubi erat, aut non prope opus, quod ante inſul-

tum

tum ſuſceperat, exiſtere, miraturque quomodo locum mutarit. Putavit *Domina Mater* hunc affectum eſſe prodromum imminentium menſium, quos nondum vidit: ſuaſit *V. S.*

In hoc affectu non cadit, non vacillat, nec leipothymia afficitur, nec dolet, manet in ſitu corporis tali, qualis erat ante invaſionem, nec attenderetur niſi inſolito more geſticularet aut garriret. Quandoque palleſcit: pallorque indies incrementa ſumit: eſt indocilis. In paroxyſmo pulſus ſimilis agonizanti.

Die 26. Auguſti ſcribebatur affectum frequentius redire & longius durare, indeque magis magisque debilitari: quamvis cum adſtantibus loquatur, poſt paroxyſmum omnium ignara eſt. Interea *V. S. fuit*, ſed ſine juvamine

Die 17. *Sept* 1685. *ipſam conveni in Monaſterio Bärovienſi:* In ipſo paroxyſmo compellata reſpondet & imperata peragit quandoque, ſubinde in exſequendo antequam opus perficiat, agendorum obliviſcitur: aliquando in illo contendit ſe nunc immunem eſſe ab inſultu: illo ceſſante nullius rei amplius conſcia eſt. Rogata in paroxyſmo querebatur nunc de torminibus ventris, nunc de quodam artuum dolore, quandoque de cephalalgia: Poſt paroxyſmum nullam doloris mentionem facit, imo negat ſe unquam de his conqueſtam fuiſſe. Eſt carnoſa valde, vivida, benę colorata: appetit, nullum vinum bibit: ſitit nihilominus, aquam non niſi cum licentia extra paſtum bibit. Alvus aperta: non eſt laſſa, cum ſociis currit hinc inde: hilaris eſt.

Horâ 3. veſpertinâ paroxyſmus leviculus ipſam invaſit: colorem faciei mutavit, oculos tamen non pervertit, ad quæſita appoſitè reſpondit, geſticulavit digitis manûs dextræ, nendo pergere nequiit. Pulſus robuſtus & paulo celerior fuit. Poſt paroxyſmum cum ſociis hinc inde cucurrit in horto ſine ullo impedimento. Mammæ ab aliquot menſibus valde turgeſcunt. *Die* 18. *Sept.* nullum paroxyſmum paſſa eſt, quamvis mane apparuerint prodromi, ſcilicet oculi turbidiores & fixiores.

NB. aliquandiu cum fructu ſumpſit *mane Pulv. ex radic. Pœon.* Diu quoque *ſingulo mane quinque grana ſemin. pœon.*

Paroxyſmus emanſit *ad d.* 23. *Septembr.* hodie ſtatim à prandio, dum attente aſpexit agnellum lactentem: delira loquebatur de matre ſua male lactante, pede humum feriit, ſæpius geſticulabatur digitis, quamprimum remiſit, dederunt *cochl. j. Mixtur. ex ſpir. bezoard. & Eſſ. ſudorif. citra additamentum aq. & Elæoſacch.* ab illo tempore emanſit.

NB. Dum *Mater* illam utero geſſit, arthritidem vagam perpeſſa eſt.

eſt. Epilepſiam ab unguiculis paſſa eſt ſæpe: remiſit ſuâ ſponte ante 4. ætatis annum. Irata humi cecidit, ſubinde obriguit, ſie iſt geſtarret, inſtar infantum & adultiorum cum retentione ſpiritûs, ut ſuffocatum iri vererentur parentes ad annum ætatis ſextum.

Reſolutio.

AFfectus videtur eſſe Catalepſis quædam ſpecies, nam plerumque in illo ſitu manet, in quo corpus erat in ipſa invaſione: differt in eo quod quandoque loquitur, imperata exſequitur, incedit, juſſa affert, ad quæſita reſpondet nunc appoſite nunc delire: quandoque geſticulat manibus &c. In eo valde catalepſi affinis eſt, quod ignara ſit omnium dictorum & factorum tùm à ſe tùm ab adſtantibus præſtitorum.

Mira ſpirituum animalium affectio hæc eſt: audit, nam ad quæſita reſpondet, ſubinde appoſitè; videt, ex. gr. ex cubiculo ultra 60. paſſus per ambages templum adiit, librum denominatum petiit & attulit *ad Dominam Magiſtram:* neceſſum quoque eſt horum ſenſuum objecta phantaſiæ oblata & accepta fuiſſe, nam imperata exſecuta eſt. Verum eædem ſenſuum Ideæ per hæc momenta ſeu quamdiu effectus durat ita obliterantur, ut poſt paroxyſmum nulliûs recordetur: protinus tamen ad ſolitos labores redit, ac ſi nihil unquam paſſa fuiſſet.

An aliquid convulſivi concurrat dubium eſt, nam oculorum obtutus fixus quidem eſt, ſed oculi non pervertuntur, labia introrſum trahit, dentes tamen non conſtringit, facies & labia liveſcunt pulſusque frequens & celer evadit, reſpiratio tamen integra manet.

Genus nervoſum debilitatum eſſe manifeſtum eſt, quia puellula 5. annorum vehementiſſimos paroxyſmos epilepticos paſſa eſt: nunc dum menſium primitiæ inſtant, acceſſit iſta Catalepſis.

Suaſi ipſi *hoc in Novilunio pediluvia ex hyſtericis in aq. coct.* 2*do Infuſ. m. Menagogum ante proximum novilun.* Ante paroxyſmum & illo ceſſante *cochl. ij. Mixtur. hujus* ℞. *Elæoſacch. hyſteric. cum cinnab.* ♁ii. ℥ß. *Mixtur. ex ſpir. bez. & Eſſ. ſudorif. cochl. j. aq. meliſſ. flor. til. pœon.* ãã. ℥*ij. Mſc.* Vinum vitet per annum.

Bibat *Decoct.* ℞. *C. C. uſt.* ʒ*ij lign. viſc. q.*
Sem. fœnic. ãã. ʒ*j. flor. til. p. j.*
Mac. ʒß. *Coq. in aq. font. Menſ. ij.*

Dum *Inſuſo* utitur vitet fructus, crudos, acetaria. Aliàs nocent frixa; allium, cepæ, raphan. ſinap. Ad hilaritatem excitetur.

In viſu, auditu, ſenſu communi, phantaſia & imperato motu nul-

lus

lus torpor obſervatur; nam omnes horum ſenſuum actiones velocius Euro & cogitatione citius opus ſuum peragunt; auditum ſenſus communis diſcernit, phantaſia agnoſcit, facultas loco motiva imperio ſine ulla mora obtemperat, imperatum exſequitur ſive quid afferendum viſu duce etiam ultimis pedum digitis obſequentibus quàm citiſſimè, ſive quid eloquendum. Ipſæ geſticulationes & effata delira nullum torporem ſpiritus animales pati, nam cum celeritate quadam fiunt. Unde ergo omnium dictorum & factorum in paroxyſmo oblivio? unde poſt paroxyſmum quærit, num affectum ſuum perpeſſa ſit & mente aberraverit? quod ſuſpicatur inde, quia non ſemper in eodem ſitu permanet, in quo ante inſultum erat, non ſua ſponte ſed ſuperiorum juſſu in ipſo paroxyſmo? alia ſpirituum animalium diſpoſitio videtur eſſe in ſomnambulis, qui plerumque omnium recordantur, ut à plerisque quos novi intellexi.

Pallor faciei quandoque ejus & labiorum livor ſanguinem in motu ſuo impediri innuunt, cui ſuccurrere velle cor videtur, quia pulſus celeriores & frequentiores in paroxyſmo apparent.

Redundat in illâ ſanguis, nam carnoſa & benè colorata eſt: mammæ valde turgent & inſtant menſium primitiæ: exitum tamen hactenus nondum invenerunt. In paroxyſmo queritur de dolore capitis & hypogaſtrii: extra paroxyſmum negat ſe doluiſſe: an vere? an ex metu & ne *Monaſterio* eliminaretur? neſcio: certe lubenter in illo permaneret.

Fortè ſanguis redundans & nunc turgeſcens in motu ſuo intra cerebrum alicubi impeditur; nam non omnia optimè conſtituta eſſe patet inde, quia ætatis anno 5. graves inſultus epilepticos paſſa eſt & nunc non ingenioſa admodum eſt & indocilis.

An Catalepſis hæc curabilis ſit? ſpem facit curationis, quia hactenus nulli veri motus convulſivi animadverſi fuerunt: quia in bona diæta conſervatur & *ad medicamenta ſtrictè ſumenda* adigitur: blande tractatur *à Domina Priore*. Luculentius omnia patebunt poſt menſium fluxum: nam ſi ceſſaverit, nullus metus epilepſiæ ſuperventuræ ſupererit. Aliquam jam ſpem facit levamen *ex uſu pulv. radic. pœon. & ſemin. pœon.*

Ettmullerus Pr. P. 2. ſub fin. Cap. 7. p. 258. hunc affectum adſcribit cuidam fixationi ſpirituum animalium, quos tamen in ſingulis artubus ſupereſſe exiſtimat, quia Cataleptici impulſi incedunt. Quidam in diſpoſitione quadam aliquid convulſivi concurrere putant.

Die 23. *Septembr.* poſt meridiem rediit paroxyſmus.

Ad d. 10. *Octobr.* 1685. Paroxyſmus bis terve rediit & quidem ſatis fortis : durabat ultra quandrantem horæ : ſemel in paroxyſmo illam verberavit, hat gegen der Frau Priorin gleichſam geſchnellt, torvè ipſam intuita eſt, non multum ſe oppoſuit: poſtea cum ad mentem rediiſſet, nullius recordari voluit. *Die* 14. *Octobr. cum Domina Matre E.* profecta eſt : deerant *ſpec. pro potu ordinar.* ſecum ſumſit *ſpir. bez.*

Ad. d. 21. *Octobr. quo ipſam conveni E.* nullum paroxyſmum obſervarunt parentes & domeſtici : comedit quæ lubet & bibit vinum, hilaris eſt : deſiderat adeundi *Monaſterium*, quod non concedetur *ante Feſtum Nativitatis D. N. Nullis* utitur *medicamentis*, nec Parentes expetierunt, ut mitterem. In promptu habent *ſpir. bezoard.*

Die 1. *Decembr. ſcribit Dnus Pater* paroxyſmum ſingulis d. 14. rediiſſe ſed brevem, durantem vix 3. P. N. In paroxyſmo quietam manere : ſi non terreatur, omnium ignara eſt. *Aq.* non uſi ſunt, quia paroxyſmus ex nullo ſigno prænoſci poteſt. De menſtruo hactenus nihil conſticit.

Reſpondi : De aqua dari poteſt *quotidie mane in lecto* ℥ß. *& poſt paroxyſmum. Menagoga* fruſtra adhibentur, donec ejus prodromi innoteſcant, quia nulla adſunt ſigna chloroſeos.

Die 1. *Februar.* 1686. Paroxyſmus ſubindè redit & hoc ipſo die: duravit per 5. P. N. ſine ullo motu aut cum moribus inconditis, niſi quod caput perfricuerit & aliquot ſuſpiria duxerit. Bis hactenus habuit menſtrua: ultimâ vice ante 5. ſeptimanas.

Quæritur ? An & quid ſumendum ? Ægre ſumit *medicamenta* & verecundatur, ſi illorum mentio fiat. *Aquam pridem ordinatam* abhorret : totam prope adhuc obtinent.

Reſpondi : Morbus nervinus chronicus ægre cedit : *medicamentis* opus habet, ne affectus deterior fiat, eoque magis quia jam bis menſtruata fuit: ſuaſi *ſuccin. alb. ppr. d.* 2. *Febr.*

Die 22. *Martii* 1686. dum *pulv. ſuccin.* uſa eſt, ne minimum quidem veſtigium catalepſeos apud illam obſervatum fuit : poſtquam verò *à* 14. *diebus* deſtituebatur *pulvere*, intereaque menſtrua rite fluebant, quæ 8. *Mart.* ceſſarunt : *d.* 10. *Martii* cum jejuno ſtomacho *Dillendorffium* pedes iverat, vix quadrante itineris parte confecta ſubſtitit ac oculos pervertit per 2. P. N. cum à duabus ſororibus increparetur, quid faceret & cur non proſequeretur iter ? reſpondit, ſe non poſſe; verûm ſtatim ad mentem rediit ac iter proſecuta eſt : eodem quoque mane benè domum reverſa eſt. Cupit *Berovium* redire : expetunt

Ipſam

Ipſam quoque *Domina Mag.* & *Prioriſſa:* An illuc mittenda? An domi integra valetudo exſpectanda *à Remediis*? Imò an illa unquam ſperanda? Petit *Remedia.*

Reſpondi: Beravii curatio meliùs perageretur, quàm domi: Continuandus *Pulv. ſuccin.* cum bona diæta: ſic aliquid in morbo difficili curatu ſcil. nervino ſperari poſſet: polliceri temerè nihil volo.

Die 15. *Jul.* 1686. *Ipſam conveni E.: à menſe Martio* hucuſque ſæpe paroxyſmum hunc paſſa eſt: invadit illam ſine ullo prodromo, in principio oculos figit, linguam agitat, manus & naſum perfricat: non audit, non videt; in illo ſitu manet, in quo invadebatur; facies liveſcit, poſtea ſigna vigentis auditus & viſus præbet, nam ad juſſa incedit, ad quæſita reſpondet, loquitur tamen plerumque abſurda aut incongrua; facies rubeſit; quandoque ſua ſponte obambulat, ſcalas aſcendit, januas aperit. Finito paroxyſmo nullius rei geſtæ aut effatæ recordatur. Eſt bene colorata, carnoſa, robuſta, menſes rite fluunt & cætera plane ſana eſt. Invadit ipſam plerumque circa novilunium; in uno die ſemel, bis, ter, vel quater: ceſſat ſæpe per d. 14. aut tres ſeptimanas: invaſit ipſam quoque poſt novilunium: credunt quod ipſa quoque in ſomno paroxyſmos experta ſit, nam ſurgens ſolito lividior & triſtior erat ſubindè. Obſervant jam ab aliquo tempore memoriam debiliorem fieri. Mœror & ira quandoque paroxyſmum accelerant. *Suaſa erant ipſi varia: Ol. fœtid. ex ſuccin. alb. & nigr. deſt. acre,* ſimile videbatur *Ol. buxi vel Guajac. per retort. deſt. à Rudolpho Bezen,* quo Pater ipſius Epilepſiam ſtantium & ſedentium curaſſe jactat, die ſtillen und ſtehende oder ſitzende Gichter ohne Fallen. 2. *Alia Einſidlenſ. ſcil. ol. minus fœtens: Elect. ex cinnab. nativ. pilulam ſurſum deorſumque purgantem ex ♁ procul dubio:* ſed ſine ſucceſſu,

Die 16. *Jul.* 1686. ipſi ſuaſi *pulv. ſeq.*

℞. *Rad. Valerian. ſylv.* ℥j. *pœon.* ℥ß.
C. C. Ebor. āā. ʒij. *ſuccin. alb. ppr.*
Cinnab. nativ. āā. ʒj. *ol. deſt. ſuccin. gr.* iiij.
Ol. N. M. expr. gr. iiij. *ſacch. alb* ℥iij. *Mſc. F. P.*

Doſ. mane horâ 6. ʒj. *cum aq. flor. til. aut betonic. aut ſalv. cochl. iij. veſperi* ʒß. *cum his aq.* mane Maneat jejuna hor. 2. veſp. hor. j. tempore menſium omittat *uſum medicamentorum.* In paroxyſmo *Balſam. ſuccin.* naribus admoveatur, non illinatur. In victu fugiat omnia acria, ſalſa, aromatizata nimium, frixa, caput replentia: vinum diluat *aq. in qua ſem. fœnic. coct.* Omnis iræ & mœroris cauſa abſcindatur.

Die 20. *Sept.* 1686. *ipſam inviſi:* Catalepſin non amplius tam crebro paſſa eſt, ut pridem, ex quo *pulv.* uti cœpit *d.* 16. *Jul. ordinat.* jam à tribus ſeptim. emanſit: menſes rite fluunt per d. 5. vel 6. largè: bene comedit & dormit: pergat ſtrenuè *pulvere.*

Die 16. *Decembr.* Circa novilunium fortius corripitur Catalepſi, durat diutius: geſticulat, loquitur abſurda: corollam precatoriam nuper divulſit in templo: tres globulos devoravit: non cadit, manet in ſitu, in quo correpta fuerat: ad ſe rediens omnium ignara eſt: ſi dicitur ei de paroxyſmo perpeſſo, lachrymas fundit: dederunt *pulv. contr. vermes bis:* primâ vice multos excrevit, ſecundâ nullos. Spatio inter unum & alterum novilunium Catalepſis quidem ipſam invadit, ſed brevi tempore durat. Suaſi *Confect. ſemin. cin. per d.* 6. *continuandum lunâ in cancro exiſtente.* Corripitur fila trahendo, in menſa geſticulat, ac ſi fila traheret.

OBSERVATIO CXXII.

Catalepſis.

R. D. P. N. N natus 1637. *Menſ. Mart.* ſtaturæ juſtæ, coloris citrini, gracilis. *Menſ. Januar.* 1690. paſſus eſt pleuritidem, & eryſipelas circa malleolum *Menſ. April.* 1691. de quo *R. D. P. F.* ſcripſit *Reverendiſſ. D. Abbati Romano ſeqq. d.* 17. *Octobr.* 1694.

R. D. P. in Totmos jam diu commorans *d.* 10. *Octobr. venam ſecandam* curavit, quo die querebatur de viſûs debilitate, diebus ſequentibus toto mane ac ſubinde etiam veſperi in confeſſionibus audiendis occupatus, *d.* 13. *Octobr.* hor. 9. non potuit miſſam perficere, legere nequiens: finitâ miſſâ hypocauſtum adiit, ubi quoque officium cum *R. D. P. Othone* recitare non valuit: fere nihil pranſus eſt; cœnavit tamen alacriter, noctu bene dormivit. *D.* 14. *Octobr.* hor. 10. matut. in ſellâ ſedit immotus, coquæ alloquenti nullum reſponſum dedit: ſuccuſſerunt accurrentes *R. R. D. D. P. P.* neque ipſis reſpondet, in lectulum hypocauſti collocarunt, linguam fortiter extra os exſeruit, humor flavus, fœtens, copioſe ex ore expreſſus fuit, tunc motibus convulſivis vehementer agitabatur: iterum è lecto levarunt, agitarunt, unde motus iſti ceſſarunt, verum ad interrogata non reſpondit; crebrius tamen verbum *Æternum* effatus eſt, per quod matulam urinariam intellexit, hâc porrectâ copioſe urinam eminxit, inde quietior factus fuit, poſt aliquod ſpatium bis adhuc urinam cum levamine emiſit, neminem tamen

men adſtantium agnovit, nec congrue ad interrogata reſpondit, ſemper verba dedicata, dicata ſola efferens ſæpius uſque fere ad hor. 4. veſpertin. Adveniente illo tempore *R. D. P. J. Franciſco de Macon*, quem ſingulariter amabat, hilarem ſe ex ejus præſentia oſtendit, & frequenter lucida intervalla habuit, ſubinde ad interrogata ſatis bene reſpondens.

R. D. P. Franciſc. ſtatim *Veſicatoria* ſub nucha, in utroque carpo & ſub utroque genu impoſuit: hor. 5. *Clyſterem* injecit, qui eduxit multum fœcum ſolidarum: inunxit *Balſam. apoplect. ol. d. ſuccin.* Quoniam valde ſomnolentus erat, ut vix arceri ſomnus, & expergefieri poſſet, dedit *Pilul. cephalic.* & poſt horam juſculum D. 15. *Octobr.* quater dejecit, nocte tamen prægreſſâ dormivit & hodie quoque, ſomnum adſtantes arcere tentarunt ſubinde, expergefactus ſæpe apposite reſpondit; veſperi verò horâ 4. non amplius nec adſtantes agnovit: hæc perturbatio duravit ſolummodo ad 5. veſpertin. ubi ſibi præſentior erat, igitur ſivit illum dormire à 9. noct. ad 5. matut. D. 16. *Oct.* expergefactus pronunciavit expedite *Germanicè Deo ſint laudes*, dedit tunc *Pulv. antiapoplect.* Toto die memoria & ratio magis magisque ad priſtinum vigorem redibant, congrue reſpondit & totâ die confabulatus eſt cum adſtantibus ſatis aptè, & veſperi melius quam mane; nominum tamen propriorum Perſonarum non recordabatur: viſus melior quoque, nam per perſpicillum verba duo legere potuit; noctu ultra tres horas non dormiit. D. 17. *Oct.* mane ſitiit: pulſus nondum bonus, quem in principio poſtquam advenit, duriſſimum & ſerratum invenit.

Analyſis.

INſultus iſte partim Catalepticus partim Epilepticus fuit, nam cum ancilla ipſum conveniſſet, inſtar trunci ſedit in ſella: dum compellabatur nihil reſpondit neque etiam poſt ſuccuſſionem: in lecto exſertâ linguâ multum humoris flavi egeſſit, an vomitu? credo, quia erat flavus & fœtidus: poſtea convellebatur, è lecto educto motus iſte ceſſavit, at ſtupidus manſit, neminem agnovit, unum alterumve verbum protulit ſine ratione: memoria hallucinabat, nam rebus nomina ſua impertiri nequiit, nec poſtea Perſonarum nomina indicare potuit. Nihil apoplectici concurriſſe puto, quia nihil paralytici artubus contigit, verba quædam articulatè enunciavit. Inſignis tamen labes in cranio hæſit, quia jam D. 10. *Oct.* viſûs debilitatem animadvertit: D. 13. *Oct.* miſſam legendo perficere nequiit, nec domi officium cum ſocio recitare valuit. D. 14. *Oct.* ſymptomata Cataleptica & tandem Epileptica in apricum venerunt cum memoriæ abolitione & mentis ſtupore, nondum penitus ſublatis D. 17. *Octobr.* Cauſa fuit irritans & ſpiritus animales

 ſtu-

ſtupefaciens, nondum tamen illorum influxum impediens, hanc ob cauſam ſomnolentus fuit: illa vix alia quam ſerum eſſe potuit, nam illud ima ſubit. A cerebro avulſum fuit *Clyſterib. Purgantib. Veſicatoriis*; ita ut paucæ reliquiæ ſuperfuerint, ſine ulliûs motûs abolitione aut notabili imminutione. Serum hûc compulſum fuit toto prope die manendo in templo, loco inſalubri & aëre jam frigido confeſſiones audiendo. Per conſenſum ventriculi non factus eſt iſte inſultus, quia poſt egeſtionem humoris flavi reliqua ſymptomata perſtiterunt, quædam etiam diu poſt.

D. 19. *Octobr.* 1694. *ſcripſi R. D. P. de Macon* porrò huic labi conſulendum, ne recidiva ſuperveniat huic morbo familiaris, neque tandem in affectum immedicabilem degeneret ut *apud R. D. P. Berchtold p. m. & alios, qui morbum convulſivum paſſi ſunt Epidemium in Gravenhauſen, Ebnet &c. in Autumno* 1693. *& Vere* 1694. Monui ut *Pilul. cephalic.* ſemel in ſeptimana darentur *ad* 13. *etiam* 15. ſi ignaviores ſint: non omitterentur *Clyſter.* ſi conſtipatus eſſet. *Veſicatoria* continuarentur, quamdiu viſus læſus eſſet, novum locum ſeligendo. Commendavi *Fonticulos* & ſuaſi *Pulv. ſeq.*

℞. *Rad. valerian. ſylv.* ℥j.
pœon. ʒiij.
C. C. ph. ppr. ʒiß.
Ungul. alc. ppr. ʒj.
♁ *diaphor.* ʒiß.
Cinnab. ♁. ℈j.
Ol. N. M. expr. ℈ß.
Sacch. alb. ℥ij. *Mſc. F. Pſ.*

Doſ. Man. ʒj. *Veſp.* ʒß. *cum aq. vel Decoct. roriſmar.*

Quia ſitit, bibat *Decoct. Saſſafr. vel Rad. Chin. Aërem Totmoſanum* aſperiorem judicavi pro illo: Confeſſionum audiendarum diutina continuatio noxia: victus ſit ex euchymis & eupeptis.

D. 30. *Oct.* 1694. *ſcribit R. D. P. de Macon R. D. Ægrum* indies melius ſe habere, vires & viſum augeri; bibit vinum *Decoct ſaſſafr.* bene dilutum, quod ſub veſperam capitis perturbationem & nimium calorem cauſat: continuat *uſum Pulv. Cephal.* expetit *Pilul. Cephal.* ℥ß.

D. 31. *Octobr.* monebatur, ut ſtrenuè *Pulv. Cephal.* continuet: *circa Novi- & Plenilunium* aut neceſſitate urgente *Pilul. Cephalic.* quas miſi, exhibeat: *Veſicatoriorum uſum* non intermittat: Diætam ſtrictè obſervet.

OBSER-

OBSERVATIO CXXIII.

Catalepſis.

E*Liſabetha A*.. . . puella 7. annor. vegeta, intrepida: *An.* 1686. primùm in Scholam miſſa fuit: feliciter diſcenda apprehendit memoriæque tradidit. Anno dimidio elapſo meticuloſior videbatur & quædam Ecſtaſeos aut Catalepſeos indicia de ſe præbuit, nam inter recitandum ſeu preces ſeu quæſtiones & reſponſiones Catecheticas, aut aliud quid agendum ſubſtitit, oculosque fixos tenuit, ac ſi omnes ſenſus ligati eſſent, digitisque geſticulavit ac brachialiorum viciniorum partes vellicavit: excitata omnium ignara erat. Nocte præterita lectiones demandatas recitavit ac Pædagogi nomen altâ voce pronunciavit. Hoc in ſtatu per annum manſit, ac interea uſa eſt *Pulv. Antiepileptico. Anno* 1688. *D.* 2. *Maj. Mater* primùm motus convulſivos animadvertit, nam primùm aliquoties manibus omnium ignara matrem percuſſit: ſequenti die in templo matris ſinui incumbens & dormiens ſubitò expergefacta eaſdem geſticulationes repetiit, iiſque ſubitò ceſſantibus riſit & in altum proſiliit: ſequentibus diebus ſingulis horis tales paroxyſmi ipſam invaſerunt ſemel, ut decumbendum ipſi fuerit. Ante inſultum oculos fixos tenuit, animadvertebatur anxietas quædam cum ſuffocationis periculo, mox manus pedesque ſuccutiebantur, dentes conſtringebantur pinnæque narium rigeſcebant cum pallore labiorum, extremorum frigore & ſudore largiſſimo; finiebantur paroxyſmi riſu, quamprimum ad mentem rediit, petiit matulam minxitque, & quæſita de capitis dolore querebatur. Paroxyſmi breves erant, & quandoque citius remiſerunt, quàm aliquis orationem dominicam abſolviſſet. Inter orandum ſæpiùs ſubſtitit ac ore ſtreperam quandam vocem veluti glocitans edidit. Hoc tempore die uno atque altero pituitam ſeu mucum copioſiſſimum, tenacem & vireſcentem evomuit.

Elapſis duabus tribusve ſeptimanis finito paroxyſmo audiebantur frequentia ventris murmura; etiam interdiu aliquantulum affectus remiſit, ut iterum deambulare potuerit, verum inordinatis & incongruis greſſibus, nam nunc in altum ſaliit, mox ſuper menſam, ſcamnum & ſedilia ingrediebatur, nunc per omnes ædium ſcalas ad ſummum aſcendebat, adeò ut ſine cuſtode relinqui nequierit.

Menſ. Auguſt. 1688. Interdiu paroxyſmi nunc non tàm frequentes ſunt: aliquando ſemel bis terve invadunt, nonnunquam plenè non: Verùm noctû ſingulis horis bis, ter, quater, etiam quinquies illis corripitur: circa 4tam matutinam remittunt: ſi ingruente paroxyſmo erigitur, aut illa ſemet erigere valet idque ſtatim, paroxyſmus multò brevior

brevior fit: compellata non reſpondet, at illo finito quærit *à Matre,* quid petierit, ac ſi in paroxysmo in reſpondendo impediretur.

Nunc magis animo conſtare videtur, quàm ante aliquot ſeptimanas: Preces & Quæſtiones Catecheticas, quas ante hunc morbum memoriæ mandavit, dextre & ſine hæſitatione recitat. Si nunc paroxyſmus inſtat proximum quodque ſcil. menſam, ſcamnum adſtantemve rem apprehendit ſenſimque humi deſidet. Ex quo hoc affectu afflicta fuit, mirè crevit: In principio valdè ſitiit, nunc non ampliùs: appetit autem nimium & feré bulimo ægrotare videtur: niſi porrigatur cibus, lamentatur: ſi nimium comedit, evomit & poſt vomitum ſtatim cibum rurſus expetit: obvia quæque ingerit ori, ſcil. carbones, calceos aliaque abſurda.

Reſolutio.

CAtalepſin affectum eſſe inde patet, quia ſubitò illo correpta manet in illo ſitu ſine ſenſu & congruo motu quo obruta fuit, attonitæ inſtar. Quæ verò hujus Catalepſis, ſeu Ceſſationis per aliquot momenta in oratione aliove opere, in quo occupabatur ante inſultum, cum memoriæ abolitione & omnium ſenſuum reliquorum ligatione, quæ inquam cauſa proxima ſit? ambiguum eſt. An terrificum aliquod phantaſma phantaſiæ ſubitò occurrens ſpiritusque animales in ſuo motu ſiſtens, *ceu Caput Meduſæ, quod Pöetæ finxerunt*, in lapides mutaſſe inſpicientes, ſeu omni ſenſu & motu privaſſe? Id credibile & aliquo modo veriſimile eſt: nam in tenella ætate liberaliter educata præproperè diſciplinæ ſcholaſticæ rigidiori & inſuetæ ſubjecta fuit, & à minis etiam facile terrificum aliquod phantaſma memoriæ imprimi potuit, quod inde quoque probabile fit, quia meticuloſior poſt ſemeſtre evaſit; noctu præterita lectiones demandatas recitavit & altâ voce Pædagogi nomen enunciavit. Atque ſolum Phantaſma hujus ſymptomatis cauſam fuiſſe vix dubitare ſinit, quod per annum in hoc ſtatu manſerit.

Poſt annum phantaſmati aliquid materiale acceſſiſſe, quod ſpirituum motum potiùs ſiſtit, quàm congelat, *ut Veteres loquebantur*, ex multis manifeſtum fit: nam ante paroxyſmum oculos fixos tenet, angitur, ſuffocatio intentatur; in ipſo paroxyſmo verè convellitur ac præter voluntatem artus ſuccutit, pinnæ narium rigeſcunt, dentes conſtringit, expalleſcunt labia, ſudor exprimitur ac extrema frigent: poſt paroxyſmum ſtatim matulam petit, caput dolere ait, audiuntur ſonora ventris murmura; mentis aliqua imbecillitas obſervatur, illamque prodit inconditis ſubſultibus, incongruo inceſſu ſuper ſedilia, ſcamna, menſam, temerario aſcenſu per ſcalam ad ſumma ædium; ante duas ſeptimanas vèl tres vomuit mucum copioſiſſimum, tenacem & vireſcentem, ſitiit: & nunc vero Bulimo & Picâ affligitur: Imprimis id evincunt creberrimi paroxyſmi in unica horâ noctu crebriùs invadentes, ſcil. ter, quater imo quinquies, qui citiùs finiuntur, ſi maturè erigitur.

Materiale hoc ſe poris medulloſis cerebri inſinuaſſe, patet ex omnium ſenſuum abolitione & motibus verè Epilepticis in paroxyſmo & poſt paroxyſmum, ex mentis imbecillitate; etiam detineri circa plexus & expanſiones nervorum manifeſtum inde fit, quia antè paroxyſmum angitur & ſuffocatio intentatur.

Materiale hoc nihil aliud poteſt eſſe, quàm ſerum, quòd citò ſtagnare & ſubito maximam partem conſumi poteſt; Inſuper illud cum ſanguine intimam medullam Cerebri & Cerebelli ſubit, perpetuòque aliàs nervos irrigat naturaliter. Largiùs intra poros medulloſos fuſum fuit, quia à tot paroxyſmis compages medulloſa debilior & laxior facta promptiùs ſerum admittit & detinet. An non quoque Vermes concurrant? *Notum eſt à Vermibus crebrò Epilepſiam excitatam fuiſſe ex Obſerv. Medicorum: etiam Aphoniam apud Zacut. Luſitan. Prax. Lib. II. Obſerv.* 36. Et tales latere innuunt ſitis pridem intenſa, & nunc Bulimos atque Pica.

Magno ſtudio huic Catalepſi occurrendum, ne tandem in veram & immedicabilem Epilepſiam degeneret. Spem curationis faciunt ætas, paroxyſmorum brevitas & quod magis magisque animum recuperat, & quæ olim memoriæ credidit, rurſus feliciter reddit: & hoc quoque aliquid boni pollicetur, quod poſt paroxyſmum ſubinde recordatur eorum, quæ illo durante ex illo quæſita fuerunt.

Suaſi ipſi *per integrum annum uſum Rad. Valerian. ſylv.*

℞. *Radic. Valerian. ſilv.* ℥ij.
Limat. Ungul. Equin. ℥ß.
Sacch. alb. ℥iij. *Mſc. F. P. ſ.*
Doſ. Manè horâ 6tâ & Veſp. horâ 5tâ ʒß. *vel* ℈ij.
cum aq. flor. til. pœon. ſatyr. purp. aut ſimili.

Poſt ſumptum Pulv. nec cibus nec potus concedatur per horam.

Quia jam plexus & expanſiones nervorum affliguntur, *nulla purgantia* darem. *Stutgardiæ* Infantibus Epilepticis & etiam adultioribus crebrò brachiis & ſuris *Veſicatoria* imponunt cum fructu.

Vere & Autumno ſingulis menſibus per d. 6. ſummo mane darem *Conf. ſemin. Cin. à* ʒj. *ad* ʒij. *etiam ampliùs* ob bulimum & picam. *Pro potu ordinario pro ligni ſaſſafr. Decoct.* ſuaderem *Lign. viſc. q. cujuscunque* ʒij. *ſemin. fœnic.* ʒj. *Coq. in Menſ. ij. aq. Font. Nam in India ſcribit Bontius cædentes arbores ſaſſafr. virides adhuc fieri amentes.* Vinum penitus denegandum. Veſcatur cibis boni ſucci, facilis coctionis. Magis blanditiis, quàm minis ad meliorem mentem reducatur.

OBSERVATIO CXXIV.

Catalepſis ſuffocationi ab utero ſimilis.

NObiliſſima Domina Anna Schm. annor. 38. ſtaturæ brevioris, macilenta, ab 8. annis maritata eſt, binos fœtus vivos peperit: *anno* 1689. abortiit undecimâ ſeptimana, abortus integer erat magnitudine ovi anſerini. *Anno* 1680. adhuc cælebs primum correpta fuit abolitione omnium ſenſuum & motuum, adeo ut nec reſpiratio obſervaretur, unde bis jam mortua crederetur: jacet inſtar trunci, os arctè conſtringitur; cum aliquando cochleari argenteo dentes diducere conarentur, dentem fregerunt. Videtur ſomno profundiſſimo obruta: in artubus & oculis nihil convulſivi hactenus obſervatum fuit: duravit ſopor iſte plerumque 48. horis, ut mirentur illam ſine ulla refocillatione *vel à cibo vel a potu vel à medicamento* tam diu ſubſiſtere poſſe. Non poteſt excitari *à fœtidis, caſtoreo &c. ab incenſione &, fumo perdicum &c.* Aliquando *Excell. D. D. Chriſtophorus Harder*, apud quem *Anno* 1681. per 8. ſeptimanas commorata in ſuis ædibus erat, illam excitavit *cereolâ oleo inunctâ profundè in gulam truſa.* Ceſſaturo paroxyſmo vomit magnâ violentiâ cruorem & mucum craſſiſſimum viſcidum album vel flavum pellucidum: à paroxyſmo dolet in omnibus artubus, in præcordiis & abdomine: urinam emittit rubram cum dyſuria. Præcedunt paroxyſmum diu laſſitudo quædam, dolor circa regionem renis ſiniſtri & coxam ſiniſtr. non in lumbis, aut circa os ſacrum. Oboritur tumor ovi gallinacei magnitudine circa ſuturam coronalem in ſyncipite pauló dextrorſum declinans; quamvis ſubinde tumor hoc in loco emergat, nullo ſubſequente paroxyſmo. Paroxyſmus cum prodromis & ſymptomatibus illum conſequentibus durat 6. vel 7. ſeptimanis, ut continuo decumbere cogatur.

Dum cælebs erat aliquoties hunc paroxyſmum experta eſt, etiam in matrimonio una atque altera vice: emanſit paroxyſmus per annum, aliquando etiam per biennium. Paroxyſmum accelerant *medicamenta acria & purgantia fortiora*: unde admodum averſatur *medicamenta. Anno* 1691. uſa fuit *Thermis Gyrenſibus*: toleravit earum inſeſſum diebus decem, poſtea à ſudore valido excitato graviter ab illo obruebatur, ut de vita actum eſſe crederetur. Abortum *Anno* 1689. præceſſit 24. horis fluxus lochiorum cum nixibus pariundi: nixus vi cohibuit, unde putat ſe dolorem iſchiadicum in ſiniſtro latere contraxiſſe, unde nunc manifeſte percipit imbecillitatem in coxa, ut ei pedi inſiſtere nequeat: putat pedem ob luxationem coxæ breviorem eſſe, quamvis

nihil

nihil circa coxam deprehendere per veſtes potueram, certè in lecto femur ſine impedimento adducere & deprimere pro lubitu valet: videntur potius tendines tibiam flectentes ob neglectam extenſionem breviores facti, eingeſtrupfft: ægrè incedit: ſcalam ſcandit facilius, quam deſcendit: ſemper cum metu. Menſium fluxus dum cælebs ordinatior & coloratior erat, quam nunc in matrimonio, nam eſt decolor & cum doloribus fit in lumbis, oſſe ſacro & in hypogaſtrio: de fluore albo nihil obſervat.

Die 27. Maji 1692. me convenit: appetitus tunc erat imminutus: ajebat ſibi melius eſſe jejuno ventriculo, quam poſt aſſumptum cibum: plerumque non ſitit: alvus ſæpe ad dies quinque vel ſex conſtipatur. Urina pallida eſt cum ſedimento mucoſo turbidulo non cohærente. Bibit nunc vinum album novum. Reſpirat cum difficultate, humili tamen ſitu decumbit, altè nec valet, nec licet, nunc tuſſiculâ ſiccâ afficitur: cor ſubinde palpitat, pulſus hodie erat ante meridiem frequentior, celerior debito: manus citra motum ſudarunt. Caput ordinarie non dolet, niſi quando tumor adeſt, at tinnitum prope continuo in toto corpore ſentit: ſpaſmo flatulento valde obnoxia eſt. Pedes veſperi ultra malleolos tument, mane detumeſcunt. Caput facilè ſudat.

Quia exiſtimavi genus nervoſum *apud Nobiliſſimam Dominam* valde debile eſſe & irritabile, & ſpiritus animales quaſi ſubito ligari, ut in catalepſi, ſuaſi ut *hoc vere* compararet *penu aquarum pœon. flor. fol. & radic. flor. til. ſatyr. purpur. valerian. ſylv. cum toto: flor. trinit ſeu viol. tricolor. ex recentibus aqua fervida affund. ſtatim deſtill. Quarum* ℔iß. *add.*

℞. *Spir.* ✱*c. urin. ſpir.* ⊖ *dulc.* āā. ʒij.
Liq. C. C. ſuccin. ʒj. *Aqu. flor. til.* ℥iij. *Mſc.*
Doſ. ſingulo mane cochl. ij. cum juſcul. carn. ℥iij. *vel iiij.*

Suaſi porro *Pulv. antiepilepticum ſeq.*

℞. *Rad. pœon.* ʒj. *C. C. ph. ppr.*
Ung. alc. ppt. āā. ʒiß. *Cinnab. nativ.* ℈ß.
Lap. ♋. *ppt.* ʒj. *Matr. perl. ppr.* ʒß.
Unic. foſſ. ℈j. *ol. deſt. roriſm. gtt. ij.*
Sacch. alb. ʒvj. *Mſc. F. p. ſ.*
Doſ. ʒß. *quarto quoque die cum cochl. ij. aq. flor. til. Mane duabus horis antequam bibat juſculum.* Det operam, ut ſingulis diebus alvus aperta ſit: *adeat certâ horâ ſellam,* veſcatur *cibis laxantibus ante paſtum.*

Indat ano *globulos ſaccharatos aut ex fermento*, ⊖*e, bile* : ſi non juvent, injiciatur *Clyſter ex vitell. ov. ol. oliv. mell. juſcul. carn. aut lact.* ℔*j*. Veſcatur cibis boni ſucci & facilis digeſtionis : vinum diluat *decoct. ligni viſci cujuſvis. V. S.* ſi illi aſſueverit *Vere & Autumno. Purgantia* omittat. Singulo mane antequam ſurgat fricetur à coxa ad genu *pila lanea* ſemper deorſum trahendo : genu dum decumbit blande extendatur ſæpius in die, ne tendines nimis corrugentur & contrahantur. Si paroxyſmum inſtare ſentiret, nihil magis prodeſſet, quam *Clyſter* mature applicitus. Sæpe ſumat *de Mixtur. aquarum, cujus* ℥*iiij. add.* ʒ*j. pulv. antiepilept. cum gtt. xx. Eſſ. caſtor.*

Die 25. *April.* 1693. *Nobiliſſimus Dnus Maritus Dn. Joh. Heinr. Schm. ſcribit ex Kæmpten* im Turbenthal. *A medicamentis* tinnitus remiſit : inceſſus adhuc difficilis. A 3. ſeptimanis decumbit : ſopor p. n. redit, in quo 8. horis profunde dormit, ut expergefieri nequeat, vix in dormiente reſpiratio obſervatur & ex hac ſola vivere conjicitur : ſopore hoc pridem afficiebatur. In latere ſiniſtro prope ſpinam patitur dolorem punctorium vehementem & tuſſim ſiccam : abſceſſus antequam maturus fiat, multum dormit, expergefacta ſemper querula eſt. Sopor manet uſque dum abſceſſus maturus fiat, tunc purulenta ejecit. Semper conqueritur de Cephalalgia : convulſiones animadvertuntur. Urina miſſa pallida. Eſt admodum bibula : ter in die inebriari dicitur.

Suaſi d. 26. *April. Conſerv. roſ. r. bellid. min. cum diaph.* ♃. *&c.* ſuperbibat *juſculum aut ſerum alterat. fl. bellid. min. M. & V. ante paſtum* ℞. *traumaticam, pil. ex Extr. bez.* vinum negetur.

Die 4. *Maji ſcribitur* illam melius habere : ſoporem ceſſare, dolorem eſſe mitiorem : catarrhos tamen continuo ruere.

Suaſi d. 5. *Maji Electuar. iterationem,* ſuperbibat *decoct. rad. tuſſilag. chærefol. bellid. min. ſem. aniſ. Empl. diachalcit. pil. ex ſtyr. cum diacod.* Diſſuaſi adhuc vinum.

Die 16. *Maji* 1693. relatum fuit illam ſcipione ſuffultam rurſus per ædes obambulare.

Die 24. *Maji* Non amplius ipſi decumbendum eſt : petit *remedia contra inceſſum difficilem interna & externa. An Thermæ Fabarienſes utiles ? An. V. S. conducat ?* ſupereſt adhuc *Emplaſtr.* urina ſubflava turbidula.

Thermas

Thermas ceu non multum profuturas adhuc debili & forte adhuc nimis bibulæ, ut ajunt, non multum proderunt: magis prodeſſent *nervina*. *V. S.* nec oberit, ſi parca in brachio, nec multum proderit. Suaſi *pulv.*

℞. *Rad. valerian. ſylv.* ℥ß.
Pulv. analept. Fr. Mind. ʒiij.
Ol. N. M. expr. ℈ß. *ſacch. alb.* ℥iiß. *Mſc. F. p. ſ.*

Doſ. mane ʒj. *cum aq. roriſmar.*

Die 10. *Auguſt.* 1693. *ſcribitur* omnia hæc ſymptomata remiſiſſe: eundi impotentiam ſupereſſe, *ſi quod remedium ſuperſit, petit.*

Reſpondi balnea fruſtranea eſſe me à longo uſu ſcire. *Per ſcamnum ſudoriferum* aliquid præſtari fortè poſſet, ſed de hoc *Chirurgus* erudiendus.

OBSERVATIO CXXV.

Catalepſis in Epilepſiam degenerans.

Vir Clariſſime & Excellentiſſime!

SElectus es inter innumeros harumce partium *Doctores Medicos*, ut demiſſè rogareris *pro Conſilio* in caſu ut lugubri ſic plerumque correctionem abnuente. Epilepſia eſt idiopatica in puero annorum 12. non ab incunabulis fatigans, ſed cujus funeſta calamitas ferè ante annum ſævire cæpit, quin nobis curioſe diſquirentibus illius anſa innoteſcere potuerit, minus ab initio, ut fere accidit inhumanæ erat indolis, ſed ſenſim effectuum miſeriâ ita inſanivit, ut brevi delicatulus puer barbarè in terram concuteretur, os pruriente ſpumâ horreret, ſtriderent dentes & urina ſua ſponte ex inſcio ſubinde flueret, vapulat, ubi maximus eſt quatiuntur ruſticè motibus convulſivis cum pedibus manus ambæ paroxyſmi furor, ſemiquadrantem horæ, tum quaſi inſaniens præcipiti paſſu: hinc inde ſui adhuc inſcius palat ad modicum tempus, tum ita evaneſcit inſultûs nequitia, ut nullum omnino illius veſtigium in puero alacri hæreat. Somno expirante familiariter & gravius urget malum, intra diem naturalem ferè novem aſſultibus miſere divexatur, queis non perpetim in terram præcipitatur, ſed ſui aliquoties ſic oblviſcitur, confuſione animam miſcente, ut ab omni actione ferietur, donec iis exantlantibus ſit liber, tum quaſi ceſſantis injuriæ immemor priori occupationi mox ſe reddit, refectionum ſtatu, ordo nihil huic comediæ innovat, ſed animi facilè mobilis paſſiones

quæcunque acris ſunt virtutis in hujus affectûs productione, ita ut neceſſario proprii arbitrii diſpoſitionibus relinquatur, ne correctio ut ut ſubinde neceſſaria miſerum corrumpat: idiopaticum affectum notavi, quod mihi nec ſuſpicionis umbra partium inferarum male moratarum ſcrupuloſe omnia inquirenti ſederit, nec à paſtu inter digeſtionis prurientis calorem paroxyſmus ſit magis frequens & facilis, nec afflictus aliquid exotici perſentiat, quamvis attendere diligenter monitus, ex ſubditis partibus ſcandere in cerebrum Tragœdiæ ludentis theatrum; morbi mineram ſanguinis omnia alluentis cumulo penitius merſam dixerim, non autem hic referre expedit opiniones inſolitas *Williſii*, *Helmontii aut Sylvii aut communem Veterum*, Praxin forte delicata nimium Theoria periculoſe implicarem, hoc utiliſſime ad noſtrum intentum dixerim, puerum obedire temperiei primitus inſertæ calidæ & ſiccæ, hinc animæ igneæ motibus citis, violentis, audacibus animatur, unde paſſionum familiarium inſolentia & facilitas. Inceperunt ante ſemeſtre ipſi mederi ex inſtanti parentum petitione, ſed curam importune nihil quidem adhuc proficientem rupit morbus in me gravis.

Interim negotium temere creditum *Empyrico*, qui pro more huic infami generi familiari miracula ſpopondit, ſed morbum *indiſcreto & imperito remediorum caſualium uſu* eò exaltavit, ut in terram brevi horribiliter deturbaretur, quod ante non evenerat: hoc ego notavi parvo ſpatio, quo meis curis ſubfuit, *remediis purgantibus*, ut & igneæ & volatilis ſubſtantiæ affectum acrius ſuſcitatum truculentius ferociiſſe: adhibueram *opiat. ex conſerv. flor. til. convall. anth. pulv. de guttet. & caſtor. cinnabar. nativ. & cinnab. antimon. cum ſyrup. Stœchad.* quid in uſum vocarit *dictus Empyricus* diſcere non licuit ſuis ſecretis obtenebratus: hoc audii *ſuis perlis, lapidibus pretioſ. margaritis, auro, Bezoar.* ſuperbiiſſe. Cum nec triſtitia huic morbo aliàs inteſtina adſit, nec externa capitis inepte figurati ſigna morbi indiſpoſitionem arguant; hæc mea eſt agendorum aptè idea, ſanguinem refrigerandum ad partes inferas ſollicitandum & incraſſandum, roborandum cerebrum *ſpecificis ſed modeſtè calidis*, & *ſetaceum* hic utique ſacrum urſi ſæpius, ſed obſtinaciter id mihi negatum: vellem uti *balneis aquæ dulcis, aquis naturaliter vitriolatis*, victu humectante, refrigerante & incraſſante: *judicium tuum pretioſum demiſſe urget*

Servus tuus ſacratiſſimus

Friburgi in Uchtlandia d. 17. Jul. 1688.

Noſet. Phyſic. Friburg.

Reſolu-

Reſolutio.

PUeri iſtius duodecim annorum affectus in principio & ad ſemeſtre uſque quô *Excell. D. D. Noſet* vocatus fuit, catalepſin fuiſſe conjicio, quia non cecidit antequam *ab Empyrico* tractatus fuit: potiſſimum inde hoc concludo, quod quandoque omnium immemor ab omnibus actionibus, ſcil. animalibus voluntariis feriatur & deſiſtit & manet in illo ſtatu ecſtatici inſtar, in quo ab affectu obrutus fuit, ſive ſtet, ſive ſedeat, ſive jaceat: quamprimum vero ceſſat affectus, ceu à ſomno expergefactus ad illos labores redit, à quibus per illa momenta, quibus quaſi ecſtaticus deſtitit, eandemque telam pertexit ac ſi nunquam à labore illo feriatus eſſet, immemor tamen feriarum.

An verò in hac Catalepſi ſeu Catoche inſtar trunci ſe gerat vel quieſcat, ut in vera Catalepſi fieri ſcribit, anne vero manibus geſticulatus ſit, oculos perverterit, caput ſuccuſſerit aliosve motus convulſivos in hoc paroxyſmo paſſus fuerit in literis non exprimitur; *utriuſque unicum exemplum in Praxi mea* 41. *ann. vidi: Ante aliquot annos in puero Cataleptico obſervavi veluti ecſtaticum ſtetiſſe inſtar trunci ſine ullo motu: aliquando dum recitavit orationem Dominicam, ſubito obmutuit in media oratione, nec oculos nec manus, nec pedes, nec labia movit: ſtatuam dixiſſes: duravit hæc Catalepſis vix per octantem horæ: quamprimum ad mentem rediit ac ubi deſiit in oratione, perrexit atque illam dextre abſolvit, plane immemor eorum, quæ de ſe acta fuerunt.*

Econtra vidi Novitiam Monialem inter nendum, fila trahendum, ſcribendum, aliumve laborem in Monaſteriis conſuetum ſubito catalepticam factam, primum quoque trunci inſtar ſtetiſſe aut ſediſſe in primis inſultibus; poſt plures vero inſultus manibus geſticulatam fuiſſe, quandoque abſurda & ridicula locutam eſſe & juſſam quædam rationi conſentanea præſtitiſſe. De hac vide ſupra Obſerv. CXXI.

Epilepſiâ jam verâ ægrotat, nam actiones principes abolentur cum motibus convulſivis omnium artuum, quas mire jactat & miſere ſuccutiuntur & quidem in ſummo gradu, nam ſpumat, inſcius ſe permingit, dentibus ſtridet: ceſſantibus motibus convulſivis mente adhuc captus præcipiti curſu incedit: & compos mentis omnium actorum ignarus eſt.

Cauſam proximam Catalapſeos ſtatuerunt *Veteres* aliquid ſpiritus veluti congelans ac frigidam putarunt; *Recentiores* humorem aut vaporem ſpiritus alias admodum volatiles intra cranium figentem atque aliquandiu immobilem reddentem intra cranium, ubi ſenſus communis

munis & phantaſia cum memoria ſedem habet, quæ non ſemper frigida ſed calida eſſe poteſt, quod probant *exemplo opii*, quod calidum eſſe multis argumentis demonſtratur *& ſpir. vini & ♀. ⊖l. &c.*

Epilepſiæ cauſa, quia præter abolitionem ſenſuum internorum omnes muſculi ad motus involuntarios vehementiſſimos à fibris irritatis graviſſime, non niſi acris & calida eſſe poterit. Et omnino cauſam apud puerum ægrum calidam eſſe vel exinde conſtat, quia temperamenti eſt calidi & ſicci, alacris & in actionibus ſuis prope igneus.

Non pervenit ad cerebrum à parte aliqua cerebro remotiore, quia vaporis aſcenſum nullum percipit; nec à partibus infra diaphragma ſitis, cum nulla labes in his partibus animadvertatur. Ergo ex maſſa ſanguinea ad has ſedes pertingit, quæ ſæpius in una hora has partes alluit. Verum quia epilepſia non continua eſt, ſed per vices contingit & aliquandiu puer ab illa immunis eſt, neceſſario præſupponenda erit diſpoſitio intra cranium ob quam cauſam proximam admittit, illa tamen brevi iterum eliminatur, ſcil. laxitas aliqua humorem eâ quantitate imbibens, ut ſufficiens ſit ad paroxyſmum talem efficiendum, robore tamen conjuncta, quæ cauſam brevi iterum eliminat.

Diſpoſitionem hanc vitioſam admodum & non levem eſſe oportet, quia puerum Nyctemeri ſpatio novies invadit. Vitioſam talem cerebro inductam fuiſſe à ſolo terrore memini, epilepſiæ incurabilis cauſam: aliæ externæ numerantur ſcil. caſus, capitis percuſſiones, venena quædam: qualis apud puerum præceſſerit, nulla in caſu memoratur.

Quomodocunque ſe res habeat, opera danda erit, ut humores acres in maſſa ſanguinea attemperentur & vitioſa diſpoſitio in parte medulloſa cerebri emendetur: utrique indicationi ſatisfaciunt *antiepileptica temperata*, nam calidiora & volatilia malum exacerbaſſe *Excell. D. D. Noſet* comperit: non accumulabo *farraginem multorum medicamentorum iſtorum*, memorabo tantum illa, quæ uſu efficacia expertus ſum.

Aliquot puellas & pueros ſolo rad. valerian. ſylv. uſu diu continuato benedicente Deo ab hoc affectu vindicavi & ex his puellam 14. *annorum nondum menſtruatam Nyctemeri intervallo* 15. *vicibus cadentem: ditioribus hunc pulverem dedi.*

℞. *Ungul. alc. C. C. ph. ppr. āā. ʒiij.*
Cinnab. nativ. cum cinnabar. ♁ii iteratâ ſublimatione correcti ʒj.
Matr. perlar. ppr. ℈iiij.
Sacch. alb. ℥ij. Mſc. F. p. ſ.

Doſ.

Doſ. Mane hor. 6. ℥ß. *Veſperi hor. 5ta* ℈j. *cum aqu. flor. til. aut ceraſ. dulc. aut ſatyr. purpur. Poſt ſumtum pulverem jejunet per hor. 2.*

Efficaciores ſunt *hæ pilulæ* : Paretur *Extract. ex radic. pœon. & valerian. ſylv. ſeorſim hac ratione:* ℞. *harum radic. q. v. incid. minutim: macerentur aq. fontan. calida per d. 2. poſtea exprimatur ſuccus fortiter: inſpiſſetur ad conſiſtent. extract.*

℞. *Extract. rad. pœon.* ℥ij
valerian. ſilv. ℥iß.
Caſtor. ℥ß.
Cinnabar. rectif. ℈iiij.
C. C. ph. pp. ung. alc. ppr. ā̄ā. ℥iß.
Matr. perl. pp. ℈ij. *Mſc.*

Cum mucilag. tragac. q. ſ. F. pil. ex ℥j. *No.* 40. *Doſis ſint mane pil. x. veſperi No. vj. cum aquis prædictis : Electuariis* raro utor, quia maximam partem ſunt *ſaccharum*. Quoniam puer jam ab anno hoc malo cruciatur, diligenter porrigenda ſunt *medicamenta* & quidem longo tempore, eoque magis, quia morbi nervini alias ægerrime cedunt.

Curâ lactis tollitur quidem Podagra & ſæpe comes ejus ſpaſmus flatulentus, verum nunquam illam morbo Herculeo oppoſui : ſi omnino ineunda foret, *leges in hac cura neceſſariæ* diligenter obſervandæ eſſent : alias malum augerent, quod infantes experiuntur, ſi lac in ventriculo bileſcat aut aceſcat. *Acidulas* hoc malum non ſuſtuliſſe certo novi. *Balneis* non fido, utcunque *Pariſienſes* illa laudent, *Purgantia* prorſus non conveniunt, imprimis in hoc caſu, ubi novies diei naturalis ſpatio affligit : turbant enim & agitant humores, paroxyſmos accelerant, ut experientia jam in hoc puero docuit.

Setaceum crudele remedium eſt & permoleſtum : magis probarem *fonticulum in alterutro brachiorum,* non in pedibus, ut ſæpius ſuperveniens eryſipelas diſſuadet: in concurſu ſuturæ coronalis & ſagittalis fruſtra excitatum novi.

Veſcatur cibis boni ſucci & facilis coctionis : vitentur omnia, quæ M. S. acrem reddunt, ut valde ſalita, aromatibus nimium condita, in butyro frixa, dulciaria, nimis acida : nocent fructus crudi. Per annos ipſis penitus vinum detraxi, nam valde damnoſum eſt : ℥j. *radic. chin. vel lign. viſc. q. coq. in menſ. j. aq. font.* gratius redditur *add. paſſul. major. aut Corinth. & ſem. fœnic.* Imprimis cavendum, ne ad iram provocetur aut terreatur. Succeſſum rurſus edoceat.

OBSERVATIO CXXVI.

Catalepſis in Epilepſiam degenerans.

Hiſtoria morbi Baſileâ transmiſſa ſub finem Octobr. 1689.

Mercatorem annor. 43. ſtaturâ mediocri, habitu corporis macilento, facie fuſcâ, pilis nigricantibus, ſubtriſtem, meditabundum, ad iram proclivem atque induſtrium admodum poſt febrem continuam acutam, quâ ante annos xiij. laboraverat, antequam perfectè ad ſe rediiſſet, laboribus & vigiliis nimium indulgentem Ecſtaſis levior cum dolore à capite, totum corpus ad extremos uſque digitos ſubito pervadente prehendit, & quandoque menſe uno, quandoque ſex ſeptimanis elapſis rediit: progreſſu temporis malum ſenſim & gravius & frequentius invaſit, ita ut tandem ſingulis diebus & aliquando ſingulis horis rediret, maxime prægreſſo iræ atque laborum exceſſu: ante biennium æger dormiens convelli cœpit, abſque quod expergefactus ſibi in ſomno aliquid accidiſſe meminerit, licet lingua non leviter eſſet admorſa; hinc ecſtaſibus modo levius modo gravius, nullo ordine, at frequenter affligentibus, *Menſe Julio* 1688. *ad Thermas Fabarienſes* ſe contulit atque ex earum potu non parum levaminis perſenſit, inde promotus nupera æſtate ad aquas easdem reverſus à malo ſe perfecte liberatum iri ſperabat; at poſtquam in itinere irâ non levi fuiſſet commotus laboresque graves pertuliſſet, aquâ cœleſti undique perfuſus domum rediit: poſtero die horâ 2. matutinâ ſenſu omni intercepto indebitè ſe in lecto quadrantis horæ ſpatio commovit, oreque intus & extus pituitâ plurimâ perfuſo linguam graviter momordit: elapſo octiduo horâ 5. matut. paroxyſmus rediit, quem horâ 6. gravior priore excepit. Paucis poſt diebus *ad nundinas autumnales Zurzacenſes & hinc ad Francofurtenſes* ſe contulit, atque tum iter tum negotia feliciſſime confecit, ita ut integris tribus menſibus à malo immunis extiterit: at *d.* 21. *Octobr.* 1689. mane domi deambulans ſubito concidit, & ſpatio quadrantis horæ abſque ullo ſenſu & loquelâ jacuit cum inordinato capitis & membrorum motu &c.

Cæterum appetitus conſtat, licet ventriculus admodum nauſeabundus pituitam viſcidam quandoque copioſiſſime ejiciat: functiones omnes bene habent, præterquam quod æger admodum vertiginoſus ſit, qui veritus, ne malum altiores agat radices atque indies ingraveſcat, flagitat *Conſilium*, quâ ratione immunis ab illo evadere queat.

Die 9. *Novembr.* 1689. *ipſe Dominus Æger me convenit Baſileæ & ſequentia retulit.*

Catalep-

Catalepſis ſeu ecſtaſis non diu poſt febrim invaſit, putavit leve deliquium eſſe: domeſtici adſcripſerunt malum largiori comeſtioni poſt febrim. Invaſit ipſum ſubito citra aliquem prodromum, niſi quod putarit in principio velut auram frigidam à cerebro ad truncum & artus deſcendere, quandoque inſtar auræ calidæ, nonnunquam excitavit ſenſum formicationis in pulpis digitorum: etiam ante inſultum ecſtaticum vertiginoſi quid ſenſit ſubinde: ſæpe ipſum catalepſis inter diſcurrendum, aliquando dum alicui condoluit, invaſit: in ſermone ſubſtitit, ſenſibus internis & externis privabatur ad finem inſultus: poſt illum aliquando paulo ante dictorum & factorum recordatur, aliquando non niſi monitus; aut ſi in ante acta inquiſivit. Invaſit ipſum aliquoties noctu, ut inde expergefactus fuerit.

Obſervavit aliquando ſibi paulo ante Catalepſin viſum obſcuratum fuiſſe. Poſt ultimum paroxyſmum epilepticum rarius illam paſſus eſt. Dum epilepſia ipſum in uno mane bis invaſit, poſt primum paroxyſmum ſurrexit, veſtes induere voluit; monitus lectum repetiit, mox ſecundus ipſum invaſit: poſt omnes paroxyſmos epilepticos hactenus omnium immemor fuit, nec ſciviſſet ſe illo afflictum fuiſſe, niſi morſu linguam vulneraſſet: non fit poſt illum laſſus.

Pridem valde cephalalgia affligebatur prope per annum; remiſit nunc penitus. *Fonticulum* habet à ſex annis. *Scarificationem* admittit *alternis menſibus biduo ante novilunium.* Vertiginem patitur jejuno & vacuo ſtomacho, ſed non validam. Multum ſalivat: pituitam magis forti ſcreatu, quam vomitu ejecit. Naſus frequenter humidus eſt. Paroxyſmos accelerat irâ, ingenii laboribus: alias in victu moderatus eſt: vini potu non excedit: illud aqua diluit. A biennio acetaria vitavit. NB. Memoriam *ante potum Thermarum Fabarienſium* imminui ſenſit: illam hæ repararunt, antea alias præſtantiſſimam. NB. In ecſtaſi vidètur motus oculorum, brachiorum & oris.

Analyſis.

PRimus affectus Catalepſis, non aliqua leipothymia videtur, quia ſive ſtans ſive ſedens ſenſibus externis & internis privabatur citra caſum aliquem aut inclinationem ad latus, & poſt pauca momenta ad mentem rediit, & quandoque recordabatur ante inſultum dictorum aut factorum; imprimis ſi vel monebatur de illis, vel proprio inſtinctu in illa inquirebat.

Alter qui ſupervenit affectus, vera Epilepſia eſt, nam cum abolitione ſenſuum externorum & internorum conjungebatur motus muſculorum involuntarius & violentus, ut linguam momorderit.

Cauſa utriusque intra cranium reſidere videtur, nam utcunque ca-

talepſin præceſſerit vertigo, obtenebratio viſus, deſcenſus auræ nunc calidæ, nunc frigidæ à cerebro ad partes infernas, nihilominus tamen id rarius obtigit, inſuper illa tam crebro evenit & in una hora pluries, ut vix credibile, cauſam tam ſubito aliunde in cerebrum deferri poſſe: eandem ob rationem veriſimile admodum eſt, cauſam epilepſiæ intra cranium latere, quod confirmant vertigo jejuno & pleno ventre eveniens, cephalalgia per annum durans & invaſio ſine ullius prodromi ſignis.

Cauſa Catalepſis videtur vel humor tenuis vel vapor eſſe, ſpiritus animales in ſede ſenſus communis ſubito ligans ac in motu impediens, non congelando; nam non tam citò ad mentem redire potuiſſet, ſed fibrillas medulloſæ ſubſtantiæ vellicando atque illorum motum impediendo, nam aliquando ſentit auram ad extremas manus in paroxyſmo expandi, ibique ſenſum formicationis excitare: magis acrimoniam aliquam huic ſive humori ſive vapori ineſſe, evincit tandem ſuperveniens epilepſia. Huic corpori acri aditus ad intima cerebri paratus fuit, dum poſt febrim ſuperatam cerebro adhuc debili exiſtente largius comedit, meditationibus indulſit, ad iram provocabatur &c.

Affectus iſte pertinax eſt & curatu difficilis, ut ſolent omnes nervini eſſe eoque magis, quia jam à decennio durat & Catalepſis ſæpe breviſſimis intervallis rediit. Spes tamen curationis benedicente Deo ſupereſt, quia *Dominus Æger* temperanter vivit, ſi modo ſtrenue *congruis medicamentis* uti perrexerit.

Suaderem ipſi præ omnibus *Antiepileptica.*

1mo ℞. *Cinnab.* ♁ *cum cinnab. nativ. Ungaric. ſexies ſublimat.* ʒij.
C. C. ph. ppt. ung. alc. ppt. āā. ʒiij.
⊖ *C. C. rectif.* ℈j. *ol. N. M. expr. gr. ij.*
Sacch. albiſſ. ℥ij. *Mſc. F. p. ſ.*

Doſis mane ʒß. *cum aq. flor. til. Poſt ſumtum pulv.* maneat in lecto per hor. ij. ſurgens comedat juſculum.

2do. ℞. *Rad. valerian. ſylv.* ℥ß. *rad. pœon.* ʒiij.
C. C. ph. pp. oc. ♋. *pp.* āā. ʒij. *ſuccin. alb. pp.*
Matr, perl. pp. āā. ʒj. *ol. ſuccin. rectif. gtt. ij.*
Sacch. alb. ℥iiß. *Mſc. F. p. ſ.*

Doſis ʒj. *veſperi duabus horis ante cœnam.*

Singulis menſibus toti cuti NB. capillatæ ſolùm applicetur Emplaſtr. Veſicator. Horſt. inſtar cucuphæ, relinquatur horis 8. Probe caputio lineo caveatur, ne loco cedat. Remoto emplaſtro imponatnr fol. braſſicæ capitatæ quotidie bis, donec manare deſinat: poſtquam cuticula exaruerit & ſeceſſerit, emplaſtr. veſicat. repetatur. *Vere*

Vere & Autumno purgari poterit infuſ. ſenn. agar. rhabarb. in colatur. ſol. mann. ℥iß *vel* ℥ij. Poſtea *V. S. ſcarificationes alternis menſibus triduo ante vel poſt novilunium* repetat.

Purgantia ex ſcammon. gialapp. aliisque fortioribus omittat; imprimis fugiat *Emetica ex* ♁*io.*

Fonticulum apertum ſervet.

Veſcatur cibis boni ſucci & facilis coctionis: *lign. viſci, cujuscunque generis ſit,* ℥ij. *coq. in aq. font. Menſ. ij.* hoc vinum diluat. Ab ira & curis ſibi caveat.

Poſt meum abitum ſtatim correptus fuit paroxyſmo: poſtea uti cœpit *medicamentis præſcriptis* cum tanto commodo, ut nunquam redierit: *Anno* 1690. *Menſ. April.* profectus eſt *ad nundinas Francofurtenſes:* bibit *de rad. pœon. in vin. & aq.* ãã *p. æq. infuſ. Veſicatoria* noluit admittere.

Die 31. *Octobr.* 1690. *D. D. Wetſtein ſcribit:* commode & utplurimum bene ſe habet: noctu ſubinde inſcius illo correptus fuit: agnovit ex lingua morſu læſa mane.

OBSERVATIO CXXVII.

Epilepſia imminens.

N*Obiliſſima Virgo Chriſtina N. N. Excell. D. D. N. N. Conſiliarii primarii, Sereniſſimi Domini Marchionis Durlaco-Badenſis Filia,* annos nata XVII. robuſta, bene colorata, vegeta, nunquam adhuc menſtruata, jam à biennio noctu ter quaterve in ſomno corripitur quaſi Catalepſi, in qua expergefieri nequit; aut tandem expergefacta trunci inſtar jacet. Acceſſerunt jam aliquoties motus convulſivi artuum, labiorum, oculorum &c. nunquam tamen hactenus linguam momordit, aut dentibus ſtriduit, poſt paroxyſmum aliquandiu omnium ignara & ſtupida manet. Malum hoc ante biennium incepit. Invadit ipſam ſubinde noctibus 8. vel 10. ſibi ſubſequentibus: poſtea per ſeptimanas duas aut tres ab illo immunis eſt. Paroxyſmi non ſecundum certas lunæ phaſes invadunt; nunc ſunt breviores, nunc longiores, nunquam tamen horam excedunt, neque etiam interdiu illos paſſa eſt. Noctu quandoque declinari poſſunt, ſi ſtatim excitetur. Si interdiu paroxyſmum patiatur, leipothymiæ ſimilis eſt. *Variis medicamentis* uſa eſt *antiepilepticis, menagogis, etiam chalybeatis;* ſed incaſſum

omnia adhibita fuerunt : uſa eſt quoque *Cinnabarinis ex conſilio Clar. Wedelii;* verum illa plane tolerare nequiit. Suaſæ fuerunt ab illo *Thermæ Embſenſes pro inſeſſu & ut potarentur. Quæritur, an proficuæ futuræ ſint?*

Balneum non bene approbavi, cum ante fluxum menſium parum juvet; ſæpe malum gravius ſequitur. Quia *Thermarum iſtarum* conditio mihi ignota eſt, nolui *illarum potum* ſuadere.

Suaſi ipſi die 20. *Maji* 1691.

I. *Ab ultima quadra lunæ ad novilunium uſque primo mane ſumat limaturæ chalybis puriſſimæ & ſubtilis gr. j. hinc ſingulo mane addat unum granum, donec ad VIII. pervenerit, ſumat vel in aq. meliſſæ vel pulegii ſine vino deſtillata, non in vino. Die IX. chalybis uſum omittat, uſque ad ſequentem quadram ultimam lunæ; poſtea illum repetat ad novilunium uſque.*

II. Dum *chalybe* non utitur, ſumat *ſingulo mane* ʒj. *cum aq. flor. til. vel pœon.*

℞. *Rad. valerian. ſylv.* ℥ß.
pœon.
C. C. ph. ppr. ãã. ʒij.
Ungul. alc. ppt. ʒj.
⊖*is vol. C. C.* ℈ß.
Ol. N. M. expr. gr. iiij.
Sacch. albiſſ. ℥ij *M. F. p. ſ. d. ad ſc.*

III. Poſt novilunium die tertio duabus horis à parca cœna ſumat *X. vel XI. pilulas cubitum itura cum ſyrup. flor. pœon.*

℞. *Extr. cochiar.* ℈ij.
aurear. ʒß.
caſtor. gr. iiij.
Ol. ſuccin. gtt. ij. M. F. c. ſp. ceraſ. n.
Pil. No. xxxvj.

IV. *V. S.* repetatur *tribus diebus poſt novilunium alternis menſibus.* In diebus canicularibus *V. S.* omittatur.

V. Bene faceret, ſi vinum & cereviſiam fugeret. *Radicis viſc. querni* ʒij. *cum paſſul. major. exac. in libris quatuor aquæ fontanæ ebulliant per quadrantem horæ, poſtea colentur.* Bibat *de hoc decocto* pro lubitu in & extra paſtum.

Niſi cavebitur, in Epilepſiam degenerabit.

OBSER-

OBSERVATIO CXXVIII.

Epilepſiæ principium.

R. *D. P. Michael N. N.* 30. annorum. Circa 18. ætatis annum ſtudio Rhetorico abſoluto vertigine corripi cœpit, ut ex alto deſpicere non auſus fuerit, quod antea præſtare omnino potuit. Imo horrore corripiebatur, quoties alios hoc auſos fuiſſe conſpexit. Circa 23. ætatis annum, quoties ad Altare ſublimius miniſtrabat, pedes doluerunt ac lapſum aut caſum verebatur, quod iterum evanuit. Circa 24. ætatis annum cum in Schola occupatus eſſet, idem malum rediit, ut ſæpe hoc metu in menſe affligeretur per dies aliquot. Hinc ad 26. ætatis annum ab hoc metu & vertigine liber erat. Unde *Veldkirchium* profectus eſt, ubi ſæpe admodum vertigine affligebatur; maxime aliquando toto tempore jejunii ad æſtatem uſque: aliquando diu remiſit. Sæpe etiam ſubitum tinnitum aurium expertus eſt. *Circa* 20. *Jul.* 1668. cum ob hoſpites aliquot prægreſſis noctibus parum dormiret, & mane antea nunquam aſſuetus paulo poſt ceu leipothymia correptus humi proſtratus fuit, breviter ad ſe rediit, relicta laſſitudine ſpontanea. *D.* 30. *Jul.* cum ſociis aſcendit montem altum ibidem: comedit cibos frigefactos, bibit vin. ceraſ. ac. imbutum, admodum ex motu incaluit: domum redux ebibit fere menſuram frigidæ: cubitum iturus *pediluvio frigido* uſus eſt: poſt prævia multa & diu durantia indicia ſedens iterum in quandam leipothymiam incidit, quæ breviſſimo tempore perſeveravit. *Die* 3. *Octobr. & d.* 21. *Novembr.* redierunt iidem paroxyſmi. Omnes ſunt breves: *Illitu balſami, aſperſione frigidæ, aut concuſſione corporis* brevi ad ſe redit: ante inſultum in capite omnia turbantur, nigra oculis obverſantur. Juvenis 8. annorum in cellam profundam lapſus eſt, ac in facie ab oculo ad labia vulneratus fuit, ut etiam oculi jacturam fecerit pupillâ diſtortâ & cicatrice fœdatâ. Juvenis ſæpe leipothymiam paſſus eſt. Imminet ipſi adhuc *à V. S. & purgatione.* NB. In paroxyſmo mentem amittit: facies aliquando expalluit: aliquando erubuit. NB. Bibit in cella.

Reſolutio.

QUia mentem amittit, graviter caput læſum conſtat, quia rubor & nativus color manet per ſe illæſo corde: quod confirmat etiam prægreſſa vertigo. Nec ventriculus in culpa, quia raro ante paroxyſmum vomiturit. Caput inſuper debile arguit lapſus ex alto in juventute. Cor autem facilius conſentit, quia ad leipothymiam alias pro-

nus

nus eſt. Cavendum ſummopere, ne in Epilepſiam degeneret. Itaque *ſingulo mane* ſumat

℞. *Rad. pœon.*
valerian. ſylv. ãã. ʒvj.
Sem. pœon. ʒj.
Cran. human. pp.
Ungul. alc. pp. ãã. ʒiß.
Corall. r. ppr. ʒij.
⊖ *volat. ſuccin. gr. vij.*
Pulv. epilept. March. ʒij.
Tab. man. Chr. perlat. ℥j.
Mſc. F. pulv. ſubtil.

Doſ. ʒj. *M. hor. 6. & V. hor. 5. cum cochl. iij. ſeq. Mixtur.*

℞. *Aq. lilior. convall.*
pœon.
ceraſ. nigr. ãã. ℥iij
epilept. Lang. ℥j.
Syr. de rub. Id.
pœon. ãã. ʒvj.
Spir. ⊖ *gtt. iiij Mſc.*

Verticem inungat *balſ. ol. N. M. ſuccin. &c. purgetur ſemel in ſeptim.*

℞. M*Pil. Myller.* ʒj.
Extract. pilul. cochiar.
aurear. ãã. ʒß.
Magiſt. Gialapp. ℈j.
Ol. d. ſuccin. gtt. iij. Spir. ceraſ. q. ſ.
Mſc. F. Pil. No. 70. de ☉. *& conſpergantur pulv. cinamom.*
Doſ. No. vij. vel ix. duabus hor. ante prandium.

In cibo vitet omnia caput replentia, coctionem nidoroſam facientia. Vinum diluat *decoct. chin.* A ſtudiis nimium ſeriis abſtineat.

Die 5. Apr. 1669. ſcribit aures quandoque adhuc tinnire: quando ab alto ſpectat aut in multitudine hominum verſatur, vertigo aliquando concitatur cum timore, cordis palpitatione, pedum tremore, non tamen ſemper. Quando in lecto humilius decumbit, vertigo remittit, leipothymia vero imminet. Conſtipationi obnoxius eſt. Quando in victu peccat, & ſequenti die intenſius ſtudet, facile malum rediret. Hactenus quinquies prodromi aderant, ſed nunquam in nervum

erupit

erupit malum penitus, nec leipothymia ſupervenit: at ſemel quidem ſatis vehementer, nam oculi obtenebrati fuerunt, aures tinniebant, cogitationes turbabantur, ambulare tamen & ſtare potuit, duravit tam diu, ut aliquis centum numerare valuerit. Poſtea ceſſavit & taciturnus factus eſt. Cætera bene habet, appetit, bene dormit: in ſiniſtrum latus decumbere nequit. Aliquando ægrius deglutit, er förchtet er erſtirre. Scribit ſibi memoriam labaſci.

Reſpondi: Etſi plus timoris apud affectum hunc ſit quam periculi, majoris ſecuritatis causâ ulterius pergendum ad dies caniculares uſque *cum pulv.* & ▽ nam huic morbo fidendum non eſſe. Sputum quod ad fauces delabitur & quandoque gryſeum ejicitur nihil mali portendit, oritur nempe à fumo candelarum: decubitum medium eligat: ſumat *pilulas ſing.* 14. *dieb. Pulv.* etiam memoriam roborat. Excutiat metum: animum ſumat &c.

OBSERVATIO CXXIX.

Epilepſia.

N*Ob. Matrona Eiſ.* annorum prope 50. nupta fuit anno ætatis 19. anno ætatis 30. in primo matrimonio ob mœrorem potiſſimum correpta fuit ſymptomatibus hypochondriacis & nervinis, vertigine, palpitatione cordis, dolore hypochondrior. ſiniſtr. propter quod *D. D. Faber Heilbronn.* impoſuit *Emplaſtr. ſplenetic.* cum fructu, & hyſterico, doloribus capitis & artuum, ſtupore quodam in apice digitorum, ut nec nere, nec fila ducere potuerit. Curata fuit *ab Excell. D. D. Möglino Patre*. poſtea aliquot annis ſana fuit. Anno ætatis 44. quædam horum ſymptomatum repullulare cæperunt: imprimis correpta fuit dolore capitis & brachiorum veluti ab eryſipelate, Gewülch, aufferebatur *diaphoret.* atque uno alteroque ſudore provocato: rurſus quoque ſtupor ille digitorum apices ineptos ad nendum aut fila trahendum reddidit: vertigo jejuno ventriculo, non tamen tanta erat, ut illam magni faceret, credidit ſe ſanam eſſe, noluit diætæ regulis adſtringi. Circa hoc tempus tragici duo caſus familiam afflixerunt: primus honores ejus tangebat: quoad alterum à militibus latrocinantibus & prædatoribus 1689. graviter percuſſa fuit in capite, facie & brachiis: imprimis naſus contuſus fuit, unde adhuc oſſa parum hiant: ab his caput debilitabatur & animus non parum dejiciebatur. *Menſe Dec.* 1689. cum aliquot diebus ex vini fœcibus ſpiritum proliceret & *d.* 7. *Dec.* candelas ſebaceas toto die conficeret, ſubito circa 5tam veſpertinam loquelæ impotentiâ & ſenſuum detentione corripitur, ad

lectum deducitur, convellitur. Poſt vehementem hanc convulſionem manſit torpor quidam, cephalalgia inſignis, vigiliæ, oblivio omnium, imprimis nominum, ut nec maritum compellare noverit per plures dies. Paroxyſmus iſte tertiâ vice rediit: evanuerunt ſenſim iſta ſymptomata & poſt aliquot ſeptimanas credebatur ſana. Poſt has inducias ipſam ſecundum lunæ phaſes imprimis circa novilunium invaſit, aliquoties etiam circa plenilunium non æquali vehementiâ.

Iracunda eſt, ſed non iræ tenax: memoriâ ad ſtuporem valuit; ſumme induſtria: 13. liberorum mater: feliciter peperit: ſaniſſima habuit puerperia: menſes ſemper hucuſque ritè fluxerunt.

Excell. D. D. Philippus Fridericus Jäger Phyſ. Gröningenſis ſtatuit ejus M. S. abundaſſe particulis ſalino ſulphureis volatilibus, variis autem caſibus ligatas, ſuppreſſas, tandem ab acido acri ſubjugatas fuiſſe: unde orti ſint motus ſpaſmodici, palpitationes cordis, menſes nimii, lachrymarum profuſiones ſine cauſa, palpebrarum & pedum intumeſcentiæ.

Exc. D. D. Salomon Reiſel. D. D. Burkhard. Möglin. D. D. Philip. Frideric. Jæger in Conſilio ſuaſerunt:

I. ℞. *Flor. acac. perſic. viol. mart.* ā̄ā. *p. ij.*
Rhabarb. el. ʒiij. *Paſſul. Corinth. M. j.*
Mann. Calabr. ℥ij. *cinam. ac.* ʒj.
Inciſ. & contuſ. affund. aq. font. ℔ij. *calidè.*
Hujus infuſ. ℥iij. *bibantur mane: aliâ vice plus vel minus prout laxarit.*

Poſtèa *V. S. in pede d.* Reliquum *poſt V. Snem* ebibatur.

II. ℞. *Rad. valerian. ſylv.* ʒiij. *Lumbric.* 🜄*r. ppr.* ʒj.
Cinnab. nativ. ℈j. *Elæoſacch. citr.* ʒiij. *Mſc.*
Div. in 8. *doſ. æq. dent. ſing. ad chart.*
Poſt uſum juſcul. alterat. ſumat *M. & V. doſin cum aq. flor. til.*

III. *Pro juſcul. alterat.* ℞. *Herb. chelidon. min. acetoſ. acetoſell. tarax. flor. til. acac.* ā̄ā. *M. j. Mſc. Harum M. j. coq. in* ℔ß. *juſcul. carn. non ſaliti. Bibatur Mane ac Veſperi hauſtus.*

IV. *Tragæam.*

V. *Pilulas, quarum* ſumat 9. *ad ſingulas lunæ mutationes:*

℞. *Extract. rad. pœon. valerian. ſilv.* ā̄ā. *gr. xxiiij.*
caſtor. gr. vj. papav. err. gr. xij.
Cinnab. nat. gr. xij. ſyr. pœn. q. ſ. Mſc.
F. Pil. No. 90. *conſperg. pulv. cinamom.*

Paro-

Paroxyſmi 6. *April.* die quarto poſt plenilun. *d.* 8. *Maji.* die ſeptimo poſt plenilun. *d.* 3. *Jun.* die tertio poſt novilun. *d.* 16. *Jun.* in ipſo novilun. *d.* 24. *Jul.* qoſt ultimam quadram : *d.* 14. *Aug.* die poſt novilun. *d.* 29. *Auguſt.* pridie ante novilun.

Die 15. *Sept.* 1691. *mecum rhedâ vehebatur Stutgardia per horas tres.* Eſt ſtaturæ juſtæ, carnoſa, macilentior ſolito, venas turgidas habens : appetit ſatis bene, ter in die comedit, nam perſuaſa nunc mane jentaculo fruitur, pridem crudis fructibus avide veſcebatur, ab anno non comedit de acetario : delectatur braſſicâ muriâ conditâ, ſibi à vino temperare novit, à cibo non gravatur, nunquam mane vomit, alvus aperta : facilè ſudat : ante paroxyſmum dolet in nucha & in utraque mala : ſpiritus animales turbantur : *Eſſentia caſtor. camphorat.* tempeſtive ſumta paroxyſmum declinare poteſt, aut his apparentibus, antequam convellatur, lectum aſſequi valet. Convulſiones durant nunc longius nunc brevius, ſæpe ſolum ad 4. P. N. Nares ſemper ſiccas habet, ut in hebdomade vix ſemel opus habeat ſtrophiolo ad nares mundandas.

Reſolutio.

MAli radix videtur eſſe mala conformatio in baſi cranii præcipue ibi, ubi poſt ſellam equinam oriuntur nervi tertii & quarti paris, nam ante inſultum linguæ motus impediebatur, nec loqui poterat, malæ ambæ dolore quodam tenſivo corripiuntur : dolet etiam nucha, nam ab his ramis ſurculi quoque cum cervicalibus miſcentur. Ipſum cerebrum in conſenſum rapitur, nam ante inſultum percipit quandam perturbationem ſpirituum animalium, etiam vertiginem : poſt paroxyſmum abolita jam aliquoties fuit memoria, ut rerum notiſſimarum Ex. gr. Mariti nominis &c. obliviſcatur.

Qualis ſit conformatio aut qualis διάθεσις in hoc loco vix exprimi poteſt : verùm vix negari poteſt, his in locis laxitatem quandam adeſſe, quia malum per intervalla redit; adeſt præſente humore irritante; ceſſat illo propulſo aut diſcuſſo. Humor vellicans non poteſt alius eſſe, quam ſerum, quod ſolum in his locis colligi & plenè rurſus diſcuti poteſt. Non tam peccat qualitate, quam quantitate & loco ubi p. n. detinetur, nec ſolitò cum reliqua lympha reſorbetur & ulterius promovetur; non tamen negandum illud ob moram acrius fieri : nam omne ſerum acre eſt etiam in ſaniſſimis, diſſipatis tamen aqueis, fit ſalſius.

Facilius in hoc loco ſtagnat, quia prope continuo nares ſiccas habet, cum in illo loco nervi oriantur, qui naribus proſpiciunt : alibi glandulæ poroſæ ſunt & humores hauſtos promte emittunt, unde facile ſudat

ſudat & ob leves, non raro nullas cauſas in lachrymas ſolvitur. Non valde vitioſum ſerum producere poteſt, quia bene chylificat, appetit, à cibo non gravatur, non eructat, non vomit manè : non ſitit : alvus rite aperta eſt : bene ſanguificare docet color faciei vividus, ordinatus menſtruorum fluxus &c.

Conformationis vitium attulerunt mœror potiſſimum, nam anno ætat. 30. ob mœrorem contractum à metu, dum ſuſpicabatur marito ſuo primo infortunium obveniſſe, quia aliquando ſtato die non domum rediit, unde jam tum ſymptomata nervina patiebatur : ante hunc inſultum bis ſummo mœrore afficiebatur ; inſuper ultima vice caput & facies fuſtibus & pugnis imprimis naſus contundebantur. Quoniam cauſa in baſi cerebri ſeu loco admodum profundo & abſcondito detinetur, curationem difficilem reddit, & poſtulat diligentem & diu continuandum *medicamentorum* uſum.

Suaſi 1. ℞. *C. C. phil. ppt.* ʒij. *Diaph.* ♃*l.*
Succin. alb. ppt. ung. alc. ppr. ãã. ʒj.
Cinnab. nativ. Ung. ʒß. ⊖ *vol. C. C.* ℈ß.
Ol. N. M. expr. gr. iiij. ſacch. ℥iß. *Mſc. F. p. ſ.*
Doſis mane ʒß. *cum aq. flor. til. pœon. ceraſ. dulc.*

2. *Ad quamlibet lunæ phaſin* ſumat ʒj. *Rad. valerian. ſylv.*

3. *In quolibet novilunio V. S.* ſed parum emittatur. Vitet vinum: bibat *decoct. lign. viſc. q. laxetur ſyr. roſ. ſ. cum Extr. diacartham.*

Propter dolorem nuchæ collum muniat *linteis calefactis & flor. calendulæ & ſuccino perfumatis* : antea inungebatur *oleis nervinis*, verum magis profuerunt *lintea fumo pulv. D D. Haugen imbuta.*

A d. 17. *Sept.* 1691. uti cœpit *meis medicamentis*, quæ putavit ſibi levamen afferre : poſtea minus arriſerant, atque illis nauſeam quandam adſcripſit ; nihilominus illorum uſum continuavit : *d.* 25. *Sept.* biduo ante plenilunium vomituriebat & aliàs difficilis ad vomitum, parum muci cum valido nixu egeſſit.

D. 27. *Sept.* in ipſo die plenilunii ſumſit ʒß. *Rad. Valerian. ſylv.* quia *radix pœon.* ipſi palpitationem cordis, inappetentiam &c. effecit aliis vicibus : *hac radice* aliis ſpaſmodicis permixta.

Die 28. *Sept.* bene ſe habuit toto die, niſi quod ſolito moroſior eſſet : veſperi horrorem quendam percepit, lectum petiit, caput perturbabatur & dolebat in vertice ut illum attingere non auderet : de dolore quodam memorabatur : poſt cœnam delira loquebatur, mox

ut

ut aliis vicibus motus convulſivi in facie apparuerunt, oculi varie pervertebantur, labia torquebantur; paulo poſt primùm caput ad latus, hinc retrorſum trahebatur & aliquandiu retractum manſit, artus tendebantur tenſique permanſerunt & quoque ſuccutiebantur. Capitis torſio ſemper ad finem paroxyſmi perſtitit.

Paroxyſmi incipiunt cum voce incondita vel quaſi cum boatu reſpirat anheloſe. Intra dimidiam horam tres paroxyſmos paſſa eſt: quilibet duravit ad octantem horæ. Ceſſarunt, quamprimum caput non amplius retrorſum aut ad latus trahebatur. Reſpiratio eſt cum quodam ſtertore aut ſtridore, ſimulque ſpumâ os operitur. Poſt hos paroxyſmos valde inquieta fuit, ut vix à quatuor detineri potuerit; duravit iſta inquietudo 4. horis. Non compos mentis fuit ad ſummum mane *d.* 29. *Sept.*

Poſtquam mentem recuperavit, querebatur de dolore colli & fœmorum, de quibus adhuc querebatur *d.* 30. *Sept.* NB. Poſt paroxyſmum oculus dexter valde rubuit, inſtar panni: palpebra inferior quoque tumuit, ſed erat concolor. Poſt paroxyſmos dabatur quamprimum licuit *Aq. antiepilept. & Theriac. cœl. gr. ij.* unde quievit: ſiticuloſior erat. NB. bibit hactenus vinum, ſed pauxillum & aqua dilutum.

Reſolutio.

PErturbatio ſingularis ſpirituum animalium ante paroxyſmum, ipſa invaſio in capite ſcil. in facie, oculis, labiis incipiens, retractio capitis ad latus & retrorſum, boatus, ſpuma oris & poſt paroxyſmum abolitio memoriæ durans ad 8. vel plures horas, omnino probabile faciunt ſedem cauſæ epilepticæ eſſe intra cranium circa baſin cerebri & cerebelli: oculi dextri rubor & tumor palpebræ inferioris concolor ſigna ſunt ab interiori vitio intra cranium hoc factum fuiſſe, nam nullus livor conſpectus fuit, quem aliàs ſtatim à levicula alliſione contrahit: hanc ob cauſam *antiepilepticorum uſus* ſtrenue continuandus: ne *pulverem* faſtidiat, nulla alia ei admiſcenda exiſtimo; verum ut efficaciora exiſtant, *hanc aquam* adjungerem.

℞. *Rad. valerian. ſilv. rad. pœon. ana.* ℥iß.
Semin. pœon. integr. ℥ß.
Fol. roriſm. ſalv. beton. ana. M. vj. Flor. til. pœon. ana. M. ij.

Inciſ. & contuſ. affund. aq. fervidiſſ. ℔viij. *poſt infuſionem circiter horæ unius ſtatim deſtilletur: ad uſum ſerventur tantummodo* ℔v. *primum prodeuntes. In hujus aq. cochl. j. vel ij. ſumatur pulvis & inſuper ij. vel iij. cochl. ſuperingerantur: ſi forte aqua hæc flatus pariat, ejus* ℥iiij. *add. Elæoſacch. citr.* ʒj.

 2. *Rad.*

2. *Rad. valerian. ſilv.* utatur *præſcripto modo.* Si ingratior videatur, *add. Elæoſacch. citr.* aut quod præſtaret *Elæoſacch. ſuccin.*

3. In paroxyſmo *ſpir.* ♃ *c. urinoſus* naribus : & *liq. C. C. ſuccin.* linguæ illini poteſt : & quamprimum licet *cochl. j. vel alterum aq. antiepilept.* infundatur.

℞. *Aq. flor. til. ceraſ. dulc. pœon. ana.* ℥iß.
Eſſ. caſtor. liq. C. C. ſuccin. āā. ℈j.
Ol. d. ſuccin. menth. ana. gt. j. ſacch. alb. ℥iij. *Mſc.*

quæ etiam aliquandiu poſtea danda eſt.

4. *Fonticuli* reparandi ſunt. Vinum ſerio prohibendum.

OBSERVATIO CXXX.

Epilepſia cum Mania.

ILLuſtriſſimus *Dominus A. J. Comes de N. N.* 21. annor. completè *d.* 17. *Januar.* 1673. Habitu corporis præter ætatis rationem obæſus & carnoſus, ſtaturæ juſtæ : colore ſubfuſcus, labiis rubicundis præditus, capilli caſtanacei coloris ſunt. Ab incunabulis iracundus fuit, nunquam tamen in tenera ætate Epilepſia apud ipſum obſervabatur. Rarius ægrotavit : morbillos & variolas paſſus eſt : ſemel ex pleuritide decubuit. Alios morbos nunquam expertus eſt. Ætatis anno 15. *Romam* profectus eſt ac diu *in Collegio Romano* vixit, ubi multa indoli ipſius generoſæ adverſa fiebant, dum *Miniſter* multa ad ipſum *monachicè* humiliandum moliebatur ac efficiebat, ut *ab Illuſtr. Dominis Domino Avo & Domino Parente* verbis & epiſtolis gravibus terreretur, unde incidit in quandam ſive Catalepſin ſive Ecſtaſin; nam ſubito à ſymptomate illo ita obruebatur, ut vel ſtans vel ſedens oculos fixos teneret, ac alterutrum cubitum attolleret, ac ita ſublatum immobile teneret, quin etiam labia incurvaret : duravit paroxyſmus per breve momentum ſcil. tam diu, quam quinquies Precatio Dominica pronunciaretur : illo ceſſante omnium ignarus, ac ſi quoque aliquid epileptici lateret.

Ab hoc ſymptomate *induſtriâ Excell. D. D. Mülleri Lindavienſis* liberabatur *Pulv. antiepilept. cui Ægagropilar. quid permixtum erat.*

Anno 1671. *Friburgum adiit ſtudii Juridici causâ*, ibique partitis vicibus 10. menſibus commorabatur. *Studium Juridicum* magno fervore & ſummâ animi contentione proſequebatur, atque difficiliora intellectu aſſiduo conatu ſuperare annitebatur, ſemper putans ſe minus

quàm

quàm decet præſtare, unde quoque admodum meditabundus evaſit. *Friburgi* tædio aliquo afficiebatur, quod recidivam juxta impenſa ſtudia non mediocriter acceleravit; jam ab anno obſervatum *Illuſtriſſ. Dominum Comitem* quandoque animi ſenſa non ſine ferocia quadam expromſiſſe; quod tamen non magni fiebat. *Menſe Auguſti* 1672. bibit *Acidulas Ripplisavienſes Nellenburgi.* A dimidio anno à vino abſtinuit: Potus ordinarius *infuſ. cinam. cum ſacch.*

Ante uſum Acidularum Menſ. Aug. 1672. paſſus eſt verum inſultum epilepticum in lecto; nam artus concutiebantur, ut lectus tremeret, ſemet perminxit, linguam momordit; poſtquam ad ſe rediit, omnium ignarus erat.

NB. Aliis vicibus & quidem ſtatim *poſt abſolutas Acidulas* paſſus eſt verum inſultum epilepticum; nam os conſtrinxit, ut dentes divellendi eſſent, pedes ſuccuſſit, pollices arcte manibus incluſit, facies ex rubro livida evaſit, ſpuma os occupavit, poſtquam ad mentem rediit omnium ignarus erat: maculæ rubræ palpebras deturparunt: nam in paroxyſmo facies cum livore intumuerat, ſanguinis motu impedito.

Poſt potum acidularum pedes œdemate tumuerunt.

Sub finem Decembr. 1672. Caput doluit ac de quadam ſpirituum perturbatione conquerebatur, inſuper de hemicrania ſiniſtri ſincipitis ad tempus uſque extenſa. *Die ultimo Decembr.* pedes auffugit *Feldkirchium* geſtans manu gladium vaginâ vacuum; ibique in diverſorio ſemper aut gladium nudatum manu gerebat aut in promptu tenebat: poſtquam ablatus fuit, utramque manum cultris munivit, veritus ſe in vincula conjectum iri: loquebatur varia cum ferocia quadam: rediit Catalepſis vel Ecſtaſis cum convulſione aliqua labiorum: in ſomno aliquando linguam vulneravit: quandoque in paroxyſmo ſtans pedem alterutrum extendebat, qui motu quodam tremulo ſuccutiebatur. Blanditiis domum reductus fuit.

Die 16. *Januarii* 1673. *Ipſum conveni in Arce H - - -* loquebatur mecum de diverſis rebus ſaniſſima mente abſque ulla ferocia: nihil prorſus deliri animadvertere potui. Ait ſe non valde appetere, at cibis appoſitis ſine ulla averſione frui, à cibo non lædi, non gravari, ſe non ſitire, raró eructare, ſe non dolere in hypochondriis, nec quidquam adverſi pati tempore anadoſeos. Unicè ſollicitus erat de ſtudiis; ac an non ad illa redire liceat unquam anxiè ſollicitabatur. Alvus lunâ deſcendente magis morigera, quam aſcendente, facile illam pomis coctis &c. movet. Dum *Feldkirchii* erat, noctu non dormivit: at domi jam bene dormit *d.* 5. *Januar.* quidem cum multis ſuſpiriis. Quando ſomnum

ſomnum ad novem horas continuat, caput dolet, ut & ſi minor ſit ſeptem horis.

Subinde hemicrania ſiniſtra ſed mitior affligit: quando collum flectit ad latus, niſi protinus illud reducat, cum labore ad legitimum ſitum movere valet. A ſomno pomeridiano Paroxyſmus catalepticus acceleratur. Pulſus eſt naturalis: reſpiratio facilis: utcunque obæſus ſit, agilis tamen eſt in pilarum luſu: *bis Vena ſecta fuit*, ſanguis prima vice laudabilis erat, alterâ ſeroſior. Uſus eſt *liquore quodam antiſplenetico:* Item *pulv. cephal. ex ſpec diambr. &c. cum aq. antiepilept.* Naribus haurit *pulv. ex fol. Helleb. n. cum ſacch. alb.* Aſpectus non eſt torvus; nec videtur debito meticuloſior.

Delirium verſatur in eo, quod ſibi imaginetur res altas: aſpiret ad neſcio quos honores: odio proſequatur illos, quos ipſius auſibus adverſari putat: unde erumpit in verba & facta rationi non conſentanea, idque cum furore & indignatione quadam.

Die 7. *Januar.* Licet vehementiſſime excanduerit hodie, nunquam tamen affectum expertus eſt; quamvis prægreſſis diebus ſexies, ſepties imò octies levis paroxyſmus ipſum affecerit: noctu tamen inquiete dormivit.

Die 8. *Januar.* admodum ſibi fuit præſens nihilque prorſus animadverti poterat, quod non ſanæ rationi conſonnm eſſet. *Fonticulum* inuſſi: generoſe tulit. Circa 10. ſumſit *digeſtiv. ex ♀ ⊖-l. ad ℈j.* Excitavit ante meridiem tormina, poſt meridiem perdurarunt ſimulque caput perturbarunt ac dolorem effecerunt. *An acor ⊖-li cerebro & nervoſo generi inimicus ſit?*

Paroxyſmus generari videtur, quando ſerum ſanguinis acidum aut ſalſius vel ſua ſponte movetur, ſe deſpumat aut ſe à maſſa ſanguinea ſeparat, vel concitatur ab ira aut exprimitur attentâ meditatione ac intra poros cerebri admittitur, quia à prægreſſis paroxyſmis jam ampliores redditi ſunt; ibique fibrillas irritat, unde ſpirituum animalium motus inordinatus evadit vel impeditur, & ſenſus interni abolentur, & contra nervi motibus voluntariis imo etiam involuntariis inſervientes, muſculis motum p. n. & depravatum ſeu imperant, ſeu adferunt. Hinc paroxyſmi ab ira & meditatione plerunque breviores, citra anſam evenientes graviores & longiores exiſtunt.

Ceſſant autem paroxyſmi, quia ſerum ſua ſponte mobile & diſſipabile fibrillis ita irritatis accedente motu depravato artuum ulterius propellitur, & extra cerebri pomœria protruſum ceſſat. Adeo ut ob citos inſultus & perfectam ceſſationem exploſio non fingenda ſit. Imo

exploſio

exploſio in longo paroxyſmo plane locum habere nequit, cum momentanea ſit. Item quomodo exploſio poſſet poſt ſe relinquere Cephalalgiam, laſſitudinem ſpontaneam, imo hemiplegiam.

Reſolutio.

AFfectus Epilepſia eſt, ut imprimis ex paroxyſmis jam à 5. menſibus aliquoties perpeſſis nimium quam clarum eſt: priores inſultus catalepticis ſimiles etiam epilepſiam ſapere videntur, quia in illis labia torquere ſolet, brachium flectit, pedes ſuccutit.

Acceſſit nuper aliquid maniaci, nam rationi minus conſentanea loquitur ac peragit idque cum ferocia quadam ſubinde, maxime ſi occurrat unus alterque famulorum, quem ſine cauſa juſta odio proſequitur.

Cauſa proxima ſenſus internos & externos abolens ſubito ſimulque motus convulſivos excitans, erit humor aliquis fibrillas cerebri ad conſtrictionem ſtimulans, unde intra cerebrum ſpirituum animalium motus impeditur, quam ob rem ſenſus aliquandiu feriantur; extra cerebrum verò quidam nervi adducuntur & trahuntur, unde motus convulſivi oriuntur. Paroxyſmi nunc mitiores & breviores, nunc vehementiores & longiores ſunt, prout humor vel paucior vel copioſior eſt.

Humor iſte ſeroſus & aqueus eſt, qui ſolus cum ſanguine interiora ſubire poteſt, ſolusque facile accedit & recedit; ſanguis intra vaſa concluſus hoc non poteſt præſtare: ſi nimius, efficeret cephalalgiam, vertiginem, aut ſtagnans phrenitidem; extra vaſa delirium itidem cum furore. Serum hoc acre eſt, alias non ſtimularet: & acre eſſe probant temperamentum cholericum; actiones maniacis ſimiles.

Abundat hoc ſero *Illuſtriſſimus Comes*, nam facies inflata, citrina, pedes quandoque œdemate tument: ſanguis V. S. emiſſus ſero ſcatebat. Effundi videtur potius in cerebrum, quam in mediam viam ductuum & plexuum nervoſorum aut circa illorum extremitates; nam plerumque ex improviſo citra ullum prævium ſignum ipſum invadunt paroxyſmi: in mitiori paroxyſmo cerebro viciniores nervi ad contractionem ſtimulantur ſcil. oculorum, labiorum &c. cum mentis ablatione: morbum contraxit ex indignatione, ſtudiis nimiis &c. nam dum *Romæ* erat, plurimæ injuriæ ipſi devorandæ erant, quæ generoſo animo non ſine magna indignatione pertulit, unde ſanguis mire agitatus fuit, qui tandem extrema arteriolarum laxavit ac ſero acri largiorem intra poros cerebri introitum paravit: ſerum in dilatatis poris cumularunt intenſa ſtudia, quibus ad altiora ſummo furore aſcendere annitebatur: cumulum auxerunt indignationes vehementes *Ao.* 1672. æſtate & hyeme accedentes, quæ ſæpe tantæ, ut à mania non procul abeſſent.

 Serum

Serum acrimoniam accepit ab hepate fervido, nam à puero iracundus, & à ſucco pancreatico acidiore, nam urina ſæpe vappæ inſtar acorem emittebat.

Affectus iſti, ut omnium morborum nervoſorum mos eſt, difficilis curatu eſt, eoque magis, quia jam per tres annos duravit. Meliora tamen ſperanda, quia juvenis eſt, paroxyſmi ſæpe breves & mites: *à medicamentis* non abhorret, *legibus Medicis* obtemperat.

Indicationes ſunt ſerum acre corrigendum, miteſcendum & edulcorandum, evacuandum, revellendum; ſpiritus animales ferocientes compeſcendos, cerebrum laxius corroborandum eſſe: inſuper diætâ accuratâ novum ſeri acris proventum aut motum vitioſum cavendum eſſe.

Fit his ſatis *Chirurg. Pharmac. & Diæta.*

Suaſimus igitur

1. *Digeſtiv. ex 🜿r. 🜖lat. Cremor. 🜿r. 🜔 abſinth. per vices.*
2. *🜿r. Emetic. Mynſ. ad gr. iiiß. tribus vicibus.*
3. *Pulv. antiepilet. & antimaniac. ex cinnab. nativ. Cinnab. antimon. Magiſt. ♃ ♂t. Ungul. alc. ppr. &c. cum aq. flor. til. ceraſ. add. pauxill. aq. epilept. Lang.*

Commendavit *D. D. Müller magiſt. helleb. nigr. prorſus diaphoret. ſc. plane volatile.*

4. *Purgans ex ſenn. rhabarb. agaric. tamarind.*
5. *Æſtate ſerum lactis alterat. viol. flor. roſ. r. aut acidulas.*

Suaſimus quoque *V. S. in pedibus* plethora præſente: *octo diebus qualibet veſpera* ſumat *Theriac. gr. xv. aut ♃ diaphor.* & pedes immergat *lixiv. in quo cephalic. coct.* ſic *V. S.* felicius cedet.

Scarificationes omittat.

Fonticulus inuſtus fuit *d.* 8. *Januar.*

Spiritus ferocientes ſopiantur *pulv. March. cum Laudan. noctu.*

In diæta vitet aerem pluvium, nebuloſum, gelidum, aut æſtuoſum. Veſcatur cibis boni ſucci, facilis digeſt. Cœna ſit parcior prandio. Vitet imprimis frixa, ſalita, piperata. A vino prorſus abſtineat: continuet *infuſ. cinamom. ℥ij. ſacch. q. ſ. in menſ. j. aq. fervid.*

Motus ſit moderatus. Somnus pomeridianus nocet, Ab ira

&

& indignatione arceatur. Studia impenſa omittat. Alvus aperta ſervetur *clyſterib.*

Ita concluſum d. 7. Januar. 1673.

à D. D. Joh. Friderico Bilgero Med. Campidonenſi.
D. D. Joh. Ulrico Millero, Phyſ. Lindav.
D. D. Joh. Radelmayr, Phyſ. Feldkirch.
D. D. Joh. Georg. Rhem, Phyſ. Feldkirch.
Joh. Jacobo Wepfero, M. D.

D. D. Miller ſcribit d. 15. Martii 1673. Illuſtr. Dominum Comitem premere dolorem ob concubinam Patris, qui nuper iterum *præſente Reverendiſſ. Dno Abbate St. Galli* in maniam erupit.

D. D. Schnorpf. ſcribit St. Gall. de d. 2. Maji 1673. Hactenus *apud Illuſtriſſimum Dominum Comitem* non obſervatos fuiſſe motus convulſivos : quod *his medicamentis* tribuendum putat. Nunc utitur *aq. ſpecifica à Sereniſſima Archiduciſſa Oeniponto miſſa.* Speraret meliora, ſi ab ira ſibi temperare poſſet.

D. D. Miller d. 10. Maji 1673. ſcribit. Ex morbo corporis fieri morbum animi. *Illuſtriſſimus Dominus Comes Parens reſpondit, D. D. Millero.* Iram non provenire, quod Filius ſuccenſeat ſcorto paterno, nam multis demonſtrare nititur Filium non amplius ipſi ſuccenſere, quia plures literas ad ipſum dederit : Iracundiam autem ab humore bilioſo aduſto oriri, quæ evacuanda ſit : & in hujus bilis evacuatione punctum curationis hærere. Iram Filii eſſe erga Dominum Patrem, Fratrem, Officiales : non erga ſcortum, qui ſecus dixerit, mendacii accuſatur.

Reſpondi utcunque remiſerit epilepſia, nihilominus *antiepilepticis* pergendum & vinum per integrum annum denegandum : ſic una opera Mania curabitur.

D. 12. Octobr. 1673. ſcribit Illum Maniacum evaſiſſe, neminemque apud ipſum tutum amplius eſſe. *An vinculis coërcendus ? An in vinculis vena ſecanda ? Quomodo medicamenta danda & qualia? An periculum vitæ ?*

Reſpondi probe cuſtodiendum, etiamſi ſe quietum ſimulet:

Venam in vinculis *ſecandam:* dandum ♀*r. emet.* denegandum vinum. Probo *Eſſent. lap. laz.* Periculum vitæ erit, ſi cibum averſetur.

Tandem plane Maniacus factus eſt, ut cum magna vi *in Illuſtriſſimum Dominum Patrem* irruerit, animo *Dominum Patrem* occidendi: adeo ut vitam vix & non niſi magnâ vi redimere valuerit *Menſe Novembr.* 1673. Hinc quatuor catenis alligatus fuit: ſubinde ad mentem rediit, mox redeunte maniâ, ſupervenerunt tandem ſævæ convulſiones, quibus attritus *d.* 20. *April.* 1674. noctu mortuus eſt.

OBSERVATIO CXXXI.

Eplilepſia cum ſymptomatibus hypochondriacis.

DOminus. *J. G. - - - Bernenſis* 30. annorum, ſtaturæ juſtæ, gracilis, ſubpallidus, cœlebs, in potu nullum unquam exceſſum commiſit: tardus eſt ad iram, iram provocatura potius mœrorem cum tædio pariunt, quàm excandeſcentiam. Annum circiter decimum ætatis agens interdiu derepente ſubito humi proſtratus fuit; credebatur leipothymia fuiſſe, refectus nihilominus demum poſt tres horas ad mentem rediit. Adultior pervenit *ad Cognatum ſuum Dominum Beatum F- - -* cui multum inſervivit itinera varia peragendo & ſcribendo, imprimis ſecretiora & ad illum ſolum pertinentia: quamvis ab aliquot annis *Poſtarum ſeu Tabellariorum Magiſter Dominus F.* eſſet, non tamen tædioſiſſimis illis negotiis implicabatur. *Circa annum* 1686. ob frequentes catarrhos ipſi ſuaſi *Pil. m. cephal.* quibus cum fructu uſus eſt: cum aliquando ab itinere feſſus domum rediiſſet, *ante Novilunium duabus horis a cœna illarum doſin* ſumſit, ut aliis vicibus illum blande ad alvi ſolutionem ſtimulavit: horâ 5. locum ſecretum adiit, ibique è ſella præcipitabatur & caput valde alliſit, ac levi vulnere ſauciavit: quale ſymptoma fuerit, ignoravit. *Anno* 1691. & poſtea ratione rei frumentariæ, cujus cura ipſi & ipſius Domino *ab Ampliſſimo Magiſtratu* demandata fuit, plurima itinera ineunda & multa tædia devoranda erant. Alias nulli devinctus & ad nulla adſtrictus, niſi quæ lubenter in ſe ſuſcepit præter ſecretiora *à Domino F.* demandata, quæ tamen non coacte perfecit unquam.

Anno 1692. *d.* 4. *Junii* in ipſo die novilunii mane ſumſit jentaculum ſcil. ovum ſorbile, parum butyr. rec. cum hauſtu vini: hinc ante abitum *Soloduro Bernam* Amicum inviſurus in platea inter hor. 10. & 11.

matut. humi cecidit, dum ſtabat ambos oculos cum capite valide ſurſum trahi putavit, mox cecidit, ambos pollices manuum arctiſſime intra volas manuum incluſit, ut vix magna vi extrahi potuerint; artus quoque vehementer ſuccutiebantur: *ad hoſpitium Turris rubræ Soloduri* delatus & lecto impoſitus, intra horæ quadrantem ad mentem rediit, ambo oculi ſanguine ſuffundebantur, imprimis ſiniſter. Veſperi idem paroxyſmus rediit: præcedebat illum vertigo cum nebula oculis obverſante & anxietas, unde ſtatim lectum petiit cum veſtibus mox erumpente paroxyſmo: & rurſus *d.* 5. *Junii* mane horâ 5. ambo paroxyſmi non ultra quadrantem horæ durârunt. Putat ſe nocte *ante* 4. *Jun.* in ſomno paroxyſmum paſſum fuiſſe, quia pulvinar ſanguine conſpurcatum fuerat, fortè à morſu linguæ. *Manſit Soloduri* 14. *diebus. Ejus curam habentibus D. D. Rheinhardo & D. D. Brunnero.*

In ipſo die paroxyſmi *Vena ſecabatur.* Uſus eſt *pulv. rubr. cinnabar.* A vino hucuſque abſtinuit. *Menſ. Julii Fonticulus in nucha* excitatus fuit.

Die 29. *Jun. hoc Conſilium* inde abituro dederunt *Dni Medici Solodurenſes:* affectum vocant vertiginem & capitis debilitatem, cujus fomes & cauſa quærenda ſit in ventriculo & hypochondriis, excitatum à nimiis corporis & animi motibus. Suaſerunt propterea

1. Accuratam diætam: vitet aerem nebuloſum, humidum, frigidum, ventoſum: cibos coctu difficiles, paſtas farinaceas viſcidas, denſas: cibos ſalitos, muriâ conditos, acidos, vaporoſos, legumina, acetum, vinum, cereviſiam: potus ſit *decoct. rad. chin. lign. viſc. q. cum paſſul.* donec firma potiatur valetudine: operam det ut noctu dormiat: alvus aperta ſit *beneficio ciborum laxant. aut pilularum*: declinet mœrorem, iram aliaque animi pathemata fortia. Imprimis omittat *pulv. tabaci pro errhino* inpoſterum, cum *pulvis iſte* ſæpius hæc ſymptomata & deteriora excitarit.

2. *Singulo mane* ſumat *doſin pulv. cephal. cinnabar. cum decocto Thee aut Caffee. Horâ 9. matutinâ* ſumat ℈j. *vel* ℈ß. *pulv. ſtomach. cum fruſtulo panis vino madidi* & ſtatim ſuperbibat juſculum. *Biduo ante quamlibet lunæ quadram* ſumat 5. *Pilul. laxantes mane vel horâ ante vel poſt cœnam. De mixtura quadam cephalica interdiu ſemel vel bis, imprimis cubitum iturus* ſumat *cochl.* ij

3. Præcipue *potum Thermarum Fabar.* ad cauſam eluendam & partes debiles roborandas *cum embrocatione* ſuaſerunt.

 Die

Die 22. Julii 1692. hanc methodum utendi Thermis præſcripſerunt. *Potum mane* incipiat *à* ℔*j. d.* 2. ℔*ij. d.* 3. *Menſuram* bibat. *Cum menſura aut plus* continuandum *ad d.* 17. poſtea rurſus deſcendendum. *Singulâ veſperâ horâ una cum dimidia ante cœnam* utatur *embrocatione ſuper verticem & aurem tinnientem.* Si conſtipetur, ſumat *horâ decubitus pil. v. laxant. aut interdiu clyſterem ex aqua Thermarum.* Debilitate præſente ſumat *de mixtura alb. cochl. j.* aut ſi non ceſſet *de rubra, ſeu cinnabar.* Inter potandum ſumat *fruſtulum Tabell. ſtomach.* Veſcatur cibis boni ſucci: potus ſit *decoct. conſuetum.* Interdiu *mane* ſi lubet, bibat etiam *decoct. Caffee aut Thee. Veſperi hora* 3. *Chiocolat.* Si ventriculus debilis, utatur *Trag. ſtomach.* Animum exhilaret. Poſt reditum maturet *purgationem neceſſariam. Purgabatur bolo rubro magnitudine juglandis fortiter:* poſt paroxyſmum *eodem* bis, *poſt Thermas* ſemel.

Eodem menſe profectus eſt *ad Thermas Fabarienſes*: quas ſolum bibit: jam d. 3. ad ſummam doſin perveniens ebibit octodecim cyathos, continuavit 23. diebus: inde 10. *Aug.* diſceſſit: cum tribus diebus ſummam doſin exhauſiſſet, tuſſi ſicca correptus fuit, ſequebatur larga ſputi ejectio per d. 8. unde pectus multum levabatur: ſecedebant aquæ therm. per urinam & per d. 7. per alvum, imprimis noctu cum torminibus & ardore in podice.

Dum ibi morabatur cœlum ferè ſemper pluvium erat. *Per lacum Weſenſem, Limagum & lacum Tigurinum* profectus eſt *Tigurum*: navigationem bene pertulit, ubi tum ob laſſitudinem & tardiorem cœnam paroxyſmum timuit & inquiete dormivit, ſed nullus evenit. Vere paſſus eſt dolorem auris ſiniſtr. cum tinnitu: hunc ſubinde adhuc experitur. Paſſus quoque eſt in latere ſiniſtro odontalgiam.

A reditu *ex Thermis ad d. 29. Sept. 1692. quo me Scaphuſii convenit* aliquot itinera rurſus confecit, nullumque amplius paroxyſmum paſſus eſt. Nunc conqueritur de debilitate; quam veretur paroxyſmi prænuntiam eſſe; quam tamen ipſemet explicare nequit: eſt quandoque quaſi ſtupor & perturbatio capitis, quandoque vertigini ſimilis cum viſus aliqua obtenebratione vel confuſione; quandoque in illa contrahuntur digiti manuum; quandoque dolet in utroque hypochondrio, ſubſequitur larga mictio & conſtrictio ſpaſmodica levicula in muſculis: aliquando per horam præcedit oſcitatio. Eſt momentanea, brevi ceſſat ab odore *Balſam. cephalic.* obſervat illam plerumque intra horam 10. & 11. antimeridianam, etiam circa novi- & plenilunium,

ab equitatione longiore; à diuturniore lectione & ſcriptione. *Ante Thermarum potum* fortiores & frequentiores erant hæ debilitates, quam nunc ſunt. *Poſt potum Thermarum Fabarienſium* iſtæ debilitates ſunt rariores & breviores, quam *ante illarum potum* : item cœlo pluvio, quam ſereno fortiores. Hæ debilitates quandam Melancholiam cauſant.

Die 30. *Septembr.* retulit *ante & in ipſo potu Thermarum Fabar.* in debilitate contrahebantur digiti aliquantulum, oſcitatio etiam tunc illam præceſſit : in artubus ſenſit motum tremulum ſpaſmodicum momentaneum in muſculis. Doluit ſæpe in ſupercilio d. dolorque ad oppoſitum occiput extendebatur : facile terrebatur & excanduit apud ſe, non tamen iram prodidit : doluit ſubinde & ſenſit tractum pollicis ſin. Nunc dolet ſubinde in peripheria oculi d. brachium & pes ſubinde frigent ad mutationes aeris. Dolet ſæpe *poſt potum Thermar.* in utroque Hypochondrio & quandoque in d. ſolum , ut illi fere incumbere nequeat. *Mane poſt potum Caffee vel Thee* laſſus eſt & ſitit ut etiam à paſtu, non tamen bibit. Pridem in præcordiis ardorem & pruritum ſenſit emerſeruntque puſtulæ. In paſtu motus vibrans ein Zwitteren obverſatur oculis cum anxietate quadam : manus & pedes ſubinde in paſtu frigent. *Ante potum Thermarum* in ſomno ceu à terrore ſuccutiebatur crebro nunc minus : dolore moleſto auris ſiniſtr. cum odontalgia afficiebatur : auris d. nunc tinnit. Non videt ad diſtans : ab hoc inſultu magis debilitatus fuit. In debilitate pulſum quoque debiliorem experitur. Doluit ſubinde in occipite & nucha, ut in capitis eryſipelate Gewülck : attactum non pertulit. A pueritia catarrhoſus, unde ſingulis menſibus odontalgiam paſſus eſt. Hæmorrhagiæ quoque narium & quidem largiori obnoxius fuit: ex quo *pulvere tabaci* uſus eſt, odontalgia & hæmorrhagia rarius evenerunt à 6 annis : nuper rediit hæmorrhagia ſed parcior. Ab 8. annis hæmorrhoides fluunt per d. 3. 4. etiam 5. nunc ſeptimanâ 6. 7. 8. aut 10. quod adhuc fit. Pollutioni nocturnæ quoque obnoxius fuit, quæ pridem bis vel ter in ſeptimanâ contigit : *poſt Thermarum potum* rarior eſt. In debilitate crebrius mingit : urina eſt aquea, tenuis : ab ultimo paroxyſmo bis quoque præter morem mingendum eſt : *à potu Thermarum* alvus laxior eſt ; præter conſuetudinem tuſſit & exſpuit : potulenta ſcil. *infuſ. Thee* & in paſtu ſæpe regurgitant ad fauces ſine violentia.

Mœror & tædia ante biennium perpeſſa à calumniis *contra D. F.* putat quoque anſam fuiſſe paroxyſmi. Melancholia metus cum anxietate eſt, potiſſimum in debilitate eveniens , ob quam recidivam paroxyſmi veretur.

Die

Die 29. Sept. noctu inquiete dormivit ob dolorem hypogaſtrii & mane ſubſeq. diarrhœam, quæ nunc ſæpius evenit.

Die 30. Sept. Mane urina erat tenuis, ſubflava : pulſus naturalis; ob novilunium paroxyſmum timuit. Veſperi cum amico obambulans debilitate correptus fuit, angebatur, paroxyſmum timuit: illito naribus *balſamo* vel ſolo odorato ceſſavit. Sumtis *pil. theriac. cœl. No. iij.* non ſtatim dormire potuit, obverſabantur varia ſpectra per horam dimidiam, dormivit, poſtea habuit inſomnia iracunda: mane levicule maduit.

D. 1. *Octobr.* mane urina naturalis cum enæoremate, querebatur de ſtupore quodam capitis & gravitate, ipſi à paroxyſmo imprimis *poſt Thermarum potum* frequenti, antea minus. Doluit quoque in ſiniſtr. parte frontis in tempore & aure ſin. ſed non valde nec ultra horam dimidiam, quod ipſi frequens à paroxyſmo hucuſque Ait narem obſtructam, quæ alias anguſtior eſt poſt multos caſus & alliſiones. NB. Cum puer 10. annor. paroxyſmo epileptico corriperetur, recordatur quendam tractum caput verſantem præceſſiſſe circiter horæ quadrant. illumque poſt cœnam, in qua lactuca veſcebatur eveniſſe. Paroxyſmum *d.* 4. *Jun.* mane poſt decimam nihil præceſſit præter illum tractum oculorum ſurſum : veſpertinum anxietas quædam, ut illo præſente lectum petere metuerit, mox tamen omnium ignarus evaſit: matutinum *d.* 5. *Junii* quia in ſomno evenit nihil præceſſiſſe novit. De aura ab imis ad caput aſcendente nihil quicquam unquam animadvertit.

Diligenter ipſum examinavi, an ullum ſymptoma hypochondriacum ante paroxyſmum *d.* 4 *Jun.* 1692. vel tunc vel aliquot ſeptimanis, menſibus vel annis ante paſſus unquam fuerit : teſtatus eſt ſe ſemper bene appetiiſſe : cibum optime toleraſſe : nullam inflationem ventriculi, nullam cardialgiam nec à paſtu, nec quatuor horis ab illo vel veſperi vel circa medium noctis, nec dolores in hypochondriis paſſum fuiſſe, quamvis fœces ſæpe induratas emiſerit & ſubinde fluxum hæmorrhoidalem per aliquot dies obſervaverit; raro eructaſſe, nunquam mane vomuiſſe vel acida vel amara, vel ſalſa vel auſtera vel inſipida: nullam palpitationem cordis unquam ſenſiſſe. Vomuit ſemel cum bibiſſet vinum ſpir. vin. adulteratum ab alio, qui ipſum inebriare conſtituiſſet : alias nunquam.

Ante biennium perpeſſus eſt quidem febrim tertianam ſimplicem, verum nec poſt illam ſuperatam ne minimum quidem ſymptoma hypochondriacum illum afflixit. *A* 4. *Jun.* hucuſque uſus ſingulis prope ſeptimanis *Pilul. aloet. No. v.* quarum quælibet 2. *gran.* procul dubio

bio ſunt *Benedict.* ſeu *ex aloë ſuccotr.* *Succ. hepat.* & *ſplenet.* impræg-nata. Anxietate ſubitâ corripitur ſubinde demum poſt ultimum inſul-tum epilepticum nunc citra imaginationem oberrantem, nunc re ter-rificante animo obverſante, ſcil. quandoque ſponte imprimis ſi pran-dium differat, quod hodie etiam ante & in prandio contigit: poſt prandium optime habuit & coloratior erat. Bis alvum depoſuit, fœ-ces bene coctæ erant. *Fonticulus* in nucha egregie fluit: ſuppeditat pus coctum: facile in collo *ſupra fonticulum ſetaceum* parari poſſet.

NB. *Ipſius Dominus Pater Præfectus in L.* nimium indulgens vini po-tui & *fumo tabaci*, anno ætatis 43. poſt vomitum terribili epilepſia correptus fuit: per dies 14. continuos quotidie bis vel ter ipſum in-vaſit: factus inde Pareticus, quod tribuerunt domeſtici *violentis me-dicamentis* ipſi exhibitis. A pareſi liberatus potiſſimum *beneficio Ther-marum Bonnenſium propè Friburgum Uchtlandiæ*: ſex annis rurſus ob-ambulare potuit. *Fumo tabaci* poſt cœnam ante 6. annos rurſus ab-utens forti apoplexia proſtratus fuit: jacuit per d. 3. ſine ſenſu & mo-tu: deſiit in hemiplegiam lateris ſiniſtr. quo hucuſque uti nequit: nunc temperanter vivit: memoriâ admirandè valet: auditam concionem in-tegram recitare poteſt: multum legit: toto die in ſella ſedet: conver-ſatur ſani inſtar de omnibus obviis: vivit adhuc ſatis commodè.

Ejus Soror 35. annorum ante biennium paſſa eſt Arthritidem va-gam: in digitis manuum ſubinde tractus ſpaſmodicos percipit.

Poſt Apoplexiam *Patris Dom. Filius* negotiis *ad Præfecturam* ſpec-tantibus adhuc juvenis per 12. annos iiſque graviſſimis accingebatur: indeque multa tædia paſſus eſt: ab illo tempore obſervavit, ſi deman-data vel *à Magiſtratu* vel *à Dno Cognato* non bene ſuccedant à tædiis in-de multis affligi: ſecus ſi fiat, admodum lætari. Maſticat frequenter *Galangam*. Noctu cubitum iturus nihil ſumſit: bene dormivit ad primam noctis: poſtea per horam dimidiam tuſſiit ſine ſputi rejectio-ne, quod aliàs facile ſuccedebat.

Die 2. Octobr. mane pulſus natur. urina ſubpallida, tenuis, ho-die minus de anxietate ſenſit, apparentem maſcule excuſſit.

Die 3. Octobr. præteritâ nocte, quia nihil ſumſit, melius dormi-vit: hodie quia ob negotia illum non inviſi, multum angebatur per vices; querebatur de frigore quodam in toto latere ſiniſtr. alvus occlu-ſa erat ad ſeram veſperam. Pulſus tamen & urina naturalis, noctu dor-mivit ad 1. matutinam, tunc expergefiebat à tuſſi, quæ aliquandiu inanis erat, ſequebatur tandem ſputum: alvum ſolvit.

Die 4. *Octobr. ſummo mane* ſumſit ℨj. *pulv. cephal. cum aq. flor. til. & pœon. cochl. ij.* manſitque 2. horis in lecto : bene toleravit. *Setaceum* per collum traduxi *cum Excell. D. D. Pfiſtero*, non multum queſtus eſt, nec multum ſanguinis fudit. Noctu dormivit ſatis benè ſed interruptim. Noctu ad alvum ſtimulabatur.

Die 5. *Oct. mane horâ* 4. ſumſit *doſin pulv. horâ* 7. *decoct. Coffee* hinc dejecit mollia. Mane caput ſtupidum quod ſingulis menſibus radendum curavit. Noctu bene dormivit.

D. 6. Octobr. urina manè pallida : ab alloquio excitatior manè: poſt prandium diſceſſit : *St. Gallam* profectus eſt : *ſetaceum* non multum moleſtiæ peperit, niſi dolorem gravativum in interſcapulio : uſus pridem erat contra hunc dolorem *abluitione ſpir. ceraſ. & emplaſtro ex alliaria*, nam ipſi familiaris affectus; quem Gewülck vocavit, licet pars dolens non rubeat. Commendavi contra illum ſudorem & frictionem. *Excell. D. D. Pfiſter ſetam* in collo non traxit, nec illam *digeſtivo* inunxit, quia obſervavit illam ab ichore vulneris irrigari ſatis ſuperque ut ſine moleſtia trahi poſſet, & ſponte multum puris fundere, cum aliàs *à digeſtivo ſeta* rigida fiat & induretur.

Reſolutio.

INſultum *d.* 4. *Jun.* 1692. *Soloduri* ſubito obvenientem veram Epilepſiam fuiſſe dubitare non ſinunt abolitio ſubita omnium ſenſuum cum motu convulſivo variarum partium. Quæ vero ſedes & fomes cauſæ hujus affectus fuerit, controvertitur. Exiſtimo illam per eſſentiam ſeu à cauſa intra cranium & in cerebro, non per conſenſum & à cauſa alibi, neque etiam hypochondriis ſeu ſtabulante ſeu latitante excitatam fuiſſe: Nam

1. Paroxyſmum nullus prodromus *d.* 4. *Jun.* inter horam 10. & 11. antemeridianam poſt ſumtum tenue & inſons jentaculum præceſſit, & nihil tale timentem aut cogitantem invaſit, de nulla moleſtia, dolore aliove ſymptomate hypochondriorum aut aliarum partium vel minimum percepit : nullam auram aſcendentem animadvertit : ſenſus tractus oculorum cum capite quaſi ſurſum præceſſit, verum protinus humi ſternebatur & tunc graviter par nervorum oculos moventium intra cranium irritatum fuiſſe, quia ambo oculi à fortiſſimo ſpaſmo imprimis ſiniſter ſanguine ſuffundebantur diu manente rubore. Anno ætatis 10. præceſſit quidem Epilepſiam motus convulſivus muſculorum caput verſantium & demum poſt horæ quadrantem ſupervenit; attamen quoque ſubito humi ſternebatur : *D.* 4. *Jun.* Veſperi præceſſit quidem aliqua vertigo cum viſus obtenebratione, quod

quod vitium quoque à cerebro læſo productum fuiſſe inde patet, quia ſtatim epilepſia quoque obruebatur. Ante 6. annos in loco ſecreto evenientem nihil præceſſiſſe recordatur, præter ſolum ſtimulum ad alvi ſolutionem eumque non vehementem, qualem aliis vicibus ſine moleſtia toleravit.

2. Bis in ſomno Epilepſiâ obruebatur, quod ſignum eſt cauſæ intra cranium reſidentis, & ſenſibus cæteris ſopitis, nervos ad motus ſpaſmodicos ſollicitantis.

3. Produnt cauſam intra cranium latentem paroxyſmi quater intra 30. horas redeuntes.

4. Idem evincunt debilitates ut vocat, ſeu quædam ſpirituum perturbationes ipſum terrentes, & veluti paroxyſmum minitantes cum anxietate quadam circa novi & plenilunium inter horam decimam & undecimam antemeridianam & aliis vicibus ſponte citra cauſam aliam, quia illam ſtatim tollit *Balſam. apoplect.* naribus admotus.

5. Ante paroxyſmum *Menſ. Jun.* 1692. evenientes ne vel minimum affectus hypochondriaci ſignum unquam animadvertit, neque etiam poſt febrim tertianam ante biennium paſſam, nam ſemper appetiit: à cibo nunquam gravatus fuit, nullum dolorem horâ 4. poſt prandium aut circa medium noctis in præcordiis paſſus, non inflabatur in hypochondriis, nec doluit in ambobus vel alterutro hypochondrio, non multum eructavit, nunquam mane vomuit: ſemel quidem poſt adulteratum vinum ſpir. vin. ſed nec unquam antea nec poſtmodum. Non angebatur, cor nunquam palpitavit: nec huic affectui anſam dedit intemperante victu: ventriculum omnia rite coxiſſe teſtabantur fœces induratæ. Symptomata hypochondriaca nunc apparentia demum producta fuerunt poſt ultimos inſultus epilepticos: regurgitatio potulentorum per gulam ad fauces poteſt adſcribi *potui Thermarum largiſſimo*, item *decoctorum* loco vini in prandio & cœna, *decocti Caffee, Thee & Chiocolatæ mane & veſperi horâ 3. pomeridiana.* Inflatio & dolores hypochondriorum iisdem & *purgantibus validis ante poſtque Thermarum uſum ter ſumtis : pilulis aloëticis* ſtatis diebus ante quadrantes lunæ etiam aliis vicibus alvo conſtipatâ inglutitis, quæ vel ſolæ affectum hypochondriacum intra quatuor menſes parere potuiſſent. Forte etiam alia concurrerunt *ſcil. abuſus Cinnabarin.*

Cauſa proxima non eſt ulcus aut tumor, abſceſſus aut hydatis, quia extra paroxyſmum valet ſenſibus & motu, ſed nulla alia eſſe poteſt; quàm ſerum intra cranium circa principium nervorum ſtagnans, extravaſatum, quia ſolus hic humor ad hæc abdita intra

tra cranium pervenit & aliquandiu citra corruptionem perſiſtere & totum rurſus diſſipari poteſt: illud apud omnes homines ſalſum & acre eſt, *apud Dominum* verò acrius debito eſſe teſtantur narium hæmorrhagiæ frequentes *ante uſum errhini*, hæmorrhoidum fluxus ab aliquot annis per vices rediens, ſævæ odontalgiæ, crebræ pollutiones nocturnæ, ardor & pruritus cum puſtulis in præcordiis. Illud in M. S. redundare atque ab illa facile ſecerni teſtantur crebræ & largæ mictiones, urinæ pallidæ, tenues imprimis poſt ultimos paroxyſmos. Produnt illud quoque pallor faciei: catarrhi frequentes à pueritia, effectus ejus etiam ſunt dolor frequens in occipite & nucha, qui imputatur eryſipelati cuidam illius loci, quod nobiſcum das Gewülck vocant: dolor frontis, temporis & auris ſiniſtræ: ſalivatio nimia &c.

Hoſpitium ei pararunt intra cranium multi & graves cerebri labores in juvenilibus annis *in Præfectura L.* & poſtea *apud Dominum Cognatum*, frequentia itinera quovis cœlo; gravis animi afflictio ob calumnias *Dno Cognato* illatas; imprimis cerebrum non parum debilitârunt curæ & ſollicitudines ratione rei frumentariæ demandatæ *ab Ampl. Magiſtratu Anno* 1691. *&* 1692. ferè ad tempus illud, quô ipſum Epilepſia invaſit, durarunt. Promptius hoc hoſpitium ſuſcepit, quia jam debilius erat ob paroxyſmos 10. ætat. ann. & rurſus 24. ætatis anno perpeſſos: forte aderat hæreditaria diſpoſitio, nam *Dnus Parens* intra 14. dies plurimos paroxyſmos ſuſtinuit: anſam quidem iis dedit intemperantia, attamen prognatum quoque fuiſſe à patre minus ſano innuit connatus faciei pallor.

Forte & hac vice aliquid in ſede hac ſupereſt, quia in ſuperſtite debilitate ſeu ſpirituum animalium perturbatione animadvertit ſubinde digitorum quendam motum ſpaſmodicum, vertiginem, viſûs obnubilationem, varia inſomnia, ſuccuſſiones in ſomno, ſubitas anxietates cum calore brachiorum &c. quin etiam illam præceſſit oſcitatio crebra: remiſerunt quidem ſymptomata quædam ex his *poſt abſolutum potum Thermarum*, nihilominus ſubinde gliſcunt & amplius commoventur facile ab intuitu fixo, nimia attentione in concione &c. Zwitteren vor den Augen. Viſus à paroxyſmo imminutus eſt, quatenus nunc minus ad diſtans agnoſcit objecta, propius tamen admota accuratè videt. Melancholia effectus eſt metus à leviculo ſymptomate, ex quo recidivam timet nulloque modo à liene provenit. Laſſitudo & aliqua ſitis forte ſunt *effectus Thermarum & purgantium crebriorum.*

Affectus curatu difficilis eſt, quia cauſa profunde intra cranium hæret atque Epilepſia per Idiopathiam eſt, quorſum lente *medicamenta* pertingunt, quia etiam aliquid hæreditarii concurrit. Verum quia per

longa

longa intervalla ipſum corripuit, quia etiam ſemper temperanter vixit & obediens eſt, & gulæ imperare novit, ſpes affulget curationis.

In illa hoc ſerum, quod cauſa proxima eſt, à cerebro avocandum & educendum; acre mitigandum, genus nervoſum roborandum & reliquiæ pertinaci ſtudio abſorbendæ, novaque ejus in L. A. ſtagnatio præcavenda erunt. Itaque

1. *Vere & Autumno*, quia aliàs hæmorrhagiæ narium & hæmorrhoidum fluxui obnoxius eſt, *Vena ſecanda* erit, emittendo ℥*v. ſanguinis ex brachio.*
2. *Scarificatio alternis menſibus triduo ante Novilunium* non omittenda, ſi ei aſſueverit: imprimis propter odontalgiam.
3. *Fonticulus in nucha* apertus ſervandus: & *ſetaceum* eo clauſo ducendum, ſi debilitates continuent: cum hoc vel ſolum juvet ceu proxime à L. Aff. ſerum abducens *ex. gr.* in gutta ſerena.
4. *Veſicatorium capillis abraſis toti cuti capillatæ imponendum alteratis vicibus.* Nullas veſicas excitat.
5. *Mane horâ* 5. detur ʒ*j. pulv. cephal. veſperi* 2. *horis ante cœnam* ʒß. *cum aq. flor. til. pœon. ceraſ. dulc. &c.*
6. *Elæoſacch. cephal.* ʒ*ij. vel* ʒ*iij. permiſc. c. aq. cephalic.* de qua ſumat *ſubinde cochl. j. imprimis veſperi.*
7. *In die novi & plenilunii* ſumat *gr. vij.* ☉ *horizont. cum aq. ceraſ. d.*
8. Debilitate urgente odoretur *ſaccul. cephal. acet. vel vin. madid.* ſumat de *Electuar. ceph. quantum capit cultri apex*: maſticet *Trochiſc. ambrat.* odoretur *balſam. cephal.*
9. *Mane* ſumat *Pulv. errhin. ex ſacch. rad. Irid. ol. ſuccin.* propter obſtructas nares *tabacum adeo noxium vix credo.*
10. *Mane* maſticet *galang. N. M. fruſtul. aut Maſtichen.*
11. *Mane hor.* 7. bibat *decoct. Caffee* potius quam *Thee* aut *Chiocolat.* Æſtate bibat *Thermas Fabarienſes omiſſâ embrocatione.*
12. In paroxyſmo ſtatim ex manibus educatur pollex: naribus admoveatur *Spir.* ⚹*c. urinoſ. balſam. ſuccin. acuatus ol. C. C. deſt. ſeu ſpir. C. C.* dentibus interponatur *bacillus glycyrrhiz. craſſus*: quamprimum deglutire poteſt detur *ſæpe cochleare aq. antiepilept* In paroxyſmo & ſtatim ab illo *V. S. & purgat. & veſicatoria* inutilia puto,
13. Suaſi accuratam diætam. 1. Aër cubilis, ubi dormit & maximam vitæ partem ducit, ſit temperatus, non frigidus, humidus, nec valde calidus: nec diu moretur in nebuloſo, nivoſo, frigido & humido,

do, nec admodum fervido aut ventoſo. 2. Veſcatur carnibus & piſcibus boni ſucci, facilis coctionis, oleribus coctis viridibus non muriâ conditis, fructibus dulc. coct. ovis ſorbilibus. Vitet carnes adultiorum animalium, ſuillam imprimis, anat. anſer. columb. piſces nimis viſcidos, ova frixa indurata: placent. caſeum: conceſſi hordeat. oryz. cum lacte coct. pultic. cum ovis. Nocent inſalita, fumo indurata, nimium aromat. nimis dulc. aceto macerata: abuſus ſucc. citr. Vitet vinum, bibat porro *decoct. lign. viſc. q. rad. chin. cui aliquid cinamom. fract. add.* Cœna ſit parcior prandio: comedat bis in die. 3. Motus corporis ipſi ſumme neceſſarius & equitatio moderata tollit Aff. hypochondr. *ſecundum Sydenham.* 4. Fugiat ſomnum pomeridianum & ſtatim à paſtu, item lectionem & ſcriptionem pleno ventre incurvo corpore. 5. Excutiat pro virili Melancholiam gratâ occupatione aut converſatione. Vitet ſolitudinem. Nocet valde ira. 6. Alvus aperta ſervetur: ſi tardet utatur *Elect. ex pulp. prunor.* ℔j. *pruneol.* ℔ß. *add. pulv. ex ſenn.* ℥ß. *Mechoac.* ʒiij. *Cremor.* ♀r. ʒvj. *ſemin. aniſ.* ʒij. *Mſc. add. ſacch.* ℥j. *Doſ. nuc. magnitud. ante paſtum.* Præfero hoc *pilul. aloetic. etiam Benedict.* ſudorem ſponte emergentem non impediat nec vi promoveat.

Medicamenta, quæ ordinavi, ſunt ſequentia.

1. *Potio purgans:* ℞. *Radic. polypod. q.* ℥ß.
Scorzoner. ʒiij.
Cortic. citr. ʒß. *Fol. ſenn. ſ. ſ.* ʒiij.
Rhabarb. el. ʒiß. *Agaric. alb.* ʒj.
⊖ ♀r. ℈ß. *Cinam. ac.* ʒj. *Mac.* ʒß.
Inciſ. & contuſ. infund. in aq. fervid. q. ſ. per horas 12. *facta levi ebullit. col. in Colat.* ℥v. *ſolv. mann. el.* ℥iß. *Iterum coletur.*

2. *Pulv. cephal.* ℞. *Radic. valerian. ſylv.* ʒij.
doronic. dentar. ãã. ʒj.
C. C ph. ppt. Ung. alc. ppt. ãã. ʒij.
Pil. Reg. inc. Diaph. ♃*l.* ãã. ʒj.
Extract. caſtor. cinnab. ♁*ii rectif.* ãã. ℈ß.
Ol. ſuccin. gt. ij. ſacch. alb. ℥iij. *Mſc. F. p. ſ.*

3. ☉. *Horizont. hîc præparatum.*

4. *Elæoſacch. ceph.* ℞. *Sacch. alb.* ℥ij. *Extract. caſtor.* ʒß.
⊖ *vol. C. C. gr. iiij. ol. N. M. expr.* ℈j.

Ol.

Ol. deſt. roriſm. majoran. ãã. gt. vj.
ſuccin. gt. iiij. chamom. gt. iij. Mſc. F. p. ſ.

5. *Balſ. ceph.* ℞. *Balſam. apopleƈt.* ʒj. *Ol. N. M. expr.* ℈iiij.
Ol. deſt. majoran. roriſm. ana. ℈j.
lavend. rut. ana. ℈ß.
ſuccin. gr. vij. Mſc. detur ad pyxid. eburn.

6. *Trochiſc. ambrat. off.*

7. *Eleƈt. ceph.* ℞. *Conſerv. roſ. r. majoran. ana.* ℥j.
N. M. condit. ʒij. *Conf. de hyacinth. alk. c. ana* ʒj.
Pulv. Analept. Mind. ℈iiij.
Syrup. flor. tunic. parum Mſc. dilig.

8. *Nod. cephal. excitantes.*
℞. *Radic. cyper. rot. calam. arom. ana.* ʒj.
Cinnam. mac. ana. ʒß. *caryophill.* ℈j.
Flor. lavend. lil. convall. ana. p. j. caſtor. ʒß.
Inciſ. & contuſ. indantur nodul. ex ſind. alb.

9. *Pulv. errhin.* ℞. *Sacch. alb.* ℥ij. *rad. Ir. Flor.* ʒij.
Ol. deſt. ſuccin. gt. ij. Mſc.

10. *Aq. antiepilept.* ℞. *Aq. flor. til. pœon. ana.* ℥ij.
Liq. C. C. ſuccin. Eſſ. caſtor. ana. ʒß.
Pulv. Marchion. ʒj. *Cinnab.* ♃ii ℈ß.
Ol. ſuccin. gt. iij. ſacch. alb. ℥ß. *Mſc.*

Die 22. *Oƈtobr.* 1692. *ſcribit.* Affectus hypochondriacus dirè afflixit in itinere cum anxietatibus ; *à* 7. *ad.* 13. *Oƈtobr.* Affectus remiſit, niſi quod interdum horâ 3. veſpertina ſtuporem ſenſerim cum triſtitia. *D.* 13. dolor in oculo d. & ardor in axilla d. rediit cum anxietate: excuſſo timore remiſit. *Die* 14. benè me habui. *Die* 15. horâ 4. matut. ſumſi *gr. vij.* ☉ *horizont.* bihorio poſt ſuperbibi *Decoƈt. Coffee* : in itinere à meridie quaſdam debilitates ſenſi : veſperi dolor in utroque hypochondrio recruduit. Cæterum ſtuporem levem in capite veſperi nunquam non ſentio : à jentaculo nebula oculis obverſatur : oſcitationes moleſtæ nunc plus, nunc minus : *die* 18. paſſus ſum pollutionem : alvus prope ſingulo mane laxior eſt : *Setaceum d.* 22. multum puris ſuggerit.

Reſpondi d. 29. *Oƈtobr.* Symptomata merè à timore excutienda, ut

ut in itinere fecit : committenda omnia providentiæ divinæ, animum ad alia avertendo : ipſe experietur falſam imaginationem : alvus quotidie laxior ſignum eſt illum non pati verum affectum hypochondr. de primario malo nullum veſtigium deprehendo : ſinat *Setaceum*.

Die 16. *Novembr.* 1692. *in Memoriali ſcribit* : ob hæmorrhagiam narium *die* 26. *Oct. vena ſecta* fuit , ſanguis in primo vaſculo pelle cœrul. erat obductus, in ultimo minus : ante invaſionem epilepticam habuit ſanguinem pulchrè rubentem : *die* 26. *&* 27. *Octobr.* nullus ſtupor afflixit : *die* 27. noctu dolor in brachio & fœmor : ſiniſtr. ſomnum impedivit, *die* 28. *&* 29. *in ipſis diebus novilunii* NB. ſumſit ☉ *Horiz.* poſt cœnam ſtupor rediit, continuavit *die* 30. & noctu vertigo tenebricoſa, anxietas , *à balſamo* remiſit, *die* 31. dolor in vertice ſomnum interrupit , pollutionem bis, quam quoque *d.* 24. *Oct.* expertus fuit : *ad* 28. *Octobr. ad* 6. *Nov.* ſtupor & nebula quadrante horæ à paſtu affligunt, durant per bihorium : attamen ſpectra excutere valuit, ut anxietatem producere nequierint, *die* 5. *Nov.* debilitas & anxietas cordis evenit ſine vertigine tenebricoſa aut nebuloſa, verum mœſtior evaſit , excuſſit grato alloquio : *à* 5. *Novembr. ad.* 8. bene habuit excepto ſtupore : noctu ardorem ſtomachi paſſus eſt : comedit in cœna de carne agnina, ſpinachia, *ab* 8. *ad* 12. *Nov.* admodum bene excepto levi ſtupore. *Die* 12. Mane hora 7. doluit in ſiniſtro latere ſub corde, duravit per horæ quadrant. eodem die quater rediit : noctu evenit debilitas cum anxietate, ſequebatur dolor in aure & tempore ſiniſtro etiam in fœmore, *die* 13. *Nov. in die plenilunii* ſumſit ☉ *horiz.* cum fructu, poſt prandium ſtupor levis rediit. *Die* 14. *Nov.* mane poſt decubitum in latus ſiniſtr. eundem dolorem in latere ſiniſtro paſſus , quem ante biduum, duravit per horæ quadrantem idque bis : diarrhœam paſſus eſt *die* 15. unde ſtupor capitis afflixit, oſcitatio ſæpius redit.

Literis ſub eodem dato ſequentia inſeruit annotata. Urina adhucdum tenuis & pallida : alvus aperta, remiſit diarrhœa. Hæmorrhois à 10. ſeptimanis clauſa : ſtupor imprimis *die* 28. *Octobr.* cum nebula & vibratione coram oculis *per dies* 5. duravit poſt prandium & cœnam , ſemper bihorium afflixit, aliquando mane incipit : effluxit aqua ex ore, ſequebatur mœror, quem excutere nequiit : hoc ſymptoma nunc imprimis moleſtum eſt. Præſente ſtupore manus & pedes frigent, laſſus eſt, diu ſtare nequit. Reſolutione ſpectra oculis obverſantia [utplurimum excutere] valet. Rarius debilitatem & vertiginem experi-

experitur: animus lætior eſt: timorem propter inſultum *Solodurenſem* excutere poteſt. Dolores ſub hypochondrio utroque mitiores & rariores ſunt. Petit *Pulv. Cephalic. Electuar. robor. Rotul. Cephal. Pulv. Errhin. Sacch. Cephalic. Spec. pro potu ordinario.*

Ex literis de d. 19. *Nov.* 1692. ſatis benè ſe habuit, niſi quod ſtupor capitis vel potius perturbatio; *à* 14. *Nov.* ſatis moleſta fuerit cum oſcitatione poſt paſtum.

Die 18. *Nov.* cubitum iturus affectu hypochondriaco graviter afflictus fuit in utroque hypochondrio, obverſabantur ſpectra anxietatem excitantia, quæ forti animo excuſſit, ut dormire potuerit. *Die* 16. *&* 18. pollutionem paſſus eſt, *à* 14. *ad.* 19. in habitu ſenſit vellicationes momentaneas ſeu tractiones. *Die* 19. *Nov.* Doluit valde hypochondr. d. quod *à* 22. *Octobr.* quô hinc diſceſſit non factum fuit. An ejus cauſa fuerit caro ovilla cum pyris cocta? de quibus tamen parum comedit.

Ad literas d. 16. *&* 19. *Nov. cum memorialibus miſſis reſpondi die* 22. *Nov.* 1692. Multa ſymptomata proveniunt à corruptione aliqua ſeu depravatione contentorum in ventriculo & inteſtinis ſcil. dolor utriusque hypochondrii *d.* 18. *Novembr.* & ſolius d. nam tunc paſſus eſt diarrhœam: turbas fecit caro agnina cum ſpinachia & ovilla cum pyris in cœna comeſtis. His quoque adſcribi poteſt dolor lateris ſiniſtr. ſub corde & ardor ſtomachi: eadem poſſunt etiam vertiginem, debilitatem, anxietatem, mœrorem & ſpectrorum apparentiam cauſare: quia partes iſtæ valde nerveæ ſunt & facile cor & caput in conſenſum rapiunt. Vitium horum contentorum non magnum eſt & junctos habet multos flatus, nam dolores non continuo manent, ſed per intervalla redeunt, nec diu diarrhœa permanet, atque alias *à d.* 22. *Octob. ad* 19. *Nov.* fœces plerumque naturales ſunt, ut etiam urina, quæ hucusque non mutata fuit.

Obtuſio capitis cum vertigine & nebula quandoque vibratione oculis obverſante vaporibus adſcribi poſſunt ſeu chyli parti aquoſiori, unde plerunque eveniunt à paſtu cum oſcitatione. Concurrit tamen etiam copia ſanguinis, nam ſubſtiterunt hæmorrhoides, nares ſanguinem ſtillarunt: unde per biduum profuit V. S. dolor brachii & fæmoris, item auris & temporis ſin. & vellicatio Zapffen à ſero acriori proveniunt.

Sumat *doſ. pulv. ceph.* ʒj. *ſolummodo mane. Aq. ceph. cum ſacch. ceph. paratam* habeat ſemper in promtu, ut & *Electuar. & rotul.* Inpoſterum in cœna omittat carnem agninam, imprimis ovillam & omnia pinguia.

Quoniam anxietatem, debilitatem, mœrorem & ſpectra forti animo expellere poteſt, non ad quælibet ſymptomata attendat: nemo hominum immunis à talium inſultibus, quæ evaneſcunt, ſi occupemur, obambulemus & cœna parciore utamur: *pulv. errhino* addidi *ſpec. diambr.* ℨß. vino parce utatur.

Die 26. *Nov.* 1692. *ſcribit*: *A* 18. *Nov.* hucuſque ſe percipere dolorem in hypochondrio dextro, quandoque in ſiniſtro inter decumbendum, quandoque palpitationem cordis & aliam pulſationem interne: obveniunt terrifica phantaſmata, quæ excutere conatur, ut indormiſcere poſſet, & ut arceret anxietates, quod tamen non ſemper, quia caput obtuſum tunc eſt & quaſi vertiginoſum; imprimis ſi in lecto ſe erigat, unde ſequitur anxietas: *die* 22. & 26. rurſus paſſus eſt pollutionem. Cætera interdiu bene habet, exceptâ obtuſione ante & poſt cœnam, licet mane & veſperi quoque dolorem hypochondriacum ſentiat, phantaſmata tamen & anxietatem excutere valet. In anxietate videtur ſibi, quaſi ebrioſus eſſet. Affectus hypochondriacus ſeu dolor lateris dextri veſperi moleſtior fuit cubitum ituro cum phantaſmatis terrificis, poſtea non amplius: *die* 27. *Nov.* toto die obtuſio capitis cum craſſa nebula & vibratione coram oculis moleſta fuit & 2. horis poſt prandium debilitas: mane horâ 4. & horâ 9. largam diarrhœam paſſus eſt. *Die* 28. *Nov. ſeu in die novilunii* ſumſit ☉ *horizont.* unde toto die bene ſe habuit: noctu autem inſomnia habuit terrifica: expergefactus videbatur ſibimet ebrius, poſtquam rurſus indormivit polluebatur, debilitas *die* 27. *Nov.* non tanta erat ut penult. novilun. & ultimo plenilunio.

Die 3. *Decembr. ſcribit*: obtuſio *d.* 30. *Novemb.* magna fuit: talis eſt aliquot diebus poſt novi & plenilunium ſemper major, quàm aliàs; nuper quoque tinniit auris ſin. Phantaſmata terribilia oculis obverſantur interdiu & noctu in lecto, excuſſit illa forti reſolutione. Contra pollutionem, ſi conjugium prodeſſet, illud amplecteretur: An *Seleri* proſit? an *radix cichor.*? an cœna omittenda? an ſufficiat juſculum & an juſcula proſint?

Reſp. Pollutio debilitat: *remedium optimum & divinum eſt matrimonium. Seleri* nocet. *Cichor.* prodeſt: cœna non penitus omittatur, parcior tamen ſit prandio: juſcula non tam nocua ſunt, ut *Galli* cenſent, edere poterit aliquid de pomis, prunis, oleribus coctis &c.

Ex memoriali de d. 21. *Decembr.* 1692. *A die* 1. *ad* 4. *Decembr.* bene ſe habuit: *die* 5. *Decembr.* mane ſitiit: toto die obtuſio moleſta fuit, & in cœna anxietas cum debilitate. *Die* 6. mane ſitis, inter

obam-

obambulandum debilitatem cum anxietate, viſus obtenebratione, vibratione oculorum, obtuſione, obverſatione phantaſmatum : anxietatem pellebat animoſâ reſolutione : cæterum dolorem ſenſit in utroque hypochondrio cum ardore in olecrano, quem non magni fecit : ultimo novilunio phantaſmata minore labore excutere valuit. *Die* 7. & 8. *Decembr.* bene habuit, *die* 8. ardorem veſperi in ſtomacho ; poſt cœnam in gula ſenſit, dolorem in fœmore ſiniſtro & ſupra genu : *die* 9. 10. bene, *d.* 11. ardorem in cervice, poſt cœnam in ſtomacho ſenſit, obtuſio exigua : *die* 12. *Dec.* equitavit, poſtquam decubuit vix bihorium dormivit. *Die* 13. *die plenilunii* ſumſit ☉ *horizont.* ſenſit aliquam debilitatem, obtuſionem & dolorem in vertice ac fronte, quæ tamen non curavit ceu brevi durantia ac non valde moleſta ſymptomata : noctu cum terrore & ſuccuſſione indormivit : habuit inſomnia iracunda, *die* 14. equitavit, *die* 14. & 15. aperiebantur hæmorrhoides : ſanguis primo die craſſus, viſcidus : die ſequente tenuior, rubicundus, *die* 15. poſt prandium obtuſio, veſperi horâ 5. debilitas & anxietas aderant, à ſumta *aqu. cephalic.* caput valde doluit verſus frontem : duravit per horam j. poſt cœnam remiſit, in ſomno ter rediit illumque turbavit : totum caput invaſit, *die* 16. *Decembr.* rediit Cephalalgia, poſt Gonorrhœam remiſit ab aliquot vaſculis *Infuſ. herb. Theæ* epotis : noctu indormiens bis territus exſiliit, *die* 17. diarrhœa, *die* 18. & 19. bene ſe habuit : à 4. ſeptimanis *Setaceum* minùs manat.

Quæritur? an brevi vinum vel cereviſia bibenda pro potu ordinario? an vini potus differendus, donec adeat *Thermas Fabar.*? num vinum rubrum *Neoburg.* albo *la Coſte* præferendum? quomodo ex albo ſulphure extrahendum? ova, aut panem aquâ madidum injiciunt, ſed fruſtra : nocet non ſolum ſulphure ſed ſpir. narcotico. An albæ cereviſiæ fuſca præferenda? Aff. licet magis lupulata ſit : ſic enim minus obſtruit. Quando optimum tempus ſit adeundi *Thermas Fabar.* An non 2. vel 3. die loco *Caffée* bibere liceat *cremor. hord.* quia magis refrigerat & Gonorrhœam ſic magis impedit? An ☉ *horiz.* non liceat *in qualibet lunæ quadra* ſumere, quia tunc vertiginem ſentiat?

In literis die 21. *Dec.* 1692. *addit.*

1. Se *menſe Majo* aditurum *Thermas Fabarienſ.*

2. Poſtea ſe nupturum.

3. Si parcius cœnet, Gonorrhœam rariorem eſſe & ſi omittat aromata; *a* 3. *Dec.* emanſiſſe *ad d.* 16. *Dec.*

4. Obtuſionem fieri abſque perturbatione in capite: ſe in illa ſentire tinnitum imprimis in aure ſiniſtr. vibrationem coram oculis, hinc animum gravari & ſe triſtiorem evadere, & plerunque evenire à paſtu, unde illam adſcribit præcipue vaporibus. Addit ob hanc plane non impediri, quo minus ſuis negotiis vacare poſſit. Obſervat illam imminui *à pulv. cephalic.*

5. Vinum non magnopere deſiderare : expetit *ſpec. pro decoct.*

Reſponſio ad Literas & Memoriale hoc d. 23. Dec. 1692.

Obtuſio, quia fit abſque perturbatione capitis, nec impedit ipſum in negotiis, quia plerunque poſt paſtum & cœnam evenit, quandoque nulla aut exigua, non magni facienda : quæ evenit ſi mane ſitiat, indicio eſt, illum quendam cibum minus ſalubrem vel ventriculo non gratum comediſſe, cui etiam adſcribendus ardor & diarrhæa.

Phantaſmata, terrores & ſuccuſſiones indormituro evenientes, inſomnia iracunda, proveniunt à vaporibus calidioribus à ſtomacho & hypochondriis.

Anxietas & debilitates à metu, quia illas evitare poteſt maſculâ reſolutione, minus æſtimanda.

Gonorrhœa provenit à copia & acrimonia ſanguinis, unde evitari poteſt parciore cœna : aliàs illa quoque debilitat caput & genus nervoſum, evenit *à* 13. *Nov. ad d.* 21. *Dec.* ſexies.

Hypochondriorum dolor non magni faciendus, quia non continuus: illis proficuus eſt hæmorrhoidum fluxus : bonum ſi crebrius manarent.

Nec ardor ab olecrano ad carpum magni faciendus, quia rarius evenit; aliàs eſt prodromus rheumatiſmi.

Sic ſtantibus rebus nihil in cura mutandum exiſtimo, gaudendum quod nulla ſigna Epilepſiam minitantia appareant.

Pergat *pulv. cephalic.* ſufficiet ſi ſemel quotidie ſumſerit, & ☉ *horizont. in novi & plenilunio*, ne natura nimium his aſſueſcat. *Aquâ cephalic.* utatur audacter in vertigine, cephalalgiâ.

Setaceum apertum ſervet diligenti tractu : ſi non amplius fluat, *in fonticulum* mutari poteſt.

Mallem, ut vinum adhuc omitteret : illud præferrem cuilibet cereviſiæ : rubrum melius eſt albo ob ſulphur, quod ipſi non poteſt penitus demi : id faciunt ovis recent. immiſſis aut fruſto panis impræg-nato. Equitatio ſalutaris eſt.

De

De Thermis Fabar. adeundis tempus conſilium dabit.

Cremor hord. die 3. *decoct. Caffeé* ſubſtituatur non citiùs dum aquam bibit.

Ex Memoriali de d. 31. *Dec.* 1692.

A 19. *ad* 24. *Dec.* obtuſio rara & pauca : *d.* 24. *Dec.* nox tota inquieta , *die* 25. toto die obtuſio & noctu tormina patiebatur , *die* 26. ſequebatur diarrhœa : doluit caput ſubinde, ut & alibi. *D.* 27. *Dec.* In die novilunii bene, in prandio tamen anxietates, nebulæ cum vibratione coram oculis, phantaſmata occurrebant, quæ propulit forti animo. *Die* 28. diarrhœam patiebatur : veſperi obtuſionem cum tinnitu auris ſin. *Fonticulus* vetus ſe reſeravit ſponte. *Die* 30. *Decembr.* obtuſio fortis poſt prandium eveniebat ad horam nonam noctis. *Die* 31. bene ſe habuit. Palpitationes ſub cute quid ſibi velint?

Ex Literis de d. 31. *Decembr.* 1692.

Obtuſio evenit maxime poſt paſtum, gravatur inde caput , non dolet, ſi magna, non poteſt ſcribere aut legere. Si horam ſcribat vel legat defatigatur ita, ut ſequatur vibratio coram oculis, unde omittit. Caput non doluit, nec hypochondr. multùm : Gonorrhœa emanſit. Mane ſumit ſolummodo *pulv. ceph. uno die* ℨj. *altero* ℨß. *veſperi Elect. ceph.* In anxietatibus *aq. cephal.* Interdiu *Rotul.* perget his & *decoct. chin.* Vinum omittet. *Setaceum* in latere ſin. fluit large : in dextro ſiccatum eſt, quia *fonticulus* d. rurſus ſe reſeravit in brachio. An *fonticulus* in brachio apertus ſervandus, illique *Emplaſtr.* imponendum? A tractu *Setæ* dolet. An equitare liceat? an ☉ noceat?

Reſponſionem dedi d. 10. *Januar.* 1692.

Quoniam obtuſiones capitis rariores & minores ſunt , & non niſi moleſtius affligunt poſt paſtum ex imminente diarrhœa , non magni faciendæ : à paſtu omnes ad legendum & ſcribendum ignaviores & ineptiores ſumus, aut cito in hoc opere defatigamur. Quoad anxietates, phantaſmata &c. quia generoſo animo excuti poſſunt, innuunt potius animi ſeu morbum ſeu imbecillitatem eoque magis, quia dolores hypochondr. ſunt rariores , ut & vibratio & nebula oculorum. Tinnitus aurium, quia auditui non obſunt, nondum *remedia* poſtulant. Pergat *pulv. cephal. mane : veſperi Elect. Tab. interdiu.* Anxietate præſente *aqu. cephalic. Fonticulum* recrudeſcentem apertum ſervet *emplaſtr. diachyl. ſimpl.* Deliget *Setaceum* ut hactenus. Equi-

tet cœlo ſereno : ⊙ non timeat. De vino hac vice non reſpondi. Ad hunc uſque diem nullum epilepſiæ prodromum advertere potui.

Die 8. *Febr.* Ad memorialia prope eandem cantilenam repetentia, *Fonticulus* manat, *Setaceum* exaruit : vinum ſuadetur, illud non appetit, putat reliquias intra cranium ſupereſſe. Suadetur *vin. Rheintaleuſ. rubr.* ad cyath. j. in paſtu.

Reſpondi : Vinum adhuc omittat, quia ſerenum non uſque adeo eſt cerebrum, nam obtuſionem capitis, ſpectra terrifica & vibrationes oculorum adhuc ſentit.

Die 1. *Martii* 1693. *ſcribit. A d.* 8. *Februar.* hucuſque obtuſio nunc aliqua, nunc mitior, nunc nulla : vibratio coram oculis veſperi ſed mitior. Anxietatem maſcule excutere valet : *d.* 9. *Febr.* fluxerunt hæmorrhoides, dolor hypochondr. ſubinde ſed mitis. *D.* 19. *Febr.* doluit genu & brachium ſin. vellicationem ſentit in muſculis fœmorum veſperi & tunc quoque vibrationem oculorum. Gonorrhœam paſſus eſt *d.* 19. 24. *&* 25. *Febr.* diarrhœam cum torminibus *die* 24. *Febr.* obtuſio & ardor in faucibus *toto Febr.* multum remiſerunt. *V. S. d.* 22. in vaſculo 1. ſanguis ſublividus, in 2. ruber ſpumoſus cum ſero flavo. *A* 4. *Febr. ad* 28. tuſſiit, ſputumque copioſe ejecit. *Die* 1. *Martii* tuſſis remiſit : *die* 4. petiit *pulv. Rot. & Elect. cephalic. pulv. errhin. ſpec. pro potu ordinario.*

Die 7. *Mart. miſi petita* : pergat *medicamentis* : nova neceſſaria non ſunt : ſymptomata nihil mali portendunt nec recidivam minantur : eveniunt quædam ſaniſſimis : ſanguis in ultimo vaſe fuit bonus. *Fonticulum* ſi poſſibile in nucha apertum ſervet. Gonorrhœa non bona eſt, fovet ſymptomata.

Die 22. *Martii* 1693. *ſcribit* : ſubinde obtuſio & anxietates aderant. *A* 7. *Mart. ad* 22. ſæpius paſſus eſt Diarrhœam cum torminibus, unde in cœna bibit hauſtum vini rubri. Gonorrhœam paſſus eſt *die* 6. *&* 16. *Mart.* Hæmorrhoidum dolorem *d.* 12. *Mart.* hinc fluxum *ad* 15. *Mart.* Ardorem in faucibus ſenſit *Ab* 11. *ad* 14. *Mart.* Hæmorrhoidibus fluentibus ſanguis è naribus ſtillavit.

Reſpondi : Quia vinum rubrum in cœna potum à 14. *ad* 22. *Mart.* nullum damnum attulit, illo pergat. Ardoris cauſa in faucibus non fuit, nec fluxus hæmorrhoidum, quia jam ante illius potum aderat, nec inde auctus capitis ſtupor. Non tamen omittat *Cephalica*, ut primarius affectus caveatur & funditus extirpetur.

Die

Die 9. *Aprilis* 1693. *me convenit:* cœlo admodum pluvio huc equitavit: in itinere bene ſe habuit: noctu optime dormivit & melius quam domi. Bibit in paſtu vinum ſed paucum. Obtuſio capitis multum remiſit: conquerebatur imprimis de genuum imbecillitate & vibratione coram oculis, imprimis veſperi inter obambulandum. In itinere nunquam correptus fuit diarrhœa: dolores hypochondriaci exigui.

Die 10. *Aprilis accuratius ipſum examinavi:* appetit bene in prandio & cœna: non ſitit: à cibo non gravatur: ſi mane aut veſperi eructet, ructus cibum non redolet: nunquam nauſeat aut vomit: alvus aperta eſt, fœces naturales: quandoque diarrhœam patitur, fœces ſunt flavæ aut ſuſcæ, facile reſpirat: pulſus naturalis: cor palpitat leviculе, ſi angitur: caput non dolet: obtuſio rarior & mitior eſt. Vibratio plerunque veſperi etiam poſt cœnam contingit: ſi obambulet pro lubitu lento pede in prata vicina minus illam animadvertit; ſi vero in urbe & concitatius incedendum ſit cum comitibus, aut ſi ſedeat in templo alibive cum attentione quadam fortius illum affligit, accedit anxietas, ob quam graviora timet, accedunt ſpectra, quæ generoſa reſolutione excutere valet, non vel rarius & mitius in ſomno terretur cum ſuccuſſione artuum: dormit bene, auris d. tinnit, auriductus eſt ſiccus cum ſquamulis, genua tum ſponte tum in vibratione debiliora fiunt & vix illum ſuſtentant. Hæmorrhoides ſubinde ſponte reſerantur: pollutio nocturna ſubinde illum adhuc invadit.

Ex his concludo Affectum hypochondriacum, qui alicujus momenti ſit, nullum adeſſe dici poſſe: fomes epilepſiæ non magnus ſupereſt, quia iter hoc abſque moleſtia imo cum emolumento confecit: obtuſio exigua ſupereſt: negotiis ſcribendo & meditando ſolito more vacat: vibratio ſolum veſperi contingit, quando crudior chylus ſanguini permiſcetur: anxietatem ipſemet generoſe pellere valet: ſuccuſſio rarius contingit. Hæmorrhoides ſinendæ, pollutio matrimonio tolletur. Utatur igitur *pulv. cephal. alternis mane*, non amplius veſperi. *Tab. cephal.* ſumere poterit vibratione præſente pro lubitu. Item *aq. cephal. etiam poſt cœnam.*

℞. *Sacch. alb.* ℥iij. *pulv. analept. fr. Mind. c.* ʒiß.
Magiſt. ♁ii *diaphor.* ʒj.
Ol. deſt. majoran. roriſmar. āā. *gt. viij.*
Balſam. copaiv. ʒß. *Mſc. F. p. ſ.*

Hujus ʒij. *Mſc. cum aq. beton.* ℥iiij.

Fonticulum in nucha apertum ſervet. *Potum Thermar. Fabar.* differendum puto *ad* 4. *Jun.*

Die

Die 11. *April. ſcribit* præſente vibratione ſe triſtiorem reddi, palleſcere & extrema frigida fieri : ſe attonitum aliquando eſſe, quod non ipſemet, ſed adſtantes obſervent, *ad* 22. *Aprilis* bene habuit, ſubinde *ad d.* 27. *April.* paſſus eſt perturbationem capitis, vibrationem ante oculos, gonorrhœam *d.* 24. *April.* *Fonticulus* aridus erat, unde illum ſcarificavit.

Die 30. *April. ſcribit* ſe iter *Scaphuſium* & aliud bene perfeciſſe, vibrationem veſperi adhuc affligere, ſe cogitationibus abſurdis ſubinde vexari cum anxietate, quas tamen excutere valeat. Proficiſcetur in *Païs de Veaux* : emanebit 14. d.

Nihil novi ſuadeo : *Potus Thermarum Fabar.* reliquias tollet : imprimis excitatio animi : itinera cœlo ſereno.

Die 3. *Maji ab ultima V. S.* frequenter ſanguis è naribus ſtillat & hæmorrhoides fluunt, *an V. S. ante proximum novilunium ?*

Reſpondi : V. S. ſed non emittantur *ultra* ℥*iiij. purgans* ſumat non diu ante abitum *ad Thermas.*

Die 14. *Jun.* 1693. Ex morbo & morte *Domini Parentis* affectus hypochondriacus recruduit : igitur *agrum Bernat.* adiit *Gallicum* in quo 4. ſeptimanis commoratus eſt cum levamine. Adibit *Therm. circa Feſt. St. Joh. Bap.* petit *purg.* inſtructionem. Hactenus *pulv. ceph. quotidiè* inpoſterum alternis diebus ſumet : *in Therm. illum* omittet. *Uſque ad* 6. *Jun.* nullum vinum bibit, ſed nunc dimid. quartal. *decoct. ordin. dilutum.* Petit *tab. arom. balſ. cephal. nodul. cephal.* ad odorandum, *trochiſc. pro fum. die* 7. *Maji* ſenſit per hor. 2. anxietates, dolorem hypochondr. *die* 7. 8. 9. 10. *Maji*, cum ſpectris : *die* 30. *Maji* obtuſionem capitis *à d.* 22. *ad* 24. ardorem in faucibus *die* 11. & 12. diarrhœam & gonorrhœam : *d.* 8. & 16. *Maji. d.* 6. *Jun.* hæmorrhoides fluxerunt, *d.* 31. *Maji* vibratio coram oculis veſperi.

Die 4. *Jun.* quo die 1692. *Soloduri* Epilepſiâ correptus fuit, templum in monte adiit ſine ſymptomate excepta levi obtuſione, licet cœlum æſtuoſum fuerit. *Fonticulus* à 5. ſeptim. largiter fluit. *Miſi doſ. pro potu lax. Elect. lenit. Pil. al. c. rh. Rot. ceph. Tab. arom. balſam. ceph. nod. fragr. ceph. pulv. ſternut. pulv. aperitiv.*

Die 30. *Jul.* 1693, *ex therm. Fabar. huc rediit.* Cum appetitu bibit *ad menſ.* iß. *Solodurenſ.* tranſiit per urinam.

Alvus quandoque durior : ejus cauſâ ſumſit ter *El. lenit. hora ante pran-*

prandium. Ante annum attulit expectorationem : hac vice ſuſtulit illam, quam antè annum largam habuit & hac Æſtate & Vere. Nunquam diarrhœam excitavit, ſed appetitum egregiè. Bibit *Vinum album Fläſchenſe vetus* ſcil. ejus p. ij. & aq. p. iij. Bibit in ſummo 18. d. aſcendit *per d.* 4. & totidem deſcendit : ultimâ vice bibit *menſ. j.* Obtuſio ſubinde afflixit, maxime circa plenilunium. Vibratio non tam crebro moleſta fuit, ſubinde in prandio levicule ſine anxietate, ſemel in principio ſomni terrebatur, debilitatem ventriculi horâ ante prandium interdum ſenſit, horâ poſt potum perturbationem ac ſi ebrius eſſet. Tinnitus aurium imprimis dextr. adhuc durat in paſtu potiſſimum. Poſt paſtum patitur laſſitudinem cum anxietate, ſubinde melancholiam experitur ſine cauſa, unde ſe hypochondriacum putat. Spectra antequam indormiſcat ſæpe obveniunt. Gonorrhœam ter *in Thermis* expertus eſt : *Die* 31. *Jul.* ſumſit *pot. laxat.*

℞. *Fol. ſenn. ſ. ſ.* ℥iij. *Rhabarb. el.* ℥iiß.
Agaric. alb. ℥iß. *Flor. bugl. bell. m.* ãã. *p. j.*
Semin. aniſ. ʒj. *Cremor.* ♀. ℥iß. ⊖ *abſinth.* ℈ij.

Inciſ. & contuſ. indantur vaſ. vitr. clauſo, affund. aq. fontan. fervid. q. ſ. ſtent per noct. Mane facta levi ebullitione coletur ſine expreſſ. In colatur. ℥vj. *ſolv. mann. el.* ℥iß. *Coletur rurſus, det. ad vitr.*

Hæc potio tormina excitavit & adhuc 1. *Aug.* toto die, commovit etiam hæmorrhoides quinquies ad cochl. ij. heri & hodie : NB. quia col. expreſſerunt, tormina peperit. Veſperi correptus fuit horrore febrili : ſuaſi *Mixt. diaphor.* unde ſudavit noctu & mane *d.* 2. *Aug.* pranſus eſt, cibus ſapuit. Veſperi plane erat ἀπύρετος. *Die* 3. *Auguſt.* mane urina pallida, tenuis : vegetus : bibit *hauſtum Caffee*, toto die nihil febrilis obſervavit, noctu dormivit. *Die* 4. dedi *doſes* 3. *pulv. febrif.* Iterata fuit *aq. diaphoret.* ſi forte in itinere aliquid febrilis ipſum invaderet. Caput mane & veſperi doluit, adſcripſit ſomno ſæpius interrupto à pulicum agmine ipſum valde vexante. Mane etiam pollutionem paſſus eſt. Nihil de febri ſentiens poſt meridiem diſceſſit.

Die 9. *Sept.* 1693. In reditu in via aliquid febrilis percepit, hactenus nihil. Obtuſio, vibratio coram oculis, anxietates rariores & mitiores. Aurium tinnitus diu duravit; in d. remiſit, à ructu tympani motum non amplius ſentit. In ſomno terrores & quaſdam vellicationes adhuc experitur. Urina eſt pallida, licet vinum bibat ſed dilutum. Hæmorrhagiam narium ſubinde patitur. Gonorrhœa ter moleſta fuit. Suaſi *Venæ Sectionem, loco purgat.* utatur *Electuar. lenitiv.* Sive *Coffeé*

 decoct.

decoctum ſive juſcula avenacea bibat manè, propè perinde eſt. Pergat *ordinatis.*

Die 21. *Oct. ſcribit V. S. d.* 2. *Octobr.* celebratam fuiſſe, ſanguis non tam lividus ac pridem, ſed aduſtus & acidus erat. Obtuſio magis magisque evaneſcit. Ardor in faucibus ceſſavit. Tinnitus auris d. durat & auditum imminuit, obturatâ ſin. nihil audit: in ſin. tinnitum non amplius patitur, niſi circa novi- & plenilunium, ut nuper *per d.* 3. manente auditu. An *goſſypio* illinendus *Balſ. rutæ aut cephalic.?* tinnitus major eſt in paſtu. Quoniam in ventriculo aliquem morſum ſentit & dolorem, putat malum à ventriculo eſſe.

Reſpondi d. 25. *Octobr.* Tinnitus iſte oritur ab humore intra cavernas aurium occluſas: ſi vero coctio non recte peragatur in ventriculo aut humor pravus ibi deliteſcat, isque cum ſanguine permixtus illuc perveniat, inde augetur: per formam vaporis illuc aſcendere nequit. *Turundâ ex goſſypio moſchato* potius obturabit, quam *unctuoſo* illito. Aurem mundet *Turunda lintea. Pulv. errhin. alb.* illam excutit. Nihil auri inſtillet. Unde ſciet ſanguinem acidum fuiſſe?

Die 25. *Nov. ſcribit* ſe ſymptomate correptum fuiſſe, quo humi proſtratus fuiſſet, ſi non domi fuiſſet: ſtatim decubuit, cavitque graviora *medicamentis*. An vinum omittendum? An *medicamenta* continuanda ad Januar.? ſoror patitur tractum in cervice ad latus & terretur: ſi attente auſcultet in templo vertiginem & vibrationem experitur. *A* 1. *Nov. ad* 12. *Nov.* iter fecit: obſervavit exactam diætam: aures noctu, quandoque interdiu *goſſyp. ambrat.* obturavit. *Ab* 8. *ad* 16. *Nov.* hæmorrhoides apertæ. *A* 15. *ad* 19. *Nov.* odontalgiam cum otalgia paſſus eſt in ſiniſtro latere. Uſus eſt *Errhino*, quod *Millefleurs* vocatur, quod è dextra nare multum humoris eduxit: *d.* 15. & 16. caput admodum obtuſum erat: *die* 17. ſeu in ipſo die novilun. bene ſe habuit: *die* 19. dum obambulabat ſubitum fragorem in aure per cerebrum ſe diffundentem expertus eſt, ſequente magna anxietate: ſumta *aq. ceraſ. d. cum elæoſacch. cephalic.* melius habuit. Poſtquam è ſella ſurrexit, rediit tinnitus aurium & augebatur ab ingreſſu ac ſi per fragmenta papiri incederet, ac ſi, quoties pedem figeret, ſtrepitus per aures exiret: jungebatur vibratio fortior cum vertigine: hinc lectum petiit, quia ſimul frigus ſenſit: duravit tinnitus per hor. quadrant. Nulla jungebatur Cephalalgia, ſubſultus tendinum aut motus aliquis convulſivus. Pranſus eſt bene & bibit ad quadrant. vin. cum *decoct. diluti.* Poſtquam è lecto ſurrexit, ſenſit dolorem in ventriculo & utroque hypochondrio: tinnitus remiſit penitus & acutius audire ſe putavit. *Horâ*

râ 4. *veſp.* ſumſit ℨj. *pulv. cephal.* hora 6. cœnavit. Vinum omiſit. A ſonis fortioribus & a loquentium ſermone ad menſam per dies 2. Hora 9. noctis paſſus eſt tormina & dolorem in veſica, noctu bene dormivit. *Die* 20. *Nov.* mane ſeq. diarrhœa bilioſa poſtquam ſcutellas 2. *decoct. Coffee* bibit: ſumſit ☉ *horiz. ſemel* & hucuſque *pulv. cephalic.* Tinnitus quoque in aure d. remiſit meliusque audit, *d.* 21. tinnitus rediit in aure ſin. cum odontalgia quandoque otalgia cum ardore: dolent quandoque hypochondria cum ardore in faucibus. Obtuſio remiſit: vibratio auctior.

Symptoma hoc non erat affine Epilepſiæ pridem perpeſſæ: nam ſemper mens integra fuit, nullus motus convulſivus vel in facie vel alibi obſervabatur, imo poſt paroxyſmum obtuſio diu perpeſſa evanuit & caput valde allevatum ſenſit: tinnitus diuturnus auris d. ſublatus fuit & acutius audivit. Fragor ille & remanens aliquandiu ſtrepitus erant effectus *Ambræ* diutius in aure relictæ & quidem noctu & interdiu. Anxietas provenit à terrore ut & turbæ hypochondriacæ. Pergat *pulv. & aq. cephal.* ☉ *horiz.* utatur *ad mutationes lunæ.* Vinum dilutum audacter bibat. *Ambram* non penitus negligat. Utatur tribus noctibus, interdiu aures liberæ ſint. *Sorori miſi Elæoſacch. hyſteric. die* 28. *Nov.* 1693.

Die 29. *Novembr.* 1693. poſt nuperum fragorem in aure ſiniſtr. melius habet: caput robuſtius ſentit: *die* 26. *&* 27. odontalgia cum ottalgia moleſtæ erant: nunc iterum remiſerunt. In aure ſiniſtr. tinnitus manet ſine impedimento auditûs: in dextra exiguus eſt. Ab aliquot diebus dolet ventriculus, inde vergit verſus umbilicum & ad hypochondr. multum ſalivat: mane jejuno ſtomacho & veſperi patitur quandam fluctuationem in ventriculo ac ſi aqua ineſſet: *Miſi tab. cephal. Balſam. & elect. cephal. it. Trag. d.* 1. *Dec.*

Die 9. *Decembr. ſcribit:* in aure ſiniſtr. tinnitus eſt fortior, in d. minor. *Goſſyp. ambrat.* tribus noctibus auribus indidit & tot noctibus omiſit: an ita pergendum? auditum non impedit: ante nuperum inſultum in prandio & cœna tam moleſtus erat, ut loquentes vix intellexerit. Nunc in paſtu nec tinnitus augetur, nec auditus impeditur: tinnitus minor, quam ante inſultum & acute audit: caput multum levatum & obtuſio exigua eſt. *Mane* ſumet *ad* 1. *Januar.* ℨj. *pulv. ceph. & Trag. quadrant. hor. à prandio:* dolores hypochondriorum imminuti & rariores. Murmura ſubinde ſentit cum dolore. A 4. ſeptimanis ſubinde per biduum conſtipatur. Petit 50. *doſ. rad. chin. & Elect. laxat.*

Pergat *Goſſypio ambrat.*

A die 9. *Dec.* valetudinis ſtatus *ad d.* 9. *Jan.* 1694. talis erat. *D.* 21. *Decembr.* in templo anxietate cordis tanta correptus fuit, ut oculi obtenebrati fuerint & phantaſmata obſervata ſint : ſumſit *Tabellas & balſam. cephal.* naribus admovit, unde vires recuperavit. *D.* 26. *Dec.* tota nocte tormina paſſus eſt & die ſeq. toto : ſequebatur diarrhœa acerrima, ut inde doluerit podex cum ardore : hinc doluit quoque ventriculus veſperi & noctu cubitum ituro, donec indormiverit, licet veſcatur cibis boni ſucci & facilis coctionis & parcè : ſæpe etiam murmura & rugitus ventris percipit. *A* 2. *menſib.* ſentit punctiones ſub axilla in pectore lateris ſiniſtri è regione papillæ : durant per horæ quadrant. ſæpe d. 2. non affligunt. In ſiniſtro latere colli quoque, ſed ſunt momentaneæ. Ardor faucium remiſit. Aures adhuc tinniunt ſed ſine obauditione. In tarſo pedis ſub planta dolet quoque aliquando.

Capitis obtuſionem circa novi- & plenilunium *per dies* 2. ſenſit. Expetit *Rotulas, pulv. ceph. & Trag.*

Scripſi d. 10. *Januar.* 1694. Anxietatem illam in templo proveniſſe ab humore bilioſo ſeu alio in ventre, quod etiam inde patet, quia 26. *Decembr.* poſtea paſſus eſt tormina, ſubſequente diarrhœa bilioſa : hactenus patitur dolores in utroque hypochondrio, levicula tormina, ventriculi inflationem : ejus ſoboles ſunt quoque dolores punctorii &c. alibi in corpore. *Purgantibus* malum exaſperatur, quia tunicæ internæ ventriculi & inteſtinorum denudantur : bibat *decoct. Coffeé mane : ejus* ℥j. *coq. in aq. fontan.* ℔j. *cum ſacch.* ſumat *pulv. ceph. rarius.*

Die 17. *Januar. ſcribit.* Ab anno bibit *decoct. Coffeé ſine ſaccharo,* putat materiam præbere pituitæ : non amat dulcia : an neceſſariò addendum ? an colandum ? appetitum excitat : ante prandium patitur debilitatem quandam cum dolore in ventriculo & hypochondr. ſentit frigus quoddam in ſtomacho. Anxietates ſæpe redeunt horâ 10. antimeridianâ : *d.* 8. *Januar.* duabus horis poſt prandium per dim. quadrant. horæ afflixerunt : cum legebat oculus obfuſcatus fuit : poſtea ſcintillas micantes obſervavit, ſequebatur dolor frontis durans per quadrant. horæ. In victu nullum errorem commiſit : præceſſit dolor vehemens in vertice : anxietates forti reſolutione excutit.

Dolor verticis, frontis &c. non eſt cauſa domeſtica intra cranium, brevi duravit : utatur *conſuetis :* pergat *decoct. Coffeé*, bibat illud mane colatum aut decantatum.

Die 3. *Februar.* 1694. *ſcribit* anxietates remiſiſſe ſenſim : nunc terrores moleſtos eſſe. Pergat *more ſolito præſcriptis.* *Die*

Die 7. Martii. Feſtivitati nuptiali ſororis interfuit: itinera eques fecit, unde dolores hypochondr. debilitates, anxietates & ſtupor capitis multum imminuebantur: nuper paſſus eſt odontalgiam & otalgiam. Circa novi- & plenilunium veſperi horâ quintâ ſentit debilitatem quandam, oſcitandum eſt, & frigus in plantis pedum. Ad focum *ex potu Theé* melius habet, quandoque *Chiocolatam ſine pipere paratam* bibit, unde animus exhilaratur, urinam promovet & appetitum conciliat. An bis in ſeptimana vel ter *Chiocolata* bibenda? *D. D. Rheinhard* diſſuaſit *Acidul. St. Maurit.* tum propter affectum hypochondr. tum propter Epilepſiam. Commendavit *potum Thermar. Fabar.* quas 5. æſtatibus *Nobil. Fidel.* im Thurn bibit. Ante annum licet grata eſſet ſocietas, mœſtior evaſit. Quibus utendum ſit hæſitat. Domi *Thermas bibendas* vix ſuaſerim. Commendavi equitationem. *Therm. Fabar.* præferrem.

Die 21. April. Quia *Thermarum Fabar.* potum utiliorem ventriculo debilitato judicavi, illarum potum deſiderare videtur, quia in paſtu multum ſalivat. 2. Veſperi ventriculus dolet cum oſcitatione frequent. frigore, mœrore, viſûs imbecillitate, quæ omnia ventriculo debili adſcribit. 3. Hypochondria debilia, quia ſubinde Melancholicus evadit cum anxietate. Circa novi- & plenilunium cubitum iturus ſentit per horæ quadrant. ſtuporem capitis, ſubſultus tendinum, terrores in ſomno, aliàs non amplius. In paſtu nuper evenit cum cordis palpitatione & imminente leipothymia, quam generoſe ex animo pepulit. A tribus ſeptimanis muſca oculo obverſatur, impedit quandoque viſum in legendo & ſcribendo. *Die 20. & 21.* hæmorrhagiam narium paſſus eſt. An *Thermas Fabar.* ſuadeam? illuc abibit *circa finem Junii. Purgante* domi utetur *& V. S.* In loco utetur *Elect. lenit.* Expetit etiam *pulv. errhin. alb. ſpec. pro decoct. laxat.*

Die 3. Maji quia appetit eas ſuaſi: miſi *Balſ. ceph. pulv. errhin. ſpec. laxat. colaturæ loco mann. add. ſyr. roſ. ſ. ſ.*

Die 30. Maji 1694. Concluſit, ſe *Thermas Fabarienſes* aditurum: an *Embrocatio* ibi audenda? an *Trag.* poſt prandium & cœnam ſine impedimento ſomni, dum *Thermas* bibit, uti liceat? in ultimo novilunio nullum capitis ſtuporem aut perturbationem paſſus eſt: at vertex *per dies 4.* valde doluit. *Die 20. Maji* in templo durante concione valde angebatur: uſu *tab. & balſ. cephal.* manere & communione frui poterat. Nuper ab hæmorrhagia narium unc. iv. effluxerunt, ſanguis pulcher. In plenilunio nec ſtuporem, nec verticis dolorem percepit.

 Stupor

Stupor non ampliùs moleſtus: tinnitus aurium multùm remiſit. Gonorrhœa, anxietates & terrores nocturni crebriùs redeunt. *Poſt ultimam V. Snem* dolorem præcordiorum permoleſtum paſſus eſt. Muſca adhuc oculo d. obverſatur.

Reſpondi: Embrocatio ob dolorem Verticis mihi ſuſpecta eſt. Butyrum cum pane ante prandium comedat: *Trag. poſt prandium & cœnam* ſumat, quia cibi non bené coquuntur: non turbabit ſomnum. Vinum diluat *Ptiſana* , imprimis generoſum : Utinam tandem Gonorrhœa rarior eſſet.

D. 15. *Jun.* de uſu butyri dubitat, eo quod affectum hypochondriac. augeat *ex ſententia D. D. Rheinhardi & Brunneri Solodurens. Embrocationem ex illorum Conſilio* ardet. *Aquâ fœnic.* an oculos abluere liceat? *Affirmatur* : *Embrocatione* cautè utatur. Tantum abeſt ut butyrum noceat hypochondr. quin potius proſit moderatè ſumptum , quia tenſa laxat.

Die 6. *Octobr.* 1694. ſe excuſat, quod *ex Thermis Fabarienſib. Scaphuſii* non tranſierit. *Die* 22. *Jul. potum Therm.* auſpicabatur, finiebat curam *die* 13. *Auguſt.* inde meliorem effectum ac ante annum obſervat, quietius noctu dormit, oſcitatio, flatus in abdomine & ventriculo, obtuſio capitis, Gonorrhœa, etiam melancholia (quæ plerumque poſt prandium circa veſperam moleſta erat) non tam frequenter, nec tam acerbè ipſum affligunt, uti antea. Muſca adhuc oculo dextro obverſat , verum non tam frequenter ut ante curam. In ſiniſtro hypochondrio nunc magis dolet à 4. ſeptimanis , oculus ſiniſter manat. Salivatio adhuc continuat, imprimis poſt paſtum , hanc tamen non apprehendit, modo hyems faveat, quæ ante annum gravis ipſi fuit. *A menſe Jun.* hucuſque *nullis medicamentis exceptâ Trag. alternis diebus* uſus eſt. An *medicamenta* omittenda? an ante novi- vel plenilunium *pulv. cephal. aut* ☉ *horizont.* ſumere debeat? An *Trageæ tertio vel quarto die* ʒj. ſumenda ſit per hyemem ? an vinum cum tertia parte decocti bibere liceat? an *vinum abſinth.* in cœna non noceat? ſi hoc bibere liceat, rogat ut *ſpec.* pro tali mittantur; amaricantia amat. An *V. S.* poſt octiduum cum amicis inſtituere poſſit, aut an differenda ſit ad tempus vernum? heri & hodie nares ſanguinem ſtillarunt.

Die 10. *Octobr.* præterito die ☉ in manu ſin. prope carpum dolorem ſenſit , qui pungendo ad olecranum uſque tendebat, ſequenti die in novilunio dolor ad noctem uſque excruciabat : horâ 1. ante cœnam caput obtuſum valde erat, poſt cœnam caput etiam doluit, dolor

dolor brachii ſiniſtr. continuabat ad mediam noctem, poſtea remittebat, ut dormire valuerit: *die* 9. *Octobr.* mane dimidiâ horâ *ante potum Coffee* tormina ventris ipſum affligebant: purgabatur inde ter quaterve copioſe. Dolores brachii ſiniſtr. pene remiſerunt, nunc bene ſe habet: uſus eſt cum fructu *pulv. contr. flux.* quem *Dno Præfecto Fiſcher* ſuaſi.

Reſpondi: Effectus *Thermar.* ſatis boni, ſymptomata pleraque mitiora facta ſcil. oſcitatio, obtuſio, melancholia, Gonorrhœa: efficaciores ideo, quia *à Junio hucuſque nullis* uſus eſt *Medicamentis.* Tormina ventris, quia ſequitur diarrhœa non ſunt magni momenti. An novus hoſtis eſt dolor carpi: verum quia abactus fuit *pulv. contr. flux.* meliora ſperanda ſunt: attendendum tamen eſt, ſi alios articulos invadat. ☉ *horiz.* & *pulv. ceph.* utatur *ſolum circa novilun. Tragea* uti poterit pro lubitu: imprimis ſi flatus moleſti ſint. Dolor hypochondr. ſin. eſt à flatibus. Vinum diluat porro *decocto rad. chin. Vinum abſinthites* penitus omittat, caput gravat. *V. S. die* 27. *aut* 28. *Octobr. Miſi petita cum pulv. contr. flux.*

Die 2. *Febr.* 1695. ſatis bene ſe habet excepto affectu hypochondriaco, qui ante octiduum moleſtus erat ab itinere frigore peracto: horâ unâ poſt prandium tormina ventris ſubſequente diarrhœa patitur: veſperi horâ 4. aurium tinnitus cum anxietate & debilitate capitis per 3. aut 4. horas durant: hactenus nunquam decubuit. *D. Körberli Chymicus in Münſter ad D. Colonellam de Muralt vocatus* pollicetur ſe affectum hyponchondr. radicitus extirpaturum: hucuſque ab illo *nulla medicamenta* ſumſit: utitur ante novi- & plenilunium *pulv. cephalic.* interdum etiam *Trageâ.*

D. 24. *Sept.* 1695. *ſcribit: D.* 22. *Sept.* ſe tormina ventris paſſum fuiſſe cum diarrhœa, quæ ſequenti die continuavit cum dolore capitis; *die* 23. à meridie horrore corripiebatur cum dolore lumborum, amaritie oris, ſequebatur ſomnus inquietus: *die* 24. mane caput doluit ſine diarrhœa, urina hoc mane erat tincta: à meridie turbida cum ſedimento craſſo: petit *remedia.*

Reſpondi die 26. Omittat vinum, miſi *ſequentia medicamenta.*

℞. *Cortic. chin. chin.* ℥ß.
⊖ *abſinth. gr. vij.*
Sacch. alb. ℈j.
Mſc. iteretur doſ. adhuc ter. detur ſing. ſeorſ. ad chart.

℞. *Aq.*

℞. Aq. card. ben. flor. ſambuc. ãã. ℥iiß.
Magiſt. ♃ii diaphor. ℈j.
Elect. alexipharm. ʒß.
Syr. rub. id. ℥ß. Mſc. detur ad vitr.
Doſ. ſingulo triborio cochlear. ij.

Ex literis de d. 2. Octobr. 1695. medicamenta conducunt, diarrhœa continuat, debilitatur inde: paroxyſmus febrilis mitiſſimus eſt.

OBSERVATIO CXXXII.

Epilepſia cum Calculo ſeſſili.

R. *D. P. Franciſcus Antonius de H.* 28. annorum *Capucinus*, quando legit vel unicum paragraphum longiorem, caput ſtatim dolet & viſus quaſi evaneſcit, ut ſtudia continuare nequeat, quæ tamen per biennium adhuc continuare deberet: verba literis rubris impreſſa non niſi cum ſubita viſus perturbatione legere poteſt: ante prandium manibus tremit, imprimis ſi diu differre illud cogatur, hinc nonnunquam bina juſcula comedere debet. In oculis nihil p. n. conſpicitur, pupillæ parvæ, perſpicuæ, videt diſtincte objecta.

NB. In ſeptimanâ ſanctâ in uno die quinque paroxyſmos epilepticos paſſus eſt cum memoriæ debilitate, ut precationem dominicam non amplius recitare potuerit. Sæpe dolet valde in rene dextro, indeque ſentit aliquid ad ureterem deſcendere, & poſt cruciatum ſatis longum percipit aliquid recedere. Epilepſiæ anſam dedit terror & timor. Urina habet ſedimentum lutulentum, eſt pallida.

Apud R. D. P. genus nervoſum ab illoque pendentia valde irritabilia, ſpiritus evanidi, renem dextrum calculus occupat. Suaſi *die* 8. *Auguſt.* 1690. *antiſpaſmodica ex C. C. Ung. alc. diaph. ♃l. extr. caſtor. Cinnab. nativ.* Contra calculum imprimis commendavi *meum inungendi modum: baccas Juniper. pulv. antinephrit.*

Die 20. *Auguſt.* 1690. *ipſum conveni Rottenburgi*: eſt Hernioſus. *Generoſus ipſius Dominus Pater* obnoxius fuit colicæ bilioſæ, podagræ, nephritidi, convulſionibus, quibus mortuus fuit: calculus vi ex virga exſectus fuit.

Conſilium Medicum.

R. *D. P.* præterita ſeptimanâ ſanctâ veros eosque graviſſimos paſſus eſt paroxyſmos epilepticos: quoniam iſti plerumque facile, etiam citra

citra cauſam externam redire ſolent, & tandem in epilepſiam immedicabilem deſinunt, neceſſum ut *medicamentis & congrua victus ratione* quantum poſſibile, huic morbo occurratur, eoque magis, quia aliàs genus nervoſum exquiſito ſenſu præditum habet, unde diu legere, intenſius meditari, aut diutius jejunus manere nequit. Suaderem igitur ipſi *hunc pulverem* :

℞. *Radic. valerian. ſylv.* ℥ß.
pœon.
C. C. ph. ppt. āā. ʒij. *Ung. alc. ppr.* ʒj.
Cinnab. nativ. Ungar. ʒß.
Succin. alb. ppt. ʒiß.
Sacch. alb. ℥iiß. *Mſc. F. pſ. ad ſcat.*

Hujus pulveris quantum capit putamen juglandis per integrum ſemeſtre mane quamprimum licet, & veſperi duabus horis à parca cœna cum aqua flor. til. aut ſatyr. purpur. aut ceraſ. dulc. ſumat. Propter exquiſitum ſenſum ventriculi *purgantia* omittat. Propediem *Fonticulus* ipſi excitetur *in brachio ſin.* Nunquam cerebrum nimis fatiget.

Præter hæc habet in rene dextro Calculum ſeſſilem, ut ex multis ſignis patet : hanc ob cauſam ſingulo mane maſticet *quinque baccas Juniperi bene maturas* easque deglutiat. *Qualibet lunæ quadra mane* ſumat *drachmam pulveris antinephritici cum pauxillo vini albi ac per horam obambulet.* Illo die intermittat *pulverem antiepilepticum.*

℞. *Lap. Lync. ppt. Judaic. ppt.* āā. ʒij.
prunell. ℈ij. *Oc.* ♋. *ppt.* ʒiij.
⊖ *Juniper.* ʒj. *ol. ſuccin gt. ij.*
Sacch. alb. ℥iß. *Mſc. F. ps. ad ſcat.*

Si lapis exitum cum dolore quærat, primum fricetur digitis *oleo quovis à ſpina dorſi antrorſum inter coſtas & os ilii, & hinc deorſum ſecundum ductum ureteris ad os pubis. Sæpe* detur *cochlear. unum de hac mixtura prius bene agitata.*

℞. *Ol. amygd. dulc.* ℥iß. *ſyr. dialth. Fern.* ℥j.
Aq. malv. equin. ℥ij. *ſp. tereb. gt. ij. Mſc.*

Si conſtipatus ſit, injiciatur *clyſter paratus ex vitell. ov. No. ij. ol. lin. cochl. iiij. mell. cochl. ij. & juſcul. carn. vel lact.* ℔j.

Propter utrumque affectum ſatis gravem accurata diæta ipſi ſumme neceſſaria eſt. Verſetur ſemper in aere temperato; frigidus, humidus,

dus, nebuloſus ac pluvius ipſi valde nocet. Veſcatur cibis boni ſucci, facilis coctionis: nocent carnes animalium adultiorum & mucoſæ, ut adultior bubula, ſuilla, ferina: carnes & piſces ſaliti fumoque indurati: ova ad duritiem cocta, paſtæ farinaceæ ſine fermento confectæ; fructus crudi, braſſica & rapæ muriâ conditæ. Bibat vinum bene maturum, non valdè ſulphuratum: nocet auſterum, acerbum & acidum: imò ſi malum invaleſceret, vinum penitùs proſcribendum foret. *Lign. viſc. quern.* ℥ij. *coq. in Aq. fontan.* ℔iiij. *hoc decocto* vinum generoſius diluere, & ſi valde calefaceret & ſitiret, ſolum bibere poſſet. Ab intenſioribus ſtudiis aliquandiu arcendus eſt. Bene fieret, ſi locum ubi primo ab epileptico inſultu obrutus fuit, mutare liceret. Si debilitas ante prandium non cederet, *mane poſt juſculum* ʒj. *hujus Trageæ* ſumere poſſet *cum fruſtulo panis toſti & vino emolliti:*

℞. Pulv. ſtomach. B. ℥ij.
Spec. diarrh. Abb.
diatr. ſant. āā. ʒj.
C. C. ph. ppr. ʒij. *Ol. N. M expr.* ℈ß.
Sacch. alb. ℥ij. *Mſc. F. pulv. ad ſcat.*

Obambulationes in umbra & loco temperato Ipſi valdè prodeſſent.

Deus T. O. M. hæc R. D. P. ſalutaria eſſe jubeat!

Rottenburgi d. 20. *Auguſt.* 1690. Joh. Jacob. Wepfer, M. D.

Anno 1691. *d.* 23. *Febr. ſcribit R. D. P. Vratislaus Wolfachenſis Guardianus Engâ, ipſum Rothwilæ caſtratum fuiſſe feliciter: cætera medicamenta ipſi bene contuliſſe.*

OBSERVATIO CXXXIII.

Epilepſia per Conſenſum.

UXor 28. circiter annorum, liberorum 5. optimæ ac floridæ conſtitutionis, ſpatio annorum 9. conjugii, mater facta: temperamenti phlegmatico-melancholici, vultûs ut & totius habitûs corporis maxime carnoſi, mollis ac inflati, coloris ſubluridi; torpidam, ſolitariam, anxiam, curarum plenam ac quaſi incarceratam vitam agens; animi puſillanimis ac ſumme meticuloſi, ad tædium, iramque proni: *Anno* 1674. primo ſcil. matrimonii, circa primos graviditatis menſes, doloribus vulgo dictis hyſtericis, cum contorſione ac aſcenſione

ſione hypochondriorum ſuffocante, interceptâ reſpiratione ac ſummâ inquietudine prehendebatur; quæ ſymptomata, medicamentis hyſtericis aliisque interdum mitigata, ſæpius autem recurrentia, hacce viciſſitudine, gravidam ad tempus parturitionis uſque moleſtabant: ſequenti puerperii tempore, ut & in reliquis puerperiis, lochia nunquam debite ac ſufficienter fluxerunt, nec toto lactationis tempore unquam, nec etiam reliquo ante ingravidationes intermedio, præter ſemel interdum vel bis, incerto quamvis ac indebito modo, menſes apparuerunt: poſtea vero à primâ hacce invaſione per totum matrimonii decurſum, à prædictis doloribus, nunc extra nunc intra tempus imprægnationis vel puerperii infeſtantibus, nunquam ſemeſtrali fere ſpatio integro immunis fuit; quin potius indies ingraveſcerent ac tandem increbreſcentibus paroxyſmis, inflationibus hypochondriorum ſpaſmodicis ac membrorum jectigationibus violentis ſenſim exacerbati, ex leviſſima occaſione, puta ſubito terrore vel indignatione recurrerent, uti quidem primâ vice ob horrendum iſtum terræ motum (qui prædicto anno 1674. die quadam ſolis, durante concione veſpertinâ, cui etiam interfuit, ſummi templi ædificium funditus adeo concutiebat, ut plurimi ruinâ corruente ſe ſepultum iri metuerent) mox concione finitâ domum redux ex ſola conſternatione, correptam fuiſſe, ipſa & domeſtici manifeſte teſtantur: imo quoties interea temporis vel incendium nocturnum vel horrenda tempeſtas vel terræ motus aut aliud quid portentoſum contigit; paroxyſmus & quidem longe ferocior, nunquam non è veſtigio ſequebatur & diutius durabat: non ſilendum quoque à primo tempore adeo ſemper fuiſſe conſtipatam, ut interdum per 12. dies abſque ulla recluſione alvus pigerrima manſerit, nec aliam unquam niſi *clyſtere* ſtimulatam habuerit ſedem: inſuper comites indefeſſi fuerunt ſumma triſtitia, angores ac inſultus melancholici, quibus adhucdum miſere excruciatur.

In tali ſtatu *à diverſis Medicis, remediis utplurimum hyſtericis, eccoproticis, deobſtruentibus aliisque variis*, varie fuit tractata, donec anno præcedenti *in Januar. & ego* urgente paroxyſmo vocatus, primâ vice ipſam inviſerim, ſequenti modo detentam non longe poſt penultimum puerperium; ſymptomatum ſyndrome hæc fuit: hypochondria ac præcordia primum, creberrimis vicibus violentiſſime fuerunt concuſſa, pariter ac pectus ſucceſſive ac evidentiſſime, aſcendendo in fauces uſque, mox caput retro, labia ac partes faciei hinc inde mire convellebantur, oculi celerrimi in gyrum rotati, à palpebris micantibus, repetitis vicibus claudebantur, interdum contorti ac fixi ſtabant; dehinc ſuperveniebant capitis, membrorum titubantium, ac tremulorum, imo totius corporis tanta vibratio ac prona ſupinaque jactatio convulſiva, ut totum lectum, imo fere cubiculum cum miſe-

 rabili

rabili aſpectu exinde fortiter commoveretur, interdum clamores ac vociferationes doloroſæ, ſub finem autem profundiſſimi gemitus, ſermo nullus, nullum reſponſum cum omnimoda reliquarum functionum animalium abolitione audiebantur, & ita paroxyſmus ultra bihorium duravit: cum itaque mox viderim, paſſionem hancce ferociſſimos eſſe totius ſyſtematis nervoſi, tam circa plexus interiores parisvagi ac rami intercoſtalis, quàm cerebri ac reliquarum totius ductus ſpinalis ramificationum, ſucceſſive ac ab una extremitate ad aliam, retrogrado more, affectarum motus convulſivos; ad ſpirituum exploſiones ſedandas illicò naribus admovi *ſpiritum C. C. fœtidiſſimum, caſtoreum aliaque fœtida ambuſta*; ori *cochleatim* inſtillavi *antiſpaſmodica hyſtericis permixta ex aq. antiepilepticis, hyſterica Querc. Pulegii, tincturâ caſtor. ſuccin. & præcipue cinnab. antimon. opt. rectif. & interdum nativ. parata* ad finem uſque paroxyſmi: quæ omnia reiteratis ſexies per triduum invaſionibus aſt ſemper mitioribus, totidem repetii, injectis interim *repetitis clyſteribus emollientibus ac carminativis*: quibus ceſſantibus, varia extra paroxyſmum uſurpanda *antiepileptica, cardiaca, viſcera ac imprimis cerebrum genusque nervoſum corroborantia* (propter ſummam hujus ut & ſpirituum animalium debilitatem, in perturbationem ex leviſſima cauſa vel animi commotione, pronam) *interdum etiam deobſtruentia ac lenia purgantia cum ſpleneticis ac ſale volatili ſcorbutico & oleoſo præditis mixta* (cum particulas exploſivas ſpiritus in tantas inordinationes adigentes, ab excrementitio imprimis humore, fermenti lienis vitio depravato primordia ſua ducere nullus hæſitabam, juxta quod plerumque paroxyſmus ab initio ſpaſmodica rudimenta ab hypochondrio duxerit ſiniſtro, quamvis & uterum inſontem nequaquam judicem) *variis formulis, tempore ac modo præſcripſi*: inter alia non levi cum fructu *per aliquot ſeptimanas quotidie bis guttulas aliquot in liquore appropriato ſpiritus ſalis armoniaci aniſati ſumſit*: ita ut horum & aliorum ope auxiliante Numine Divino *à Januario in Junium uſque* ab hiſce inſultibus immunis perſtiterit, quo tempore *potum Acidularum Swalbacenſium* domi (cum peregre ad harum ſcaturiginem vel etiam aliarum proficiſci, ac lares domeſticos, utpote horum curæ nimium ſatagens deſerere nullâ arte perſuaderi potuit) præſcripto modo ac ordine *ad vitra ſex aſcendendo ſpatio ſeptimanarum* 4. abſolvit cum alleviatione non contemnenda, quamvis jam per tres menſes gravida fuerit.

Ab hocce tempore rarius, nec niſi prægreſſo ſemper inopinato terrore, priſtino quamvis ſat tolerabili paroxyſmo correpta fuit: uti nuper fuit factum ultimo prodigioſo hocce percepto terræ motu. Interim

terim & aliis temporibus dolorem in regione lumbari ſeparatum interpolatis vicibus ſat crudelem ſenſit & adhuc ſentit cum appetitu proſtrato, vomitu ac nauſea, ita ut quaſi nephriticum mentiretur, qui tamen ſæpius ſumto emetico rejectâ maximâ copiâ bilis qualibet vice mitigatus fuit, nullâ ſabulosâ vel mucosâ hypoſtaſi ad fundum matulæ urinariæ ſequeſtratâ: num ab humore bilioſo ad inteſtina elutriato ibidemque effervefacto, an ſeroſo acri ibidem circa coxæ partes nidulante, nervoſasque partes vellicante lumbaginis ſpecie, hæreo.

Super hæc omnia ab Excellentiſſima Dominatione Veſtra petitur Conſilium. Cujus doctiſſimæ, amiciſſimæ ac deſideratiſſimæ inſtructioni affectuique plus quam paterno humillime me commendans ſum & maneo

Excellentiſſimæ Dominationis Veſtræ

Devotiſſimus Cliens

Franciſcus Platterus, M. D.

Baſileæ d. 12. Maj. 1682.

Reſponſio.

Affectum *Nobil. Matronæ* Epilepſiam dixerim, quoniam cum motibus convulſivis aboliti fuerunt ſenſus omnes, imprimis in graviſſimo paroxyſmo *Menſ. Jan.* 1681. non tamen negarim illam occipere læſis ramis paris vagi infra diaphragma, poſtea etiam intra pectus intercoſtalibus cum paris vagi ramis commixtis aut meris in faucibus, quod manifeſte patet ex dolore abdominis, ſuccuſſione, contorſione & inflatione hypochondr. & præcordiorum; vibratione intra pectus, reſpirationis interceptu, aſcenſu fortè veluti boli ad fauces: brevi tamen alii nervi motui voluntario deſtinati huic calamitati involvuntur, cùm convulſivi motus in labiis, genis, palpebris, pomis oculorum obſerventur, imo tandem totum ſyſtema nervoſum in conſenſum abripi docent non ſolum terribiles capitis, trunci & artuum motus convulſivi, ſed etiam omnium ſenſuum abolitio.

An nervoſa iſta afflictio circa nervorum expanſionem in membrana aliqua nervea, an in plexibus ſit, certo affirmare non poſſum; ſuſpicionem prioris facit lumbago ſæpe crudelis cum inappetentia, nauſea & vomitu conjuncta: attamen quia quoque hæc obſervatur in colica bilioſa, in qua plerunque plexus meſenterici affliguntur, quia quoque plerique paroxyſmi ab hypochondriis imprimis ſiniſtro incipiunt, forte illa in plexibus fiet.

Exploſioni Williſianæ hactenus aſſentire nequii, utcunque illam ſpecioſe proponat, imprimis *in hac Matrona*: me perſuadet paro-

xyſmorum duratio ſcil. ultra duas horas continuas: certe nervis graviter irritatis evenire hæc multis experimentis didici.

In ſententia me confirmant *juvantia ſcil. acidulæ & antiepileptica:* Irritamen in ſero latère exiſtimo, hoc enim abundare probant vita ſedentaria, habitus corporis inflatus, caro flaccida: hoc reddit ſanguinem mobilem, unde à levi terrore commovetur: hoc ad intimos receſſus nervoſos ſua tenuitate penetrat, hoc facile ſibi nidum parare in plexibus nervoſis potuit, quia per plures dies conſtipatur ordinarie, imprimis tempore primæ conceptionis, cum tunc & vaſa lymphatica & ſanguifera tumidiora exiſtant: hoc denique priſtinos canaliculos invenit & repetit. Attamen paroxyſmos non faciet niſi extravaſatum & ſtagnans in intimis expanſionum aut plexuum nervoſorum receſſibus, cum ejus alluvium aliàs facile toleret, ut in hydropicis obſervatur. Bilem utcunque irritet quoque, non tamen illam hic accuſarem cum vix centeſimus ex ictericis tale quidpiam experiatur.

An nidum quoque ſibi fecerit circa uterum imprimis in ligamento lato, ubi plurimi rami nervei expanduntur, vix negare poſſem: cum ejus effuſio in plurimis locis ſimul evenire poſſit.

Quia affectus intra 7. annorum decurſum ſæpius invaſit gravidam & utero vacuam & quidem aliquoties ſatis atrociter, curatu ſane difficilis erit: attamen quia ut loquuntur per conſenſum eſt, & primariam ſedem infra diaphragma habet, loco ſcil. ab ἐγκεφάλῳ remotiore, meliora ſperabo.

Potiſſimum occuparer in corrigendo ſero *Antiepilepticis* extra paroxyſmum: ſuſque deque habito liene, cujus uſus ſumme dubius eſt cum fermentatione peculiari ibi peragenda: certe potiſſimum his rem abſolvi: ſuaderem *hunc pulverem.*

℞. *Radic. valerian. ſylv* ℥ß. *pœon.* ʒij.
Pulv. antihect. Pot. ʒiß. *Cinnab.* ♁ii ℈j.
C. C. ph. ppt. Ung. alc. ppt. ana. ʒij. *Ol. N. M. expr. gr. ij.*
Sacch. alb. ℥ij. *Mſc. F. p. ſ.*

Doſ. ʒß. *Mane cum aqu. flor. til.*

Negarem vinum, bibat *decoct. lign. viſc. q. cum paſſul.* Alvus aperta ſervetur *clyſter. plane emoll. ſuppoſit. ex butyr. vitell. ov.* ⊖.. vitanda omnia irritantia; *fortiora purgantia, vomitoria, alterantia.*

In paroxyſmo proderit *ſpir.* ✱*c. urinoſ. ſpir. C. C. fœtid. caſtor. balſam. ſuccin.* quæ naribus admoveo, non inungo: *fumos fœtidos* non niſi in prope conclamatis adhibeo, quia aliàs graves cephalalgias finito paroxyſmo & diuturnas poſt ſe relinquunt. *Aquæ*

Aquæ antiepilepticæ continuandæ : *ſpir. ✱c. aniſ.* proderit. Victus ratio ſit ex eupeptis & euchymis : ab ira arcenda : ad meliorem ſpem erigenda.

OBSERVATIO CXXXIV.

Epilepſia per conſenſum.

JUvenis 20. annor. *ſub finem Febr. & per decurſum menſ. Mart. hujus anni* patiebatur per vices ſpaſmodicum motum (ein Jucken) digiti medii manûs ſiniſtræ, qui ad 4. digitos alios & mediam volam breviſſimo temporis ſpatio ſe extendebat abſque ullâ aliâ moleſtiâ aut ſymptomate, intra quatuor, quinque, ſex dies demum reverti ſolitus. *Die* 5. *April.* mane horâ 7. dictum motum denuò dictus juvenis monſtrabat ridens fratri & ſororibus, ſubitò autem tractione, tenſione totius brachii ſuccedente, à paroxyſmo vehementi epileptico proſternebatur. Ab iſto tempore hucuſque modo intra 3. 4. dies, modo tardius paroxyſmus epilepticus redit, quem ſemper præcedit motus ſpaſmodicus primum digitorum annularis & medii, poſt pollicis & reliquorum digitorum, inde manûs uſque ad flexuram cubiti, ſic porro lente per brachium ad muſculos colli, quibus contortis viſus ceſſat, tandem & auditus, & his ſuccedit paroxyſmus epilepticus. Extra paroxyſmum ab omni ſcotomia, cephalalgia, capitis turbatione, cardialgia &c. ab omni ſymptomate liber eſt, ſaltem manus dolorem pungentem, quaſi à gelu exuſta eſſet, ſed tolerabilem ſentit, non nunquam ſubſultus & leves cutis elevationes experitur, quas anxietati, terrori ac mœrori adſcribendum putat. Eſt juvenis qui à nativitate ad hanc uſque invaſionem ſanus, alacris ad actiones corporis & animi, vegetus fuit. *Varia* jam *medicamenta* in uſum ducta, *variorum Medicorum Conſilia conquiſita :* vino abſtinet, *interna antiepileptica temperata, fixa, volatilia,* itidem *externa applicita*, *Acidulæ per integram*, ut vocant, *curam hauſtæ*, *Fonticulus brachio inuſtus*, *veſicæ* hic ibi excitatæ, potiſſimum vero magnæ reiteratis vicibus in loco affecto, imo ipſi digiti & manus non ſemel *cauterio actuali* non leviter inuſta fuerunt, omnia hactenus abſque effectu deſiderato; redire enim per vices, ſed non ſtatas (nunquam circa lunæ phaſes ſingulares) ſolet paroxyſmus epilepticus, prægreſſis ſemper dictis. *Ligaturæ faſciâ lata factæ* ad cubitum aliquando, non ſemper, impediverunt & interceperunt paroxyſmum epilepticum. Nunc eſt *Medicus* qui ſuadet *Emeticum*, *per epicraſin laxantia*, & poſt *ſalivationem*. Eſt qui ſuadet *diuturnam continuatio-*

tinuationem antipilepticorum cum veſicarum in brachiis & ſuris nova excitatione , cum fluxu earum diu promoto. Ipſe *Æger amputationem manus* ad carpum animoſe & deſiderat & urget. Tu quid ſentias, *Vir Excellentiſſime*, quæſo reſcribe, potiſſimum *de amputatione manûs. D.* 28. *Julii* 1694.

Ab Excell. D. D. Camerario caſum transmiſſum accepi & brevibus reſpondi: Cum *ligaturâ, cauterio actuali, veſicatoriis* jam omnia tentata fuerint, cum quoque *antiepileptica varia* exhibita fuerint fruſtra, cum neque *Fonticuli*, neque *Acidulæ* profuerint, vix *Emeticis* multum præſtitum iri vereor. *Salivationem* ☿*rio factam* vix tutam credo, *ipſo* ☿*rio* alias nervis infeſto. *Amputationem* diſſuadeo, cancer, pædarthrocace, podagra poſt hanc operationem alibi emerſerunt cum damno. Magis probarem *Lactis potum*, quem tribus profuiſſe novi, *Mebeliæ Friburgi Briſgov. Virgini St. Gallenſi, cujus caſum recenſet Cl. D. D. Anhorn in Miſcell. Nat. Cur. Decur. III. Ann. III. Obſerv. LXXXVIII. pag.* 133. *Viro Gechlingenſi Schnezler;* nam totam maſſam ſanguineam edulcorat, minus irritabilem reddit. *Meam methodum Lactis cura utendi præſcripſi ut Ill. D. Comiti Franciſco Carolo de Fürſtenberg in Arthritide.*

OBSERVATIO CXXXV.

Epilepſia hyſterica ſequente Phthyſi.

ILLuſtriſſima Domina N. N. annor. 42. Octodecim Filiolos enixa eſt, temperamenti melancholici, ut judicatur ex frequenti animi perturbatione ſæpius non præviſa & ſine manifeſta cauſa, aliisque indiciis hoc revelantibus. Terroribus obnoxia eſt, ut levi ex cauſa inde totum corpus & artus contremiſcant. In primo partu Epilepſiam & ultimùm gravida 10. ſeptimanis ante partum & rurſus poſt partum illa paſſa eſt eaque aliquoties recurrente: lochia parum fluxerunt: pes dexter dolet & tumet. Ultima vice peperit *circa principium Maji* 1694. *Oeneponti. Domini Medici* concluſerunt illam pati Epilepſiam non per eſſentiam ſed per conſenſum cum utero. Suaſerunt *evacuantia per Epicraſin, intermixtis ſpecificis uterinis & nervinis medicamentis*, unde paroxyſmi tardiores & mitiores evaſerunt, ut ex ultimo conſtitit: in pede dolente *fonticulus* excitatus fuit *cauterio:* manat commode: levamen attulerunt imprimis *cinnabarina & caſtorina.* Cætera bene ſe habent. Iterum ſævius invadit affectus & cerebrum inſperato per recurrentes paroxyſmos valdopere debilitari obſervatur, ac minimæ irrita-

irritationi auſcultari ſcribitur. *Quæritur, an poſt univerſalia adhiberi ſpecificum aliquod poſſit? quod imprimis cerebrum, uterum & ventriculum ſegniorem in digeſtione corrigat & roboret?*

Caſus miſſus fuit Oenoponte ad Magnificum Dominum Rottbergerum Cancellarium Regiminis Auſtriaci in Waldshut/ quem inde accepi die 22. Julii 1694.

Analyſis.

Epilepſiam hanc *Illuſtriſſimæ Dominæ Baroniſſæ* fieri per conſenſum cum utero admodum veriſimile eſt, quia in primo partu jam illam invaſit & ultima vice 10. ſeptimanis ante partum & poſt partum rurſus aliquoties: quod confirmant lochiorum parcior fluxus, etiam pedis dextri tumor & dolor. Nec mirum eſt uterum partem admodum nervoſam debilitatum ab 18. partubus fuiſſe, ut vel ipſe vel plexus nervoſi ad illum ſpectantes facile admittant & foveant humores excitaturos etiam ex levi cauſa motus convulſivos. Verum timendum tandem in eſſentialem Epilepſiam degeneraturam, quia nunc ſævius invadit, (procul dubio cum motu convulſivo ſenſibus internis & externis aliquandiu abolitis) debilitas quædam cerebri animadvertitur; à cauſa occaſionali non magni momenti provocatur; facile à quovis terrore toto corpore & omnibus artubus tremit, non tam ab imminuto influxu ſpirituum animalium, ut in vulgari tremore, quam ab illorum irritatione, quia procul dubio aliquomodo ſuccutiuntur. Suſpicionem augent temperamentum melancholicum, quod produnt animi perturbationes ſæpe evenientes citra cauſam manifeſtam & alia ſigna, quæ in hiſtoria reticentur: præſuppono tamen melancholicum ſanguinem non ob particulas frigidas, ſiccas ac terreas ſanguini permixtas, ſed aduſtas, quia animi pathemata & artuum tremores celeriter ſuperveniunt. Igitur reſpectus habendus ad totam maſſam ſanguineam & ad totum ſyſtema nervoſum, curam ſimul habendo uteri & ventriculi.

Quomodo his indicationibus ſatisfaciendum ſit? methodo executiva paucis exponam. In eſſentiali illa & quæ per conſenſum fit

I. Laudantur à multis etiam *purgantia*, quæ tamen caute adhibenda, cum ventriculus debilis ſit & hic aliàs robore indigeat, quia genus nervoſum nimis quoque irritabile videtur, unde prudenter quoque *Excell D. Medici* præſentes humores aduſtos *per Epicraſin mitioribus laxantibus* educere conati ſunt.

II. *Venæſectio*, ſi illi aſſueta ſit, non negligenda eoque magis, quia

quia lochia non rite fluxerunt, & quidem hanc ob cauſam in pedibus, ſed potius in pede ſiniſtro quam dextro, quia tumet & dolet, adminiſtranda foret.

III. Eandem ob cauſam mallem *Fonticulos* ſuadere *in utroque brachio*, ne ſcilicet humores magis ad partem debilem alliciantur. In brachiis æque etiam ac in pedibus proliciunt redundans, acrius & nervis infeſtius ſerum.

IV. Particulas acriores nervosque irritantes in maſſa ſanguinea egregie edulcorant & mitigant *Aquæ minerales & thermales*, quales his in locis ſunt *Fabarienſes*: verum quia æſtas ad finem properat, vix amplius locum habebunt. *Juſcula alterata & decocta longa* vix etiam locum habebunt, cum alias ventriculus robore opus habeat & diu continuata nauſeam pariant. *Decocto Theæ aut Caffeæ* nullum periculum hac in re feci, forte ſuo tempore non tamen contemnenda erunt, cum M. S. imprimis apud melancholicos mire emendent. *Gelatina quædam C. C. eboris, ungul. alc. &c. hyeme cum aliis* congruet.

V. Indicationi tamen huic & emendationi totius M. S. multam opem præſtabunt *ſpecifica, antiepileptica & antihyſterica*, cum quibus jam laudabiliter exordium factum fuit *ſcilicet cinnabarinis & caſtoreis*, nam inde paroxyſmi rariores & mitiores ſequebantur, quibus vix alia efficaciora ſubſtitui poterant: forte tamen hoc hac ratione paratum nondum ſuaſum fuit, quod multis apprime profuiſſe novi & pro ſecreto tenetur.

℞. *Cinnab. nativ. Hungar.*
♁ii āā. part. æqual.

Trina ſublimatione rectificentur (quidam ſexies.) Hoc ☉ horizontali æquiparatur.

℞. *Hujus cinnabaris ℥ß.*
Sacch. cand. alb. ʒij.
Ol. Cinamom. d. gt. j. Mſc.

Hujus dantur ſingulo mane gr. vij. aut plus c. aq. flor. til. aut ſatur. in lecto. Si ſuſpectum ſit *oleum cinamom.* aliud mitius *ſcil. ol. chamom. aut majoran. d.* ſurrogari poterit: ſi lubet *aliquot grana caſtorei* addantur. Plebeis commendavi *diuturnum uſum rad. valer. ſylv.* & ab aliquo tempore *rad. Doronici.*

VI. Contra debilitatem ſtomachi prodeſſet delicatæ *ſtomachicum Poter. ad ℈ß. ad ℈j. ter in ſeptimana mane hora 7. ſumtum*, & ſi non vel tardius digereret, dari poſſet *talis Tragea in fine paſtus ad ʒj. cum fruſtulo panis vino emolliti.*

℞. *Pulv.*

℞. *Pulv. ſtomach. Birk.* ℥iß.
analept. frig. inc. Mind. ℥ß.
Ol. N. M. expr. ℈ß.
Sacch. alb. ℥j. *Mſc. F. Pulv.*

Foris Balſamus ſtomachicus talis aut ſimilis circa præcordia inungi poſſet.

℞. *Ung. pomat.* ℥j.
Ol. N. M. expr. ʒij.
deſt. Menth.
chamom. ℥ā. ℈j. *Mſc. dilig.*

Aut imponatur *Emplaſtr. diachalcitid. cujus* ℥j. *admiſc. Mithrid.* ʒij.

VII. Propter terrores ſemper in promtu habeat *talem pulv. Marchion. compoſ.*

℞. *Pulv. Marchion.* ʒj.
Lap. chryſolith. ppt. ʒß.
Cinnab. ſuper. rectif. ℈j.
Extr. caſtor. ℈ß.
Sacch. alb. ʒiij. *Mſc. F. Pulv.*

Statim poſt terrorem ſumat *quantum capit cultri apex ſ. gr. vj. ad* ℈ß. *cum aq. fl. til. viol. tricol. &c.* utile quoque foret, ſi ſubinde *cubitum itura* ℈ß. ſumeret, imprimis ſi inſomniis terrificis obnoxia eſſet.

VIII. In paroxyſmo ſemper opera danda, ut quantum poſſibile cito excitetur: pollices ex manibus educantur, dentibus interponatur *fruſtum glycyrrh.* Naribus admoveatur *balſam. ſuccin. ſp.* ⊖ ✱ *ſuccinat. Pila hyſterica ex aſa fœtid. galban. caſtor. ol. ſuccin. parata. Fumos* rarius & non niſi magna neceſſitate compulſus *ex ſuccin. corio &c.* adhibeo, quia gravedinem capitis poſt ſe relinquunt. *V. S.* in paroxyſmo periculoſam reperi. *Clyſteres & ſuppoſitoria* diutius cunctante paroxyſmo vix omittenda. Quamprimum deglutire poterit & aliquandiu poſt detur *aqua antiepileptica temperata. Aquam epilepticam Langii ſolam* vix ſuaderem.

IX. Diæta Maſſam ſanguineam præcipue inſtaurari & emendari, ac ſine hac *medicamenta* prope fruſtranea eſſe notius eſt, quam ut referre neceſſum ſit, quam *Excell. Dni Medici præſentes* melius ejusque temperamento & conſtitutioni adaptare poſſunt, quàm ut multis accuratam præſcribere opus ſit: palam notum eſt, omnia quæ ſuccos acres ſuppeditant nervisque infeſta ſunt omittenda, ſcil. ſale condita,

 fumo

fumo indurata, in butyro frixa, nimis aromatibus condita, nimis acida & ſacchar. ac cruda evitanda eſſe. An vinum concedendum ſit? ambigitur; certe generi nervoſo inimicum eſt. *Novi quandam Matronam Epilepſiæ hyſtericæ obnoxiam nullo ingenio curari potuiſſe, donec vinum ejuravit & lac bibit; ab Epilepſia aliquot annis immunis vixit: verum quia illud ſine legibus medicis bibit in hac cura obſervandis, & abuſu crudorum hydropica evaſit poſt aliquot demum annorum decurſum. Illud fruſtraneis etiam arcanis quampluribus & hepate ranin. &c. Virgini cuidam ultra trimeſtre hanc patienti ſuaſi, cujus potu legitime uſurpato convaluit: Alia ex ſola omiſſione vini.* Verum quia *Illuſtriſſima Dna Ægra* 18. liberor. mater eſt, vix illud ipſi ſubtrahetur, imprimis cum jam cauſatur ventriculus debilitatus aliàsque melancholica ſit. Vinum bene maturum concederem ſed *decoct. lign. viſc. quern.* dilutum.

Cauſæ ad iram, terrorem, mœrorem provocantes magno ſtudio declinandæ. Extra paroxyſmum ipſamet inquirat mane abdomine vacuo ſupine decumbens, num in alterutro latere tumorem aliquem loco mobilem & ſitum corporis ſequentem tangat? in paroxyſmo vero ab obſtetrice exploretur, num in hypogaſtrio occurrat tumor globoſus hinc inde vagabundus? ſi quid horum occurreret, forte aliud de cauſa affectus judicandum eſſet. *Hæc omnia Dominorum Medicorum præſentium judicio committo.*

Scaphuſii d. 22. Jul. 1694. Joh. Jacob Wepfer, M. D.

Die 17. Auguſt. ſt. n. 1694. *Exc. Dnus D. Franciſcus Fridericus Paſſinger de Pekenſtein Oenoponte ſcribit. Saluberrimum Conſilium Illuſtriſſimæ Dominæ ægrotanti ab Excellentia ſua transmiſſum* ipſi aſſiſtens avidiſſime perlegi: hinc etiam vidi, ea quæ hactenus pro curatione in uſum revocata ſunt, non modo non diſplicere, verum etiam quod quamplurima adhuc dum continuari jubeantur: jam quod attinet eſſentiam ipſius morbi ac partes affectas totaliter ejuſdem fui mentis, quod nempe uterus poſtea ventriculus maxime laboret, hinc vero cæteræ partes ſuo modo ut lien & ſanguinis craſis, à qua temperamentum dependet, etiam concurrere, nervos ab acri materia vel juxta eorum principium & juxta inſertionem, vel membranarum nerveas fibrillas irritari, ſpaſmodice contrahi, quibus totum corpus obſecundare cogitur, ac Epilepſiam conſtituere valde probabile eſt. Jam *quoad præſidia huc tranſmiſſa*, ne error committi poſſit, rem paucis perſtringam 1. quidem cum *purgantia* locum habere non videantur (uti nec unquam adhibita ſunt fortiora) *ad Venæſectionem* tranſeo, quæ ſemel jam fuit celebra-

celebrata, nec diſplicet poſt caniculares, ut adhuc celebretur eo modo quo ſcriptum. 2. Tumores pedum jam nulli ſunt, nec manifeſtæ in articulis defluxiones: ſi vero *præter alterum fonticulum aliud cauterium* conſultum foret, non contra nititur *Domina Ægra*. 3. *Acidulas* ratione ſpir. ſubtilis acidi atomorumque martialium, quibus impræegnantur præ cæteris omnibus placere, cum habeant inciſivam, reſolutivam, diureticam & omnia peregrina ſalia corrigendi facultatem & educendi id, quod in corpore ſtagnat, aut noxie oberrat: verum cum illæ *à Te* nominatæ ad manus non ſint, tempuſque commodum brevi præterierit, vix ſub conſiderationem venient. Attamen cum tota œconomia animalis labefactata concoctiones non rite procedant, morbumque ac viſcerum atoniam foveant, vix puto aliter quidpiam ſperandum eſſe, niſi *per medicamenta* quæ totum reſpiciunt, ſpiritus inſtaurant, viſcera roborant, deobſtruunt ac acidum deſtruunt, *Illuſtriſſimæ* ſuccurratur, & hac de cauſa credo *Te acidulas* jure merito perſuaſiſſe, verum cum illis ipſis uti non liceat, cogitavi alia via huic quantum licet ſimili incedere imitaturus *Sydenhamium in diſſ. de Aff. hyſterico*, ubi in ſimilibus affectibus *mane* commendat *chalybeata in forma pilular. cum ſucco abſinth. inſpiſſato ad gr. viij. pro doſi bis in die*, ſuperbibendo *vehiculum* quod mihi præ cæteris placeret *infuſ. herb. Thee aut Caffee*, de quibus *Blancardus* ad acidum corrigendum multum ſcribit &c. hiſce aliquandiu inſiſtendum eſt, *interpoſitis cinnabarinis & caſtoreis cæteriſque quæ Excell. ſua* monuit; adhibito quandoque *clyſtere uterino cephalico ex decocto flor. chamom. viſc. quern. & ſem. pœon. ſacch. rubr. & caſtoreo in jure non ſalito* cujus uſus ſeſe commendavit egregie. *Quæſtio eſt, utrum his peractis, permittentibus viribus, balneum uterinum arte conflatum pro coronide adhiberi non liceat? Vale &c.*

Die 22. *Auguſti ſt. n.* 1694. *reſpondi.* Morbum *Illuſtriſſ. Dominæ* Epilepſiam eſſe negari non poteſt. Pravum omnium artuum motum cum abolitione ſenſuum internorum & externorum exordium ſuum ſumſiſſe ab utero negari fere nequit, quia ibi male habuit ſcil. circa nervorum expanſionem & terminationem in membrana quadam nervea; quoniam autem plures paroxyſmos jam ſuſtinuit eoſque jam ſæviores, quoniam etiam à levi occaſione ſcil. terrore, ira &c. provocatur, vix cerebrum impune hos impetus pertulit, vel ſaltem verendum eſt inpoſterum tales inſultus luiturum, quod vel inde elucescit, quia jam aliqua debilitas cerebri obſervatur. Acrimoniam humoris circa partem nervoſam exquiſito ſenſu præditam, nervos ad contractionem ſtimulantem & irritantem, cauſam proximam eſſe vix negari poteſt, cum illud ad oculum demonſtrari poſſit, ſcil. partes nerveas ab acri-

 bus

bus facile ad motus ſpaſmodicos provocari. *Williſiana exploſio* apud paucos fidem obtinet, cum nervi cavi non ſint inſtar venarum aut arteriarum, & in extremitatibus in membranas expanduntur, ut ſæpius vidi, aliisque demonſtravi extremos illorum ſurculos perſequendo. Acrimoniam hanc obtinet tota Maſſa ſanguinea, ut patet ex temperamento *Dominæ Ægræ* & clariſſimè percipietur, ſi ſerum ſanguinis in cochleari ad ſiccitatem ſuper prunis inſpiſſabitur. Verum humores acrimonia ſua non graviter affligunt, niſi ſtagnent & circa partes nerveas incarcerentur quaſi & incuneentur. Nam conceſſo ſanguinis motu, partes ſempet alluuntur, dum vivit homo, non tamen ſemper affectus iſte oritur & illæ etiam, quæ huic affectui obnoxiæ ſunt, aliquandiu ab illo immunes ſunt. Stagnationi humoris acris intra fibrillas & plexus nerveos anſam dedit partus difficilis, quantam enim vim & quantos nixus in partu uterus ad excludendum fœtum inſtituat, notius eſt, quam ut multis enarrandum ſit, concurrentibus etiam muſculorum abdominis ſummis conaminibus: adeo ut vix poſſibile ſit, quin fibrillæ divellantur & inter illas humores ſibi parent nidos: certe in ſectione à partu difficili mortuarum omnia ſanguine longe lateque ſuffuſa inveni. Ergo opera danda ut acrimonia totius M. S. attemperetur. *Pilul. chalyb. Sydenham cum ſucc. abſinth.* non diſplicent, ſi *ſuccus abſinthii* caput gravet, ei *ſuccus Card. ben.* ſubſtitui poſſet. Magno cum fructu ſuperbibet *decoct. Caffee*, plus hæc præſtabunt, quam *acidulæ. His & ſimilibus nihil juvantibus, in Matrona quadam maritata & Virgine lactis potum methodice adhibitum omne punctum tuliſſe novi.* Pergendum *cinnabarinis & caſtorinis. V. S.* ab utero revellit humores & *Fonticulus* in tibia illos derivabit, qui tutus erit, quia pedes non tument. *Clyſteres* interpoſiti *ex cephal. & hyſtericis* non inutiles erunt, imprimis ſi alvus ſit tardior & ſi tormina ſentiat. *Antiſpaſmodicis* diligenter inſiſtendum, ut cerebrum totumque genus nervoſum roboretur. *Balnea uterina* alias utilia ſunt, ſi menſes non rite fluunt. Nam procul dubio *Illuſtriſſima Domina* non lactat. Scire averem in quibus ventriculi debilitas conſiſtat: num appetitus ſit imminutus? an à cibo gravetur? an illum non vel imperfecte vel tarde digerat & comminuat? roborando ventriculum cavendum ne M. S. acribus humoribus magis imprægnetur, cum jam aliàs ſalibus peregrinis referta ſit, ſed non talibus, qualibus *Angli & Batavi* abundant, nam longe alia victûs ratio apud vos eſt, quam apud hos. Vos obtinetis cibos cujuscunque generis ſaluberrimos & vina coctionem juvantia. Hi verò propè omnes veſcuntur carnibus & piſcibus ſalitis ac fumo induratis; bibunt cereviſiam & frequenter abutuntur ſpir. vini, unde indurantur glandu-

glandulæ & neceſſario ſæpe acerrimi humores producuntur. *Si ulterius inſervire potero lubens id faciam &c.*

D. 31. *Aug. ſt. n.* 1694. *Idem Exc. Dn. Medicus Oenoponte ſcribit.* Duobus paroxyſmis correpta fuit, ſed mitioribus, nulla ſpuma circa os apparuit, nec artus ſuccutiebantur, citius ad mentem rediit. In ultimo oculi & os ſolum torquebantur: *Pilulæ chalybeatæ* hactenus non adhibitæ ſunt ob metum, ne propter motus defectum turbas in corpore cieant aut conſtipent, harum loco *Acidulæ* ſubſtitutæ ſunt, quas etiam bibit, ſed non ſecedebant, juverunt illas *Clyſteres it. add. ſyr. flor. perſicorum*, unde alvus cum Euphoria movebatur. Hinc perreximus uſque ad finem curæ: ceſſat dolor ventriculi, appetitus redit: melius dormit, pulſus & urinæ naturales: ſic putat M. S. mundatam. Partes ſolidæ nunc roborandæ: illarum tonus reparandus. *V. S.* inſtituet. Menſtrua antea ad 7. ſeptimanas, hac vice ad 10. ſeptimanas tardarunt. *An Caſtoreum cum myrrha adhibendum? aut aliis nervinis aut hyſtericis inſiſtendum? uſa eſt Cinnabari rectif. juxta acidularum potum.*

Die 5. *Sept.* 1694. *reſpondi* & ſuaſi *Pilul. ex caſtor. myrrh. aut ſimilibus, aut ipſum meum menagogum cum rotulis antichachecticis ex pulv. cachect. Querc. inc. diaph.* ♂ *pulv. caſſ. lign. extr. lign. aloes cum ſ. q. ſacchar. in aq. meliſſ. ſolut. Pediluvia ex plantis hyſtericis in aq. & vino, Fonticulum* in Tibia. *Continuationem antiepilept. de balneo* dubitavi.

Die 14. *Sept.* 1694. *præfatus Excell. D. D. Paſſinger ſcribit* & mentionem facit tuſſis, de qua ne verbulo quidem nec in caſu nec in literis meminit: illam ſcribit eſſe humidam, ſpumoſam, albam æqualem, ſummopere affligentem, hanc remiſiſſe præcipue *ex uſu juſcul. carnis chin. alterati*, non tamen penitus deſiiſſe, nunc rurſus illam infeſtare cum appetitus proſtratione, quem *acidularum potus* reparavit: hanc putat cachexiæ vel ſignum vel effectum. Paroxyſmi epileptici ſunt periodici die quoquo octavo redeuntes, convulſiones non adeo ſunt diuturnæ, nec vires ut antea & in principio tantopere proſternuntur, nec artus tam violenter contrahuntur. Oculi interdiu hebetantur ſæpius, contractiones quoque in cervice & brachiis crebrius percipiuntur cum repentino dolore pungitivo in extremis artuum. Cor quandoque palpitat. Menſes ſuppreſſi ſunt, *V. S.* omiſſa fuit propter tuſſim & frequentes paroxyſmos epilepticos & inappetentiam. *Remedia ſunt juſcula alterata rad. chin. cum pulv. viſc. coryli, item ex cinnab. caſtor. &c.* Victus eſt parcus ex cibis boni ſucci & facilis digeſtionis Exoptat *efficaciſſima remedia.*

Die

Die 22. *Septembr.* 1694. *ad has reſpondi:* Neque in caſu neque in literis nulla vel verbulo mentio facta fuit tuſſis, alias improbaſſem *acidulas*, cum illæ mihi ſuſpectæ ſint, nec unquam vel rariſſime tuſſientibus illas ſuadeam. Diligenter obſervetur ſputum, an album in illo ſit turbidum, non perſpicuum? ſimul qualis ſit pulſus ante & poſt paſtum? qualis reſpiratio? num febris lenta ſubſit? quæ aliàs ſolet cauſa ſuppreſſionis menſium eſſe. *Epileptica remedia*, tum ob tuſſim tum illam ipſam & contractiones in cervice & brachiis ut & dolores punctorios continuanda, nam *efficaciſſima ſola continuatione* fiunt. Tuſſis non negligenda, ne tandem pulmones damnum experiantur: niſi forte jam adſit vomica. Epilepſia magis magisque per eſſentiam fieri videtur, non ſolum per conſenſum uteri, licet menſes hucuſque ſuppreſſi fuerint: illi ſubſiſtunt etiam præſente febri lenta, quam vereor tuſſim prodituram. Acribus & irritantibus humoribus præditam eſſe teſtantur contractiones cervicis & brachiorum atque punctiones in extremis artuum ſæpius in die, etiam extra paroxyſmos epilepticos, item tuſſis moleſtiſſima, licet nuper remiſerit, nunquam tamen penitus deſiit. Intra cranium cauſam epilepſiæ jam nidulari innuit oculorum hebetudo ſubinde eveniens & periodus octiduana paroxyſmorum.

Contra Epilepſiam *remedium diligenter & diu continuandum* ſit *hic pulvis* qui una opera contra tuſſim valet.

℞. *Rad. pœon.* ʒij.
Viſc. Lign. coryl. ʒj.
Limat. C. C. C.
Ungul. alc. pp. āā. ʒiß.
Diaphor. ♃*al.* ℈iiij.
Cinnab. nativ. Hungar. ℈ij.
Extract. caſtor. ℈j.
Eſſent. op. Lang. gr. ij.
⊖ *volat. viper.* ℈ß.
Sacch. alb. ℥iiß. *Mſc. F. Pſ.*

Doſ. Man. ʒß. *Veſp.* ℈j. *cum aq. ex herb. cephalic. rec. deſtill.*

☉ *Horizont. ſemel in ſeptimana* ſumat. Contra tuſſim imprimis ſi noctu moleſta ſit, ſumat *alternis noctibus pilul. de ſtyrace ad gr. v. vj. diacod. Montan. &c. interdiu rotul. pect. ex bolo, diaph.* ♃. *ſpec. diatrag. fr. conſ. roſ. r. extr. bell. min. ſacch. in aq. ſcabioſ. ſol. q. ſ.* Contra Epilepſiam & tuſſim prodeſſet *cura lactis*, ſi ſibi à vino, acidis ac crudis temperare poſſet: nec obſtaret aciditas p. n. in ventriculo; ſi illud

ventri-

ventriculus toleraret. *V. S, & purgantibus* caute procedendum eſt. *Balnea* ſuſpecta ſunt. *Menagoga* rebus ſic ſtantibus omittenda *ſcil. infuſ. & rotul.* donec melius edoctus fuero ratione tuſſis.

D. 5. Oct. 1694. Exc. D. D. Paſſinger de Pekenſtein ſcripſit Oenoponti. Tuſſis continua adeſt, exaſperatur veſperi, ſputum agnoſcit purulentum aut aliquid heterogeneum viſcidum, cum lympha ſeu ſaliva mixtum, non ſalſum ſed inſipidum: reſpiratio eſt difficilis & ſimilis aſthmaticis, ſpiritum erecta trahit & tuſſit. Si tuſſis ceſſat, prodromus eſt Epilepſiæ, ut ſæpius obſervatum fuit. Affectum vocat cachexiam, quia in principio adfuit tumor pedum cujus cauſa atonia viſcerum, hinc coctiones difficiles, ſordium accumulando hinc inde & in toto: glandularum præcipue capitis & pulmonum oppreſſio, lymphæ ſtagnatio alieno ſapore prædita unde nervorum irritatio, epilepſia, bronchiorum repletio. Unde viſcerum reſtitutioni imprimis ſtudendum putat. Ob debilitatem *nec per Epicraſin purgare* illam amplius licet: *ab infuſo Rhabarbari* animo linquitur: *Martialia* parum opis afferre poſſunt, quia ſe movere nequit. *Fumum Tabacci* bibit & 2. vel 3. fiſtulas exhaurit abſque multo levamine, nec ſpes haberi poteſt, niſi *diureticis* juvetur & *diaphoreticis* ſcil. iis, quæ utilia comperta etiam imminente phthiſi proſunt lympham abſorbendo, quæ conductura ſperat: decumbit: menſtrua nunquam redierunt: dulcia averſatur, quia hyſterica.

Die 12. Octobris 1694. reſpondi, me ad ultimas reſpondiſſe & ſcripſiſſe mihi nihil de tuſſi unquam antea conſtitiſſe: ſuſpicatus ſum jam tunc phthiſin ſubeſſe: ſputum enim purulentum, turbidum, conglobatum cum tuſſi continua, exacerbata veſperi & dyſpnœa aſthmati & orthopnœæ ſimilis mihi ſuſpecta, imprimis ſi febris lenta juncta ſit, quod ex pulſu agnoſcitur, vix amplius de illa dubitarem, quod etiam confirmat læſio *à ſolo infuſo Rhabarbari*, à qua in leipothymiam incidit, *nam ſecundum Hippocratem Diarrhœæ ſpontaneæ ſine irritamine phthiſicis periculoſæ ſunt.* Affectus gravior eſt, quia ejus exordium fuit cachexia & nunc ſimul comitem habet Epilepſiam: illud mirum ceſſationem à tuſſi eſſe prodromum futuri paroxyſmi epileptici: ſi diu emanſerit tuſſis pectoris morbus minus periculoſus eſſet.

Imprimis *congruum decoctum lignorum* prodeſſet contra cachexiam & phthiſin, quod etiam contra Epilepſiam dirigi poſſet. *Talia decocta pridem commendavit Joh. Freytag in Conſilio de phthiſi, & Nicolaus Maſſa ſcripſit ab illo Ægros pinguefieri, quod experientia verum didici. Ea etiam probat Morton in Phthiologia Scripto doctiſſimo & mere practi-*

co. Simile nunc ſuadeo Capitaneo cuidam Tyrolenſi deſperata Phthiſi decumbente , quod optime tolerat : Illuſtriſſimæ Dominæ ſuaderi poteſt tale

℞. *Lign. ſancti ponderoſ.* ℥j. *viſc. quern.* ʒvj.
Radic. ſarſæparill. non carioſ. ℥j.
Semin. aniſ. ʒij. *cort. chin. chin.* ℥ß.

Si toleraret, *addi poſſet aliquid de paſſul. majorib. exacinatis, coq. cum aq. font. Menſ. ij. in vaſe dupl. vitreat. bene clauſ. per hor. 2. coletur. Bibat Mane hor. 6. & Veſp. hor. 5.* ℥*iij. vel* ℥*iiij. calidè :* nullo modo ſudor provocandus imò impediendus quantum poſſibile ; corriget, lympham acrem nihilominus conſumet: Impeditur ſudor *ſpinæ totiùs inunctione ol. roſar. Nymphea &c.* Præterea *alternis noctibus,* ut nuper ſcripſi *gr. iij. vel iv. ad vj. pil. de ſtyrace Schræd.* ſumat, quas pectorales *Pariſiis* vocant. Propter cachexiam nihilominus dari poſſet *diaphor.* ♂. illud in Anaſarca *potiùs ordinarii* ℔*iiij. addo ad* ʒ*ij.* ſine ulla perturbatione. *Antiepileptica* non negligenda, quæ dari poſſent *ſummo mane. Purgantia & alia calida irritantia* ſunt omittenda. Vires conſervandæ imprimis *juſcul. carn.* cui ſemper *add. cochl. ij. vel iij. hujus gelatinæ*

℞. *Carn. vitul.* ℔j. *Epat. vilul.* ℔ß.
Gallinæ dimid. part. Jchtyocoll. ʒij. *Maciſ.* ʒß.
Inciſ. & contuſ. indantur lagen. ſtann. add. pom. citr. N. j. in fruſta conciſ. aq. font. ℔j. *vin. alb. vet.* ℔ß. *bene clauſa reponatur in Lebet. aq. plen. coq. 6. hor. coletur, exprimatur & ſervetur in loco frigido.*

Aquis cordialibus præſentes Domini Medici ipſi porro aſſiſtant, & vitæ regimen juxta ægrotantis conſtitutionem dirigendum ipſi norunt.

Perilluſtris Dominus Rottberger Cancellarius in Waldshut *ſcripſit d.* 14. *Octobr.* 1694. tam debilem fuiſſe ut ipſa ſacris proviſa fuerit; tum propter crebros inſultus epilepticos, tum propter vehementiam tuſſis, quæ adhuc continuat.

OBSERVATIO CXXXVI.

Apoplexiæ Prodromi.

AFficitur jam per 4. vel 5. circiter dies *Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus noſter Princeps* torpore & ſtupore totius lateris dextri brachii & pedis ; conqueritur de intermediis brachii partibus, quod modo frigeant

frigeant & modo incaleſcant : ait ſenſum tactûs quodammodo depravatum videri. Hæc ſuper meam ſententiam & opinionem ad majorem metum & apprehenſionem impediendam , eidem detegere nolui, ſed dixi, me *Excellentiæ Veſtræ* ſcripturum & conſulturum eſſe, ut huic accidenti ex tempore & eò citius ſuppetiæ ferantur. Etſi aliàs *Dominus* ſit ſobrius & diætæ amantiſſimus , nihilominus defluxionibus perfrequenter infeſtatur, ſicuti à principio ſtatim hujus anni iisdem pluribus divexatus fuit. His itaque *nomine Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis Te* enixe precor, ut nunc ſcriptis opem ferat, quod ſi res vel parum permanſura eſſet, & *medicamentis* cedere nollet, non quieſcerem donec haberem *Excell. T.* præſentiam. De cœtero appetitus ciborum eſt optimus & vinum modicè , nec non niſi lymphatum bibit. Urina eſt cum bono ſedimento : præter hoc ſymptoma bene valet. *Vale.*

Excell. Veſtræ Cultor

D. 14. *Febr.* 1678. Joh. C. S. M. D.

Excell. D. D. J. C. S. D. 17. *Febr.* 1678. *me conveniens* addidit ſtuporem majorem eſſe in utroque parvo digito, ut calorem & frigus diſcernere nequeat. In uno latere linguæ ſaporem vini dignoſcere nequiviſſe. vertiginem inſuper pati : ſalivam antidhac copioſe effluere ſolitam prope ſubſtitiſſe : minus per ſeceſſum ſecernere quàm aſſumat; nihilominus ſudores copioſe manare : ſtuporem præceſſiſſe ſenſum formicationis

Conſilium.

STupor totius lateris dextri & linguæ; item vertigo ſigna ſunt genus nervoſum intra cranium & circa crura medulloſa hujus lateris pati, cujus prodromus erat ſenſus formicationis.

Cauſa proxima non ſanguis ſed lympha copioſius intra cranium retenta, nam à puero defluxionibus & ſalivationibus obnoxius erat. Nunc ſalivatio prope ſubſtitit. Urinæ imminutio rependitur quidem ſudore largo : verum non plene, nam pridem cum copioſo ſudore nihilominus multum minxit.

Cerebrum valde debilitavit intenſis ſtudiis, negotiis gravibus : non parum quoque debilitatum fuit *à creberrimis V. S.* Ad lymphæ cumulationem multum facit exercitiorum intermiſſio, utcunque temperanter vivat.

Stupores dimidii lateris maxime ſi eo uſque pertigerint , ut diſcrimen calidi & frigidi partes non amplius animadvertant , accedente

ἀναισθησία linguæ, prægreſſa & comite vertigine apoplexiam minantur, maxime in provecta ætate.

Huic malo *ſequentibus* occurrendum, propterea *Reverendiſſimus ac Illuſtriſſimus Princeps mane & veſperi* ℈j. *hujus Trageæ cum aq. roriſmar. vel ſimili* ſumat

℞. *Cinamom. acut.* ʒij. *Galang.* ʒj.
Nuc. moſch. macis. cubeb. āā. ʒß.
C. C. ph. pp. ʒij. *Ambr. gryſ. ſp. roſ. ſ. q. ſol.* ℈j.
Conf. alk. c. ʒj. *ſacch. perlat.* ℥iij. *vel* ℥iiij. *Mſc. F. pulv.*

Prodeſſent quoque *tales rotulæ, quarum ſubinde una alterave* ore teneatur *maxime in conventibus, ſenatu &c.*

℞. *Spec. diambr. c. diamoſch.* āā. ʒj.
Extract. xyloal. ℈j. *Balſam. apoplect. gr. vj.*
Confect. alkerm. compl. ʒj.
Sacch. alb. in ſ. q. aq. roriſmar. ſolut. ℥iij.
Mſc. F. Confect. in rotulas.

Summo mane ſumat *gt. vj.* ☧. *ambr. c. aq. beton. aut hujus 2. vel 3. tal. Pil.*

℞. *Ambr. gryſ. ſp. roſar. ſ. q. ſolut.* ʒj.
Extract. xyloal. helen. āā. ʒß.
Gumm. tragacanth. aq. roriſm. ſolut. q. ſ.
Mſc. F. Pil. ex ʒj. *No. xxxx. conſperg. pulv. ſantal. citr.*

Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus maſticet *grana maſtich. ſel. j. vel ij. jejune. Mane & cubitum ituro* inungatur vertex & ſcrobiculus cervicis *hoc Balſamo.*

℞. *Balſam. apoplect. opt.* ʒj.
Ol. N. M. expr. ʒiß.
d. majoran. mac.
roriſmar. āā. *gtt. viij.*
rut. gtt. vj.
Mſc. diligenter.

Brachia, cervix & dorſum *fricentur ſolummodo mane linteis calidis imbutis tali ſuffimigio.*

℞. *Maſtich. elect.* ℥ß. *Succin. flav.* ʒij.
Ladan. ʒiß. *Benz.* ʒß.

Flor.

Flor. lavendul. roriſmar.
calcatripp. calendul. ãã. ℥j.
Mſc. F. Pulv. groſſ.

Cibos condiat *mac. N. moſch. majoran. ſalv.* Omittantur allia, cæpæ, aliaque caput replentia. Bibat vinum conſuetum *decoct. lign. viſc. quern.* dilutum. Imprimis omittantur lectio & ſcriptura ſtatim à paſtu, item ſomnus mox à prandio. *Scaphuſii d.* 18. *Febr.* 1678.

D. D. J. C. S. d. 14. *Martii ſcribit. Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps medicamentis præſcriptis* ſedulò uſus jam & adhuc utitur, nec ſine fructu, nam inde melius ſeſe habere & expeditius incedere valebat. *Præteritâ die Veneris Arbon.* vento boreali ſat vehementer flante, contra meam voluntatem imo cum ſumma diſplicentiâ, profectus & in reditu *Roſch. verſus lacum* vectus fuit, ubi ex latere affecto paulo poſt per totum latus defluxionem frigidam delabi ſenſerat, ita ut ibidem à fœmore ad plantam pedis vix incaleſcere poſſit, & minus incedere valens, modico inceſſu defatigetur cum pedis tractu. Ad hæc adhibeo *ſuffumigium noſtrum præſcriptum. Quæritur quid ulterius agendum? an huic ſymptomati minus cedenti ſuo tempore non conducerent Thermæ Fabarienſes? Vale.*

Reſpondi 26. *Mart.* 1678. Quum neque in chylificatione neque in ſanguificatione enorme vitium appareat, & ſolummodo genus nervoſum aliquam Eclipſin patiatur, illud *ſtrenue & diu continuatis remediis* corroborandum eſt, eoque magis, quia morbi nervini ægerrime cedunt. *Pergendum* igitur *Pilulis ambratis*: quibus ob tractum quendam addi poſſet ♃ii *diaph.* ℥j. *cinnab. nativ.* ℈ß. ſumat illas *ſummo mane. Tragæa, balſam. apoplect. &c.* Optarem ut *Reverendiſſimus & Illuſtriſſ. Dnus* minus in profundendo ſuo ſanguine prodigus eſſet: cum certo certius nimis crebro repetitæ ſanguinis emiſſiones cerebro nocentiſſimæ ſint: *vita enim eſt in ſanguine & dilectus naturæ Filius.* Differatur igitur *V. S. ad Majum uſque,* quæ tunc *præmiſſo lenitivo,* inſtituatur. Quia ſtupor iſte pertinax malum eſt, *Thermæ* prodeſſent, ac proinde exiſtimo *Fabarienſes* utiles fore:

Die 18. *Aprilis* 1678. *Excell. D. D. J. C. S. ſcribit. Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps* ſat bene valet, tractum tamen illum adhuc ſed ſine moleſtia ſentit. Jam *purgabit* & dein *ſanguinem mittet.* Poſtea oportuno tempore *Thermas Fabarienſes* adibit. Has ut cum fructu adhibere poſſit, *ab Excell. V.* informationem & quibus mediis me inſtructum eſſe opporteat, rogo.

Reſpondi die 26. *Aprilis* 1678. *Ante abitum ad Thermas Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Dominus purgandus blande conſueto medicamento & parca V. S. Balneet non ultra* 5. *horas :* 3. *ante &* 2. *horas poſt meridiem. Mane ante ingreſſum veſci poſſet juſculo & trag. temperata ex cinamom. mac. n. moſch. cubeb. C. C. ph. ppr. limatur. ebor. cort. citr. cond. conf. alk. cum ſacch. perlat. Habeat in promtu ſimiles tabellas. Veſperi nihil comedat. Poſt balneum lectum petat. Ante paſtum obambulet. Conſtipationi occurrat pil. Mylleri aut diagryd. ♎. cum Crem. ♀. ſiticuloſus vinum diluat decocto chinæ. Si diarrhœa corripiatur, attendat qualis materia : ſi bilioſa purgetur rhab. & myrab. infuſ. Adhibeantur poſtea adſtringentia decoct. torment. emulſ. Si aquea lutulenta ſit, detur pulv. ſtom. Birk. cum ol. N. M. expr. Contra debilitates ſecum ſumat confect. Alk. c. & Hyacinth. c. & inc. Contra febrim ♁. diaph. Bez. min. ſyr. refrig. pom. citr. &c. pulv. cord. ex abſorbent. Elæoſacch. ex ol. d. cort. citr. cinamom. &c. conditum cephalicum pro Principe.*

Ab harum Thermarum uſu per multum tempus ſatis bona utebatur ſanitate. *Anno* 1687. *viribus ſenio magis quam morbo detritis placidiſſima morte diem ſuum obiit Princeps Optimus, Pius & omnibus Gratioſiſſimus.*

OBSERVATIO CXXXVII.

Apoplexiæ prodromi prægreſſis varii generis Catarrhis.

Reverendiſſimus Dnus Romanus Abbas S. Trutperti in Briſgoia : obæſus & ventricoſus, facie rubra præditus : interdiu ſomnolentus eſt, & noctu non multum dormit, inſomnia habet clara, ſyllogiſmos facit dexterius quam non raro vigilans. Frequenter patitur cephalalgiam in ſyncipite, putatque vacui aliquid eſſe circa concurſum ſagittalis & coronariæ. Muſcæ oculis obverſantur: Vertigine levicule ſubinde corripitur : aures tinniunt, cerumine prope deſtituitur. Laſſus eſt : valde catarrhoſus, & catarrhi defluunt ad cervicem, humeros, lumbos, coxas, fæmora, dolores pariunt. Pedes frigent cum ſtupore: horrores citra febrim experitur. Temperanter vivit : *duos* geſtat *fonticulos.* Nuper catarrhum veluti ſuffocativum paſſus eſt, quem brevi ſuſtulit largiſſima mictio.

Die 5. *Julii* 1675. *Conſilium ſuppeditavi* monuique, cavendum, ne ſanguis

ſanguis copiâ fluxibilitate & arrimoniâ peccet; ne ſerum intra cranium cumuletur & in partes principes protrudatur. *Præſcripſi diætam:* vitet aërem nebuloſum, pluvium, nivoſum: in cibis omittat lactucam, carpiones, paſtas farinaceas, tincas &c. carnem ſuillam, valde ſalita, aromatibus condita &c. vina ſulphurata: obambulet frequenter: alvum apertam ſervet: vitet iram. *Ex Chirurgia* ſuaſi: *V.S. Scarificationes, Fonticulos. Ex Pharmac.* 1. *Pilul. cephal. ſemel in menſe poſt cœnam.* 2. *Pulv. cephal. cujus* ʒß. ſumatur *c. aq. beton. fl. til.* 3. *Tabell. cephalic.* 4. *Conſerv. roſar. c. theriac. noctu. Aq. contr. aſthma.* Utatur *Acidulis* caute.

Menſ. Jul. 1678. *ſcribit:* defluxiones ad habitum jam ultra annum duraſſe easque dolorificas: nunc oculos & dentes infeſtare; caput æſtuare: ardorem ſentire in cervice, dolores in lecto affligere, extra eundem laſſitudinem, ut vix ſcalam ſcandere valeat: appetitum integrum eſſe: à vino ſe lædi, juvari *à ſpir. ⊖l. cum aq. mixto.* Veretur arthritidem. Suaſi *pilul. ♃. c. cinnabar.* item *Conſerv. roſar. c. theriac. noctu &c.*

Menſe Auguſt. ſcribit ex horum uſu dolorem genuum remiſiſſe; manere tamen in artubus reliquis & cervice.

Die 18. *Aug. ejusdem anni ipſum conveni Clinglovii.* Eſt 54. annorum circiter: ante defluxiones primum caput dolet, hinc exporrigitur verſus radices bulborum oculorum & glandulas oculares: oculi lachrymas involuntariè fundunt; hinc extenditur verſus aures & tempora, tandem pervenit ad nucham, humeros & ad medios digitos manuum, denique deſinit in lumbis, coxis & genubus, ſine tumore: dolor maxime noctu affligit, ſæpe ſomnum interrumpit. Genua nunc firmiora ſunt; ſine impedimento ſcalam aſcendit & deſcendit. In paroxyſmo hoc dolorifico etiam dentes affliguntur: caput & ſoleæ æſtuant ac ſi prunæ ardentes ſubeſſent, ſæpe per totam noctem. Non rarò lingua aphthis corripitur, maxime ſi defluxiones in ſummo impetu ſint: ſæpius loco muci purum cruorem emungit ex naribus.

Reſolutio.

HUmores, defluxionum iſtarum materia & cauſa ſtimulans, videntur eſſe calidi, quia æſtum pariunt, excitant dolores ſatis graves: ſunt tenues, quia rapidiſſime & quidem ſecundum nervos ruunt ac brevi intervallo, citoque diſſipantur. Minantur arthritidem, quia articulos petunt & circa illos ſubſiſtunt. Hi mitigandi & diſſipandi ſunt, frequensque illorum exundatio compeſcenda eſt, & data occaſione evacuandi erunt. Mitigant & diſſipant *Pulv. ſpecif. m. cum ♁ diaphor. Diaphor.*

Diaphor. ♃. *alkalia inſipida C. C. uſt. raſur. ebor.* &c. Exundationem compeſcunt *diacod. Mont. conſerv. roſ. cum theriac.* Evacuantur *purgatione temperata pilul. cephal. m.*

Die 10. *Nov.* 1678. *ſcribit :* Defluxiones per artus continuant, ſomnum turbant & noctu moleſtiores ſunt quam interdiu, imprimis ſi vel duos cyathos ultra conſuetum vini ebibat: petit *pulv. ſpecif.* ſibi proficuum, quem miſi; bene faceret, ſi poſſet illum *mane* ſumere.

Die 1. *Aug.* 1679. *ſcribit ex acidulis Ripplisav. A potu acidularum* cætera bene ſe habuit: antiquus tamen affectus non imminutus ſed auctus fuit. *Inter potandum acidulas M. & V. ad menſ. j.* caput incaluit; vertigo adfuit, pedes æſtuarunt, oculi rubuerunt & manarunt, dentes doluerunt: aphthæ eruperunt: noctu defluxiones per cervicem in humeros, brachia, manus, lumbos, genua & plantas pedum decubuerunt tam vehementer, ut noctu inde expergefieret; hæc potiſſimum noctu evenerunt. Interdiu nullibi doluit niſi in hypochondrio d. cum genuum imbecillitate & capitis æſtu.

Quia humorum ſeroſorum effervescentiæ & exundationes frequenter fiunt, ſuaſi edulcorationem. 1. *Pilul. ex diaphor.* ♂. ♃. *cum extract. xyloaloës, beton.* 2. Diſcuſſionem *pulv. ſpecif. m. ſi moras nectant per plures dies mane; aliàs ſemel in ſeptimana.* 3. Suſpenſionem maxime hyeme *Conſerv. roſ. r. majoran. bol. Arm. Theriac.* 4. *Purgetur pilul. cephal. m. hyeme ante novilunium.*

Ex Locis Communibus Excell. D. D. Brunneri.

REverendiſſimus Dn. Abbas St. Trutperti, 65. annorum, ſtaturæ mediæ, obæſus & ventricoſus, abdomen quippe inſigniter prominet pendulum propter exomphalon; facies ſaturate rubet, & oculi rubent ac madent, capillitio cano, tonſo: habitus craſſus eſt & mollis: temperanter vivit & plus aquæ aut decocti quam vini bibit; vitam agit ſedentariam jam diu, nec niſi reptando pedes inceſſit: ſomno pomeridiano indulget; noctu ſurgit è lecto, & ſedens in ſedili per horam unam aut alteram utitur tunc *pulv. ſternutator.* uſque dum ſternuerit, poſtea *fumum tabaci* fiſtula haurit, inde lectum repetit. Catarrhis obnoxius crebras defluxiones paſſus eſt, præſertim circa æquinoctium vernum non abſque motu febrili, quem catarrhalem vocitant, ad cervicem, humeros dolorificos, lumbos præterea, coxas & femora; uſus eſt propterea *pulv. ſpecif. Ven. D. D. Wepferi.* Ad pectus dilapſæ tuſſes excitarunt & ſputationes, ut catarrhum ſuffocativum vererentur,

aut

aut de Apoplexia ſollicitum reddiderint *Reverendiſſ. Anno* 1688. *propter invaſiones Gallorum* cœlum & locum, proin etiam victum mutavit, dum *Clinglovium* conceſſit, non citra inſignem perturbationem, multa faſtidia devoravit. Belle uſque ſeſe habuit, *Bacchanalibus* 1689. interfuit & pluſculum forte, quam diæta conſueta ferebat, ſeſe invitavit. *Sub finem Februarii hujus anni* pedes primum intumuerunt, poſtea rheuma ruit ad pectus, & præter ſpirandi difficultatem tuſſim, crebras & copioſas ſputationes excitavit: appetitus periit non citra gliſcentis febriculæ indicia; habitus enim imminuebatur inſigniter, laſſus fuit; noctu ſeſe è lecto proripuit, pedes circa malleolos intumuerunt & impreſſa ſervarunt digitorum veſtigia. *Crebro* uſus fuit *noctu theriac. cœleſt. ad gr. iij. iiij.* ſuaſit *Excell. D. D. Vicarius Liq. C. C. ſuccinat. bis purgatus fuit pilul. è ſuccin. Craton. gr. xxv.* ☿ *dulc. gr. xv.* cum euphoria. *Vener. D. D. Wepfer* præſcripſit *die* 19. *Mart. decoct. pector. c. vino & aq.* 2. *Rotul. pectoral.* 3. *Electuar. é conſ. roſar. c. Theriac.* monet ut maneat in lecto, ne hyprops emergat. *Die* 26. *Mart.* ſcribit affectum *Reverendiſſ.* eſſe prodromum Apoplexiæ, & forſan aquam in ventriculis cerebri eſſe, miſit 1. *Pulv. cephalic. ex pulv. analept. Mind. cubeb. ſpec. diambr. &c. mane* ℥j. *veſp.* ℥ß. *c. aq. roriſm.* 2. *Rotul. cephalic. ex ſpec. diambr. Balſam. apopl. &c.* 3. *Balſam. cephalic.* 4. *Veſicatoria.* 5. *Syrup. laxativ. & V. S. d.* 13. *April.* 6. *Pilul. è ſuccin. Craton. ſingulis quatuor diebus dimidia hora ante cœnam No. v.*

Die 5. *April. conveni Reverendiſſ. Clinglovii*: parum appetit, melius tamen quam nuper, non ſitit, bibit *decoct. C. C. paſſul. rad. chin.* alvus reſpondet utcunque: urina copioſa & ſatis laudabilis, pulſus fortis & robuſtus: raro jam tuſſit, & facile ſputum excernit probæ notæ: facile reſpirat & manere poteſt in lecto, niſi conſuetudini indulgeat: os nullo peregrino ſapore eſt imbutum. Caput calere ait, & ſudor interdum erumpit, ſerenum eſſe nec obtuſum; nullibi dolet, nec gravitatem ullam aut pondus in eo percipit: memoriam fidam ajunt, nullas aut leviſſimas in ſermone aut judicio hallucinationes animadvertunt adſtantes: nulla vertigine neque gyroſa neque titubante infeſtatur, nec ſedens, nec jacens in lecto, neque incedens. Dormit, ſed parum inde reficitur, plerumque à decima uſque ad primam matut. abhinc inſomnis exiſtit. Inter legendum interdum à linea aberrat & in ſubſequentem incidit: manibus firmiter apprehendit, ſed ſcribenti non obſequuntur tam prompte, quam olim, & literas miſcet. Pedes ſunt infirmi, attollere poteſt, ſed ſuſtentationem denegant, alie-

nos quaſi percipit, propriis viribus ſeſe ſuſtentare non valet : minus incedere; ſuffultus autem ſed debiliter incedit, uterque noctu tumet circa malleolos, mane detumeſcunt, tarſus dextri pedis dolet propter caſum : utitur *præſcriptis D. D. Wepferi.* In cœna comedit juſculum, aliquot pruna, piſces frixos, fungos, parum bibit.

Die 6. April. dormivit uſque ad ſecundam matut. manſit tota nocte in lecto : *Fonticuli* faciunt officium & *Veſicatoria utrique humero admota :* urina copioſa & laudabilis : vegetus apparuit & ad omnia apposite reſpondit : ſcripſit ſed difficulter literas innectit, nullam ſentit vertiginem, nullum dolorem aut pondus capitis, ſenſus integros ait, niſi viſum quem in lectione falli dicit lineis; pranſus eſt ſatis bene atque cœnavit, in diſcurſu leviculas animadverti memoriæ labes, interdum tamen hallucinari perhibent, & villas ſuis nominibus impertire neſciviſſe ajunt : ſumſit *Pilul. cephal. No. vij.*

Die 7. April. noctu bene dormivit abſque inſomniis uſque ad ſecundam matut. poſtea alvum exoneravit, & abhinc bis adhuc, mane belle ſeſe habuit, melius ſcripſit hodie : parum pranſus eſt, ſitiit, ſumpſit *veſperi pulv. cephalic. D. D. Wepf. cum aq. roriſmar. & guttul. aliquot ⊖. volat. oleoſ. S.* abhinc dixit caput calere & turbulentum eſſe, parum cœnavit.

Conſilium Medicum.

AFfectus quo laborat *Reverendiſſ.* non eſt vertigo, etenim neque ſedenti neque jacenti, nec ſtanti objecta in gyrum agi aut titubare videntur, ſed omnia legitimo ſitu & ordine & ſtatione apparent; cum igitur definitum affectui non competat, neque definitio competere poterit. Neque apoplexia exiſtit, quandoquidem ſenſus omnes tam interni quam externi ſunt integri, & quæ ab adſtantibus animadvertuntur hallucinationes aut in ſermone aut memoria, aut judicio, vel nullæ ſunt, vel plane leviſſimæ; neque loquela quicquam vitii cepit. Nec eſt Paraplegia aut Paralyſis vera, quandoquidem in his membra aut plane reſoluta raptantur, aut motum pene omnem denegant. Potius igitur impotentia quædam artuum appellanda erit, ſiquidem tam manus in ſcribendo non debite obſequuntur, nec tam promte atque olim, dum literas miſcet, nec tam diſtincte pingere poteſt *Reverendiſſ.* imprimis verò artus inferiores impotentiâ laborant, dum corpori ſuſtentationem denegant, & vacillant; reſoluti tamen dici non poſſunt, quia eos attollere poteſt & flectere ad arbitrium. Caput interea non prorſus immune videtur, ſiquidem inter ſtandum & ipſum vacillat & quid intus fluctuare videtur; quin & interdum minus promte memoriæ ſuccurrunt nomina rerum. Cauſa

Cauſa tantæ impotentiæ eſt imminutus effluxus ſpirituum animalium è cerebro per nervos, in quo ſcil. intemerato robur artuum conſiſtit, à colluvie ſeroſa quæ alicubi circa genus nervoſum ſtagnat, adeoque viam aliquo modo intercludit ſpiritibus animalibus; etenim multum ſeri cumulare *Reverendiſſ.* apparet ex tumore pedum œdematoſo, qui ab initio morbi evenit, defluxionibus crebris, tuſſi & copioſis ſputaminibus, quæ non niſi abundantis ſeri productum exiſtunt: dubium tamen eſt, utrum circa principium, ſeu progreſſum nervi ſero nimio madeant; etenim jam olim paſſus eſt *Reverendiſſ.* defluxiones ad articulos, cervicem, humeros, lumbos & femora, unde tunc *pulv. ſpecif.* adhibitus fuit, invaſit præterea cum tumore pedum œdematoſo. Quum vero hoc tempore nullos dolores articulorum ſenſerit, & tanta impotentia ſenſim ſine ſenſu obrepſerit, veriſimile eſt circa principium nervorum & in ipſo cerebro retardari atque imminui influxum ſpirituum animalium à ſero in ventriculis ſtagnante; hinc in capite à motu fluctuationem quandam percipit, quæ quieſcenti non contingit, præterea capitis corroborationem poſcit & calet præter morem; non tantam tamen illuviem ſeri eſſe exiſtimo, ut inde ſubſtantia calloſa cerebri, aut corpora ſtriata permaduerint, aliàs & mendæ judicii & memoriæ labes animadverterentur manifeſtiores, dum ſpiritus minus promte meare ac remeare & veſtigia ſua relegere poſſent. Potius compreſſio quædam corporum ſtriatorum fieri videtur à colluvie ſeri in ventriculis cerebri, quod per inſundibulum detruſum & ipſos nervos opticos afficere & viſum fallere poteſt. Serum hoc cumulatum fuit tempeſtate hac pluvia; circa æquinoctium autem fuſum ad pectus decubuit, uti quotannis fieri ſolitum fuit, & inſignem catarrhum cum febri excitavit cum copioſis ac frequentibus ſputaminibus. Symbolum contulit vita ſedentaria, qua mirum quantum humiditates accumulantur: poſtea facta quaſi metaſtaſi, miſſis partibus ſpiritalibus in ventriculos cerebri ruit & exundavit, dictaque ſymptomata generis nervoſi excitavit, remittente tuſſi & ſputaminibus. Sive jam ſua ſponte natura hæc loca, miſſis prioribus, affectavit, ſeu aliàs eò commota fuerit, ſive cogitationibus intenſis, dum tempore hoc ulceroſo faſtidia varia devoravit & tacite concoxit *Reverendiſſ.* res eodem recidit.

Interea omni ingenio eò annitendum erit, ut colluvies ſeroſa in toto corpore, cujus paſſim exſtant indicia, imminuatur. 2. In ventriculis cerebri & partibus aliis facta illuvies exhauriatur, ne tandem, dum penitius ſubſtantiam cerebri irrigat, graviora uſque inducat ſymptomata, obturatis, compreſſis vel obſtructis compitis ſpirituum animalium aut circa principium aut propaginem, & ita Apoplexiam aut Paralyſin excitare queat.

 1. *Singulis*

1. *Singulis* 8. *dieb.* capiat *Reverendiſſ. Pilul. cephalic. No. ix. xj. duabus hor. poſt cœnam:*

℞. Extract. pilul. cochiar.
aurear. āā. ℈ij.
caſtor. gr. vj.
Magiſter. gialapp. ℈ß.
Ol. d. roriſmar. gtt. ij.
Spir. ceraſ. nigr. q. ſ.
Mſc. F. Pil. No. xxxxviij. De ☉.

2. *Mane hor.* 5. *&* *V. hor.* 4. utatur *pulv. cephalic. confortante Ven. D. D. Wepferi, add. ⊖ vol. oleoſ. gtt. v.*

3. *Horâ abhinc* ſuperbibat *Decoct. Lumbricor.* ad reſolvendam lympham, & inde exſpectet ſudorem *in Laconico.*

℞. Lign. ſanct. ℥iß.
ſaſſafr.
Rad. chin. elect.
filic.
polypod. q.
helen. āā. ℥ß.
Lumbric. 🜄 exſiccat. ʒvj.
Sem. fœnicul. ʒij.
Inciſ. & contuſ. coq. in lagen. ♃. cum aq. font. menſ. j. per hor. j.

4. *Interdiu Rotulam unam aut alteram* mandat.

5. *Mane* utatur *pulv. ſternutator.* & abhinc maſticet *Cubebar. No. v.*

6. Caput *Cucuphâ* muniat, & *balſamum* illinat.

7. *Tragæa poſt paſtum* ad eandem intentionem faceret.

8. *Frictiones* inſtituantur artuum *c. ſpir. lumbric. poſt Laconici uſum. Veſicatoria* adhibeantur, ſi perturbatio animadvertatur.

Diæta ſit conveniens & extenuans: vitet *Reverend.* aërem frigidum & humidum, cumprimis nocturnum, & ſtragulis ſeſe apte cooperiat, ratus ſeri exſuperantiam quam maxime diaphoreſi minui, cujus *Doctiſſ. Carolus Piſo* oculatus teſtis fuit. Victus ſit exſiccans, nocent piſces molles & glutinoſi, lactuca, olera pleraque multum humiditatis præbent, vitet carnem ſuillam, omnes cibos nimium ſalitos. Vinum diluat *decoct. Saſſafr.* quod velim quam commendatiſſimum.

Somnum

Somnum ſtatim à paſtu initum talium defluxionum authorem credat. Quoniam partim ob molem partim ob nuperum accidens exercitia inſtituere non valet, ſaltim frequenti obambulatione ſpirituum influxum per nervos procuret. Animi motus ſint moderati & mens hilaris.

Deus O. M. Salutaria hæc Reverendiſſ. eſſe jubeat!

Joh. Conradus Brunner, M. D.

Die 28. *April.* 1689. *ipſum conveni Clinglovii*, obſervavi illum firmo talo inſiſtere, dum manibus pueri axillis nitebatur ipſum inceſſiſſe ſine pedum tractu, at capite antrorſum ſibi cadendum putavit; aliquando ſe unum alterumve paſſum progredi poſſe ait, verum mox vel menſam vel parietem arripiendum eſſe, aliàs ſe caſurum protinus. Inter colloquendum nomina rerum notiſſimarum non ſuccurrunt ſæpiſſime, & hac vice nomen *Balſami*: ſæpe ad mictionem ſtimulatur, hanc ob cauſam lectum noctu præcipue permingit: in lecto manus & pedes movet; dormit ad medium noctis, poſtea non amplius, verum à prandio aliquandiu, etiam in lecto ut hodie. *Veſperi cuti capillatæ* impoſui *Cucupham ex Emplaſtr. Veſicat.* Per poros cutis illæſâ cuticulâ eduxit aquam; at quia illa loco movebatur, in utroque tempore veſicas excitavit.

Die 29. *April.* mane ſerum adhuc emanavit; de nullo dolore ſed levi ſolum ardore in temporibus conqueſtus eſt. Veſperi ſtabat firmo talo, nec genua dum ſtabat labaſcebant, quod tamen evenit ſtatim in ingreſſu, niſi ſuſtentetur. Hodie multum querebatur de lumbagine: in capite nec gravantem nec pungentem dolorem patitur: omnibus ſenſibus externis valet: appetit, ſubinde ſitit, bene pranſus eſt, urina craſſa, pallida cum ſedimento craſſo.

Die 30. *Aprilis* adhuc de lumbagine conqueſtus eſt, quæ ſedentem imprimis affligit, quando ſtat, remittit: dum ſedebat, vidi abdomen mire pendulum ob molem prope ad interfœmineum medium deſcendens: pranſus eſt bene. Circa primam pomer. decubuit in lecto ac dormivit, poſt tertiam expergefactus ſurrexit; quamprimum ſtetit, de vera vertigine querebatur dicebatque omnia intra cranium turbari: in nullo artuum conquerebatur de dolore, de fluctuatione nihil fateri voluit: Exomphalon magnum dixit. Licet *fumo tabaci* utatur, ait ſe parum ſalivare, nec ab uſu *pulv. ſternut.* multum emungit.

Die 2. *Maji* in dorſo verſus coxas ſubitos dolores paſſus eſt, ut alta voce ejulare cogeretur, dum ſedebat; quamprimum ſurrexit atque aliquandiu erectus ſtetit, dolor ſubito remiſit. Videbatur ſpaſmo ſimilis affectus, nam ſenſit dolorem à tractione quadam excitari, à relaxata quaſi chorda dolorem remittere. Nnnn 3 Abi-

Abiturus *die* 2. *Maji* ſuaſi 1. *Mane hora* 5. ℨj. *pulv. cephal.* & *V. hor.* 5. ℨß. *cum aq. cephal. parata ex aqua beton. aut roiſm. aut ſalv.* ℥v. *ſerpill. Lumbric.* ãã. ℥ß. *ſpir.* ✱*c. arom.* ℈j. *ſyr. flor. paralyſ. parum.* 2. *Decoct. lignor. hora poſt pulv.* 3. *Rotul. cephal.* 4. *Subinde noctu aut conſerv. roſar. r. c. theriac. aut pilul. theriac. cœleſt.* 5. *Frictionem totius dorſi pila lanea.* 6. *Pectinationem frequentem retrorſum.* 7. *Veſicatorium toti capiti imponendum d.* 4. *Maji.* 8. *Pilul. cephal. ante novi-* & *plenilunium No.* viij. Si caput ſiccum ſit, vertex illinatur *Balſam. cephal. M.* & *V.*

Die 24. *Maji* 1689. *iterum ipſum conveni:* hucuſque *bis* applicitum fuit *Veſicator. bis ſcamno* incubuit. In cute capillata emerſerunt puſtulæ rubræ piſi magnitudine fere; in toto reliquo corpore nullæ apparent, illiverunt *Ung. alb. camphor.* aliàs vegetus eſt, melius appetit: memoria imbecillior: nondum incedere valet &c. Suaſi abraſionem capillorum: *iteretur Veſicator.* & *ſcamnus.* Utatur *medicamentis nuper præſcriptis.*

Die 10. *Junii* 1689. *ipſemet propria manu ſcripſit*, ſe ſine fulcro in hypocauſto & foris aliquoties obambulaſſe, ac genua firma fuiſſe: at rurſus perturbationem in capite ſenſiſſe, denuo quoque novas puſtulas utrinque in capite emergere, ut malum timeat.

Pergat *medicamentis d.* 2. *Maji præſcriptis*: puſtulis imponatur *Emplaſtr. diapalm.*

Die 27. *Jun. ſcribit Chirurgus:* tubercula plura in capite in unum abſceſſum coierunt, qui valde doluit, donec ruptus fuit *ab Emplaſtr.* apertus poſt aures plurimum puris fudit, caput prius valde inflammatum erat, toto in corpore melius ſe habet; petit *pulv. ceph.* quem miſi. Poſtea obambulare rurſus potuit *Reverendiſſ.* pro lubitu.

Die 1. *Jul.* 1692. Mane adhuc miſſam celebravit, poſtea correptus fuit impotentia pedum & brachiorum. *d.* 2. *Jul.* incrementa ſumpſit & magis die ſeq. cum vocis debilitate, inappetentia, pulſu freq. celer. petiit meam præſentiam. *Die* 4. *Jul. miſi D. D. Pfiſterum*, qui ipſum deprehendit tertiana intermittente affectum: *à Pulv.* & *Electuar. Febrifug.* convaluit poſt quartum paroxyſmum & *d.* 9. *Jul.* optimè ſe habuit: manet tamen urinæ incontinentia.

In principio Martii 1693. denuo correptus fuit inſultu febrili per incertas periodos redeunte; brevi tamen *à congruis adhibitis per Filium meum* ceſſavit.

Die

Die 27. *Maji* 1693. rurſus correptus fuit horrore, ſeq. æſtu & laſſitudine magna: emerſit eryſipelas in tibia dextra: die 22. rubor & tumor manent ac tendunt verſus femur, ſitit, catarrhi continuo ruunt: appetitus prorſus eſt proſtratus. Miſi *Mixturam diaphoretic.* bibat *decoct. C. C. uſt.* inde melius ſe habuit.

Die 6. Nov. ejuſdem anni convenit ipſum *D. D. Pfiſter*: prompte incedebat & quidem ſine fulcro: vegetior erat; ſenſibus internis valens optime; conquerebatur imprimis de dolore occipitis, etiam de humerorum gravitate; præſcripſit ipſi *caput roborantia.*

Circa finem Aprilis 1694. ob defluxionem & ſtagnationem ſeri intra cranium memoria rurſus valde imminuebatur, loquela impedita, artus valde debiles, nullam ſibi opem ferre poteſt: urinam retinere nequit, tandem *d.* 23. *April.* noctu circa hor. 1. mortuus eſt.

OBSERVATIO CXXXVIII.

Apoplexiæ Metus.

Rev. Dnus Wolf. Wil. Bühel Norimberg. d. 6. Novembr. 1680. Conſilium ex occaſione Tractatûs mei de Apoplexia lecti petit.

ANtequam ætatis annum ſecundum abſolvit, *Menſ. Febr.* cœlo gelido in aerem frigidum exportabatur, & aliquandiu in aere frigido detinebatur: domum deportatus in hypocauſtum Hemiplegiâ lateris dextri correptus fuit, ut nec pedi dextro inſiſtere, nec brachium movere poſſet: benedicente Deo, *operâ Celebris & periti Medici* feliciter curatus fuit, ut nullum vitium in illo animadvertatur præter debilitatem quandam, ſi diu ſcribat, aut aliquid diu manibus teneat. Præterea certis anni temporibus ſcil. Vere & Autumno in toto latere dextro quendam motum convulſivum experitur, non diu durantem & nunquam vigilantem, ſed præcedente ſomno invadentem. Ante invaſionem & poſt illam quoque percipit quandam quaſi laſſitudinem in capite. 1675. 1676. ob dentem carioſum odontalgiâ ſævâ correptus fuit in ſiniſtro latere: 1677. *Menſ. Mart.* poſt meridiem ſubito auris ſiniſtra tinnitu diuturno affecta fuit, mox ſubſequente aliqua imbecillitate lateris ſiniſtri, ita tamen ut muniis ſuis tum & hucuſque vacare valuerit: acceſſit vellicatio quædam in oculis quam in ſpeculo obſervare potuit ut & in lingua. *Quidam Medicus* ſuaſit *Tinctur. ſuccin. c. aq. fl. lil. convall.* aſſumendam: *foris* ſiniſtrum latus lavabatur *ſpiritu*

ritu quodam ardente : linguæ apex *ol. aniſi* tangebatur. Hæc non male contulerunt, attamen malum non ſuſtulerunt. Ad mutationes tempeſtatum & lunæ notabiles paſſiones in ſiniſtro latere & lingua experitur : nam nunc ſiniſtri parti capitis pondus accumbere videtur, nunc ad collum & totum latus ſiniſtrum pervenit, ac in medio aliquid affixum putat, nunc in medio dorſo hæret. Senſus quoque non ſibi ſemper ſimilis eſt: quando ſiniſtro lateri in ſomno incumbit, illud ſtupet; ſæpe magna ſiccitas linguam occupat, adeo ut præ illa, niſi *humectantia* in ore teneret, loqui neſciret, quamvis nec illa juvent, ſi ſiccitas nimia adſit. *Præterito menſe Maji* 1680. *Vena ſub lingua ſecta fuit* : ſanguis erat niger craſſus, at inde nullum notabile levamen percepit. Eſt 30. annorum, temperamenti melancholici maximam partem, quod judicat ex inſomniis terribilibus : facies eſt colorata, ſed non nimium, ut nihil morboſi ex facie poſſit divinari, ſubinde ſternutat. In corpore non dolet, ni quando catarrhi ſecundum latus ſiniſtrum ruunt, putat cor dolere. Imprimis linguæ rationem habendam expetit.

Reſolutio.

AFfectus varii in hoc caſu occurrunt, qui ad tres commode reducentur, ſuntque Hemiplegiæ, motus convulſivi & linguæ ſiccitas. Satis fortis fuit dextri lateris Hemiplegia dum adhuc puer erat, quæ utcunque curata ſit, labem tamen aliquam reliquit : in cujus locum ſucceſſit aliquis motus convulſivus, poſtquam illa *congruis medicamentis* ſublata fuit. Siniſtri lateris affectus aliquam Hemiplegiam ſeu refert ſeu minatur, nam hoc latus languidum experitur, maxime ad mutationes tempeſtatum cum ſenſu ponderis accumbentis, præterea ſtupet, ſi in ſomno diutius illi incumbebat : vera tamen Hemiplegia non eſt, quia artus ſuis adhuc muniis ita funguntur, ut nemo facile labem advertat. Denique linguæ ſiccitas morboſa eſt, quia loquelam impedit, niſi *humectantibus* caveatur, quod tamen non ſemper ſatis præſtari poteſt. Hemiplegiæ tum veræ in dextro latere, nunc quidem ſublatæ attamen relicta quadam debilitate, ob quam continuata diutius ſcriptura aut apprehenſione manus defatigatur, tum ſiniſtri lateris imperfectæ cauſa proxima eſt impedimentum quoddam in medulla oblongata, ob quam ſpiritus animales non ſufficienter ad artus ad motum & ſenſum vegetandum influunt : In dextro latere impedimentum ſublatum prope exiſtimo, quia nonniſi poſt defatigationem quandam animadvertitur, aliquod tamen ſupereſt, quia defatigatur & ſpiritus labore diſſipati non tam copioſe & expedite reſtaurantur. In ſiniſtro latere aliquod eſt ſed perexiguum nec magni momenti, quia nemo

nemo niſi ipſemet imbecillitatem hanc animadvertit. Impedimentum hoc eſt, quod nervos anguſtiores facit: an vero nervos comprimendo, an aliquomodo obſtruendo? dubium eſt. Videtur comprimendo foris idque à ſero incluſo intra meningem & corpus medulloſum oblongatum (NB. nam medulloſam hanc ſubſtantiam affici totius ſiniſtri lateris imbecillitas & ſtupor innuunt, non particularis aliquis nervus.) Quia ipſemet ſentit corpus aliquod incumbere, deinde hemiplegia tam levis eſt, ut vix nomen hoc mereatur. Illud videtur eſſe ſerum, tum quia ſolus hic humor ad hæc loca pertingere poteſt, ut brevi tempore ibi commoretur & penitus diſſipetur. Occaſionem Primæ effluvio & aliquali ſtagnationi anſam dedit in dextro latere, mora longior in aëre frigido, unde pars debilitata & ad recipiendum apta facta, & ab hypocauſto calido poſtea ſuſum fuit. Secundæ odontalgia per duos annos durans affluxui anſam dedit; quæ ſimul innuit cauſam potius foris medullæ accumbere quam ad intima penetrare, quod etiam confirmat tinnitus aurium. Serum cauſam eſſe, probatur ex eo, quia hæc imbecillitas evenit ad mutationes aëris & lunæ, quorum utrumque magnam vim ad ſerum movendum & ſeparandum à maſſa ſanguinea ac effuſum detinendum habet. Serum in hoc loco tamen acre eſſe patet, quia motus convulſivos efficit & palpitationes palpebrarum potius quam oculi, qui non contemnendi, quia illos præcedit & ſequitur aliqualis capitis defatigatio. Tali ſero abundant aliàs Melancholici. Linguæ ſiccitas ab alia cauſa dependet ſcil. à ductuum ſalivarium, ſublingualium aliorumque, quorum officium eſt linguam humectare, occluſione: neutiquam ex lymphæ defectu, cum cætera ſanus ſit: cui accedit, forte præcordiorum æſtus & ſomnus ore aperto, ob quas cauſas tantillum, quod ſupereſt, de lympha abſorbetur.

Indicationes igitur erunt ſerum ſtagnans circa medullam oblongatam aufferendum, laxitatem piæ meningis conſtringendam; acrimoniam ſeri attemperandam, & proventum ſalivaris liquoris majorem ad linguam adducendum eſſe.

Itaque 1. *Purgandum pilul. cephal. ſemel in menſe, quarum num. 7. vel 9. duabus horis à parca cœna* ſumat. 2. *Fonticuli excitandi, unus in brachio ſiniſtro, alter in parte externa fœmoris ſupra genu dextrum.* 3. Si imbecillitas creſcit, proſunt *Veſicatoria carpis applicita.* 4. Paretur *pulvis abſorbens & genus nervoſum roborans*, qui diu continuandus, quo ſolo hujuſmodi affectus ſuperati fuerunt.

℞. *Rad. cariophyllat.*
valerian. ſylv.
pœon. āā. ℥iij

 Summit.

Summit. majoran.
roriſmar. ana. ℥j.
C. C. ph. ppt.
Ungul. alc. pp. ana ℥iß.
♁ *diaphor.* ʒiij.
Sacch. alb. ℥iij.
Ol. N. M. expr. gr. iij.
Mſc. F. pulv.
Doſ. M. & V. ʒß. *cum aq. betonic.*

Eſſent. Tinct. aq. ſpirituoſ. non tutæ ſunt. *Topica* fruſtranea erunt. *V. S. ſub lingua* nihil opis feret. Propter linguæ ſiccitatem maſticet *maſtichen, rad. galang. rad. pyreth.* Frigida nocent. *Ol. deſt.* apici linguæ admota ſtupefaciunt. Diætam in ſex rebus non naturalibus congruam obſervet.

OBSERVATIO CXXXIX.

Apoplexia.

NObiliſſ. & Excell. D. D. Henricus Screta à Zavorziz, natus *Scaphuſii* 1639. *Menſe Junii.* Poſtquam in addiſcenda *lingua Latina & Græca* quædam fundamenta jeciſſet, *ad Pharmacopœam* deſtinatus fuit, hanc ſingulari induſtria excoluit, nam dum omnium ſimplicium accuratam notitiam comparare annixus eſt, magis magisque *in Latina & Græca Literatura* ſe exercuit, tandem quoque proprio marte *Arabicam cæterasque Orientales* addidicit, & ut ad perfectionem, *tùm ſtudium Linguarum, tùm Artem Pharmaceuticam,* quantum in viribus humanis ſitum eſt, perduceret, noctes inſomnes ſæpiſſime ad ætatem adultiorem uſque traduxit admodumque lucubrationibus indulſit: *in laboribus chymicis* ipſemet manum operi admovit; his ſtudiis *Matheſin* junxit; diligenter *Carteſii Scripta* evolvit ejusque ſententiam amplexus eſt, ita tamen ut noluerit ejus mancipium eſſe, ſed probarit illa, quæ rationi & experientiæ conſentanea comperit. Jam uxoratus *Heidelbergam* profectus eſt ibique *Inclytæ Academiæ indultu, abſque præſidio Diſſertationem Phyſico-Mathematicam de Auditionis cauſis & natura publice* 1670. *Menſ. Decembr. & anno* 1671. *Menſe Junii poſt ſuperatum Examen Medicum Baſileæ Diſſertationem de læſa Auditione Phyſico-Medicam* defendit, & paulo poſt ibi *Honoribus & Privilegiis Doctoratûs Medici* dotatus fuit.

Anno

Anno 1675. *Libellum de Febri Caſtrenſi* tunc Epidemia *Germanicè* publici juris fecit, quem *Latinum recognitum & auctum Libro ſingulari recudendum* 1686. *Scaphuſii* curavit. *Noctes Medicas,* quando à negotiis liber erat, præcipue noctu conſcripſit, quibus *plurima Philologica aliaque rem medicam illuſtrantia* continentur. Pridem quoque exorſus eſt *Commentarium in Nicandri Theriacam*, cujus aliquot editionum potitus erat & *Arabicam* jam in *Latinam* tranſtulit: Hunc quinto die ante obitum ſe, ſi Deus vitam & vires conceſſerit, abſoluturum hac hyeme, pollicitus eſt, cujus exordium ipſi funeſtum fuit. A puero & ni fallor à quinto ætatis anno ultra quadrageſimum ætatis annum abſtemius fuit, vinum penitus illo tempore abhorruit, excepto *dulci Frontiniaco*, cujus tamen raro pauxillum deguſtavit: cereviſiam quoque faſtidivit: potus plerumque aqua erat ſimplex, citra ullum additamentum & cruda. Averſabatur admodum caſeum. Ab 8. circiter annis vinum bibere cœpit, ſed moderate, & ita quidem ut quandoque illud rurſus aliquot ſeptimanis omitteret. Delectabatur dulciariis, fructibus horæis dulcibus, bene maturis, imprimis uvis, prunis Damaſcenis, ceraſis & ſimilibus, quando his ad lubitum potiebatur, per plures dies nec guttulam quidem bibit. Interea vegetus fuit, licet paulo pallidior, ad omnes actiones perficiendas aptus, vicinos nobis montes plantarum causâ ſæpe conſcendit, iter aliquot horarum confecit. Ab aliquot annis habitus incrementa ſumſit & admodum obæſus fiebat, ut non raro itinera ad loca diſtantiora declinarit. Ante annos circiter 18. paſſus eſt aliquot inſultus nephriticos & non paucos calculos egeſſit, poſtquam uſus eſt *Acidulis Griesbaccenſ.* ab illa immunis vixit. Hæmorrhagiam narium ſæpius expertus eſt, verum nunquam enormis erat, neque ab illa debilitabatur. Febrim quoque malignam non ſine vitæ periculo ſuſtinuit. Eryſipelate tibiæ correptus 1686. quod ſuppuratum ulcus dyſepulotum poſt ſe reliquit aliquotiesque recruduit ſub malleolo.

Anno 1689. *Menſ. Septembr. Ad Sereniſſimum Dominum Adminiſtratorem Stuttgardiam* vocatus fuit: iter iniit *die* 21. *Sept.* in itinere correptus fuit dolore Iſchiadico, ut non amplius equitare poſſet; aliquot horis pedes inceſſit: *Bablinga Stuttgardiam* rheda vehebatur, ubi 24. *Sept.* appulit. In via emerſit furunculus in tibia, ruptus diu pus fudit valdeque doluit, ac tibia intumuit: quiete conſolidabatur tumorque tibiæ maximam partem evanuit: dolor iſchiadicus penitus ceſſavit. *D.* 21. *Octobr. Stuttgardiâ* diſceſſimus domumque rediimus ſani *d.* 26. *Oct.* In itinere neque vel minimam moleſtiam ſenſit. Aliquot ſeptimanis *ante iter Stuttgardianum* in ſella ſedens ſtuporem quendam in latere ſi-

niſtro cum ſenſu ponderis brachii ſubito invadentem animadvertit, qui tamen intra quadrantem horæ poſt obambulationem receſſit. *Eberſingam d.* 1. *Novembr.* rhedâ vehebatur, ibi diu adſtitit mineræ ferri fuſoribus fabrisque circulos pro vaſis vinariis parantibus. Credebatur multum fumi carbonum tunc hauſiſſe: veſperi domum properans portâ urbis noſtræ clauſâ in pago vicino pernoctare cogebatur: propter lecti duritiem dormire nequiit. *Die* 2. *Novembr.* mane caput doluit, poſt prandium à ſomno pomeridiano brevi Cephalalgia, cui aliàs obnoxius jam per annos fuerat, penitus ceſſavit: Ægros viſitavit atque hortum ſuum extra urbem ſitum adiit: bene cœnavit, verum nec guttulam vini deguſtavit, bibit hauſtum unum alterumve aquæ: cibi erant braſſica criſpa bene cocta & caro bubula, conſueverat cibos ob dentes carioſos non bene maſticare: hor. 9. noctis lectum petiit, poſt medium noctis expergefactus de Cephalalgia immani, quaſi cranium divulſum iri querebatur ſimulque ad vomitum ſtimulabatur: cum conjux hanc ob cauſam lamentaretur, uxorem conſolatus eſt rogavitque ut bono animo eſſet, nihil enim deterius ſuperventurum; mox vero in lecto erectus ſedens in latus ſiniſtrum inclinavit & loquelam amiſit.

Vocatus ante primam noctis, inſtar trunci jacentem inveni, compreſſis fortiter digitis manûs dextræ prompte brachium & pedem dextrum movit, movit quidem brachium & pedem ſiniſtrum digitis manuum & pedum complicatis & arctiſſime preſſis, ſed tardius & ignavius primum, poſtea ne minimum quidem: ante meum adventum infuderunt *fontanam*, cui *multum ſpir. C. C.* admixtum erat; & ego *ſimilem liquorem ex aquis cephalicis cum hoc ſpir. & ſp. ⊖ ✳ ⊡ add. ol. deſt. ceph.* dedi, quem prompte deglutiit, ſubinde oſcitavit: *infuſo extr. cochiar. ad* ʒß. *in aqua beton. ſoluto* & propinato non ſolum oſcitavit, verùm etiam ad vomitum ſtimulabatur; contenta ventriculi ad os detrudebantur, verum ob dentium phalangem arctiſſime conſtrictam, nihil excernebatur; fruſtula carnis non bene maſticata inter dentium lacunas hærentia extraximus: ſimul injectus fuit *Clyſter acris*, unde, paulò ante *præmiſſo ſuppoſitorio acri*, alvum exoneravit: narib. nunc *balſam. ſuccin.* nunc *ſpir.* ⊖ ✳ admovebatur, aliquoties nares illinebantur *aq. cephal. cui pulv. Euphorbii* immixtus erat, *ab hac aqua* pruritum permoleſtum excitatum fuiſſe conſtitit, quia aliquoties manum dextram naſo ſponte cum indignatione quadam admovit; deterſo liquore quietior evaſit; denuo *illitâ aquâ* ſimilem indignationem excitavit, quod etiam fiebat poſt digitorum complicatorum compreſſionem. Statim poſt inſultum *utrique carpo & tibiarum parti internæ ſub*

genubus

genubus veſicatoria applicabantur. In principio pulſus robuſtus minus frequens erat, ſenſim debilior & frequentior fiebat: primum æqualiter reſpiravit & placide, etiam corpore humili ſitu locato; poſtea inæqualior & cum labore quodam & ſibilo, ut altius locandus fuerit, unde aliquandiu placidior eſſe & quiete dormire videbatur, mox tamen laborioſior fiebat: interea caput & pectus largo ſudore perfundebatur, non diu poſt inſultum oculi motu convulſivo pervertebantur; arcte dentes conſtrinxit; brachium dextrum ſæpe ſuccuſſit, nunquam tamen rigidum aut minus flexile reddebatur, poſt quintam dormivit: ante ſextam rurſus ad vomitum ſtimulabatur, quem alias frequenter, dum ſanus eſſet, mane hac hora patiebâtur, verum hac vice ſine ſucceſſu, pulſus debilior evaſit, facies livuit, paulo poſt expalluit & ſtatim mox poſt ſextam matutinam vivere deſiit *d.* 3. *Novembr.* 1689. Aliquot annis geſtavit capillitium factitium, ſi illud depoſuit, interdiu & noctu caput contra frigus muniit vitta lanea. *Venæſect. ſcarificationes, fonticulos* abhorruit: rariſſime *purgantibus* ab aliquot annis uſus eſt.

Scholia.

I.

STupor lateris ſiniſtri totius etiam genu, & pondus brachii ſiniſtri aliquot ſeptimanis *ante iter Stuttgardianum* derepente in hypocauſto ſedentem invadentes, prænuntii erant funeſtæ fortiſſimæ Apoplexiæ: quoniam enim ſtupor totum latus cum ſenſu ponderis in brachio ſiniſtro occupavit, neceſſario ſupponenda imo ſtatuenda erit diſpoſitio aliqua in principio medullæ ſpinalis ſiniſtr. intra cranium, ob quam ſpiritûs animalis influxus aliquandiu interceptus fuit, nimirum anguſtia pororum nerveorum, ſive à compreſſione ſive ab obſtructione ſubito evenit.

II. Cauſa ſeu comprimens, ſeu oppilans, quia derepente ſymptoma & nihil tale exſpectantem aut prævidentem invaſit, & intra horæ quadrantem vel citius poſt obambulationem in hypocauſto rurſus penitus evanuit, ut nullam poſtea ejus curam ſingularem habuerit, vix aliud eſſe potuit quam ſerum ſe poris profundius inſinuans, aut foris intra fibrillas nerveas ſtagnans illasque comprimens, nam non alius humor ad hæc loca fertur, nec alius tam citò ſublatus fuiſſet: certe ſanguis extravaſatus & graviora & diuturniora ſui indicia poſt ſe reliquiſſet.

III. Seri in maſſa ſanguinea multum cumulavit, nam hydropota multis annis vitæ ſuæ fuit, & poſtquam vinum bibere tentavit, ſæpius tamen rurſus aquæ potum vino prætulit, fructibus horæis indulſit admodum: Exercitia corporis jam ab aliquot annis conſueta, ob auc-

tam valde corporis molem intermiſit : ulcus poſt eryſipelas ſuppuratum vere dyſepulotum & diu manans occluſit : *Venæſectiones*, *Scarificationes*, *fonticulos* ſumme averſabatur & rariſſime *purgantibus* uſus eſt : cum tamen ipſi notum fuerit ulceribus diu manantibus, ſi claudantur, nec alibi exitus paretur, aſthma, hydropem, quandoque Apoplexiam conſequi.

IV. Sero ad intima cerebri aditus paratus fuit, dum medulloſum corpus debilitatum ſeu laxius & ad illud recipiendum & retinendum promptius redditum fuit ab indefeſſis ſtudiis, frequentiſſimis lucubrationibus, cephalalgiis, narium hæmorrhagia. An fumi metallici & imprimis carbonum tertio die ante obitum hauſti ſymbolum ſuum ad Apoplexiam contulerint? certo definiri nequit. Non ita pridem à pie defuncto noſtro ad luſtrandam fœminam gravidam fumo carbonum extinctam vocabar, quæ catocho ſeu cerebro potius quam pulmonibus afflictis enectam fuiſſe apparebat, quod in aliis quoque animadverti, nam colorem quaſi naturalem ſervabant, nec ſtrangulatorum more liveſcebant aut in facie inflabantur : quidam ultra 14. horas colorem roſeum faciei ſervavit, ac in illo ſitu permanſit, quo ſe in anguſto conclavi fumo carbonum pleno compoſuerat.

V. Apoplexia *Doctiſſimum Dominum p. m.* ſanum nulloque ſymptomate prævio poſt cœnam non nimis lautam, citra vini potum, nondum quatuor horis dormientem à Cephalalgia immani expergefactum tanta celeritate obruens, ut paucis verbis effatis & vomitu portionis cœnæ ejectæ omni ſenſu & motu privatus trunci inſtar jacere videretur; reſpiratione primum æquali, nec valde laborioſa & pulſu robuſto ſuperſtitibus, non ſolius ſeri magno alicui impluvio adſcribi poteſt : potius largæ ſanguinis extravaſationi, aperto ramulo arteriolarum confertim intra anfractus cerebri alicubi, ſive in parte ſuperiore ſive inferiore incedentium, ac cito magnam ſanguinis copiam profundenti attribuenda videtur : nam non ſecus ac ſi à caſu aut forti percuſſione vas ruptum plurimumque ſanguinis intra cranium profuſum celerrime omnem ſenſum & motum mere animalem amiſit. Irritatis quidem partibus nervinis tum capiti vicinis tum diſtantioribus, *poſt infuſam aq. fontanam ſp. C. C. & aquas cephalicas eodem & ſp.* ⊖ ✱ ⊡ *ol. deſt. & ſacch.* imprægnatas, fortiter compreſſis digitis manuum & pedum in utroque latere complicatis; item *ab indito ſuppoſitorio acri ſimilique clyſtere, ab ingeſto extract. cochiar. in aq. cephal. ſolut.* movit brachia & pedes, præcipue in latere dextro, oſcitavit, vomituriit, imo aliquoties ventriculi contenta ad fauces protrudebantur, *à liquore* cui *Euphorbium* immixtum, naſo perlito aliquoties brachium cum manu propius admovit cum aliqua indignatione, ac ſi inimicum propulſu-

pulſurus eſſet, & abſterſo liquore tranquillior fiebat, quod evenit, quia fortis hic inſultus non producebatur ob ſpirituum aliquam diſſipationem aut depravationem, ſed oppreſſionem à pondere medullæ incumbente, quod his ultimis conatibus natura excutere annixa eſt. Ultimo naturæ attribuendi videntur motus convulſivi ſtatim in principio & poſtea conſpicui. Sanguinis profuſionem derivare liceret vel ab acrimonia ejus, vel à motu per retia arteriolarum anfractus perreptantium impedito, vel etiam per meninges diſperſarum, nam vix alii cauſæ immanis Cephalalgia, in qua caput diſruptum iri, paulo ante obitum dixit, adſcribi poterit.

VI. Invaleſcente in momento oppreſſione medulloſæ ſubſtantiæ à ſanguine ſenſus & motus magis magiſque abolebantur & muſculi enervabantur reſpirationi dicati, ut pectus nec attollere nec dilatare ſufficienter valuerint, & vaſtus corporis habitus, ſuminis imprimis & pectoris ſuccubuerint cum corde, unde circa ſextam expalluit, facies livuit, & paulo poſt cordis quoque motus ſubſtitit, ipſeque vivere deſiit.

VII. *Venæſectio* omiſſa fuit, quia nulla ſpes fuit ſanguinem extravaſatum ab illa reſorptum iri, potiusque mortis acceleratio timenda foret.

OBSERVATIO CXL.

Apoplexia.

Nobiliſſ. Dominus Sigismund à W. Eques St. Lazar. & Capitan. Cuſtodiæ Regis Galliarum per annos multos: ſtaturæ juſtæ, temperamenti ſanguinei, jovialis, multa in bello à juventute paſſus eſt: ſæpe poculis indulſit & abuſus eſt *fumo & pulvere tabaci.* 60. annorum *die* 8. *Octobr.* 1683. Ante dies octo mane conqueſtus eſt de dolore capitis in fronte, paulo poſt ajebat dolorem cervicem invadere. Templum voluit adire jamque domo egreſſus erat; occurrit fœmina, quæ ipſum ad iram irritavit, ad quam præceps erat, licet plerumque momentanea fuerit: rediit domum & dum aliquid in torculari famulis præcipere volebat, poſt octavam matutinam loquela impingebat, mox pedibus vacillavit: ab adſtantibus circumducebatur & prope trahebatur valideque ſæpius ſuccutiebatur. Ante nonam totus expalluit, dentes conſtrinxit; extrema frigebant: ad hypocauſtum delatus ſemel ab acclamatione annuit, nunc dextrum, nunc ſiniſtrum brachium, ſed poſt longa intervalla, movit, pedes immoti jacebant. *Infuderunt aq. in qua multum ſalis ſolutum erat.* in lectum repoſitus mucum flavum ejecit, plus tamen reſorbebat. *Utrique carpo, tibiæ & metapedio veſicatoria* impoſita fuerunt; *Aqua Angelicæ* infundebatur, quod maxi-

maximam partem rurſus ex ore emanavit, ad epiglottidem delata inter inſpirandum ad tuſſim irritabatur ſimulque ad vomitum ſtimulabatur, verum parùm muci extrudere valuit ob dentes conſtrictos, & licet cochleari continuè deducti fuiſſent, non tamen extra labia eliminare valuit. Circa 11. infudi *drachm. ſemis M. pilular. cephalic. aq. roriſm. ſolut. cochleatim*, cum melius deglutire videretur; non integram potiunculam tamen deglutire valuit, quia ad tuſſim ſtimulabatur ſimulque ad vomitum; præmiſſus fuiſſet *Clyſter*; verum ſponte alvum largiter bis jam exoneraverat. *Poſt ſumtam potiunculam* aliquoties oſcitavit: dextra manu brachio ſiniſtro jam paralytico ſuccurrere conabatur & ſponte illud ſubinde movit, ſæpe ad vomitum ſtimulabatur, verum ad fauces delata ejicere non valuit, quamvis dentes cochleari diducerentur. Id etiam fiebat *infuſâ aquâ antiapoplecticâ*, ut ſuffocatio timeretur. Ad ſecundam veſpertinam æqualiter reſpiravit, ſubinde oſcitavit; continuo dormivit, à ſomno *nec ſpir.* ⚹*c. urinoſ. nec balſam. cephal. nec nodul. ex rut. bacc. Juniper. caryoph. nec vellicationibus* excitari valuit. Poſt tertiam veſpertinam incepit reſpirare cum ſtertore; ſudore diffluxit, omnia extrema calebant, nunquam oculos aperuit, ab acclamationibus non magis, quam truncus movebatur: preſſis digitis manûs ſiniſtræ aliquantulum brachium movit, dextris preſſis brachium immotum manſit. *Inſtillatâ aquâ antiapoplecticâ* ſtatim ad tuſſim concitabatur ac ſuffocatio imminebat. Circa 5tam veſpertinam *Veſicatoria* vix cutim rubefaciebant: ſubinde ſingultiebat: circa 6. veſpertinam erecto thorace ſtatim antrorſum caput labebatur: preſſis digitis manus ſiniſtræ brachium adhuc movit, minus dextram preſſis illius manus digitis. Poſt 7. veſpertinam reſpiratio erat frequens, inſpiratio & exſpiratio celer, laborioſa, ſemper cum ſtertore, pulſus renitens: toto habitu calidus cum aliqua mordacitate, ſudabat toto corpore calidè. Circa 11. noctis in carpo veſicas ſero turgidiſſimas ſauciavi, majorem ſenſum præbuit in dextro, quam in ſiniſtro latere, preſſis digitis magis ſiniſtrum, quam dextrum movit. Nihil deglutire valuit ſine tuſſi. In tibiis & metapediis nullæ veſicæ ſurgebant, quamvis cutis, quouſque tegebatur *Emplaſtro*, ruberet. Pulſus & reſpiratio in eodem ſtatu manſerunt ad 2. matutinam. Calebat imò æſtuabat in toto corpore & cutis undique madebat. Circa 2. matutinam reſpiratio intercipiebatur: diductis dentibus rurſus frequens & celer evaſit. Circa 3. matut. reſpiratio celerior & frequentior erat, naſus frigebat. Circa 4tam matut. vivere deſiit. Toto decubitûs tempore multum muci ſubflavi præcipue ex nare dextra emanavit.

Scholia.

Scholia.

1.

INtra cranium affectum præter natur. delituiſſe indigitat dolor frontis, & conſequens illum occipitis diebus octo ante inſultum apoplecticum. Apoplexia imminente intra cranium quoque vitium fuiſſe teſtantur primum loquelæ impedimentum, hinc titubatio : mox omnium animalium actionum ſcil. ſenſuum & motus abolitio. Vomitus ſi non ſit adſcribendus *tepidæ ſalitæ aut ſoluto pilularum*, per conſenſum cum cerebro factum eſſe autumandum.

2. Non omnis vis animalis ſtatim extincta , nam in principio alternatim brachia movit, aliquot verbula muſſitavit , valde irritatus ſenſûs indicia præbuit, donec cum ſtertore ſpiravit ac omnis vis oppreſſa fuit.

3. Cauſa proxima videtur fuiſſe ſanguis extravaſatus, quia 1. irritatus brachia movit. 2. Spaſmo cynico ſæpe ad mortem uſque corripiebatur à ſanguine ſimul irritante. 3. In primo momento adhuc loquebatur, preces murmuravit. 4. Ante inſultum valuit judicio & memoriâ. 5. Incepit ab ira. 6. Incaluit brevi cum ſudore calido. 7. *Revellentia* nihil juvarunt : omnia iſta in apoplexia ſeroſa obſervantur diu ante invaſionem apoplexiæ. Succuſſio cauſam auxit : *vide Tractatum de Apoplexia.* 8. In curatione erratum *circumductione, ſuccuſſione, aqua ſalita vomitum movente , aq. deſtill. calidioribus.* Forſan *V. S. profuiſſet.*

OBSERVATIO CXLI.

Apoplexia fortiſſima.

NObiliſſima Domina N. N. nupta fuit primum admodum juvencula *Nob. Dom. N. N.* cum quo aliquot annis vixit in matrimonio ſterili; poſtea *Nob. D. D. R.* atque etiam in hoc matrimonio erat ſterilis. Dum in matrimonio erat , raro ægrotavit : habitu prædita erat carnoſo : robuſta, bene colorata. Ad ſterilitatis opprobrium devolvendum *varias thermas* adiit, *Argovienſes aliquoties*, *Fabarienſes & Fridriſenſes in Rhætia; Leukenſes in Valleſia ſemel* : *Cellenſes & Ferinas in Ducatu Würtembergico iteratis vicibus ;* iis uſa eſt legitime , nam ſemper temperanter vixit, quamvis opibus abundaret , nec deeſſent occaſiones aliud ſuadentes. Menſes ſemper large fluxerunt ultra annum ætatis quinquageſimum. *Anno* 1684. paſſa eſt febrim tertianam no-

tham & pertinacem, poſt quam ſuperatam pedes & fœmora œdemate tumebant: *congruis adhibitis* & febris & tumor penitus evanuit. *Anno* 1685. *Thermis Argovienſibus* cum ſanitatis emolumento uſa eſt. *Anno* 1687 ob maritum *Menſe Martii* febri maligna ſurreptum valde triſtabatur, ac preſſit altum corde dolorem. Circa illud tempus botium, quod prope à juventute habuit & hæreditarium *à Patre Rhæto* fuerat vitium, fere evaneſcere cœpit, quamvis carnoſa, imò obæſula & bene colorata eſſet, idque citra cauſam notam. Circa principium anni paſſa eſt bronchum cum vehementi tuſſi ac dyſpnœa aliqua: difficillima erat *ad medicamenta* & vix ad ſuffocationem evitandam ad pauca perſuaderi potuit. Vere & Æſtate bene habuit. Ex proprio conſilio *in autumno* 1688. *Venam ſecandam curavit;* ab illo tempore præter ſolitum ſitire cœpit, non tamen extra paſtum, nec in prandio aut cœna ultra ſolitum bibit, ſcil. vix ultra libram vini rubri veteris non valde generoſi ſed meri. Interea actiones naturales, vitales & animales laudabiliter obibat. Id animadvertebatur ultimis vitæ menſibus à domeſticis, quod ad liberiorem aërem captandum ſæpe thoracem laxare cogeretur & à frigore facies valde liveſceret, quæ aliàs rubebat. *Die* 25. *Dec. S. S. Synaxi* uſa eſt: *die* 27. *Dec. ipſam conveni* atque ad ſenſum ſaniſſimam deprehendi: *ſub finem Decembr.* correpta fuit eryſipelate fœmoris ſiniſtri internè, ubi ſtriæ rubræ ultra medium verſus genu extendebantur, atque in interfœmineo tubercula dura, mobilia, valde dolorifica tangebat. *Nullis medicamentis* uti voluit, & demum *die* 3. *Januarii* 1689. *Filium meum Joh. Conradum Medicum accerſivit:* renuit *uſum medicamentorum. Filius* ſuaſit *tenera lintea intincta in infuſo flor. ſambuc. chamomill. croc. camphor. rurſusque ſiccata* fæmori *calidè* imponenda: juſſit ut in lecto maneret atque ſudorem promoveret, quod mane diebus ſequentibus aliquot vicibus tentavit culcitris impoſitis, & lagenâ ſtanneâ fervidâ plenâ intra lectum poſitâ, ſed fruſtra. *Die* 6. *Januarii ipſam conveni,* ajebat ruborem evanuiſſe, unicum tuberculum fabâ majus in medio fœmore ſupereſſe, reliqua evanuiſſe: *die* 8. *Januar. rurſus illam conveni*, obambulavit in hypocauſto; rem domeſticam curavit, alacris & ſolito more jocoſa: *Medicis* valedixit *die* 10. *Januar.* affinis & ſoror cum ipſa cœnarunt: admodum hilaris erat: bibit *vini Frontiniaci* circiter uncias octo vel ad ſummum decem: noctu bene dormivit, expergefacta, imprimis poſtquam ſurrexit, quandam dyſpnœam ſeu impedimentum quoddam liberioris reſpirationis animadvertit, ſi ſe movit, quod tamen explicare nequiit. *Die* 11. *Januarii* deguſtato ſpir. vin. vix paucis guttulis deglutitis hæc dyſpnœa fortius rediit, non tamen anheloſe reſpiravit, nec pectus valde

de dilatavit, aut in altum ſuſtulit: in prandio parum deguſtavit de braſſica muria condita & carne ſuilla. Ab obambulatione fæmur adhuc doluit: noctu ſatis bene dormivit. *Die* 12. *Januar.* mane ob hanc præcordiorum moleſtiam præter conſuetudinem ſumſit *roris ſolis cochl. ij.* verum inde malum auctum fuit: obambulavit ad illam vel minuendam vel excutiendam: pranſa eſt cum nauſea de carne vitulina parum, ad ſeram veſperam fila traxit, ante cœnam magno horrore correpta fuit, lectum petiit, vix calidis linteis & à lagéna fervidâ impleta ad ſpondam lecti poſita calefieri potuit: in lecto parum de juſculo comedit: inquietiſſime dormivit, centies ſe corpus in lecto verſaſſe dixit. *Die* 13. *Januar.* mane circa octavam ſurrexit, inde ſtatim & ab alio quovis motu dyſpnœa illa augebatur, & gravius aliquid minitare ſibi videbatur, unde brevi rurſus lectum petiit, pedes frigebant, juſculum comedit in prandio. Poſt 11. plures mulierculæ ſoror ſcil. & conſanguineæ ipſam inviſerant, de variis colloquebantur, ipſaque promte ad omnia reſpondit, ſubinde cum illis jocabatur. Veſperi hora 4. accerſor: narravit prolixe errores à ſe poſt abitum meum *à die* 8. *Januar. hucuſque* commiſſos, ſcil. de epoto *vino moſcat.* deguſtato *ſpir. vin. & rore* ☉; ſeque hactenus nunquam ſudare potuiſſe, vinum fruſtra aqua temperaſſe: ac credulitate noſtrorum me omnem labem in urina viſurum. Pulſus erat frequentior, celerior debito, ſed validus, mollis; urina tinctior, ſed clara, non craſſa cum ſedimento divulſo: lingua paulo ſiccior, non tamen arida; decubitus erat humilis; non laborioſe reſpiravit, non tuſſiit, nec rauca erat, interea potiſſimum de reſpiratione minus libera querebatur, ſi vel corpus vel caput cum pectore movit, addidit ſibi à motu imminere quandam debilitatem & prope leipothymiam: ſi quieta manſit, nihil horum animadvertit: facies erat bene colorata. Suaſi *Mixturam ex aq. card. ben. ſcabioſ. antimon. diaphor. bez. min. ſyr. de rub. Id.* diſſuaſi vinum: parabatur *decoct. Corn. Cerv. cum lap. prunell. gr. iiij.* Cœnavit parum, querebatur de vellicatione aut lancinatione in præcordiis, dolorem vocavit ein Klemmen: non multum dormivit noctu ob ſiccitatem faucium, unde ſumſit *bis vel ter de mixtura cochleatim,* quod alias non feciſſet propter averſionem *medicamentorum. Die* 14. mane circa octavam ſumſit juſculum, pulſus minus frequens & plenior erat, urina minus tincta, lingua quoque humidior fuit: ajebat ſe moleſtiam in reſpirando non amplius percipere, caput & pectus pro lubitu movebat citra ullam ſupervenientem debilitatem, aut dolorem lancinantem, ſed plane tolerabilem cauſabatur, futurum ſcil. arthritidis authorem: hilaris erat, nec quicquam de imminente fato ſuſpicabatur: poſt meum diſceſſum convenit ipſam Cognata & circa

decimam Soror; de variis confabulabantur atque ipſamet cum ſuis nihil niſi optima quæque de bona valetudine ſibi pollicebatur. Poſt 11. antemeridianam, dum ſola erat, ſurrexit, è cubili in hypocauſtum, indeque ad porticulam ſine fulcro ivit, petitura aliquid linteaminum mundorum è ciſta, verum vix opus aggreſſa erat, debilitatem præſentiens hypocauſtum repetiit, ancillam inclamavit ac ultimum hoc effata eſt, *O Jeſu quid mihi evenit!* vix ab ancilla à caſu detineri ac in vicinum ſcamnum collocari potuit, mox omnes ſenſus & motum dextri lateris amiſit, facies & manus liveſcebant & gelu frigidiores erant: ſudor frigidus per faciem, collum & artus largiſſime fluebat; advolans omnes ſenſus abolitos comperi: *pila hyſterica*, quæ ad manus erat, naribus admota, brachium ſiniſtrum movit; dextrum nunquam utcunque digitos complicatos fortiſſime compreſſerim: poma oculorum ambo immobilia, obtutus fixus, oculi ſplendidi, nullum viſus ſignum præbebant, immoti ſemper. Pulſus frequens, celer, debilis: reſpiratio æqualis abſque ſtertore; ſpumâ ſubinde os opplebatur: erecta in lectum humi ſtratum in eodem ſtatu manſit: cum neutri pedum inſiſtere valuiſſet, inſtar trunci miſere trahebatur. Dum *Chirurgus* accerſebatur, ac *medicamenta ex Pharmacopolio* afferebantur, motus omnis periit, pulſus evanuit, reſpiratio intermiſit, rediitque per longiora intervalla ſine ſtertore aut valida pectoris dilatatione ac citius, quam dimidia hora abſolvebatur, vivere deſiit, Matrona pia, induſtria, benefica, imprimis erga pauperes, & pro ætatis ratione vegeta, ſcil. anno ætatis 64. circiter ad beatas ſedes migravit. Poſt elapſas 24. horas cadaver, licet frigido cœlo in loco aprico ſervaretur, tetrum fœtorem contraxit.

Scholia

I.

AFfectum Apoplexiam nuncupandum eſſe, monſtrant ſubitanea abolitio ſenſuum internorum & externorum, motusque voluntarii in dextro latere paulo ante inexſpectatum inſultum adhuc integerrimorum: & quoniam in momento prope hæc evenerunt, non niſi primaria ſede harum actionum graviter afflicta factum eſſe manifeſtum eſt. Admotâ quidem *Pilâ hyſtericâ* movit brachium ſiniſtrum, dextrum vero nullatenus, quomodocunque etiam preſſis digitis. Verum quia quoque ſtatim in ipſa invaſione color faciei in lividum mutabatur, facies & extrema gelu frigidiora fiebant, ſudoreque facies, collum artusque diffluebant, aliquid ſyncoptici concurriſſe & cordis motum valde debilitatum fuiſſe conſtat; nondum tamen abolitum innotuit ex pulſu & reſpiratione ſuperſtite aliquandiu. Verum quoniam ambæ partes principes ſimul gravia patiebantur, brevi in utroque la-

tere motus omnesque ſenſus tollebantur, corque & pectus quoque ſubſtiterunt, atque citiſſime vivere deſiit.

II.

Cerebrum & forte cerebellum quoque non ſenſim à ſero extravaſato inundabantur, huncque effectum produxit, poſtquam ad debitam copiam pervenit; nam neque pridem, nec hoc tempore querebatur aliquid de capitis gravitate vel de ſomnolentia, vertigine vel delaſſatione corporis, valebat etiam ingenio & judicio; &, ſi per eryſipelas atque dolorem in interfœmineo à nodulo eryſipelatis comite licuiſſet, in publicum prodiiſſet.

III.

Solus ſanguis vel à rupta vel exeſa, vel laxata arteriola plexibus innumeris & vere mirabilibus intra anfractus incedente, aut vaſe ſanguifero in plexu choroideo hæc patiente, brevi magnâ copiâ intra cranium profundi, & quoniam nullus niſi *per trepanationem* exitus patet, ita cumulari poteſt, ut cerebrum cerebellumque obruat, ſpiritusque penitus opprimat, unde neceſſario actiones abolentur. Abundavit *Nobil. Domina* ſanguine, nam menſes largiſſime ultra quinquageſimum annum manarunt, poſtquam ſubſtiterunt, V. S. redundantem non imminuebat: interea laute cibis boni ſucci & facilis digeſtionis veſcebatur, bibitque vinum merum quamvis vix ultra Libr. j. in paſtu, utcunque ſiticuloſa eſſet. Inſuper ſanguis iſte redundans tenuis erat, & talis redditus *ab uſu frequentiſſimo Thermarum multivariarum.* Imprimis ultimis vitæ diebus ſanguis fluidior reddebatur ab eryſipelate illoque non penitus profligato, potu *vini Frontiniaci*, *Roris* ☉ ſudoris ſuppreſſione: & omnino ſanguinem calidiorem evaſiſſe ex pulſu, urinâ, inappetentia, jactatione corporis patuit, unde facile vas reſerari ac ſe intra cranium exonerare valuit.

IV.

Licet brevi multum ſanguinis intra cerebrum addo etiam cerebellum effuſum fuiſſet, non tamen tam celerem tamque citam mortem effeciſſet, *cujus teſtes ex. gr. ſint Camerarius Rheinov. de quo vide Tractat. de Apoplexia, & Illuſtriſſimus Comes N. N. vid. Obſervat. IX. hujus Tomi, qui* 20. *hor. à Caſu adhuc ſupervixit.* Neceſſum ut aliquid acceſſerit, quod cordis motum citius quam aliàs in apoplexia fieri ſolet, peſſum dederit atque ſufflaminaverit. Cor nec robur nec alacritatem in propellendo ſanguine jam ab aliquo tempore habuiſſe ob diſpoſitionem quandam vitioſam in auriculis, ventriculis, pericardio aut in arteria pulmonica, vel fibras motrices à copia ſanguinis enervatas, vel nervos cardiacos labem aliquam paſſos fuiſſe, non obſcure colligi poteſt ex ſuis indiciis: nam diu ante hunc inſultum & prope ab anno

 poſt

poſt bronchum paſſum facile facies à frigore liveſcebat, quandoque ægrius reſpirabat, ut thoracem laxare cogeretur, quod indicio erat ſanguinem ignavius propelli, ſive ob polypos cordis auriculæ ventriculi d. & arteriæ pulmonariæ, ſive ob fibras cordis à copia ſanguinis enervatas. Certi tamen nihil definiri poteſt, quia fugit *Medicum & Medicinam* ob averſationem *Medicamentorum.* De pulſu intermittente & palpitatione cordis &c. nihil conſtitit. Inflammatorii quid concurriſſe ſuſpicari poſſet, quia ſitiit, lingua ſiccior erat, faſtidivit cibos, pulſus frequens, celer, urina tincta, juvit *julep. refrigerans & diſcutiens.* Verum non magni momenti fuiſſe conſtat inde, quia calor non mordax, ipſaque vegetior quam in febre continua erat & ceſſarunt ſymptomata *à Julepo.*

OBSERVATIO CXLII.

Apoplexia à Caſu.

Nobilis quidam N. N. de N. ſtaturæ juſtæ, bene coloratus: *Vir eruditus,* aliquot annis *in Gallia & Italia* vixit; pridem *Ephorus Sereniſſ. Principis ac Domini N. N. Tubingæ. Anno* 1688. *die* 30. *Maji, noctu poſt horam* 10. in horræo ex contignatione 22. gradus alta, in aream pronus decidit, ac ſynciput & tempus ſiniſtrum, aurem & portionem oſſis ſyncipitis fortiter alliſit. In area decubuus repertus fuit demum 31. *Maji hora* 10. *noctis,* atque ita hucuſque ſine ope derelictus fuit 24. horis. Cum *Famuli* ipſum acceſſiſſent, pia quædam verba clare elocutus eſt: poſtquam domum deportatus fuit, *Excell. D. N. N.* ipſi *Aquam cephalicam cum ſpir.* ⊖ ✳ & ⊡ infudit, *ſimilesque ſpiritus* naribus admovit, & *Dominus N. N. Chirurgus* abraſis capillis, tempori & ſyncipiti ſiniſtro admodum tumido *Sacculos cephalicos in vino coctos* impoſuit, *venam in brachio ſiniſtro ſecuit*, dum corpus erigebatur & caput attrectabatur, clare dixit, *ſinite me,* atque *Rev. Domino Paſtore* preces coram illo fundente, manus complicavit: compellatus oculos aperuit, ſed ad interrogata non reſpondit. *Die* 1. *Junii mane ipſum cum Excell. D. D. N. N. & Dno Chirurgo inviſi:* in dextro latere attactu frigidus, imprimis in manu & pede erat, nec brachium nec pedem dextrum movit: complicavi fortiterque preſſi digitos manûs dextræ, diu nullum ſenſus & motus indicium præbuit, poſt multam afflictionem tandem ſiniſtro brachio & manu ſuccurrere conabatur, tandem & poſt compreſſionem & ſponte manum dextram & brachium aliquandiu movit: quomodocunque compreſſeram aut titilla-

titillaveram plantam pedis dextri, nullum tamen ſenſus & motus ſignum oſtendit. Sublatis integumentis & *ſacculo* adhuc tempus ſiniſtr. & ſynciput poſt aures tumeſcebant, licet mulum *à ſacculis* paucarum horarum ſpatio detumuerint; auris ſiniſtra, tempus, palpebræ atrorubeſcentes erant: non poterat concludi multum ſanguinis è naribus & auribus effluxiſſe, cum pauculæ ſanguinis guttulæ occurrerint in veſtibus, inſuper cutis integra ubique perſtitit; ex nare ſiniſtra mucus albus prodiit: retractis palpebris oculi ſplendide apparebant, ſed nihil videbat, nec audiebat: lectum perminxit. *Aquam cephalicam* adhuc deglutiit: pulſus erat robuſtus, æqualis: reſpiravit æqualiter: aliquando jacuit, quaſi profundo ſomno ſepultus, nonnunquam brachium & pedem ſiniſtrum movit, atque quaſi ſuſpiria ducere videbatur. Injectus fuit *clyſter acris cum ſyrupo emet. brachiis & fœmoribus veſicatoria* impoſita fuerunt. Poſt meridiem manus & brachia incaluerunt, pes ſiniſter tepuit: ſudavit in toto habitu largiter, jacuit omni ſenſu tam interno quam externo atque motu privatus, niſi quod preſſus poſt aurem ſiniſtram querulum quoddam murmur ederet, & brachium ſiniſtrum attolleret, quaſi moleſtiam ab attrectato loco depulſurus: quia ſedes ibi in cranio erat, *de inciſione cutis capillatæ & trepanizatione cranii* deliberabatur, atque inſtituta fuiſſet, ſi id vires conceſſiſſent: quomodocunque premerentur digiti utriusque pedis, nullum tamen motum nec aliud ſenſus ſignum præbuit: circa tertiam veſpertinam *clyſterem* cum fœcibus ejecit, pulſus adhuc robuſtus & reſpiratio æqualis & placida erat: deglutiit adhuc. Circa ſextam veſpertinam ori infuſa exſpuit, nihil amplius ad ventriculum demiſit, pulſus robuſtus ſed cum reſpiratione inæqualis fieri cœpit: ſudavit largiſſime: brachium ſiniſtrum prope rigidum, ut vix flecti potuerit: preſſa ſede poſt aurem ſiniſtram quiritare videbatur, & *ſpir.* ⊖ ✱ naribus admotum averſare, minus tamen ſe movit. Tota nocte illum dormiviſſe *Chirurgorum Famuli* ajebant, ſed reſpiratione inæquali, ſudore continuo ac effluxu ſalivæ ex ore & muco ex naribus, cum motibus convulſivis in brachio potiſſimum ſiniſtro. *Die* 2. *Junii* mane poſt ſextam reſpiravit magis magisque laborioſe cum ſtertore; æqualiter caluit, pulſus adhuc robuſtus, celer, frequens & non inæqualis: jacuit inſtar apoplexiâ fortiſſimâ obruti. Ante octavam matutinam vivere deſiit.

Veſperi ante ſextam ad capitis apertionem acceſſimus; cutis capillata livida fuit, ubique integra nec vel minimo vulnere, etiam ibi ubi in ſiniſtro latere alliſio fuit vehementiſſima, ſaucia erat: illa decuſſatim ſecta, comperimus multo craſſiorem fuiſſe, quàm aliàs obſervatur, omnia ſub illa à fronte ad nucham uſque imprimis in ſiniſtro

ſtro latere, ſanguine ſuffuſa erant, ſanguine cum pericranio à cranio abraſo, ſtatim duæ fiſſuræ occurrerunt, una inferior & inſignior à medio tempore ſiniſtro ultra crus ſiniſtrum ſuturæ lambdoideæ ad oſtium ſpinalis medullæ extenſa; altera ſuperior tribus circiter digitis ab inferiore diſtans à ſuturæ lambdoideæ crure ſiniſtro recta ſurſum tendens, ultra quatuor digitos longa, tenuis: ſutura lambdoidea admodum dehiſcebat, adeo ut *Dominus N.* facile unum ex oſſiculis illorum in ſiniſtro latere exemerit: in fiſſura inferiore poſt aurem ſiniſtram ubi *Chirurgus* pridie ſedem fracturæ invenit, & æger attactum non toleravit manuque ſiniſtra avertere conabatur, prominuit oſſiculum, quod ante ſerram admotam quoque digitis extraxit; hoc fragmentum cranii triangulare, ſeu potius pyramidale, unciam longum acutiſſimum inſtar acus in apicibus admodum tenue fuit: ſtatim multum ſanguinis fluidi & grumoſi effluxit; quamprimum ſerra adhibita fuit, in eadem ſede aliud fragmentum quadratum primo longius & latius commotum fuit, quod etiam facillime avelli poterat, erat quoque pertenue atque illo ſublato adhuc plus ſanguinis grumoſi tunc ſtatim & poſtea, dum ſerra cranii olla circum circa ſeparabatur, plurimum emanavit. Demptâ ollâ ſuperficies duræ matris elatior & atrorubeſcens apparuit, ac per illam ſanguis grumoſus quaſi tranſparuit: ſectâ dura meninge à criſta Galli ad ſinum lateralem ſiniſtrum, & poſtea tranſverſim verſus aurem ſiniſtram in convexa parte plurimum cruoris grumoſi & in interſtitio & ſuper corpore calloſo repertum fuit. In dura meninge, ibi ubi ſedes fracturæ erat, hiatus amplus & facile quatuor digitos admittens occurrit, procul dubio à fragmentis cranii acutiſſimis meninge hoc in loco lacerata cum ſubjecta tenui meninge & ipſa cerebri ſubſtantia, nam dexterrime ſerra ducebatur idque digiti diſtantia à fractura cranii, & cautisſime dura meninx à cranio, potiſſimum circa ſuturas, digitis ſeparabatur: ſub fractura ubi omnia ſubjecta ita lacera erant, plurimum ſanguinis grumoſi & fluctuantis apparuit, quo blande deterſo invenimus ſcrobem ovi dimidiati capacem cerebro impreſſam, ſuperficies cerebri quaſi à muribus exeſa, inæqualis, pallide flaveſcens fracidaque & ſemiputrida aliquouſque fuit. In ventriculo ſiniſtro cerebri ſerum loturæ carnium ſimile ad cochlearia duo circiter detinebatur, in dextro minus; in utroque nullus grumulus permixtus erat. In hemiſpherio cerebri dextro nec ſub dura meninge, nec intra ejus anfractus quicquam ſanguinis extravaſati conſpeximus, verum vaſa utriusque meningis in ſuperficie & intra anfractus ſanguine admodum diſtenta vidimus. Plexus choroideus in utroque ventriculo ruberrimus erat & in extremitatibus glandulis minutis rubellis refertiſſimus. In glandula pineali lapillos plures inveni, quorum unus ſem. ſinapi magnitudine, pellucidus fuit, omnes anguloſi præduri,

alii

alii majores alii minores fuerunt. Sublato cerebro multum ſanguinis grumoſi ſtagnavit adhuc in baſi cerebri; ſimilem ſed magis fluidum ſub cerebello & ſupra illud invenimus, multum quoque ejus reclinato capite & oſtio magno ſpinæ medullaris erupit: quantum ſanguinis effluxerit, certo definire non potuimus, qui inter ſecandum multum in menſam profundebatur, ut totus olla excipi nequierit, nulli tamen dubitavimus extravaſatum multum ſuperaſſe libram medicam: notatu dignum videbatur, quod ſanguis non concreverat in grumos magnos & ægre ſolubiles, ſed in minores & prope inſtar grumorum lactis attritu faciles: *An id ſpir.* ⊖ ✳ *aq. ceph. permixto tribuendum ſit? quærebatur.* Fiſſura ſuperior in ſyncipite ad interiora non penetravit.

Sectioni mecum aderant duo Excell. Domini Archiatri ac duo Domini Chirurgi jurati: ſpectantibus aliquot Nobilibus, ut & Chirurgis eorumque Famulis.

In area ubi repertus fuit, enormiter vomuiſſe apparuit ex excretis proxime caput ſuperſtitibus: aliquid quoque ſanguinis profudit. Juxta caput trunci aliquot ceraſi diſſectæ oblique aliquantulum ſiti erant, quibus procul dubio caput inter decidendum impegit. Pellex poſt caſum acetum petiit, quia forte Leipothymiam paſſus eſt in principio, aut ſummam animi perturbationem, nam ex area horræi in plateam vicinam conabatur, cum ob corporis gravitatem & ſibimet deciduus opem ferre non poſſet, ab ancilla ſocia ſubſidium petiit, quod quia denegavit, reliquit ipſum eo in loco ad quem ſe præcipitavit.

Quæritur I. An Nobiliſſ. Dominus N. in vita conſervari aliquandiu & tandem integræ valetudini reſtitui potuerit, ſi pellex ſtatim caſum ejus vel unâ atque alterâ horâ poſt revelaſſet, ac Medici vocati eſſent?

Affirmativæ ſententiæ favere videntur hæ rationes, quod *accedente Famulo* hor. 7. veſpertina adhuc verba pia prolocutus eſt: domum deportatus 10. noctis, attrectatus dixit, *ſinite me*, & *cum Reverend. Domino Paſtore* coram ipſo preces fundente, manus complicavit; quæ indicia ſunt, ipſum adhuc ſenſibus externis & internis valuiſſe 24. circiter horam poſt caſum, atque hanc ob cauſam vigorem aliquem cerebri ſuperſtitem manſiſſe, qui expuliſſet forte cauſam mortis, ſi naturæ ſuccubituræ ſuccurſum fuiſſet.

Potiores tamen rationes ſectio cranii præbuit, quæ reſtitutionem tantum non impoſſibilem demonſtrant: nam aperta fuerunt in fractura tria oſſa, quæ non ſolum duram meningem valde lacerarunt, ſed

quoque tenuem & ipſam cerebri ſubſtantiam longe lateque & profunde in parte decliviore, ubi vix reparatio ejus ſperari poterat; inſuper oſſa duo majora vix ob illorum figuram & magnitudinem citra majorem lacerationem & graviſſimum periculum eximi potuiſſent: denique tanta jam ſanguinis profuſio longe lateque facta fuit, ut non omnis per vulnus *Sectione & Trepano* parandum, non ſolum ex ſede fracturæ, à convexa parte cerebri, de corpore calloſo, ex baſi cerebri & fiſtula ſacra prolici potuiſſet, ac propterea nullum magnum levamen, multo minus aliqua curatio ſperari potuiſſet.

Quæritur II. An die 1. Junii mane ſcil. 36. vel 38. à caſu hora ſectio cutis poſt aures, ubi fracturæ ſedes erat & poſt trepanizatio tutò citra infamiam auxilii hujus magni inſtitui potuiſſet?

NEgatur. Nam jam ſenſus interni & plerique externi ſcil. viſus & auditus manifeſte aboliti erant, & poſt longam compreſſionem aliquale indicium tactûs ſuperſtitis demum præbuit, motus quoque in dextro latere abolitus prope fuit. Inſuper latus dextrum oppoſitum ſedi fracturæ in extremis ſcil. in manu & pede frigidum erat, quod extinctionis calidi nativi ſignum erat. Poſt meridiem naturæ labeſcentis majora indicia apparuerunt, nam lectum inſcius perminxit, veſperi cum ſtertore & inæqualiter reſpirare cœpit, convellebatur, ſudavit profuſe, omnia ſuccumbentis naturæ ſigna, quæ 2. Jun. mors excepit. Hanc ſententiam illuſtrius confirmavit Anatomia capitis.

Epitaphium hoc quidam in lugubrem hunc caſum & inſequentem mortem conſcripſit.

Sta Viator
Ad hoc Fœni Stabulum
Si nova, ſi mira, at oppido miſera,
Diſcere cupis
Quæ
Ibibi his contigêre diebus, vel noctibus potius:
Has enim, non illas diligunt Noctuæ.
Tenebras, inquam, & latibula quærunt,
Tenebrarum opera qui patrare amant
Improbi Lucifugæ.
Huc loci
Per opaca ſilentia lunæ
Penetravit
Homo, an Brutum?

Brutum,

Brutum, inquam,
Nam ad ſtabula & fœnum,
Animalia ventri non rationi obedientia
Properant.
Bos dico, fronte ſuperbus, cornu petulcus, corpore robuſtus
Nimirum,
In Bovem vel Jovem amore mutatum,
priſca Fabula eſt,
Hic
Recens Veritas
Jovique hic male ſanus Noctambulo in eo ſimillimus
Evaſit,
Quòd non gramen eſuriit, ſed carnem :
Non Fœnum ſed Fœmininum genus quæſivit.
Et ecce
Quam anhelis adeo faucibus appetivit
Repente adſuit laſciva juvenca
Forte fortuna, an ex compoſito?
Certe ut componeretur in molli ſtrato
Cum amente Amante
Ibi tum
Repoſti ambo, repaſtique naviter
Furtivo pabulo
Dum foramina forte & lacunas,
Turpiſſimam ſitim ubi reſtinguant,
Inquirunt proculque dubio inveniunt:
Et cæcus amor utrumque neſcio quo? verſat agitatque,
Cæcum per foramen
Per quod pecori aliàs pabula dejecta,
Dejecta ipſa laſciva pecora,
De pabulo fœdo & vetito,
Non per gradus,
Nam hos fere neſcit infrunita libido
Sed præcipiti caſu,
Ad ima deſcendere loca
Et quidem ſtratus humi Bos
Vix rationis iterum compos
(Horreſco referens)
A libidine recta ad libitinam
O utinam non ipſam Proſerpinam!
Perrexit.

Surrexit verò iterum
A Caſu,
Fatalis hujus caſus cauſa atque ſocia,
Et ipſa quidem graviter ſaucia
Corpore, ſed magis conſcientia.
Atque utinam
A labe tam peſtifera ad veram ſurrexiſſet
Pœnitudinem!
Utinam, inquam
Tam Magiſtratui, quam Chirurgo
Suum ſubinde detexiſſet vulnus:
Non in ſempiternam animæ perniciem
Impurum adhuc pus inibi aleret.
En
Triſte ſœnus ex impia Venere
Infelix & velox
Funus!
Abi jam Viator
Si ſapis
Exemplum inde capis
Nec cautior modo
Nam debile hoc præſidium contra tales caſus
Et occaſus
Sed & caſtior es,
Ne ſimili forte fato factoque cadas
Propriæ VICTIMA Libidinis.

OBSERVATIO CXLIII.
Apoplexia cum ſubjuncta Anatome.

M*Atthias Stokar*: ſtaturæ juſtæ, robuſtus & carnoſus, bene coloratus; triginta circiter annorum: Figulus: dum *Menſe Majo* ſolito more ſtrenuè diu noctuque artem ſuam exercuit, atque illo tempore fictile magnum & ultra menſuras decem ſeu Libr. xxx. capax paravit, in medio opere poſt meridiem Hemiplegiâ lateris dextri correptus fuit, ut à labore deſiſtere cogeretur, nam pedibus rotam non amplius verſare, nec manibus lutum formare potuit, manu & pede dextris ad hunc laborem impotentibus factis: incedere quidem valuit, ſed pedem dextrum trahebat, brachium etiam in altum ſuſtulit, manum vertici admovit, attamen pedem & manum dextram nunc pelliceam nunc ligneam, minusque agilem & firmam ac propterea ineptam

eptam dixit. Hujus Hemiplegiæ nullum prodromum animadvertit: à dimidio tamen anno ante hunc inſultum, quoties vinum bibit, caput valde doluit. Statim ab hac invaſione caput valde doluit, ac potiſſimum de hoc dolore toto decubitûs tempore conqueſtus eſt, nullum tamen locum indigitavit, quæſitus reſpondit totum occupare caput; ſæpe tamen manu etiam dextrâ ſynciput perfricuit: continuo eructavit, ſæpiſſime vomuit tum aſſumta tum alios humores viſcidos & ultra decem vermes: aliquoties in leipothymiam incidit, quandoque ſua ſponte in lecto, quandoque ſi *poſt ſumtum purgans* è lecto ſurrexit, diuque in ſella ſedit: illa præſente totus expalluit, frigefiebat & cum roncho aliquo reſpiravit: extrema admodum toto decubitus tempore frigebant, adeo ut pedes vix linteis calidis admotis, tempeſtate calida, incaluerint: præ dolore capitis dormire vere nequiit, ſi noctu dormivit aut ſaltem dormiturivit, deliravit, facies rubebat: appetitus penitus proſtratus fuit; primum ſitiit, poſtea ſitis quoque evanuit: urinam ſemper habuit rubram & flammeam, licet alia febrilia ſigna abeſſent: nunquam præſente hemiplegiâ ſudavit. *Balneator* primum vocatus *Venam in brachio dextro ſecuit*, putavit enim Æger *ob neglectam V. S.* defluxionem ad hoc latus factam fuiſſe. Die tertio ab invaſione vocatus *Joh. Chriſtophorus Simonius Illuſtriſſimi Domini Franciſci Caroli Comitis de Fürſtenberg Cubicularius, Chirurgus peritus*, veſperi, quia alvus per triduum conſtipata erat, dedit *doſin pilul. cephal.* unde aliquoties dejecit, & ſequenti die vermes evomuit: illarum uſum quarto quoque die repetiit, à quibus quidem debilitabatur, & cum aliquando ſurgeret diuque extra lectum permaneret, leipothymiâ correptus fuit: ſæpius quoque *Veſicatoria* cubitis & humeris, item fæmoribus, tibiis & metapedii dorſo impoſuit; in brachiis veſicas ingentes excitârunt, at in pedibus nec vel minimas, licet *emplaſtri vires* auxerit, *quater* quoque *Clyſteres acriores* injecit: *ab his revellentibus* levamen percepit, ſed non diuturnum, nam brevi Cephalalgia ſævior recruduit. Propter vermes in juſculo carnis *allium* decoxit ac colatum calide bibendum dedit; lambebat ſubinde *mell, cui ſuccus allii permixtus fuit*, unde plures vermes mortuos excrevit: nec poſtea quicquam de torminibus ventris querebatur. *Die nono Junii venam ipſi ſecuit in pede ſiniſtro*, ſed cum momentaneo auxilio. Vinum non conceſſit: potus erat *decoct. Herb. betonic. ſemin. fœnic. cum aqua & pauxillo mellis*: cibus fere juſcula erant: quatuor ſeptimanarum decurſu ſumme emaciatus fuit. De vertigine, viſûs aut auditûs aliquo vitio nullam unquam mentionem fecit; ſubinde derepente palpebras fortiter compreſſit, quod Cephalalgiam atrocem ſe facere dixit. Plerumque

rumque in latus ſiniſtrum decubuit tribus ultimis ſeptimanis; nam primâ ſeptimanâ nunc ſolus nunc ſuffultus interdiu inceſſit ſatis commode. *Die* 11. *Junii* ante meridiem uxor ægro *ſuppoſitorium mellitum* ano indidit; dum alvum ſolvit leipothymiâ correptus fuit, vires tamen brevi recollegit, at ſubinde ſuccutiebatur pes: poſt meridiem horrenda Epilepſia ipſum invaſit, mire totum corpus & artus diu torſit, imprimis terribilis erat ὀπιςότονος, duravit prope tribus horis ſine induciis, quæ alicujus momenti eſſent: ceſſante Epilepſiâ ſupervenit ſtatim Apoplexia fortiſſima: jacuit ſine ſenſu & motu, nullâ ratione excitari potuit, nihil in os ingeſtorum deglutire valuit; primum dormire inſtar ſani videbatur; ſequentibus diebus cum ſtertore reſpiravit atque non diu ante obitum largiter ſudavit: *Die* 14. *Junii* mane horâ ſecundâ mortuus eſt.

Domino Simonio ſolummodo capitis aperiendi licentia facta fuit: remotâ ollâ cranii ſtatim occurrit macula livida per duram meningem tranſparens, amplitudine quadrantis Dahleri: juxta ſinum tercium ſeu corpus falciforme integris adhuc meningibus tumorem rotundum ſuis terminis circumſcriptum tetigit, mole æquans ovum gallinaceum minus, qualia ſcil. excludunt gallinæ primiparæ, meninx utraque huic tumori incumbens tam flaccida fuit, ut facile per utramque digitum in meditullium adigere potuerit: contentum tumoris erat humor craſſus, niger, ſanguini grumoſo cocto perſimilis: comperit tumorem ſedem ſuam intra anfractus in medio ſyncipite prope corpus falciforme locaſſe ac ſiniſtro ventriculo foris incubuiſſe, ita tamen ut illius fornicem non perruperit: inſuper vidit illum proprio folliculo præditum fuiſſe ac cerebrum illum ambiens quaſi ad latera repuliſſe. Cerebri ſubſtantia circum vicina in hoc latere ſiniſtro flaccidior & aquoſior erat: in ſiniſtro ventriculo continebatur aqua loturæ carnium ſimilis. In dextro latere cerebrum colore & conſiſtentia naturali ſimillimum ac dexter ventriculus mundiſſimus fuit: nec quicquam vel aquæ vel ſanguinis extravaſati alibi intra cranium reperit. Vaſa ſanguifera ſuperficiem cerebri & anfractus perreptantia undique admodum ſanguine turgida videbantur. Pectoris abdominiſque viſcera ac contenta perluſtrare non conceſſum fuit.

OBSERVATIO CXLIV.

Fatuus Apoplecticus, cultro Anatomico ſubjectus.

G*Regorius Jochem Stiriâ* oriundus quinquagenario major, ſtaturæ mediocris, carnoſus & robuſtus, ab incunabulis, ut credebatur, fatuus: annis triginta circiter inſervivit jocis *Illuſtriſſimis*

Dominis

Dominis Comitibus de Fürſtenberg Stülingæ, Wolfachii & Doneſchingæ. Memoriâ utcunque præditus erat, recordabatur multorum, dum puer paucorum annorum erat, in patria geſtorum, ut & illorum, quæ cum admiratione quadam vidit, audivit atque pridem perpeſſus eſt, atque illa ſæpius nunc cum ſtomacho, nunc ridens, verum male cohærentia, recenſuit: pauculas preculas confuſe recitare novit: decem non potuit numerare, licet vel centies & verbis & digitorum enumeratione præitum fuiſſet; plurima verba nec repetere, nec integre enuntiare valuit, aut ſi quædam cum labore addidicit, protinus tamen rurſus illorum obliviſcebatur. Nullo prorſus judicio valuit; ad falſiſſima non difficulter perſuaderi poterat, indignabatur multum illis, qui exiſtimationem ipſius imaginariam lædere videbantur, aut victum & amictum jocando ſe ipſi ſubtracturos ſimulabant: ſæpe ob res nihili ad vehementiſſimam iram concitabatur. Dum junior erat graviſſime ſæpe caput contuſum & alliſum fuit, ut hinc inde cranio profundæ ſatis foveæ impreſſæ teſtabantur; quin etiam jam ſeneſcenti caput pugnis egregie inter jocos dedolatum fuit, ſæpe quoque cum impetu humi proſtratus fuit. Avidiſſime & multum comedit: vino non valdè delectabatur; generoſa acida dixit, auſtera dulcia ipſi videbantur. Demandatos labores diligenter, etiam non monitus, perfecit, munditiei ſtudioſus erat, & in agendis ordinem quendam obſervavit. A triennio fere otioſus vixit, niſi quod in altare quodam conſtruendo multum occupatus fuerit, ita tamen ut, quod uno die ædificaverat, altero deſtruxerit, aptando quadrata rotundis. Templa diligenter quotidie & cum devotione quadam adiit, nec ulla ratione ab illis arceri potuit, ſacris quavis tempeſtate à principio ad finem ſine ullo tædio interfuit. Feriæ à laboribus concedebantur potiſſimum ob dyſpnœam, quæ ab animi & corporis motibus admodum augebatur, imprimis ambobus concurrentibus, quod evenit, ſi ad iram ſtimulatus fuit, ſique hoſtem ſuum contentius perſecutus eſt, nam utcunque torpidus eſſet, irritatus celerrime cucurrit, unde ad cubile rediens difficillime & ampliſſime diſtento & ad claviculas ſublato pectore frequenter & celerrime reſpiravit cum ſibilo, & hiante ore aerem captavit, facies atrorubeſcens evaſit, cor palpitavit, pulſus licet vehementiſſimus & ampliſſimus fuerit, æqualis tamen ſemper manſit & in frequentia plerumque mediocris. Plerumque cum ſtertore etiam quietus reſpiravit, adſcribebatur hoc reſpirationis vitium botio ſiniſtro lateri laryngis firmiter annexo, propè pugni virilis magnitudine prædito; & altero minori dextro lateri incumbenti, duro & nodoſo. Ex quo otio indulgere conceſſum fuit, ob leviſſimos etiam motus, inter comedendum quoque, aut poſt paſtum inter dormiendum menſæ aut lecto aſſidens largiſſimè ſudavit, ſaliva large ex ore defluxit, barbamque conſpur-

conſpurcavit. Venas habuit ampliſſimas & turgidiſſimas; hanc ob cauſam *bis in anno, præmiſſo purgante, vena ſecabatur*; aliquando in brachio ſecta vix ſiſti poterat: ſanguinis ſuperficies plerumque ſplendide rubeſcens fuit. Ab aliquot annis difficulter audivit, & conquerebatur de moleſtiſſimo tinnitu, atque tum hanc ob cauſam tum quod non ſemel vel aſino vel equo impoſitus in terram dejectus fuiſſet, quamvis ſine ullo damno, noluit amplius *Illuſtriſſimum Dominum Comitem* venatum abeuntem ſequi, dicens ſe vereri ſtrepitu aurium ſuarum cervos, apros aliasque feras, quas omnes ſciuros appellavit, fugatum iri. Non ſemel à me petiit, ut aures ſibi amputarem & leviculas inciſiones, imo etiam aduſtiones patientiſſime pertulit. In ſeptimana ſancta ſe miſere etiam ad largam ſanguinis profuſionem flagellavit. Dum junior erat, ad venerem proclivis fuit & in ſeneſcente ejus igniculi ſubinde ſurgebant, quæ tamen maturè egregie ſupprimebantur.

Ex quo otio obtorpeſcere cæpit, admodum ſomnolentus evaſit: & quamvis tota nocte dormiverit, nihil ominus interdiu mane & poſt prandium, ſtans & ſedens, ſomno correptus fuit. Ab anno ſæpe caput ſuccuſſit ſine cauſa externa: quando ira efferveſcere cœpit, aliquoties caput in latus, plerumque dextrum trahebatur, atque aliquandiu collo obtorto perſtitit.

Obſervatum quoque fuit illum jam diu incurvum inceſſiſſe & ſtantem in latus ſiniſtrum inclinaſſe: incurvus & pronus incedens cadere cæpit: ingreſſus non rectus, declinavit à tramite recto, ſæpe ſtans ſubitâ vertigine nutante corripiebatur, ac ad latus dextrum inclinavit, niſi pariete vicino ſuſtentatus fuiſſet, cecidiſſet. *Menſe Decembr.* 1681. per dies circiter octo tuſſi valde vexabatur, ſputum ad fauces protruſum non exſpuit, ſed rurſus deglutiit: ob tuſſim inter comedendum non raro ab allapſis cibi aut potus portiunculis in glottidem ad vehementem tusſim concitabatur, dyſpnœa augebatur, & è longinquo anhelоſus cum ſibilo quodam audiebatur, obambulavit & ſolito more vixit, ſolumque de tuſſi moleſta conquerebatur. *Die* 30. *Decembr.* bene pranſus eſt & cœnavit, illoque die dulciariis ſeu laganis ex farina, melle & aromatibus veſcebatur. Poſt cœnam ante nonam petiit, ut ſibi concederetur *ſpir. cereviſiæ;* dabantur *ejus* ℥ij. *circiter vel ad ſummum* ℥iij. *ſaccharo permixti, prius incenſi beneque deflagrati*: mox cubile petiit; occurrente adverſario ob rem nihili ad indignationem proritatus, properando à janua aberravit, & caput parieti alliſit, non tamen cadebat in terram, hinc ſe in cubile proripuit, veſtibus ſe exuit, ſolito more illas in faſciculum compegit, & ſerratis januis lectum adire voluit, verum dum ſcabellum duos pedes altum ſcandere voluit, in pavimentum proſtratus fuit, quod iterato tentaſſe conjiciebatur ex

genuum

genuum excoriatione ſuperficiaria : ſolus in cubili fuit , quia nullus ob ſtertorem ſonorum inter dormiendum , ipſius contubernio uti voluit ; nec caſus, nec ſi forte clamorem edidiſſet, à vicinis audiebatur, ob ventum illâ veſperâ impetuoſe flantem, totâ nocte nudus humi decubuit. *Die* 31. *Decembr.* mane circa nonam deſideratus , ubique quæſitus fuit, tandem effractis januis , humi proſtratus repertus fuit, eo ſitu quo àliàs dormire ſolebat ſcil. genubus attractis & trunco corporis cum capite aliquantulum incurvato, ſiniſtro lateri incumbens, lecto integre adhuc compoſito.

Ex copioſis excrementis in pavimento circa caput obviis dulciaria pridie large comeſta & ſpiritum cereviſiæ redolentibus apparuit, illum ſtrenue vomuiſſe & ſe in ſordibus his volutaſſe , cum in dextro latere, imprimis in manu & brachio dextro ab illis conſpurcatus eſſet: totus gelidus & lividus fuit, lingua tumida & exſerta; dentes conſtricti, artus flaccidi, facies in ſiniſtro latere tumida, genaque ibi ad dahleri amplitudinem excoriata, oculi ambo clauſi erant, pulſus vix percipiebatur , reſpiratio quoque nonniſi exigua animadvertebatur. Statim ad vicinum hypocauſtum deportatus , lecto impoſitus & linteaminibus calefactis fricabatur & tegebatur : horâ elapſâ reſpiratio validior rediit, pulſusque fortiter digitos tangentis feriit , quamvis nondum incaluerit : effracto ore, primùm juſculum infundebatur, verum omne ad latera ex ore effluxit, poſteà *aq. cephalica ex aq. flor. til. ſerpill. Elæoſacchar. cephalic.* quod deglutiit. Horis tribus elapſis totus incaluit , manum & pedem dextrum movit, plenius reſpiravit, pulſus fortior evaſit, quæſitus ubi doleret, linguam & pectus digitis manûs dextræ oſtendit : totum ſiniſtrum latus immobile & ſtupidum deprehendebatur,nam nec fortiſſimam compreſſionem digitorum,nec punctionem acu profunde adacta in illo latere ſenſit: lectum inſcius perminxit, loqui & caſus rationem ſæpe verbis explicare conabatur, ſed à nemine intelligi poterat: ad quæſita appoſite capite annuit vel renuit, teſtabatur nimirum ſe Deum amare: nolle ſe impoſterum illum offendere, omnibus ſe condonare : attamen ſe adverſarios ſuos non amare , cum aliquot horis ante obitum oculus dexter aperiretur, nam id ſua ſponte facere nequiverat, uno ex ſuis vexatoribus conſpecto mox digitum exporrexit & ſe cruce contra illum muniit; alteri ut caput amputaretur, manu monſtravit, & indice expulſo naſum ferire annitebatur aliaque intelligentiæ ſuæ indicia exhibuit. *A meridie d.* 31. *Decembr. ad meridiem* 1. *Januar.* 1682. *hic valetudinis ſtatus fuit :* Totus habitus calidus manſit : oculos ſemper clauſos retinuit : reſpiratio valde inæqualis fuit, nunc celer, frequens & parva , nunc major cum aliqua contentione & fortiore diſtenſione pectoris, & ejus ad claviculas ſublatione , plerumque cum ſtertore, qui minus obſervabatur in reſpiratione

 mi-

minore; mox tamen magis ſonorus reddebatur: tuſſiit ſubinde & ſputum ad fauces propulit, nullum tamen exſpuit: ſaliva copioſe ex ore manavit, quod etiam ſano evenit, ſi ſtans vel ſedens dormivit; aliquando illam exſpuit prorſus aqueam, nam ductus ſalivaris oſcula in genis admodum hiantia & ampla erant, & pridem ſæpe ſtilum mediocrem per illa aliquouſque facile adegi: pulſus erat validus & robuſtus: oſcitavit ſæpe, aliquoties ſternutavit, oculo dextro ab adſtantibus aperto vidit & adſtantes ſtatim agnovit, manu dextra ſiniſtrum carpum aliquoties ipſemet apprehendit, & ceu torpidum & ignavum ad motum quaſi ſollicitavit; cum nullus ſequeretur, brachium cum indignatione quadam repulit: aliquoties brachium & pes dexter ſuccutiebantur veluti motu quodam convulſivo, & os diſtorquebatur: ex lecto ſublatus pedi dextro ſuffultus inſtitit: in ſiniſtro latere abolitio ſenſûs & motûs permanſit: oculus ob tumorem faciei in ſiniſtro latere nunquam aperiebatur: quæſitus an dormire vellet, annuit: an vere dormierit, neſciebatur, cum oculos ſemper clauſos detinuerit, nec unquam viribus propriis illos aperuerit: lingua tumida permanſit, & quamvis multum ſalivârit, ſicca tamen admodum fuit: vix unum alterumve cochlear juſculi aſſumſit & licet ſitierit, bibere tamen nequiit, quia potulentum in glottidem delapſum, mox tuſſim vehementem excitavit & ſuffocationem intentavit, ſi avidius liquida hauriebat. Huc uſque alvum non exoneravit, quamvis *ſuppoſitoria mellita* indita fuerint: mictio involuntaria continuavit: ſudavit multum & ipſemet ſtrophiolo manu dextra arrepto ſolito more ſudorem abſterſit. *Die* 1. *Januar.* ante primam pomeridianam labia & ungues liveſcere cœperunt, color faciei crebro mutabatur, nunc expalluit, nunc atrorubeſcens, nunc lividus erat, Reſpiratio admodum inæqualis evaſit & laborioſa, ſubinde intermittere videbatur, mox tamen majore vehementia rediit cum valido ſtertore: aliquoties ſuffocatum iri ſubito adſtantes verebantur, unde illum erigere cogebantur: manu & pede dextro culcitram repulit, mox illam manu rurſus cum ſtomacho arripuit & ſubinde floccos colligere apparebat: ſudore frigido prope diffluxit: paulo poſt copioſiſſime minxit ſimulque alvum exoneravit: pulſus ſenſim deficere cœpit: reſpiratio aliquoties ſubſtitit, mox tamen rediit atque exſertâ linguâ, magno nixu & veluti ex imis præcordiis aerem captare videbatur. Dimidiâ ante obitum horâ vix pulſus tangebatur, ſenſimque ſpirare deſiit & antequam *Doneſchingam* perveneram horâ 3. pomeridianâ *d.* 1. *Januar.* mortuus eſt, ſcil. 42. horis poſt invaſionem.

Die 3. *Januar.* mane *cum Dn. Joh. Chriſtophoro Simonio Tubingenſi Chirurgo præſtante* cadaver aperui: dum cadaver aſſeri imponebatur, multum cruoris atrorubeſcentis fluidi ex ore & naribus effluxit,

xit, detractâ cute capillatâ ex poris cranii hinc inde copioſe ſanguis e-manavit, & in utroque latere poſt muſculum temporalem ex arteriolis cranium ibi perforantibus cum ſibilo quodam ſanguis flatibus copioſis permixtus large prodiit: ubi foveæ cranio impreſſæ erant, cutis denſiſſima & craſſa erat ac cum difficultate quadam ſeparabatur: detractâ cute, neque in fronte neque alibi in toto cranii ambitu ſuggillati quidpiam aut aliud veſtigium gravius alliſi capitis apparuit: cranium undiquaque craſſiſſimum fuit, ei circa ſuturam ſagittalem dura meninx anterius pertinaciter adhæſit, ut illam ad lacerationem evitandam ſtylo ſeparare cogerer; alibi etiam circa foveas, facile abceſſit. Inter duram & tenuem meningem nihil cruoris vel ſeri extravaſati, ut nec intra anfractus cerebri ullibi ſtagnavit. Cerebrum & cerebellum cum ſinubus exemi: dum prope ſellam equinam carotides & in nucha vertebrales abſcidi, ſanguis copioſe flatibus permixtus erupit cum ſibilo aliquo: in baſi cranii livor aliquis ſub meninge & ad latera carotidum apparuit, ſed ſuperficiarius, qualis in cute Apoplecticorum poſt obitum videtur; nam diſciſſâ meninge nullus ſuberat ſanguis extravaſatus: carotides figuram ſimilem prorſus illi, quam in aliis cadaveribus humanis reperi referebant, nulloque modo in rete mirabile diremtæ erant; inſignis magnitudinis ambæ fuerunt, ut & vertebrales plenæque ſanguine: glandula pituitaria totam ſellam implevit, magna, mollis, ſubpallida: in baſi cruor aquâ dilutus, demum ſublato cerebro fluctuavit. Cerebro & cerebello inverſo proſecutus ſum arteriarum carotidum & vertebralium conjunctarum ramos, inſignes ubique conſpexi tum intra anfractus, tum ſuper calloſo corpore incedentes ſeque ſubſtantiæ medullari immergentes, eâ ſcil. ratione prout illas delineavi *Tractat. de Apoplex.* ubique ſanguine repletæ fuerunt magis quam in plurimis aliis cadaveribus obſervavi. Ventriculus ſiniſter in fundo divulſis fibrillis ſtilo apertus, aqua loturæ carnium ſimili plenus repertus fuit; quem dum totum *ſecundum Excell. Sylvii methodum* in apricum duxi, ſpeculum pellucidum verſus hunc ventriculum convexum deprehendi ac per illud tranſparuit corpus quoddam ſubnigrum: ventriculo dextro ſimiliter in baſi reſerato occurrit aqua ſed magis cruenta, quam in ſiniſtro cum aliquot grumulis, ſimulque corpus quoddam nigrum ovo gallinaceo dimidiato majus, aſperiuſculum, fibris intertextum & tenacius quovis grumo ſanguinis; ventriculus d. duplo major ſiniſtro fuit, ejus ſuperficies undiquaque aſpera & ceu à muribus exeſa & meninge tenui quaſi denudata; à levi abſterſione medulloſi quid linteo adhæſit. Ventriculus quartus mundiſſimus, & tertius vacuus fuit. Glandula pinealis phaſeolum vix magnitudine æquavit, atrorubeſcens, mollisque fuit, multis fibrillis cum ſubjectis partibus connexa. Plexus choroidei in utroque

ventriculo glandulis ſcatebant: in dextro tamen plures & majores erant, tranſparentes & quaſi lymphâ turgidæ, quædam ſemine milii majores erant: ſiniſter plexus rubicundus, dexter albicantior & craſſior. In thalamis opticis, natibus, teſtibus, cerebello nihil prorſus præter naturam ut nec in medulla conſpexi, omnia figura, magnitudine & conſiſtentia ſimillima erant illis, quæ in ſaniſſimis ſæpius obſervavi: ipſe cortex cerebri & ſubſtantia medulloſa firma erant; nihil flaccidi, interna ſuperficie ventriculi dextri excepta, ullibi occurrit, imo tota moles cerebri vaſta & ampla fuerat. Amoto ſterno pericardium ampliſſimum ſtatim obviam factum, prope totam anteriorem pectoris partem, etiam ultra limites cartilaginum coſtarum occupavit, ad caput ſterni ſuperne & ad cartilaginem fere enſiformem infernè pertingens, craſſum & denſum: non continuit multum ſeri, at cor vaſtiſſimæ molis, pleniſſimum ſanguine in ambobus ventriculis & auriculis, flaccidum prorſus, in dextro ventriculo continebatur fruſtulum polypi incipientis pollicis longitudine & latitudine, vix pennæ craſſitie præditum, quod jam radices firmas egerat in cavernis ramoſis hujus ventriculi: in ſiniſtro nihil hujusmodi inveni, at fruſtulum in ſanguine in cavum pericardii effuſo, abſciſſis vitæ fontibus in baſi: arteria aorta erat ampliſſima & craſſiſſima, ut & arteria pulmonica. Pulmones in utroque latere arctiſſime pleuræ & diaphragmati undiquaque accreti erant, ut vix ſine laceratione avelli potuerint: fuerunt quidem atrorubeſcentes undiquaque etiam in meditullio, ſed prorſus molles, in bronchiis nec vel tantilli muci invenimus, verum multum ſpumæ cruentæ. Botium in ſiniſtro latere laryngis compoſitum erat ex multis glandulis, mire fibris nerveis tenacibus in unam maſſam compactis, membrana nervea communi involutis: illarum quædam erant magnitudine juglandis, aliæ nucis moſchatæ, quædam minores; una rotunda ovi gallinacei magnitudine, intus cavernoſa: cavernæ quædam avellanam admittentes plenæ cruore nigro erant: in una inveni oſſiculum longitudine & latitudine articuli ultimi parvi digiti: in dextro latere glandulæ etiam plures conglomeratæ at juglandem vix excedentes: tum in dextris, tum in ſiniſtris quoque oſſicula inveni piſi & fabæ magnitudine. Imum ventrem ob fœtorem non aperuimus, ut & quod ad funus efferendum properaretur.

OBSERVATIO CXLV.

Apoplexiæ Reliquiæ.

D. *D. Sepp. d. 2. Jul. 1685. Lucernâ ſcribit. Magni Nominis quidam ex Nobiliſſimo Stemmate progenitus Dominus N.* jam ſexagenarius, temperamenti calidi & humidi, valde laborioſus &

in omni rerum gerendarum genere peritiſſimus, continuis & aſſiduis laboribus tam publicis, quam privatis ſemper per plures annos incumbens *die* 20. *Januarii* 1684. in Apoplexiam incidit, voce & reſpiratione intercepta, motu & ſenſu abolito. Poſtquam vero tranſactis ſex ſeptimanis *varia remedia intus & extra & huic affectui congrua* tentata & applicata, ſenſim & ſenſim ſanitati adeo reſtitutus videtur, ut ſumma laude officium ſibi commiſſum & aliàs onerosum ſubire eique præeſſe valeat. Sed hactenus ſenſit laſſitudines corporis, crurum & genuum debilitates, ut ſæpius incedere vix poſſet, cum ſcotomia & lachrymatione oculorum, quando aëri frigido ſe committit, item tenſione hypochondriorum à flatu craſſiore proveniente &c. Cum iſte affectus ſit curatu difficilis & *Tua Praxis Vir Doctiſſime* in omni morborum ſcientia ubique reſonet, *Conſilium Tuum* petimus. *Vale.*

Analyſis.

VEram Apoplexiam paſſum fuiſſe *Nobiliſſimum Dominum* abolitio ſenſuum & motus, loquelæ & reſpirationis interceptio docent. Eam ſeroſam credam, quia *remediis intus & extus adhibitis* aliquomodo convaluit. Manſit debilitas cerebri, quod indicant laſſitudo ſpontanea, genuum debilitas inceſſum impediens & ſcotomia: An ſcotodinos ſeu vertigo tenebricoſa, num ſolum nebula oculis obverſans? qualiſcunque tamen ſit, innuit cerebrum debilius eſſe ab Apoplexia, aſſiduis & arduis ingenii laboribus. Debilitas conſiſtit in fibrarum ſubſtantiæ medullaris laxitate & in pororum cerebri infarctu à lympha inſpiſſata, jam *ultra* 17. *Menſes* ibi detenta. Hæc lympha attenuanda & diſſipanda: quod præſtitu difficile, tum quia morbi nervoſi cerebri ægre *remediis* cedunt, tum quia malum jam inveteratum eſt. *Purgari* poterit *Extract. cochiar. in magna doſi ſolut. in aq. beton. roriſmar. ſal volatile oleoſum in liquorem redactum penetrantiſſimum Ex. gr.* ℞. *Sal. vol. oleoſ. roriſmar. ſeu ſpir. noſtr. bezoard.* ʒij. *aq. roriſmar. beton. ana.* ℥iij. *ſyr. flor. paralyſ.* ℥j. *Mſc. Mane hor.* 5. *& veſp. h.* 9. *ante ſomnum cochl. ij. vel iij. Tabell. ceph. ex ſpec. diambr. diamoſch. extr. xyloal. conf. alk. c. ambr. ſpir. roſ. ſol. &c. Balſ. ceph. Fonticuli duo.* Vinum diluat *decoct. Rad. chinæ vel aqua deſtillata roriſmar. Balnea* non tuta ſunt. Si plethora adſit *V. S.* non omittenda ſed ſemper parcior, nimia enim ſanguinis profuſio cerebrum magis debilitat. Diætam in ſex rebus non naturalibus *Medicus præſens* diriget.

D. T. O. M. hæc ſalutaria eſſe jubeat!

Scaphuſii d. 10. *Jul.* 1685. Joh. Jacob Wepfer, M. D.

OBSERVATIO CXLVI.

Paralyſis Prodromi.

D. 20. *Septembr.* 1677. *Badæ Helvetiorum. R. D.P. N. N. Conventualis Eremitanus* : 39. annorum, ſtaturæ mediocris, pallidus, carnoſus. A puero abſtemius fuit, multum panis ſicci comedit. In ſtudiis feliciter profecit. Ante quatuor annos creberrime mingere cogebatur, poſt mictionem adhuc ſtimulabatur, quam vi promovit, inde effecit, ut guttulæ aliquot involuntarie quandoque exciderent, quandoque dum literis occupabatur, ſubito ad mictionem irritabatur, ſi vi urinam retinuit, tunc vix mingere potuit, unde abdomen inflabatur, maxime in ſiniſtro latere ad epigaſtrium uſque. A violenta retentione etiam caput perturbabatur & oculi quaſi protruduntur: in ſiniſtro pectore anxietas excitatur. Antequam incipiat mictionem, dolet in pube circa radicem penis; ſed non niſi vi urinam detineat, in ipſa mictione & poſtea dolet nunquam. Ab hac violenta retentione ſemper pejus habet in ſiniſtro magis quam in dextro latere. Jam à tribus annis caput mire turbatum eſt & obtuſum, adeo ut vix literis vacare poſſit, putat tenebroſum, non uti pridem lucidum eſſe, nebula oculis obverſatur. Memoria labaſcit, aliquid vertiginis titubantis non gyroſæ accidit. Artus ſiniſtri lateris debiles ſunt, pedem trahit, brachium nequit attollere. In pede ſiniſtro animadvertit ſenſum formicationis. Tenditur frons cum oculis. Occiput aggravatum eſt. Dolorem patitur circa regionem renis ſiniſtri, dolor tamen ſurſum ad ſummam ſcapulam & humerum extenditur. Quandoque difficulter deglutit, ut ciborum deſcenſum manu collo admota promovere cogatur. Conſtipationi pridem magis obnoxius, dum ſcil. adhuc vi urinam reprimebat : fœces vi quoque promovet manibus hypochondriis admotis. Quando aquam bibit, in capite omnia lucida ſunt. In violenta mictione dolet in hypogaſtrio & fœmore ſiniſtro. *Domina ipſius Mater* calculo obiit.

Reſolutio.

AFfectus iſte complicatus eſt. adſunt paralyſis prodromi & Nephritidis indicia : ſtupor capitis, vertigo, obauditio, ſiniſtri lateris totius robur imminutum cum ſenſu formicationis, imo ipſum mictionis vitium, quo aut urinam non retinere ferè valet, aut vi retentam poſtea expellere fere nequit cum damno in univerſum abdomen redundante, aliquid paralytici ſapiunt & graviora minantur. Dolor circa regionem renis ſiniſtri calculum ſeſſilem latere innuit.

Quamvis copioſe & crebro mingat, nihilominus ob ſigna, ſupra memo-

memorata medullam cerebri ab humore aquoſo nimium irrorari facile pervidetur, quo ipſum abundare præter ſymptomata Facultatis animalis pallor faciei probat & confirmatur eo, quia hydropota diu fuit & aſſiduus in literis: amplius aquoſus humor cumulatus à vino, dum illud ſanguinem frigidum fundit illumque profundius intra poros medullares cerebri rapit; unde ſtupor cum ſenſuum internorum obfuſcatione poſt vini potum auctus fuit, lucidioribus actionibus mentis exiſtentibus ab aquæ potu. *Forte calculus nervos prope renes premendo totius dimidii lateris nervos in conſenſum rapit; quod factum à piſo in aurem illapſo apud Fabritium Hildanum, ubi totius lateris ſtuporem effecit à capite ſcil. ad calcem in illo latere, in quo piſum intra aurem detinebatur: quod Fabrit. putavit factum, quia nervi acuſtici rami cnm totius dimidii lateris nervis communionem habeant, imo ſurculos ad extremos pedes diſpergant.*

Hujus morbi curatio difficilis, intricata & perplexa eſt non ſolum ob ſtabilem calculum in renibus latentem, ſed etiam ob humorem jam medullarem cerebri ſubſtantiam occupantem, unde ægerrime evellitur & neglectus quotidie accumulatur, difficillimeque poſtmotum extirpatur.

Proinde mature generi nervoſo ſuccurrendum, interea non negligendo renum affectum, cavendo tamen ne forte calculum pellendo, ille gravius ureteribus impingatur & ſuppreſſionem urinæ periculoſam efficiat.

Itaque hac vice potius aquoſus humor à cerebro nervoſoque genere avellatur, evacuetur, abſorbeatur, cerebrum nervoſumque genus roboretur, ſimulque calculo via ad exitum paretur, ita tamen ut *diureticis* non validius pellatur.

Methodo executiva R. D. P. hoc Autumno ad Decembrem uſque hac ratione tractari poſſet.

1. *Singulo mane hora 6. matut. & veſperi hora* 5. darem ℈j *hujus pulv.*

℞. *Pulv. ſpecif. compl.* ℨij.
Pil. reg. compl. No. j.
Extract. caſtor. ℈ß.
Tab. man. chr. perlat. ℨj.
Mſc. F. Pulv.
Detur c. cochl. iij. vel iiij. aq. ſerpill. min.

2. *Singulis noctibus ſub introitum lecti de hoc Elect.* ℨii. ſumat.

℞. *Conſerv.*

℞. *Conſerv. roſ. rubr.* ℥iiij. *roriſmar. beton.* ā̄ā. ℥j.
Theriac. Androm. ʒij. *ſyrup. beton. parum. Mſc.*

3. *Singulis* 14. *diebus ſeu altera quaque ſeptimana duabus horis poſt modicam cœnam* ſumat *har. pilular. No. vij. vel viiij.*

℞. *Extract. pilul. cochiar.* ʒj.
caſtor. ℈j.
Magiſter. Gialapp. ℈ß.
Ol. d. majoran. gtt. ij. ſpir. ceraſ. q. ſ.
Mſc. F. pilul. No. xxxxv. de ☉ *& conſperg. pulv. cinnamom. D. ad Scatul.*

4. Cervicem *Mane & Veſperi* inungat *hoc balſamo.*

℞. *Unguent. alabaſtr.* ℥j.
Ol. N. M. expr. ʒij.
d. lavendul. majoran.
rut. roriſmar. ā̄ā. *gtt. iiij.*
Pingued. Caſtor. ʒj. *Mſc. diligenter.*

5. Ob renum diſpoſitionem nephriticam *ſemel in ſeptimana* ſumat ʒj. *pulv. mei Nephrocathart. cum pauxillo vini mane* ac poſtea obambulet. Illo die *omnia medicamenta* omittat.

6. Renum regionem *Mane & Veſperi* inungat *calide hoc unguento.*

℞. *Ung. roſar. nutrit.* ā̄ā. ℥iß. *camph.* ʒß.
Sacch. ♄ ʒj. *ol. violar. par. Mſc. F. ung.*

7. Diætam obſervet accuratam. Veſcatur cibis boni ſucci, facilis digeſtionis. Vinum diluat neceſſario *decocto radic. chin. cujus* ʒij. *coquantur in* ℔iiij. *aq. fontan.* Imo quia potui aquæ aſſuevit, ſi æſtuet, ſolum *hoc decoct.* bibat. A ſomno pomerid. prorſus abſtineat. Poſt paſtum ſemper obambulet. Animum ſemper excitet: in ſtudiis non ſit nimius maxime à paſtu, alvus quotidie aperta ſit; ſi ignavior, illa moveatur *ſuppoſitoriis mellitis aut clyſtere domeſtico ex juſc. carn. in quo fol. alth. Mij. coct. col.* ℔j. *admiſc. mell. roſ. cochl. iij. ol. chamom.* ℥ij. *vitell. ovor. N. iij. ſacch.* ℥j. *Mſc.* Mictionem non nimis urgeat, ſed liberum effluxum huic concedat.

OBSER-

OBSERVATIO CXLVII.

Paralyſis poſt Luem Veneream.

DOminus de N. N. *Capitaine ſur le Regiment du Roy Briſaci* : 1694. *die* 8. *Septembr.* ſtatum valetudinis ſuæ ſimulque curationem ipſi ſuaſam, ut examinarem illam, miſit. Primum *Conſilio* uſus eſt *D. D. Moguet Galli & Domini les Comptes Chirurg. majoris Hoſpitalis Argentorati*: ſuaſerunt *Thermas Plumbarias in Lotharingia*: uſus eſt 26. *inſeſſibus* & inde magis debilitabatur. Etiam uſus eſt *conſilio D. D. Gloxin Phyſici Colmarienſ.* ſuaſit hic *potum Acidularum Sulzbacchenſium & inſeſſus in his aquis*, in quibus elixabantur *variæ herbæ aromaticæ, ſimulque unguenta* quibus femora fricabantur, quæ tamen ipſa non multum præſtiterunt, niſi quod faciem vivaciorem *in Thermis Plumbariis* amiſſam pepererint. A biennio apices duorum digitorum & pollicem quaſi indormiviſſe & obſtupuiſſe ſcribit; duravitque in eodem ſtatu, interea prope ab anno invaſit omnes quinque digitos, ita ut manum dextram torpidam habeat, manente motu libero, ita tamen ut pennam ad ſcribendum firmiter tenere nequeat. Ab anno debilitatem pedum & nihilominus percepit aliquid podagrici circa articulum majorem, unde pedes præterita hyeme debiliores evaſerint, ut *Menſe Martii* hos obſtupuiſſe & obtorpuiſſe obſervarit. *Menſe Maji* uſus eſt *Thermis Plumbariis*, unde difficilius ingredi poterat, quam ante illarum uſum, debilitasque indies augebatur: coxa ſiniſtra cum femore quoque debilior eſt quam dextra, ſentit quandoque in femore & coxa dolorem inſtabilem. *Ante Semeſtre* paſſus eſt paroxyſmum febrilem aliaque; item vehementiſſimos dolores femorum & nervorum, ut originem mali ſciam, ſubjungit: *ante* 15. *annos* paſſus eſt Gonorrhœam virulentam & glandis ulcus, quod *Chancre Galli* vocant, durarunt, forte ſola Gonorrhœa, per annos duos vel tres. *Ante undecim annos* rurſus paſſus eſt Gonorrhœam, quam multùm neglexit, ſequebatur bubo, quem intempeſtive aperuerunt, unde non bene ſuppurabatur, duritiem ſuſtulerunt *pulvere*, carnem putrefacientem, ulcusque apertum ſervarunt *quinque menſibus*, *Menſe* poſt conſolidationem tres puſtulæ obortæ ſunt prope umbilicum buboque repulſus fuit. Se credidit *perito Viro magna remedia* adhibenti: impoſuit *emplaſtrum*, unde largiter ſalivavit: hinc *V. S.* adminiſtravit, *pilulas purgantes ac per ſeptimanas quinque decoctum ſudoriferum* dedit, unde curatus fuit, & bu-

bo ſine reliquiis evanuit. *Ante undecim annos* ita curabatur ac ſex annis à lue venerea immunis nullumque incommodum paſſus eſt, nec *ullis remediis* contra illam uſus.

Ante quatuor annos bis paſſus eſt Gonorrhœam quinque ſeptimanis durantem cum ulcere glandis. Curabatur *bolo ex Caſſia & Ptiſana* ſine injectione & ſanguinis extractione. Hæc mala multum ad præſentem valetudinis ſtatum contribuiſſe putat.

Ante 2. *annos*, cum jam digitos ſtupidos ſenſerit, oborta eſt furfurea in fronte impetigo, farinacea, ſquamoſa à ſcalptura ſeu frictione; curata rediit aut ſemper aliquid reſtitit, cum levi pruritu: ſerpebat ad caput, ad occiput & unciæ unius diſtantia infra aurem: cruſtis ablatis rediit brevi; crediderunt *Medici* reliquias Luis Venereæ eſſe. Interea illum *ad remedium magnum* damnare noluerunt, cum nullum in corpore aut capite dolorem patiatur: optime dormit, bene appetit; cum ſit optimi temperamenti: quotidie utitur nunc *vinaceis*.

Eſt annorum 35. habitus potius delicati, quam robuſti; nunquam magnos labores peregit; nunquam juxta diætæ regulas vixit: nullam delectationam intermiſit aut detractavit, imprimis cum fœminis: quandoque exceſſus commiſit, forte in potu: hæc ideo ſcribit, quia creditur ſymptomata venerea citius ab exceſſibus ſe prodere, quam ſi temperanter vivatur, cum ſæpe diu hæc occultentur accuratâ diætâ obſervatâ. Præterea præterita hyeme duxit uxorem, ſi adhuc lue venerea infectus eſſet, illam infeciſſet. Tibiæ & fœmora legitimam habent conformationem, non obſervatur atrophia nec nodos habet; ſi ſedeat, nullo defectu affici crederetur.

Cum paralyſis fœmorum & pedum curatu facilior ſit, quam partium ſuperiorum: hæcque ſit imperfectior ſolumque motus impeditus, integro ſenſu manente, quod monet, ut credatur non inutiliter curæ laborem ſuſceptum iri: cum adhuc juvenis ſit & hæc impotentia non diu durarit. *Sequentia remedia in uſum vocanda non reſpiciendo nunc ad complicatos affectus, de quibus ſuſpicari poſſet, aliud eventu appariturum pollicetur Medicus.*

Ad auferendum impedimentum influxûs ſpirituum animalium ad muſculos & nervos *præmittenda univerſalia*; uti I. *decoctum purgans*, ℞. *Limat. lign. guajac. cort. ejuſd.* ãã. ℥ß. *infund. in aq. fontan.* ℔iiij. 24. *hor. poſtea coq. ad conſumt. part. dimid. add. fol. ſenn. ſ. ſ.* ʒvj. *turpeth. hermodactyl. ana.* ʒij. *poſt unicam ebullitionem coletur.* ℥viij. *hujus add. ſyrup. roſ. ſol. comp. c. agaric.* ℥j. *ſumat mane per dies* 5. II. Potui

tui ordinario *add. beton. & parum Glycyrrh.* III. Si alvus non ſit aperta, injiciatur *clyſter.* IV. *Die quo non utetur potione laxante, de hoc Electuario mane & duabus horis ante decubitum caſtaneæ magnitudinem* ſumat. ℞. *Conſerv. fl. ſalv. beton. roriſmar. ana.* ℨvj. *ſpec. diambr. ſuccin. fl. pp. ana.* ℨj. *caſtor.* ℈j. *ambr. gryſ. gr. xij. cum ſyrup. citr. q. ſ. Mſc. F. Elect.* V. Sudorem movendum putat, crura immittendo *vaſi ad recipiendum vaporem decocti vinaceor. ſalv. abſinth. ebull. in vin. alb. bon. q. ſ.* Juvatur ſudor, *ſi vaſi terreo indatur ſpir. vini, ponatur in vaſis majoris medium & accendatur : hæc continuanda* 15. *diebus* VI. Poſt ſudorem tibiæ & fæmora inungantur *hoc liniment.* ℞. *Ol. roriſmar. deſt. ſalv. deſt. Galban. d. ana.* ℨj. *ol. caſtor.* ℥j. *Mſc.* VII. *Poſt horum remediorum uſum purgetur tali potione : In Pinta decocti betonicæ, menth. ſummit. thymi infund. per noctem ſenn.* ℨij. *agar. troch. gr. xv. Rhabarb.* ℨß. *in loc. calido, colaturæ add. ſyr. roſ. ſol. ſ.* ℥j. *Mſc.* VIII. *Tempore vindemiæ* tibiæ indantur *vinaceis.* IX. *Thermæ* ♀*reæ bituminoſ. nitroſæ* efficaciſſimæ ſunt toto curationis tempore. X. Partes paralyticæ ſemper tegantur & muniantur *pellibus vulp. lepor. agnor. & ſimilium.* Si vires concederent, me conveniret. *Hæç morbi hiſtoria ex Gallico idiomate in Latinum translata eſt.*

Reſolutio.

PAralyſis artuum inferiorum videtur ſcaturiginem ſeu ſedem cauſæ ſufficientem ſpirituum animalium influxum impedientis habere altiorem, quam circa os ſacrum, ubi emergunt nervi ad crura & imos pedes pertinentes, quamvis ſæpe multum humoris intra fiſtulam medullæ ſpinalis in fine deprehenſum fuerit : quoniam malum hoc incepit à debilitate digitorum primo duorum & pollicis, hinc totius manus : licet hæc potiſſimum in ſtupore & obdormitione ſubſtiterit, nihilominus tamen pependit ab influxu ſpirituum animalium impedito, unde pennam firmiter tenere nequiit & ad ſcribendum ineptus evaſit. Secuta eſt ſenſim partium inferiorum ſcilicet coxarum, fœmorum & tibiarum impotentia ob majorem influxûs obicem, ita tamen ut ſpirituum animalium ductus non penitus occluſi ſint, quia adhuc ſentiunt artus inferiores nec atrophia affecti ſunt, nam naturalem conformationem adhuc obtinent. Cauſa non eſt ☿rius intra calvariam detentus, quod aliquando factum novi, etiam poſt illum foris tantum adhibitum, quia de nullo dolore & moleſtia capitis conqueritur, & ut ex ſcripto patet, judicio acuto valet, quia *poſt emplaſtrum ☿riale adhibitum* largiter ſalivavit, & *per ſeptimanas quinque*

decocto ſudorifero ex conſilio docti Medici uſus eſt. Sed ſolus humor ſeroſus, qui ſolus ſe intra vaginam, per quam medulla ſpinalis fertur, circa illa loca, ubi nervi emergunt, profundius ſe immergere & inſinuare valet citra inflammationem, cum minutiſſima vaſa illam cingant & vegetent. *An ſerum hoc à Luis Venereæ veneno adhuc inquinatum ſit? quæritur:* cum verò hoc aliquoties quoque inquinatum fuerit, quod aliàs ſemper & præcipue fit, vix dubitare licet, nam nimis frequenter & diu paſſus eſt Gonorrhœam jam ante 15. annos, inſuper exulcerationem glandis, bubonem, & dextre curatus, denuo ante quatuor annos Gonorrhœâ rurſus afficiebatur, quæ ſatis negligenter curabatur & tractabatur, *ſcil. prope ſola Caſſia & Ptiſana quadam*, adeo ut vix fieri poſſit, quin ſuperſint hujus contagii reliquiæ, cujus fructus ſunt, impetigo frontis ſemper repullulans & ulterius ad caput ſerpens. Nullos quidem adhuc tophos aut nodos, quos *Itali* gummata vocant, patitur, nec de doloribus nocturnis circa partes excarnes in capite & artubus conqueritur, nec hactenus conjugem infecit, quia tot malis occurſum fuit, *cura ſalivatoria & decoctis ſudoriferis*, quorum beneficio ductus ſalivales aliique ſeroſi ita reſerati fuerunt, ut vel per ſalivam vel ſudores ſpontaneos vel inſenſilem tranſpirationem particulæ virulentæ ſecedant; quarum expulſionem ætas & laudabilis corporis conſtitutio juvant; ſic plures novi, ſuperſtite adhuc inquinamento etiam præſentibus uxores non inquinaſſe; quibus imprimis abundat *Italia*. Ob hanc bonam conſtitutionem ab erroribus quoque non læditur. Humor iſte ſeroſus ad medullam ſpinalem exſtillavit circa exitum extra cranium & forte alibi, quia illa à venere multum debilitata, ſeu laxior & flaccidior facta & ſic aditus ad illam & hoſpitium paratum fuit, ut ibi hoſpitare & nidum ſibi cum noxia aliqua morâ ſua conficere potuerit: forſan etiam ☿*rius* ſymbolum contulit, quem nervoſo generi infeſtiſſimum eſſe, notum eſt, licet non ſtatim virus ſuum exſeruerit.

Igitur *in curatione* opera danda, ut ſerum ſanguinis præcipue ab omni virulentia vindicetur, & ſtagnans circa nervorum aliquot ortus ex medulla ſpinali tollatur liberque ſpirituum animalium egreſſus promoveatur. His indicationibus magno ſtudio occurrendum, quia maſſa ſanguinea jam *à quindecim annis* vitiata fuit à veneno venereo: ſerum detinetur intra fiſtulam oſſeam vertebrarum lumbarium, obvelatur à dura meninge medullam ſpinalem & nervos ab illa prodeuntes tegente & ſemper obtegente, ad quæ loca interna tarde & viribus fracta perveniunt *medicamenta*, *externa* vero ad hæc non pertingunt: ob quas cauſas nervorum affectus aliàs difficulter curantur. *Spes curationis* ſupereſt, quia *Dominus Æger* eſt juvenis, bonæ, licet teneræ conſtitutionis, malum nunc magis in partibus inferioribus, quàm ſuperioribus

rioribus ſe prodit. Nihilominus ſtrenue *remediis* pergendum denuò moneo.

Remedia interna ſint I. *Cephalica nervina, ut Electuarium.*

℞. *Conſerv. fl. paralyſ. ſalv.*
roriſmar. ā͞ā. ℥j.
Pulv. viperar. ʒiij.
Spec. contr. Apopl. Auguſt. ʒij.
Diambr. ♁ *diaphor.* ā͞ā. ʒj.
⊖ *volat. C. C. rectif.* ℈j.
Ol. deſt. ſuccin. gtt. iij.
Syr. fl. paralyſ. q. ſ. Mſc.

Doſ. M. hor. 6. & V. hor. 4. ʒij. poſt horam bibat juſculum herb. roriſmar. & majoran. alterat.

II. Quando *hoc Electuario per* 15. *dies* uſus fuerit, ſudorem *ſuper ſcamno ſudorifero* hoc modo provocare ſtudeat. 1. ſumat *mane hor. 6. nucis juglandis magnitudinem hujus Electuarii.*

℞. *Conſerv. roſar. r.* ℥iß. *majoran.* ʒvj.
♁ *diaphor.* ʒj. *ſuccin. alb. ppr.* ℈iiij.
Theriac. Mithrid. aut Androm. ʒij.
Diaſcord. Fracaſt. ʒiij.
Syr. cinamom. q. ſ. Mſc. F. Electuar.

2. *Huic* ſuperbibat ℥vj. *hujus decocti calide.*

℞. *Lign. ſanct. Cort. ejuſd.* ā͞ā. ℥ß.
Rad. ſarſæpar. ℥j. *ſem. fœnicul.* ʒij.
Inciſ. & contuſ. Mſc. coq. cum aq. fontan. ℔iij. *in Diplomate clauſo*

3. Poſtea *ſcamno* incumbat *ab initio per dimid. hor. aut per* 3. *horæ quadrantes*, ſenſim aſcendendo *ad hor. integram aut ſeſqui horam* prout ſudationem pertulerit. 4. Dum *ſcamno* incumbit, reficiatur frequenter *uno alterove cochl. hujus Julapii.*

℞. *Aq. borrag. bugloſſ.*
fl. acac. ā͞ā. ℥ij.
cinamom. bugl. ℥ß.
♁ *diaphor.* ℈ij.
Matr. perlar. ppr. C. C. ph. ppr. ā͞ā. ℈j.
Syr. rub. Id. ℥ß. *Mſc.*

 Pro

Pro re nata & ſi ſudationes bene toleret *veſperi hor.* 5. *etiam præmiſſis Elect. & decocto uti mane, ſcamno ſudorifero per horam unam* incumbere poſſet : *hujus ſcamni uſum Menſ. Septembr. Octobr. & Novembr. quolibet menſe per* 15. *dies* adhibere poſſet. *Iſtis diebus quibus non ſudat, Electuario ſupra præſcripto* utatur. 5. Vinum tempore ſudationis omittat, hujus loco bibat *decoctum radic. chin. aut lign. ſaſſafr. aut Caſſ. lign.*

III. *Externe frictiones dorſi imprimis, coxarum,* conducerent, ut & *vinacea, luta &c.* omittat *unguenta omniaque unctuoſa & ſpiritus,* cum ad partem affectam minus penetrent. *V. S.* ſit parcior. *Fonticuli* non multum præſtabunt, uti & *Setacea. Purgetur caute, illa ex Senna, Rhabarbaro & ſimilia* tuta ſunt.

IV. Diætam accurate obſervet. 1. Aer ſit temperatus, corpus contra frigus probe muniat. 2. Cibi ſint boni ſucci & facilis digeſtionis : vitentur crudi, viſcidi, lenti, acidi &c. Extra ſudationis tempus bibat vinum maturum *decocto chinæ aut lign. viſc. quern.* dilutum. 3. Somnus pomeridianus fugiendus. 4. Alvus cibis laxantibus ſcil. prunis, pruneolis &c. aperta ſervanda : ſi conſtipatio immineat, injiciatur *clyſter emolliens:* 5. Motus corporis promovendus quantum licet. 6. Animus exhilarandus.

Scaphuſii d. 12. *Septembr.* 1694.

Joh. Jacob. Wepfer, M. D.

OBSERVATIO CXLVIII.

Paralyſis Oris.

REv. *Dnus P. Cherubim de Schrekenſtein* 44. annor. habitus corporis gracilis, facie citrina. Ætat. ann. 18. factus *Capucinus.* Tota hyeme *Anno* 1672. nudato capite Confeſſiones per 6. horas audivit. *Die* 29. *Januar.* 1673. poſt meridiem terrâ profunde nive opertâ denudato capite *ex Monaſterio* prodiens, obſervavit ſtatim ſe ſiniſtro oculo nivem intueri non poſſe : continuavit iter *Engâ Immadingam* per horas duas : moleſtia intuendi nivem crevit. *Immadingæ* in cœna oculus ſiniſter aquam ſtillare incepit. Noctu bene dormivit, doluit poſt aurem levicule. Mane labia diſtorta animadvertit ſocius, ipſeque impedimentum in loquendo. Occiput & tempus ſiniſtrum ut & gena propè labium ſiniſtrum tenduntur & attactum non bene ferunt : iſt alles ſehr. Totum hoc ſiniſtrum latus capitis debilius eſt: maxilla

maxilla inferior, gena & naſi apex dextrorſum trahuntur. Non præceſſit vertigo aut cephalalgia. Pridem ſingulis annis hyeme paſſus eſt defluxionem ad latus pectoris ſiniſtrum, quod hoc anno non contigit. Hæc faciei curvatura durat *ad* 25. *April.* 1673. *quo me convenit.* Ab inſultu ad hunc diem vertiginem patitur, auris ſiniſtra tinnit, oculus ſiniſter aquam continuo fudit ut putat *ad Menſ.* 3. Meditari aut ſtudere nequit. B. & P. pronuntiare nequit. Objecta non videt duplicia ſed quaſi per nebulam. Cum moleſtia exſcreat mucum conglobatum tenaciſſimum. Quando noctu indormiſcit, terretur ter, quaterve. Totum ſiniſtrum latus ſcil. brachia & pedes ſani ſunt: dolet ſolummodo & tenditur cervix in ſiniſtro latere. Conſtipationi admodum obnoxius eſt: patitur tenſionem in ſiniſtro hypochondrio. Nunquam paſſus eſt tuſſim à multis annis. Quamvis *Conſanguinei ipſius* Cephalalgiæ obnoxii ſint, raro tamen illa afficiebatur, ſemper temperate vixit: parum bibit. Quando os aperit, manifeſte videtur maxillam inferiorem ſiniſtrorſum rapi: uvulæ quoque apex dextrorſum declinat: NB. Palpebra inferior oculi quoque paralyſi tacta fuit, tumet œdemate: crebrò præter morem oſcitat.

Reſolutio.

PAralyſis plures partes ſiniſtri lateris in capite corripuit, ſcil. nervos ad uvulam, linguam, muſculos labii ſuperioris & inferioris maxillæ utriusque & palpebræ inferioris, ſpectantes affectos. Vitium horum nervorum non videtur foras calvariam exiſtere ſed intus, idque circa latus ſiniſtrum corporis medulloſi, ubi plures nervi ſunt, qui ad has partes diſtribuuntur. Intus vitium latere probant vertigo, tinnitus auris ſiniſtræ, perturbatio mentis à ſtudiis, crebra oſcitatio, imprimis vero plurium partium dimidiati capitis paralyſis. Conſiſtere videtur potius in obſtructione, quam compreſſione, quia non valde dolet, niſi à tenſione & muſculorum paralyſi affectorum tractione verſus partem dextram: quia ſi multum ſeri comprimentis intra calvariam eſſet, graviora ſymptomata adeſſent.

Cauſa obſtruens ſerum ſeu lympha nervis impacta ob partem frigore debilitatam, frequenter enim denudato capite confeſſiones audivit brumâ ſæviente. Sanguinis motui impedito id non facile adſcripſerim, quia ab aneuriſmate aut varicibus circa medullam graviores dolores excitarentur. Multo minus extravaſatus eſt aut ſanguis aut lympha. Oculus lachrymas fundit muſculis quoque compreſſis aut paralyſi affectis in ſiniſtro oculo. Forte etiam lympha ibi turget plus quam in dextro, quia non ad debita loca pellitur partibus paralyſi tactis, unde in legendo copioſior emanat. Quia gracilis eſt, temperate vivit, adhuc juvenis eſt, meliora ſperanda ſunt.

Indi-

Indicationes, ſerum à capite avellendum, genus nervoſum exſiccandum & roborandum eſſe: hujus cauſa *purgetur ante Novi- & Plenilunium pil. cephal.* 2. Utatur *mane & veſperi pulv. cephal. ex rad. valerian. ſilv. pœon. N. M. Mac. cubeb. C. C. uſt. flor.* ✱*c. ol. deſt. majoran. roriſm. Tab. man. Chriſt. perl.* 3. *Semel in ſeptimana aut bis* ſumat *pot. ſudorif. ex aq. card. ben. ſpir. C. C.* ⊖ *vol. C. C.* 4. Verticem inungat *unguent. nervin. Fonticulum* apertum ſervet. *Scarificationes alternis menſibus* inſtituat. *Sternutatoria ex Tabacc.* non obeſſent. Veſcatur cibis boni ſucci. Vinum diluat *decocto Saſſafr.* Alvus aperta ſervetur cibis laxantibus ante paſtum ſumtis *ſemin. fœnic. contuſo* conſperſis. NB. Alvus aperta eſt quidem, ſed fœces, quamvis liquidæ ſint, ægerrimè excernit, doletque tunc in ſiniſtro hypochondrio.

Die 16. *Junii ſcribit Aq. ſudorif. cum pulv. cephalic.* conſumpta. Os rectum, mandibula & dentes curvantur: oculus manat & tenditur, fœces liquidæ licet, magno cum labore adhuc excernuntur.

Suaſi d. 17. *Junii* ut *mane* biberet *hauſtum ſeri roſat.* nî alvus inde moveatur, *veſperi rurſus hauſtum* capiat. Pergat *inunctione cervicis. Aq. ſudorif.* non neceſſaria eſt. *A potu ſeri roſat.* obambulet, vitet acetaria.

OBSERVATIO CXLIX.
Oris Tortura.

Vir Nobiliſſime, Excellentiſſime, Experientiſſime Domine Fautor ac Patrone Colendiſſime!

Accepiſti procul dubio, V. E. ultimas meas de ancipiti ac periculoſo *Dni Völteri* noſtri ſtatu loquentes: vivit adhuc, Deo ſit gratia, *Vir Expertiſſimus*, & quidem divinâ benedictione paulo melius. *Faber ærarius, Fridericus St - - -* jam ante 14. dies ſpaſmum Cynicum, ceu potius oris torturam ſimplicem contraxit, quæ cum non obſtantibus *variis jam adhibitis medicamentis*, pertinaciter perſiſtat, *ſalutare Excellentiæ Tuæ deſiderat Conſilium.* Principium morbi fuit hoc: *Ante* 14. *dies* noctu menſæ aſſidens animadvertit levem inferioris labii tenſionem, lectum petiit, nec quicquam conqueſtus eſt: mane ſomno expergefactus tenſionem auctam ſentiens ſpeculum petiit, viditque os ſeu labium potius p. n. eſſe diſtortum.

Me

Me ergo convenit, Conſiliumque petiit. In cauſam morbi & invaſionis modum aliaque inquirenti retulit à triduo capitis dolorem in vertice incipientem, & per dextrum latus uſque ad labium inferius excurrentem, imprimis vero circa aurem ejuſdem lateris ſatis intenſum, ipſi moleſtum fuiſſe, qui jam paulo mitior exiſtat: oculum dextrum ſubinde tantillum ſeri acerrimi, non ſine moleſta titillatione ſtillare. Dolorem capitis non tam internum, quam externum eſſe: vertiginem nullam adeſſe: Exceſſus quamplurimos intra menſis ſpatium commiſſos fuiſſe quoque confeſſus eſt, dum durante hæreditate, defunctæ ſocrus, irâ ſæpius exarſerit, vinique potui nimis indulſerit &c.

Commendavi ergo ante omnia diætam meliorem: ad affectum vero tollendum, ac gravius malum præcavendum præſcripſi *pulverem antiſpaſmodicum è pulv. March. cinnab. nat. &c. M. & V.* ſumendum. *Cubitum ituro* ſuaſi *duo cochlearia aquæ cephalicæ temperatæ ab Excellentia Tua ipſi dudum ordinatæ. Externe balſamum ſuccini* vertici, nuchæ v. & ſpinæ dorſi, *ol. è floribus Slotan. & lumbric.* ut inungeret, juſſi. Inſuper *decocti lumbricorum,* quod *præ omnibus aliis medicamentis* ſemper ſalutare deprehendit *ſingulo mane poſt ſumtum pulverem hauſtum* caperet, ſuaſor extiti. Vinum aqua vel *decocto ex viſc. quern. C. C. uſt. & ſem. aniſi* ut probe dilueret vel penitus ſeponeret injunxi. Hæc ſingula quantum novi, ſedulo quidem obſervavit patiens, ſine tamen notabili effectu, niſi quod dolor paulo remiſſior. Interea temporis *pilulas de ſuccino Cratonis* quoque *ſemel,* & poſtea *potiunculam laxativam è tamarind.* ℥ß. *fol. ſen.* ʒiß. *de Elect. de Tamarind. Horſt.* ℥ß. propinavi ipſi, unde aliquoties abſque ulla moleſtia dejecit. *Veſicatorium* brachio dextro applicui, quod ſerum copioſum, acre, ſubflavum eduxit. *Venæſectionem* quoque in pede, quam alius, aliquoties in ſpaſmis Cynicis *tanquam præſentiſſimum remedium* ab ipſo obſervatam, commendavit, heri admiſi: in eodem nihilominus verſatur malum. *Unde Excell. Tuæ Conſilium expetit patiens,* quod ut haud gravativum communices per me rogat. Pergam interea *antiſpaſmodicis, ſerum corrigentibus, cephalicis temperatioribus & ſim. Vale Vir Excellentiſſime porroque fave.*

Excellentiæ Tuæ

Stuttgard. d. 10. *Januar.* 1682. — Clienti addictiſſimo Joh. Caſparo Hârlino, D.

Die 24. *Januar.* 1682. Suaſi in hac oris tortura à paralyſi potius quam à ſpaſmo originem ducente.

Tttt *1. Pilulas*

1. *Pilulas Cephalicas.*
2. *Veſicatoria repetita.*
3. *Elect. cephalicum* ſuperbibendo *decoct. guajac. cum cephalicis.*
4. Inunctionem cervicis *cum ol. è flor. Slot. adde ol. euph. caſtor. phil.*
5. Vinum parce bibat: diluat *decocto Saſſafr.*

Die 8. Febr. ſcribit D. D. Härlin, uſu pilularum & veſicat. a d. 10. penitùs propè reſtitutum.

OBSERVATIO CL.

Oris Contorſio à Paralyſi.

Vid. Timæum L. I. c. 39. p. 72. Zechium Conſult. 75. Sennert. Practic. L. I. part. 2. c. 27. River.

Reverendiſſimus & Perilluſtris quidam Dominus Baro N. N. Canonicus ſemper facie roſea præditus: Sexagenario major: Calculo & Podagræ obnoxius. *Die 7. Januarii* 1691. ſubito oris contorſione correptus fuit, parte faciei molli & laxa manente: trahebatur os verſus latus ſiniſtrum & ad inferiora: in occipite ſenſit dolorem obtuſum: oculus claudi non poterat. *Excell. quidam Medicus Senior Practicus Celeberrimus* cauſam hujus diſtorſionis ſcribit eſſe Paralyſin muſculorum faciei in dextro latere, non ſpaſmum cynicum eſſe, quia facies mollis, idque propter obſtructionem nervorum tertiæ conjugationis ab humore pituitoſo, quatenus hic humor maxime cavitates nervorum replet & ſpirituum animalium influxum intercipit.

Suaſit *Frictionem cum linteis calidis, cucurbitulas ſiccas* humeris affigendas & *Pilulas* ad humores blande evacuandos.

1. ℞. *Extract. ſpagyr. Mülleri. Pil. arthrid.* āā. ʒß.
Balſam. apoplect. compl. gr. iij. Mſc. F. Pil. No. xxx. de ☉.
Quarum doſis Num. 7. vel plures hora ſomni.

2. *Aquam Cephalicam* pro roboratione capitis, reſolvenda, diſſipanda & abſumenda materia morbifica.
℞. *Aq. flor. paralyſ. ſalv. ceraſ. nigr. dulc.* āā. ℥j.
mirabil. Lang. ℥iß. *Eſſ. caſtor.* ʒß. *ſpir* ⊖*l. gtt. vij. Mſc.*
De qua mane & veſperi duo vel tria cochl. ſumat.

3. *Trageam poſt paſtum* ſumendam.
℞. *Succin. alb. ppr. Nuc. Moſch.* āā. ʒij.
Cardamom. cubeb. corall. r. ppr. āā. ʒj. *Spec.*

Spec. diambr. contr. apoplex. āā. ℈ij.
Sacch. roſat. tabulat. albiſſ. āā. ℥iß.
Elæoſacch. majoran. ℥j. *Mſc. F. P. d. ad ſcatul.*

4. *Trochiſcos ſublinguales*, de quibus *interdiu unus & alter* in ore liqueſcens deglutiatur.

℞. *Conf. alkerm. c.* ʒij. *pulv. March.* ℈iiij. *Pulv. rad. Doron. Ægagropil. ana.* ℈j. *Eſſ. ambr. ſicc. gr. vij. ſacch. albiſſ.* ℥iiij. *cum Mucilag. tragac. in ſ. q. aq. roſar. ſolut. F. l. a. Trochiſc.*

5. *Externe* pars affecta *mane & veſperi poſt Frictiones* irroretur *aqua Hirund. comp. c. caſtor. ſingulari modo parata.*

6. Caput *Cucupha* defendatur. ℞. *Herbar. majoran. roriſmar. thym. beton. fl. lavend. Paralyſ.* āā. *Pj. Pulv. viol. odorat.* ʒj. *ſuccin. maſtich. oliban.* āā. ʒß. *inciſ. & contuſ. Mſc. pro cucupha.*

7. Pro revulſione autem & evacuatione ſanguinis vitioſi *præmiſſo clyſtere*, *hirudines venis hæmorrhoidalibus* applicabantur & ℥vj. *ſanguinis* educebantur.

8. *Noctu ad ingreſſum lecti quater hunc pulverem* exhibuit. ℞. *Trochiſc. alkerm. compl.* ℈j. ⊖. *volat. ſuccin. rectif.* ℈ß. *Mſc. F. Pulv.*

9. Pro ulteriori autem humorum eductione *pilulæ* rurſus uſurpatæ ſunt, cum autem nimis ſegniter operarentur, *Potio hæc* exhibita eſt.

℞. *Elect. Caryocoſtin.* ʒij. *Mag. Jalapp. c. Nucl. pini ſubact. gr. vij. Syr. de Stœchad. Fernel.* ʒij. *infuſ. laxat. Viennenſ.* ℥iß. *Mſc.*

Quæ 17. vicibus ſine moleſtia purgavit.

10. *Subinde loco ſuperioris trageæ*, hac utebatur.

℞. *Elæoſacch. compoſ. ſacch. alb.* āā. ℥iij.
Conf. alkerm. compl. ʒvj. *Pulv. ægagropil.* ʒj. *Mſc. F. Pulv.*

Utrique brachio fonticulus inuſtus fuit: *Scarificatio* conſueta *cum cucurbitulis* non omittebatur; *Pilulæ cephal. bis* ſumebantur.

Junior quidam Medicus conſultus ſequens Conſilium exhibuit.

Affectus, quo *Reverendiſſ. & Perilluſtris Dominus* detinetur, nullus mihi videtur alius, quam convulſiva detractio nervorum & fibrarum

brarum lateris dextri faciei, ab acido volatili ex cruditatibus generato, nervorum & fibrarum vias adſtringente ac contrahente, hincque ſpirituum influxum denegante ſufficientem, proveniens. Spaſmus *apud Practicos* dicitur cynicus, ſed latius hoc loco paululum ſumto vocabulo (*Spaſmus*) ſed neglecta *iſta ſcholaſtica & minus practica differentia* inter ſpaſmum cynicum & torturam oris, uti *Sennertus* habet à paralyſi & convulſione deducta, cauſa efficiente quoad magis & minus ſolummodo ad has differentias collimante, cum *Græcorum* ἀπὸ σπᾶν à quo σπασμὸς quod trahere ſignificat, latius ſit extenſum. Ab acido volatili ex cruditatibus generato, id eſt, à ſpiritibus acidis ex cruditatibus per circulationem exaltatis volatilibus, vappeſcentibus, coagulantibus valvulis, quæ *NB. Anatomicis perſpicacibus* notæ, implicitis inque nervis contentis ac eos contrahentibus provenire, facile demonſtrari poſſet, ſi tempus vacaret.

Quoad meam de curâ hujus affectus ſententiam, cujus *Deo favente*, mihi ſæpius feliciſſima contigit curatio: *omnes* rejicio *Laxationes & Purgationes*, quidquid dixerint alii; exaltant enim iſtud acidum ex fundamento fermentationis omnium purgantium, quod *Medicis Cacatoriis* non eſt notum. *Venæſectiones, cucurbitulæ, Veſicatoria* vel ſpiritus educunt neceſſarios, vel humores tùm bonos cùm morboſos cauſatos, vel affluxum nutrimenti cauſant, cauſam autem morboſam nunquam attingunt, rariſſime hinc levamen morbi exſpectandum.

Hanc autem *Ego* methodum curandi hujus affectus expertam habeo: ab initio nempe *volatilibus alcalicis* omnes digeſtiones corporis tranſeuntibus ac hoſtem in origine quærentibus, ſudorem moveo; ex cujus ſpecifica præcipitatione tum circulus ſanguinis tum lymphæ, tum ſpirituum liberantur ab acidis, & cuivis ſuus reſtituitur motus, ex quo ſequitur, quod ſublatâ cauſâ tollatur effectus, haud enim tertia vel quarta vice applicui *mea ſudorifera volatilia*, quin integræ reſtitutus *Æger* fuerit ſanitati, *neglectis adhuc omnibus externis* ceu cauſam non attingentibus. Quid *Perilluſtri Dno Patienti* pro nunc faciendum puto, in hoc rerum ſtatu, eſt, *ſudoriferis volatilibus* denuo etſi tardius nunc operantibus inſiſtendum eſſe, eouſque donec omne iſtud acidum peregrinum præcipitatum ſit, *externe* ſolummodo utatur *aq. reg. Hungar.*

Quoad præſervationem *Pulv. D. D. Stangii* optime mihi placet, reliqua alio tempore dabo. Diæta non ſit, quæ vulgo dicta ſiccans, minime autem acida, neque fermentans, hinc omnia acidiora, cruda, dulcia ex ſaccharo, melle &c. ſalita &c. prohibita. *Vinum Lacûs Bodamici*

damici inferioris eſt licitum, minus autem cereviſia & hujus generis fermentantia nec vinum novum &c. Quoad reliqua *ordinarius Dominus Medicus* ſufficienter providebit. *Deus omnibus benedicat.*

N. N.

Notæ quædam & dubia ad Junioris hujus Medici Conſilium.

HAnc oris contorſionem ſeu torturam vocat detractionem convulſivam lateris dextri : ſpaſmum cynicum, ſpaſmi nomine latius ſumto : addit torturam oris *Sennertum* deducere à Paralyſi : minus practica differentia cum cauſæ horum differant ſecundum magis & minus. Atque ita adverſatur *ſeniori Domino Medico* nomine detractionis non congruo neque *in Foro Medico* recepto : detractio nude ſumta aut poſita calumniæ affinis eſt, quâ honori alicujus detrahitur: detractio alieni, eſt furtum.

Subjectum quod trahitur, nominat conjunctim nervos & fibras; quales? non exprimit : nervi quidem non contrahuntur, at læſi fibras ad contractionem & ſpaſmos provocant. At quales ? muſculorum nomina præterit, ad quos ſpectant fibræ : alias hoc in loco non inveniet, quarum contractione diſtorſio ſequatur.

Cauſam contractionis vocat acidum ex cruditatibus genitum, item acidum volatile, ſpiritum acidum volatilem per circulationem exaltatum vappeſcentem.

Efficiendi modum confuſe proponit. 1. Implicari hoc acidum valvulis nervorum *Anatomicis perſpicacibus* cognitis. 2. Coagulare forte ſpiritus. 3. Adſtringere, contrahere vias nervorum & fibrarum, unde denegetur ſufficiens ſpirituum influxus. Hæc facile ſe demonſtrare poſſe, addit : quod tamen nec ullo probabili argumento nec quidem indigitat, ex quo tum acidum tum ejus agendi modus conjici poſſit. Acidum ubi generatur ? forte in ventriculo, quia ex cruditatibus producitur : unde colligit acidam cruditatem in ventriculo natam fuiſſe, quo ſigno ſe prodidit ? quos errores in victu *Perilluſtris Dominus* commiſit ? aliàs ſi quis alius temperatiſſimus & ſanitatis ſtudioſiſſimus: an eructavit & vomuit acida? an cardialgiam, ventriculi diſtenſionem, aliave à cruditate ventriculi provenientia paſſus eſt unquam ? ſed ſi pervenerit ad ſanguinem, unde ejus aciditas innotuit ? ſi fuerit acidum in ventriculo genitum, pervenerit per vaſa lactea ad maſſam ſanguineam, factum fuerit volatile indeque natus credatur ſpiritus volatilis ? At cur huic ſoli nervo & his ſolis fibris implicatus circa valvulas & conſe-

 quen-

quenter in nervorum & fibrarum viis ſubſtitit & non alibi : Cum ſecundum leges circulationis ſanguinis quaquaverſum cum ſanguine feratur, & ubique ſint nervorum plexus, quibus læſis fibræ facile irritantur atque multivarii ſpaſmi intra ventres & in habitu oriuntur. Si ſpiritus acidus vappeſcens evaſit, nomen ſpiritus amiſit & procul dubio ſimul vim conſtringendi & coagulandi : & poſito vim hanc retinuiſſe, cur non alibi ſimiles turbas excitavit ? dum contractionem fieri addit conſtringendo, contrahendo ac coagulando indeque ſpirituum animalium influxum denegando , tanquam ſorex ſuomet indicio prodit & in hoc affectu paralyſin agnoſcit.

Methodum expertam à ſe propoſiturus *Dominum Seniorem Medicum* cavillaturus ſuggillat. Rejicit *omnes Laxationes* quia ſpiritus acidos exaltant fermentando, quod *omnibus purgationibus* inſit : quod ignorent *Medici Cacatorii* : An fermentando ? an præcipitando ? num diſſolvendo & attenuando ? anne ſimul irritando membranam nerveam aut oſcula glandularum nervea in ventriculo & inteſtinis purgatio fiat ? valde dubium eſt. Fermentatio à multis exploditur in maſſa ſanguinea , quod in aliis fermentationibus omnibus non breve aut paucarum horarum ſed dierum eſt , in aliis fermentationibus requiritur quies : at nulla in maſſa ſanguinea vivente animali datur : nullæ vaſorum intumeſcentiæ conſpiciuntur , quæ omnino neceſſario adeſſent, cum corpus fermentans amplius ſpatium poſtulet, ſi negetur, vaſa rumpuntur , ut in fermentatione muſti vaſi incluſi nimium quàm crebro videtur, alia taceo. Præcipitationem indeque conſequentem ſeparationem aut colliquationem ſeu attenuationem ſeri potius *in purgatione* evenire, probabilius eſt, quia *purgantibus* umbilico applicitis, aut *Chirurgia infuſoria* immediate per venas in maſſam ſanguineam injectis alvus & vomitus moventur : verum ut ſerum, bilis aliique humores ad ventriculum & inteſtina perveniant, irritatio neceſſaria eſt, alias per urinam & ſudores, quod tamen aliquando ſimul fit, ſerum exoneraretur. Irritamen neceſſarium eſſe, inde concludo, quia hypercatharſin *ab ♄ & Helleboro* ſopitam novi *copioſo ſeri lactis, aquæ cum oleo hauſtu, aut opiatis, Laud. op. theriac. recent.* ſumtis. Utcunque *purgantibus* non faveam & abuſum deteſter, non ob hanc fictam fermentationem & exaltationem , ſed ob nocuam abraſionem tunicæ mucoſæ ventriculi & inteſtinorum ; non tamen *purgationes* penitus improbo , quia aliquid de cauſa proxima ſubtrahunt & cauſæ proximæ augmentum impediunt. Notum eſt diarrhœas opthalmiam tollere & ſpontaneas à graviſſimis morbis præſervare , ut *ante natum Helmontium præclari Medici* obſervarunt. Quid *ſudoriferis ſuis* utile præſtat & quo nomine juvant ?

quam

quam hanc imminuentia, quæ incaute & imprudenter adhibita non minus ſæpe magis nocent quam *purgantia*. *Abuſu ſudoriferorum* ſudorem colliquativum concitatum *alii* norunt *&* *ego Patavii* vidi.

Venæſectio in plethorico, ſi copia ſanguinis moleſta ſit, non damnanda videtur: ob hanc neglectam *Helmontium Phreneticum mortuum fuiſſe Guido Patin in Epiſtolis memorat*, *& Riolanus increpat Germanos ſinentes ægros ſuos in ſanguine ſuffocari in Anthropographia*: quandoque *Venæſectio* neceſſaria, ut *alia remedia* tutius applicari poſſint. Cur *Cucurbitæ cum Scarificatione & Veſicatoria* improbanda ſint? non video; *cujus generis remedia* in opthalmia, gutta ſerena & hemicrania feliciſſimo ſucceſſu adhibita fuerunt: ſpiritus *his* minus diſſipantur, quàm *ſudoriferis*, quæ paulo diutius protracto ſudore delaſſant & non parum debilitant. Profundatur *in Venæſectione & Scarificatione* ſanguis bonus cum morboſo: quid tum? annon cum ſanitatis emolumento menſtrua fluunt & ſæpe hæmorrhagiæ narium in febribus criticè, & extra febres utiles eveniunt. Claudit ſuam ſententiam; rariſſime ab his levamen exſpectandum eſſe: methodum ſuam expertam jactat *paucorum annorum Practicus*. Ait conſiſtere in ſudoris provocatione, idque *volatili alcalino ſpecifice præcipitante*, omnes digeſtiones ſeu loca concoctionum tranſeunte ſeu permeante, hoſtem in origine ſeu ſcaturigine (an foco?) quærente, circulum ſeu circulandum ſanguinem, lympham, ſpiritus ab acido liberante & cuivis motum reparante. Sic ab initio *hoc dato* 3. *vel* 4. *vice* tales ægros reſtituit, *neglectis omnibus externis*. At forte oris tortura iſtorum non fuit paralytica, ſed forte ab inſultu epileptico, quæ plerumque ſine his ceſſat. Licet nunc tardius *volatile hoc* rem ſuam facturum ſit, nihilominus continuandum putat, donec acidum hoc præcipitatum ſit, ſcilicet res dubii plena. Probat *Aquam Reginæ Hungariæ*, quæ tamen non magis ad locum affectum penetrabit, quam *alia Topica*. *Pulvis D. D.* Stangii ipſi placet, quis ſit & qualis? neſcio, quia non tranſmiſſa fuit deſcriptio. Diætam ſiccantem improbat. An ergo ſerum proxima mali cauſa augenda? diſſuadet acida, cruda, dulcia & fermentantia. Laudat *vinum Lacûs Bodamici inferioris*, quaſi vero hoc non multum tartari acidi habeat intra ſua viſcera. *Sal hoc volatile Alkalinum eſt C. C. aut viperar. aut lumbricor. aut urinæ, certe volatile animale.*

Hoc Conſilium Auguſtam Vindelicorum miſi.

TOrturæ iſtius cauſa videtur eſſe aliquid paralytici in muſculis maxillam inferiorem & labium ad latus trahentibus, ob quam labem muſcu-

muſculi dextri lateris ceu antagoniſtæ non poſſunt reſiſtere tractui muſculorum lateris ſiniſtri, nec inter loquendum aut dum os aperitur: maxilla inferior & os non ὁμοῤῥονία ſeu æquali tenore conſervatur, ſed ſiniſtrorſum trahitur vel rapitur. Omnino aliquid paralytici concurrere videtur, quia pars dextra mollis eſt, non dolet, procul dubio præcipue conſpicitur, quando loquitur, aut os aperit, manu ſiniſtro lateri admota impediri poteſt. Vel ex hoc imprimis manifeſtum eſt aliquid paralytici adeſſe, quia *Perilluſtris Dnus* impedimentum in loquela percipit, & ipſi intra os aliquid tumidi & impleti contineri videtur; quia quoque oculum claudere nequit: præterea continuo adeſt: quum convulſiva affectio doleat & μυκτηρισμῷ ſeu ſubſannationi ſimilis ſit, ore clauſo etiam invitis per intervalla nunc breviora nunc longiora eveniat. Ut *apud Dominum Moyſen Conſiliar. Regim. anterioris Auſtriæ, Dominum Eſchenbruch Syndicum, Monialem Engæ &c.* His cum tenſione dolorifica in latere affecto evenit, nunc ſæpius nunc rarius, ſive loquantur ſive non.

Cauſa hujus paralyſis proxima eſt influxus ſpirituum animalium inhibitus, quod præſtat ſerum ſeu lympha, quæ perpetuo nervos irrorat ſolaque tot ſeptimanis, imo per menſes & annos circa plexus nerveos citra ſuppurationem hærere poteſt: efficit hoc comprimendo potius, quam obſtruendo, quum nervi ſint corpora ex minutiſſimis fibrillis compoſita, nulla cavitate ad ſenſum multo minus valvulis prædita, etiamſi quis lynceis oculis præditus eſſet, aut ſi illum, neſcio quo catoptro, muniret: non tamen nego omnes etiam minores nervos ambiri membranis ex dura & tenui meninge profectis, quibus nervorum fibrillæ ceu theculis involvuntur, quibus etiam lympha ſe inſinuat, illas comprimit & ſpirituum animalium influxum debitum prohibet. Compreſſionem hanc ſerum ſeu lympha comprimendo efficere poteſt, ſive ſerum imbutum ſit ſale alkalino ſive acido: ſemper enim ſal continet etiam in ſaniſſimis; peccat hic non ſal, ſed copia & ſtagnatione aliqua p. n.

Serum hoc intra cranium extravaſatum fuiſſe & ad nervos ex medulloſo corpore prodeuntes decubuiſſe, patet inde, quia dolorem obtuſum in occipite paſſus eſt, oculum claudere nequiit & impedimentum hucuſque in loquela experitur, & aliquid tumidi in ore contineri opinatur, quæ indicio non ſolum nervos muſculorum læſos eſſe & aliquomodo enervatos, qui maxillam inferiorem ad latus trahunt, ſed & ad muſculos palpebrarum & ad linguam ſpectantes: quinam vero hi muſculi ſint, *ex Anatomicis* patet, quive nervi imprimis *ex Nevrologia Vieuſſens* cognoſci poterit.

Collectionis & extravaſationis cauſa fuit mœror diuturnus & procul

cul dubio multæ propter illum noctes vigiles, quas quoque forte paravit podagra. Extravaſatum intra meninges exitum quæſivit per foramina in baſi cranii, ubi nervi hi exeunt, ac non inveniens exitum intra theculas membraneas ſubſiſtens fibrillas nervoſas comprimens ſpirituum influxum impedit, ac hanc ſemiparalyſin muſculorum horum peperit, unde ſequitur oris talis diſtorſio, nam aliquomodo enervatis muſculis maxillæ inferioris & palpebram claudentibus, muſculi lateris ſiniſtri maxillam illuc trahunt, & quia antagoniſtæ dextri lateris reſiſtere nequeunt, & maxillam in homotonia ſeu debita rectitudine retinere non valent, os incurvatur ac tale vitium oboritur.

In curatione hujus mali neceſſariam judico notitiam differentiæ torturæ, an à paralyſi ſit? an vero à ſpaſmo? hæc enim *antiſpaſmodica*, illa *antiparalytica* requireret; hanc credo *ter quaterve dato antiſpaſmodico* irritamen nervulorum tollente quandoque curari, imo vidi ſponte ceſſaſſe: ſi vero inveterata ſit, non ſecus ac epilepſia ipſa & alii motus convulſivi particulares difficillime quoque curantur. Iſta paralytica diſpoſitio, conſiſtens in laxitate membranarum has fibrillas nerveas amplectentium, unde facile novum humorem recipere poſſunt; ſi radices egerit, non *niſi magno ſtudio & medicamentorum continuatione* curatur, quia cauſa proxima eſt intra cranium, quorſum *vis medicamenti tarde* pertingit.

Unice opera danda eſt, tum ut cauſa proxima, tum ut illam fovens aufferatur: quod *ſequentibus remediis* præſtari poterit.

1. *Purgantia* non penitus rejicio, quamvis illis non admodum faveam, non quod inde exaltetur, neſcio à qua fermentatione ſalium in maſſa ſanguinea; ſed quia *frequens fortiorum abuſus* nocet ventriculo & inteſtinis, in abraſione tunicæ mucoſæ: probo illam, quia cauſam antecedentem ſeu ſerum imminuit, non minus quam *ſudorifera & diuretica.* Poterit igitur ſaltem *ſemel in menſe* ſumere *pilulas cephalicas, quibus addere ſoleo Extr. Cochiar. caſtor.* eoque magis neceſſaria exiſtimo, quia *Dominus Æger* multum ſeri cumulat ob vitam ſedentariam & motus corporis intermittendos ob podagram. Tales evacuationes neceſſariæ ſunt ad evitandam apoplexiam, quæ *Perilluſtrem Dominum Patrem* ſuſtulit.

2. *Venæſectio* non rejicienda, quia Plethoricus eſt, poſſet inſtitui inpoſterum, imprimis ſi capitis aliquam gravitatem perciperet: nam illi aſſuetus eſt.

3. *Scarificatio* non negligenda propter ophthalmiam & rubentes oculos, quam non inutilem expertus eſt.

4. *Veſicatoria* non tuta ſunt ob Podagram, quamvis aliàs egregiè revellant.

5. *Sudorifera* neceſſaria ſunt : at non ſufficientia vereor ⊖ *volatilia alkalia, ſive ſint viperar. ſive lumbric.* 🜄. *ſive C. C. ſive ſimilia,* inſuper mihi ſuſpectus foret illorum uſus diuturnus, nam in maſſa ſanguinea aliàs ſal volat. adeſſe ex colore faciei roſeo patet, & nimia ejus abundantia maſſam ſanguinis diſponere poſſet ad hæmorrhagias periculoſas, diarrhœas ſimilesque morbos fluidos. In ſimili paralytica diſpoſitione utile comperi *Decoctum lignorum cum ſcamno ſudorifero in uſum ducto in Vicario Generali, in Domino N. N. Paſtore Würtembergico &c. Hoc Decocto* cauſa proxima à morâ jam lenta facta attenuatur, & *mediante ſcamno* ſudore promoto cum cauſa antecedente auffertur, ſi *hac methodo* inſtituatur, tollitur citra ullam virium proſtrationem, eſtque neceſſaria, quia affectus jam diu duravit, radices profundas egit, nec ullo alio felicius tollitur, ac hoc modo inſtitui poſſet.

1. *Mane* ſumat *hujus Electuarii magnitudine Juglandis.*

℞. *Conſ. fl. roſ. rubr. tunic.* āā. ℥j. *Diaſcord, Frac.* ℥ß. *Ther. Androm.* ʒj. ♁ *diaph.* ʒiß. *Pulp. pom. citr. Num. j. Mſc. F. Elect.*

2. *Poſt horæ quadrantem ſeq. decocti* ℥iiij. *vel* ℥v. *bibat calide.*

℞. *Lign. ſanct.* ℥j. *lentiſc.* ℥j. *cort. lign. ſanct.* ℥ß. *rad. ſarſæparill.* ℥ij. *Rad. chin.* ℥ß. *ſem. fœnic.* ʒij. *inciſ. & contuſ. infund. in aq. fontan.* ℔viij. *hor.* 12. *Poſtea add. herb. beton. majoran. flor. paralyſ. tiliæ.* āā. *Mj. Paſſular. maj. exacin.* ℥j. *coq. in vaſe clauſo hor.* 2. *coletur. Poſt potum incumbat ſcamno ſudorifero calefacto : maneat in illo prima vice per dimidiam horam : poſtea longius ſed nunquam multùm ultra horam. Dein detergatur linteis calidis & in lectum reponatur, ubi ſudorem porrò ſpontè manantem ſinat aliquouſque : finito ſudore mane ſumat juſculum : maneat ſemper in conclavi calefacto, imprimis hac tempeſtate gelida. Veſperi hor.* 4. *rurſus Elect. & decoct. ſumat & ſcamno per dimid. hor. aut paulò longius incumbat. Poſt ſudorem nihil comedat ad horam ſeptimam uſque.*

3. Dum *ſcamno* incumbit *mane & veſperi* reficiatur *hac mixtura.*

℞. *Aq. card. ben. fl. til. beton.* āā. ℥j. *Mag.* ♁*ii diaph.* ʒj. *ſyrup. rub. Id.* ʒvj.

Confect. hyacinth. c. ʒj. *vel pulv. analept. Mind. Mſc. d. ad vitr.*

Sudatio

Sudatio iſta continuari poterit *per dies* 14. *aut* 3. *ſeptimanas* , poſtea naturæ per unam alteramve ſeptimanam induciæ concedantur.

In Cura ſudorifera comedat carnes teneriores juniorum animalium ſive aſſas ſive elixas, pruna Damaſcena , pruneolas coct. poma cocta. Vinum non lubenter concedo ; ſi vero non æſtuet , detur conſuetum *cum decocto radicis chinæ* temperatum. Alvus aperta ſervetur *clyſtere domeſtico.*

In Cura ſudorifera omittantur *omnia alia medicamenta exceptis Trochiſcis* quorum *unum alterumve extra ſcamnum* maſticet. Dum *hac cura utitur*, horâ ſomni *nulla alia remedia* ſumat ac *omnia topica* omittat.

Extra hanc curam tempore induciarum ſumere *per intervalla* poſſet ⊖ *aliquod volat. alkalin. non tamen quotidie* , nec *Trageam* improbo : *Aqua Ungarica* tantum valet , quantum *alii ſpirit. ol. unguenta*, id eſt nihil, quia locum affectum non attingunt. *Frictiones* tamen non negligerem , cum ſpirituum animalium influxum promoveant & à capite humores p. n. derivent.

In victu vitet potiſſimum piſces, cochleas, paſtas farinaceas : carnes coctu difficiles adultorum animalium : ſuillam fumo induratam & ſalitam : fructus crudos, acetaria. Licet tutò cibos citr. aut aurant. parùm condire ; abuſus ſolus nocet, ut quoque nimis ſaccharator. & mellitor. item aromatizatorum & ſalitorum. Bibat vinum diureticum non valde ♀ratum, maturum, diluat illud *decoct. rad. chinæ aut lign. lentiſc.* Vitet ſomnum pomeridianum. Corpus ſubinde pro viribus exerceat. Animi pathemata pro virili excutiat : animum ſuavi alloquio exhilaret. Alvus aperta ſervetur. *Pectinatio cum pectine buxeo* aliquibus multùm profuit *cum frictione capitis : pulvis errhinus* aliquid opis, uti apud aliquos obſervavi, adferre poſſet. *Maſticatoria* non rejicienda.

Deus T. O. M. hæc ſalutaria eſſe jubeat!

Scaphuſii 1691. *d.* 23. *Febr.* Joh. Jacob Wepfer, M. D.

Die 1. *Martii* 1691. *ſcribit ſe Literas cum Conſilio benè accepiſſe ;* Nunc caput non parum gravatum & ſemper nebulam oculis obverſantem ſentit ; & quamvis os non amplius tàm diſtortum appareat, & vix agnoſcatur, quando non loquitur, ridet aut os commovet ; tamen tunc magis animadvertitur : quandoque manifeſtè vertiginem experitur. Nunc poſt prandium atque cœnam utitur *Tragea D. D. Stangii* ℞. *Elæoſacch. c.* ℥iij. *pulv. Ægagropilæ* ℈iiij. *conf. alk. c.* ʒiij. *Eſſ. Ambr.*

 ſicc.

ſicc. ℈*j. ſacch. alb.* ℥*iij. Mſc. F. pulv. Miſit ſimul Conſilia D. D. Bilgeri Campodunenſis & D. D. Köfferlini Conſtantienſis.*

Illuſtriſſimi D. Baronis N. N. Affectum quod concernit, illum deſcribit *Timæus à Guldenkleé*, quem *D. Medicus ordinarius*, qui morbi ſpeciem dexterrime concepit, deductionem etiam cauſarum & curationis methodum *juxta hanc obſervationem* dirigebat, imitatum penitus fuiſſe videtur, id quod in omnibus approbo, ſuſpicans tamen, quod *D. Medicus aſſiſtens* ad continuationem curæ pro maſſæ ſanguineæ correctione uſum *Diaphoreticorum* commendet, quod mihi placet. *Illuſtr. D. Baro* ad plenariam reſtitutionem, cum omnes Paralyſis ſpecies curatu ſint difficiles, *efficacioribus* adhuc *remediis* habebit opus; imprimis autem, cum primaria & potior hujus mali indicatio requirat, ut lympha viſcida ſeſe in cavitates & canaliculos nervorum inſinuata, quæ influxum & tranſitum ordinarium ſpirituum impedit, & exortâ deſuper nervorum & muſculorum reſolutione hanc diſtorſionem oris excitat, *per remedia nonnulla ſpecifica reſolventia* radicitus tolli & per emunctoria debita educi poſſit. Si anni tempus *Acidulis* uti permitteret, exoptatus inde effectus ſperari liceret, uſque dum vero hoc appropinquat, *ſudorifera* in uſum ducenda erunt: *Decoctum à D. D. Medico Ord. propoſitum* bonum equidem eſt, opinans tamen, quod ad ſcorias viſcidas ſalſo-acidas in ſanguine fluctuantes efficacius & melius reſcindendas, ſimulque materiam morbificam parti affectæ impactam derivandam, ex conſequenti etiam affluxum ad hunc locum impediendum, *infuſum chalybis ſingulariter præparati ad* 8. *vel* 9. *dies* uſurpatum huic ſit præferendum, exſpectando ſemper ſudorem abhinc. *Cum externis* autem parti affectæ applicandis, *ut ſpir. nervino, Cucupha, ſacculis,* juxta *cum internis refectivis* continuandum, quibus denique cum fructu *Veſicatoria* jungi poſſent.

Deus omnibus Conſiliis benedicat.

Campoduni d. 20. *Febr.* 1691. Joh. Fridericus Bilger, M. D.

Oris diſtorſionem, quam *Reverendiſſimus & Perilluſtris Dominus* paſſus eſt, non à convulſione ſed muſculorum dextræ faciei partis paralyſi (quod ex partis illius mollitie ac propendentia colligi potuit) ortam eſſe arbitror. Idcirco *Dominus Medicus* opportune *præmiſſis univerſalioribus & dein adhibitis remediis revulſivis* inſtitit, iiſque *Cephalica* addidit, cum autem necdum ceſſarit diſtorſio, nec loquela adhuc ſit libera: ideo *volatilioribus*, ut acidum illud nervos contrahens ſenſim corrigatur,

tur, ac ſimul *Topicis* inſiſtendum eſſe judico. Ac imprimis, ſicut ab initio *Vomitorium*, me multoties experto, majorem curæ paginam adimpleviſſet, ita ſi *Domino Medico adſtanti* id adhuc conſultum videbitur, adhiberi poſſet. Deinde pro udore ſive etiam ſudore obtinendo mihi *remedium ſequens cephalicum & nervinum* familiare eſt: *ſal nempe majoranæ vel ſalviæ volatilis, cujus deſcriptionem juris publici feci in Tractatu de ſpiritibus; quod ſi hic ſal ad manus non habeatur, illi poterit ſubſtitui ſal ♀ri volatile probe cum ol. major. permixtus.*

℞. *⊖ ♀ volatil. rectificatiſſimi ℥j.*
Ol. deſt. majoranæ quantum ad ejus ſaturationem ſufficit, quod guttatim inſtillandum unà cum ſale in mortario tamdiu ſubigitur, ut oleum eidem omnino uniatur.

℞. *Hujus ſalis ℈j. aq. majoranæ ℥ij. conf. alk. c. ℈j. Mſc. pro una doſi mane in lecto ſumenda.*

Simile quid præſtant *flor. ⊖ ✱ cum lapide hæmatitide ſublimati & cum oleo majoranæ uniti.*

Si udor inſtet, accipi poterit *de ſequenti Conſerva.*

℞. *Conſerv. flor. anth. Majoran. āā ℥ij.*
♃. ſuccin. ambr. āā. ʒß.
Nuc. moſch. condit. ℥ß. Mſc. F. Conſerv.

Tinctura olei caſtorei vel aqua Reginæ Hungariæ c. aliqua aqua cephal. permiſta in ore detineatur & rurſum exſpuatur.

Tempora & faciei pars læſa multoties fricentur *Aq. Reg. Ungar.* ac iiſdem applicetur *Emplaſtrum de Tacamahaca cum Opobalſamo vero liquido malaxatum*, cui *parum Therebinthinæ Chiæ*, ut tenacius adhæreat, pro lubitu admiſceri poteſt: *impoſitum hoc emplaſtrum* ac ſubjacens hæc læſa pars vinculo ſuperius trahatur, ac eodem ad aures firmetur, ut ſic facies in debitum ſtatum redeat: *Huic emplaſtro frequenter imprimis noctu* imponi poſſunt *linteamina calida*, vel quod eſt melius, *veſica aquam juſte calidam continens. Cætera induſtriæ Domini Medici adſtantis committantur.*

Conſtantiæ d. 21. Febr. 1691. Joh. Henricus Kôfferlin, M.D.

Ad has & Conſilia tranſmiſſa reſpondi
Die 10. *Martii* 1691.

CApitis aggravatio, nebula oculis obverſans & vertigo, ſigna ſunt lympham intra cranium ſtagnare, indeque ſecundum nervos affectos delabi, ibique ubi egrediuntur ſtagnare ac hos comprimendo influxum & tranſitum ſpirituum ſufflaminare. Qualis autem ſit lympha ſe thecculis nervorum læſorum inſinuans illisque inhærens, an acido-ſalina? num verò ſimilis ſaniſſimorum, abundans ſale volatili alcalino aut mixto? non certò conſtat. Ad hunc ſcrupulum eximendum ſerum ſanguinis, cujus hæc ſoboles eſt, aliquando V. S. emiſſum explorari poterit. Illam ex morâ diuturniore viſcidam factam fuiſſe, non dubitandum eſt, quod ſemper lymphæ evenit, ſi in loco calido diu detineatur, ſemperque novâ parte jam dilatatâ accedit, eoque magis, ſi intra cranium adhuc ſtagnet, quod ita ſe habere cognoſcitur ex capitis gravitate, nebula oculis obverſante & vertigine: in cranio extravaſatam exiſtimo, non ob peculiare vitium lymphæ, ſed ob mœrorem indeque obortas vigilias, varios ingenii labores diu durantes & hæreditariam diſpoſitionem: nam *Dominus Parens* Apoplexiâ obiit. *Infuſum chalybis peculiariter paratum* non rejicio, quia talia viſcida attenuat, uti manifeſte patet in chloroſi. *An acidulæ ſuadendæ? dubito: certe caute ſuadendæ, quia ab illis lympha intra cranium augeri poſſet, ut apud Nautam noſtratem & in Canonico quodam Conſtantienſi ab acidulis Deinaccenſibus factum, à quibus ille cœcitatem, hic Apoplexiam contraxit.* Capite pleno & malo jam diu durante *Vomitorium* vix amplius ſuaderem, quod in primo inſultu potenter revellit: malo adulto plus humoris ad locum affectum pellit & Apoplexiam accelerat.

⊖ *volatile Majoranæ ſive cum* ⊖♀ *volat. ſive cum* ⊖✳ *cum lapid. Hæmat. ſublimat. & in* ▽ *majoranæ ſolutum poſt curam ſudoriferam* non improbo. Frictio nuchæ utilis, faciei non multum præſtabit, nec multum juvabit *Emplaſtrum aut veſica applicita.*

Affectus *Reverendiſſimi & Perilluſtris Domini*, qui *in conſultationem* hactenus venit, ubi optime Paralyſis ſive reſolutio maxillæ inferioris & partium ei vicinarum in parte dextra à ſero in nervis motui illarum inſervientibus ſtagnante inducta, nominatur: ita curationem poſt bene mundatum jam à vitioſorum humorum ſarcina corpus, per diaphoreſin ſive ſudationem peragi debere, recte concluditur, quâ nempe ſerum hoc per moram iſtam viſcidius redditum attenuatur, atque iterum in motum naturalem deducitur, vel etiam per poros corporis diſcutitur, *propoſitum* autem *lignorum decoctum* non tantum ſcopo huic exacte

exacte ſatisfacere; ſed etiam *Balſamicâ* ſuâ virtute ipſam ſanguineam maſſam & partes nervoſas corroborare valet; nec periculi, *à ſolo ſalium volatilium crebriori uſu* in hoc ſubjecto, non plane contemnendi metui exponit. Modus tamen ſudandi, quinam eligendus ſit (cum id præcipue à me requiratur) paucis expendere neceſſe eſt: ubi quidem *ille ſupra ſcamnum ſingulariter fabrefactum ab Excell. D. D. Wepfero deſcriptus*, ſatis ſeſe commendat, & pro iſtis, quibus corporis inter ſudandum quies vel decubitus gratior aut neceſſarius eſt, admodum commodus cenſendus; cum tamen *Perilluſtri Domino Patienti* non adeò arrideat, haud minori cum utilitate & ſecuritate *in domunculâ aliquâ artificiosè conſtructâ*, cujus *erga Nobiliſſimum Dominum Medicum Ordinarium* mentionem feci, inſtitui poſſet, præſertim cum in illa calor *pro Ægroti voluntate*, robore & neceſſitate augeri vel minui commodiſſime queat. Nollem quidem illum *Coriariorum Laconicum* hic improbare, cùm reſinoſæ, maxime penetrantes & reſolventes corticum arboreorum exhalationes ad materiam peccantem alterandam magnum momentum adferant, cum tamen hoc anni tempore, quod aëris humiditate & frigore ut plurimum infeſtum eſſe ſolet, non tutè ſatis in uſum ducatur, quia corporis pori à ſudore peracto patuli, facile ab iſta aëris inæqualitate, vix ſatis evitandâ, denuò conſtringuntur, lympha in motum naturæ debitum per ſudorem deducta rurſus coagulatur, ſicque vel curæ eventus incertus ac difficilior redditur, vel etiam graviora damna exſurgunt, illum *in Domuncula dicta aliave* peragendum, huic præferendum jam eſſe exiſtimo, ſimulque lætiſſimum curæ ſucceſſum ut divina clementia largiatur, humillime voveo.

Auguſtæ Vindelicorum die 3. *Mart.* 1691.

Lucas Schrökius, M. D.
Archiater & Com. Pal. Cæſ. Reip. Patriæ Phyſicus Ordinarius.

Magnifice atque Excellentiſſime Domine, Fautor & Collega Venerande!

HIſce verò de ſtatu *Perilluſtris Domini Baronis* pauca referre volui, Paralyſin nempe illam in facie dextri lateris hactenus, per Dei gratiam, magnâ ex parte eſſe ſublatam, ita ut tantùm inter loquendum oris verſus partem ſiniſtram aliqua fiat retractio, cæterum ſatis benè valeat. Antequam autem *ipſum prælaudatum Dominum* videre mihi contigit, mentem meam *de cura ſudorifera, in domuncula vel Laconico Coriariorum inſtituenda* explicare, idque pauciſſimis, juſſus fui, quod etiam ſine mora præſtiti, præſertim cum nec *prolixiori* opus fuerit *Con-*

ſilio

ſilio, qui *Tuo* penitus non potui non ſubſcribere, ſicque alias *noctuas potius Athenas* tuliſſem. Quia vero morbus jam notabiliter adeo remiſit, ſudationem in lecto tentare libuit, quem in finem *Decoctum Tuum, per infuſionem & ſubſequentem in vitro*, *cui Alembicus erat impoſitus*, *decoctionem*, quo ſcil. pars ſubtilior per Alembicum tranſiens reaffundi poſſet, paratum fuit, parumper ſaltem *ex alio Timæi à Guldenklee, quod nempe D. D. Dürrius noſter* commendaverat, mutatum; cujus effectum felicem, ut brevi perſcribere liceat, animitus opto, ſimulque *Tuo perennanti Favori*, *cujus in literis ad Perilluſtrem Dominum Baronem*, *magnum & certè multò quàm merear majus indicium dediſti*, *me perofficioſe çommendo. Vale. Auguſtæ Vindelicorum* 18. *Martii* 1691.

Lucas Schrôkius, M. D. &c.

Sequens Conſilium Româ mittebatur, & d. 10. *April.* 1691. *mihi communicatum eſt.*

DE affectu præter naturam, quo *Illuſtriſſimus Dominus Baro* detinetur, ejuſque cauſis, ac Geneſis modo ſubſcribo judicio deſcripto *â D. D. Doctoribus.* Circa curationem hucuſque factam nihil aliud dicendum ſupereſſe mihi videtur, niſi quod approbem & laudem. Interim ſpero præfatum affectum *ope remediorum hucuſque adhibitorum* haud modice refractum quotidie magis domitum iri, quo plus aer ab iſtius radiis ſolaribus incaluerit, quia ſicut frigidum nervis inimicum ita calidum amicum, & acidi incuneati diſgregativum, hanc autem diſgregationem ſeu diſſolutionem promptius promovebunt *ſudorifera remedia, ſcil. decoctiones ex lignis viſci quercini*, *ſaſſafr. & ſantali citrini per menſem circiter propinandæ & vigorandæ pulvere viperino ad doſin* ʒß. *vel cum* ℞. *caſtorei vel cum ſpir. C. C. vel ſimilibus* : & mox ſudores de more eliciendi ſunt intra machinam adaptatam, & cooperientem totum corpus præter caput, calefaciendamque cum flamma ſpiritus vini accenſi. Et hæc ſatisfactura mihi videntur pro debellando dicto affectu priſtinaque valetudine reſtituenda. Cum dedeceat plura dicere ſuperflue & ad pompam, quia ſapientibus pauca, & morbi non curantur eloquentia, ſed remediis.

Romæ d. 17. *Martii* 1691.

Antonius Placentius,
Archiater Romanus.

Die 18. *Junii* 1691. *Reverendiſſimus & Perilluſtris Dominus Auguſtâ Vindelicorum ſcribit*, *ſe in ſtatu eſſe*, *ut Auguſtâ Conſtantiam proficiſci valeat.*

valeat. Excellentiſſimus D. D. Schrökius addit Illum ita convaluiſſe, ut rurſus ſuo officio fungi valeat.

Die 26. Junii 1692. Ipſe Reverendiſſimus ac Perilluſtris Dominus Baro me hic Scaphuſii convenit: diſtorſio nulla obſervatur niſi rideat, eaque pauca: ſentit aliquem tractum à nucha ad labium. Cæterum ſe ſanum eſſe & de nulla alia moleſtia conqueri dicebat.

Commendavi *uſum pulv. ex ſpec. contra Apoplex. Auguſt. & ſpecif. cephal. M. ſingulis lunæ quadris* præſervationis gratiâ: *Trageæ: Trochiſc. &c. Frictiones* porro admittat.

Ad annum 1694. ſanus vixit; circa principium hujus anni Illum compellavit D. D. Brunner Auguſtæ Vindel. dum medebatur Illuſtriſſimo Domino de la Tour &c. atque bene valentem reperit. Menſe Maji 1694. Apoplexiâ fortiſſimâ ſubitò ſuperveniente paucis horis mortuus eſt.

OBSERVATIO CLI.

Loquelæ Impedimentum.

R*Everendiſſimus D. N. Viſitator Generalis Conſtant.* 31. annor. à puero literis deditus: à ſeptem vel octo annis, graviſſimis & tædioſiſſimis negotiis occupatus fuit. Itinera plurima, quovis cœlo peregit, quo tempore plures errores in victu, potu commiſit. Jam à quatuor menſibus & ulterius animadvertit difficultatem quandam in loquendo. Nam poſtquam ex itinere moleſtiſſimo domum præterito vere rediiſſet, mane ſenſit linguam graviorem, & ex continuatione ſermonis longioris laſſam & madidiorem fieri, ut ægre *Latina* legere potuerit: quando vero tarde & *Germanice* loquebatur, non uſque adeo advertebatur. Unde & *medicamenta* neglexit, ſperans, brevi ſua ſponte hoc ſymptoma ceſſurum, utpote à defluxione originem habens, cum tota hac æſtate crebras defluxiones, imprimis mane, perpeſſus ſit, quæ protinus remiſerunt ſemper. Jam à menſe præter opinionem, loquelæ hoc impedimentum incrementa ſumpſit, ut jam ægrius & *Latina* & *Germanica* pronunciare valeat, & non, niſi dentibus fortiter compreſſis ſeu conſtrictis, voces edere poſſit, quod ipſi & auditoribus permoleſtum eſt. Si ſermonem diutius protrahat, in fronte dolet, quod linguæ inſolito labori & dentium conſtrictioni tribuit: inſuper in utroque latere mandibulæ fragorem inter loquendum percipit, ac ſi ſemiluxata eſſet mandibula inferior. Unde quoties loquendum eſt, admodum angitur. In itinere *Medicum* conſuluit, qui

Fonticulum in brachio ſiniſtro excitavit, deditque *pilulas cephalicas, balſamum cephalicum, gargariſma, aquam cephalicam*, ſed abſque effectu. Quoties enim loquendum eſt, id per conſtrictos dentes faciendum eſt, cum moleſtia maxima, ut ægre intelligi poſſit: niſi inter dentes vel calamum ſcriptorium, vel chartam, aut linteum convolutum, aut lignum interponat, ne tam arcte dentes ſtringantur: tum enim facilius loqui, & melius intelligi poteſt: verum tunc crebro exſpuendum eſt, & lingua permadeſcit. *Not.* Maxilla inferior magis verſus latus dextrum trahitur, ac dentes colliduntur, cum aliquo ſtridore inter loquendum. Ingruente hyeme veretur gravius malum: putat ſe ſanguineum & melancholicum, nam ſcribit ſe timidum, anxium, apprehenſivum, flatibus ſcatentem, ſæpe ſumpſit *purgantia & roborantia; bis* domi uſus eſt *acidulis*: *ſemel* interea *Vena ſecta eſt.* Urina tincta apparet & mutabilis. Noctu æſtuat, ut quandoque præ æſtu non bene dormire poſſit. Raro ſitit, ante prandium nunquam. Ob ſymptoma linguæ fugit hominum conſortia, vitamque ſolitariam & ſedentariam vivit. Toto vitæ curſu nunquam ægrotavit, quamvis in aula inordinate vixerit, & graves labores perpeſſus ſit. *Die 29. Sept.* 1668.

P. S. Mane ſurgens aliquandiu utcunque commode, etſi tarde, loqui poteſt, abſque eo, quod dentes fortiter comprimantur. Interdiu dum nil intra os tenet dentibus impoſitum, & vero eorundem compreſſionem inter loquendum vi ac ſtudio impedire conatur, vix unum alterumve verbum clare ac diſtincte proferre poteſt, multo minus integrum ſenſum promere, ut bene intelligatur, lingua continuo quaſi gravata & ſaliva abundante, ex quo judicat *Patiens* in ipſa etiam lingua defectum eſſe. Auris ſiniſtra ab aliquot ſeptimanis continuo ſic tinnit, ut in ea prope nihil audiat *Patiens.*

Reſponſum Medicum.

Locus affectus videntur nervi ſeptimi paris vulgo ſic dicti, qui motum impertiunt linguæ: quia dentes ſtringuntur inter loquendum, unde loquela minus intelligibilis efficitur, procul dubio etiam nervi, qui ad maxillæ inferioris muſculos pertinent, ut & ad labiorum muſculos deſinentes nervi læſi ſunt. Nam & dentes & labia obſequioſo & prompto motu ad conſonantium imprimis formationem ſymbolum conferunt, quod *apud Reverendiſſimum Dominum* non fit, conſtrictione impediente, quæ juvatur, ſi aliquid dentibus interponatur. Affectus linguæ aliquid paralytici ſapit, & dentium conſtrictio quoque paralyſi incipienti potius quam motui convulſivo maxillæ inferioris muſculorum tribuenda videtur: in qua maxillæ inferioris muſculi deorſum

ſum

ſum trahentes invalidiores ſunt ſurſum trahentibus, & os claudentibus: nam ſi motus convulſivus adeſſet, non tam facile os aperiri poſſet. Fragor circa articulum maxillæ inferioris indicio eſt, & articulum illum præter naturam ſe habere, ac muco impletum. Cauſa proxima hujus ſemiparalyſis linguæ & muſculorum aperientium os, eſt ſerum, quo nimium, quam decet, nervi illorum irrigati ſunt, quod prægreſſi catarrhi, & lingua admodum madida & crebra ſputatio ulterius confirmant. Cauſæ antecedentes ſerum, illud cumulantes in capite, ad nervos concitantes ac his nervis impingentes, variæ eſſe poſſunt; ſcil. omnia, quæ cerebrum humoribus implent: ut ſunt diætæ errores, ſtudia aſſidua, & intenſæ meditationes &c. quæ ſerum fundunt, ut itidem labores cerebri, itinera cœlo vel nimis fervido vel nimis algido, potus vini generoſi ſulphurei &c. impingunt nervis, imprimis frigus intenſum, cervicem feriens, aut madefactio colli, non probe contra frigus & imbres muniti.

Hujuſmodi ſemiparalyſes in Senibus, qui Cerebri conſtitutionem multis erroribus debilitarunt, & in ſomniculoſis prodromi ſunt gravioris mali: quia vero *Reverendiſſimus Dominus* adhuc juvenis eſt, nunquam ægrotavit, non ſomniculoſus eſt, & cætera ſanus, hanc ſemiparalyſin non niſi particularem exiſtimo, ſalvo cerebro, nervis his ſolum cauſæ externæ culpâ læſis, collo non bene contra injurias aëris munito, & in tot ac tantis itineribus diu continuatis, pluribus læſionibus expoſito. Ideo affectum minus periculoſum judico, quamvis paulo difficilior curatu ſit, cum *medicamenta* ægre ad locum affectum pertingant, & ad curationem & remotionem cauſæ proximæ, quies & fuga adverſi aëris requiratur, quibus *Reverendiſſimus Dnus* vix, officii ratione, ſatis vacare poteſt.

Indicationes & ſcopi in curatione præcipui obſervandi ſunt: primò ſerum in tota maſſa ſanguinea imminuendum, evacuandum, & ſimul à cerebro avertendum. Secundò, quod altius ſe nervis inſinuavit, circumcirca collum & in faucibus, diſcutiendum, & una opera nervi roborandi ſunt. Tertiò, proventus ulterior ſeri, & nervorum iteratæ læſiones ſtudioſe caveantur. His ſcopis ſatisfit *auxiliis ex Diæta, Pharmacia & Chirurgia petitis. In Diæta* imprimis collum muniendum inpoſterum contra frigus, quod collaribus pelliceis ex collo cygni, marte &c. præſtatur. In cibis fugiendi illi, qui caput replent, ut ſunt cæpæ, allia, raphani &c. quæ ſerum augent, ut fructus crudi, lactuca, lacticinia, braſſica muria condita, piſces plerique, carnes adultorum animalium: difficilis coctionis, pravi ſucci, utpote carnes ſuillæ, ovillæ, ſalitæ, fumo induratæ &c. Nocet ſomnus pomeridianus, nimium otium, alvi pertinax occluſio.

Ex Pharmacia, Reverendiſſimus Dominus ſemel in ſeptimana duabus horis à parca cœna ſumat *de pilulis* ℈j. *aut amplius.* De cætero utatur etiam *morſellis, mixturâ corroborante, Saccharo roſaceo cum theriaca ; ad noctem, linimento, balſamo cephalico, ac denique gargariſmate, & radice pyrethri pro maſticatorio*, quæ omnia ſic ſe habent.

℞. *Extract. Cochiarum.*
Aurearum ãã. ℈ij.
Ellebor. nigr. gr. x. Caſtor. gr. iij.
Lign. aloës extract. gr. iiij
Mag. Jalapp. gr. vj.
Ol. ſuccin. gtt. ij.
Formentur cum ſpir. ceraſ. Pilulæ No. 51. *inaurentur, aſpergantur pulv. ſantal. citr.*

℞. *Spec. diambr.*
diamoſch. dulc. ãã. ʒß.
contra Apoplex.
diarrhod. Abbatis ãã. ℈ij.
Succin. albi ppt. ʒß.
Extr. lign. Aloës gr. iiij.
Conf. Alkermes compl. ℈iiij.
Ol. Nuciſt. expreſſ. gr. vj.
Conſerv. fl. Anth. ℥ß.
Ambræ gryſeæ in ſp. ceraſ. ſolut. gr. iiij.
Sacchar. in aq. betonic. ſol. ℥vj.
F. l. a. Morſelli ſeu Tabulæ.

℞. *Aq. betonic.*
bugloſſ.
paralyſ
verben. ãã. ℥iß.
Eſſent. Ambr. ℈j.
Ol. roriſmar.
majoran. ãã. *gt. j.*
Confect. Man. Chriſt. perlat. ℥ß.
Mſc. F. Mixtura cephalica.

℞. *Conſerv. roſar. rubr. rec.* ℥iiij.
majoran.

Anthoſ.

Anthoſ. ãã. ℥j.
Theriac. Androm. antiq. ʒij. Mſc.

℞. *Unguent. nervin. ℥j.*
Ol. Lumbric. terreſtr. ʒiij.
Balſ. Mynſicht. ʒj.
Axung. homin.
caſtor.
vulp. ãã. ʒiß.
Ol. Nuciſt. expr. ʒj.
Mſc. pro Linimento.

℞. *Ol. Nuciſt. expr. ʒj.*
Lavend. gutt. ij.
Succin. Major.
Anthoſ. Rutæ ãã. gutt. iij.
Balſ. Apopl. gr. x.
Mſc. pro Balſ. Cephalico.

℞. *Lign. ſanct. ℥j.*
Rad. pyrethr. ʒij.
Caryophyll. ʒiij.
Fol. ſalv.
Roriſmar.
Majoran. ãã. Mj.
Flor. beton.
roſar.
ſalv. ãã. P. j.
Cubebar.
Caryophyll. ãã. ʒß.
Maſtich. ʒiij.
Inciſ. & contuſ. coq. in ℔iiiß. aq. font. ad menſ. j. conſumptionem. colaturæ adde
Mellis roſat. colat.
Anthoſat. ana. *℥vj.*
Mſc. pro Gargariſmate.

℞. *Rad. pyrethr. mund. ℥ß.*
D. ad Ch.

Ex Chirurgia, ſi malum pertinax foret, prodeſſet in altero brachio *fonticulus:* niſi vita negotioſa obſtaret, conduceret *Setaceum,* verum ineptiſſimum eſt & valde oneroſum iter facientibus. *Venæſectio* quidem ſanguinis copiam imminueret, ſed forte non tantum beneficium conferret, quantum forte ſperabitur. *Scarificatio triduo ante novilunium, tribus cucurbitulis dorſo & utrique cubito unà affixis* plus prodeſſet. *Veſicatoria poſt aures applicita,* egregie à nervis læſis ſerum avellunt; verum nondum ad illa deveniendum arbitror, & hæc hac vice ſufficiunt. *Die* 14. *Octobr.* 1668.

Joh. Jacob. Wepfer, M.D.

Conſilium ſequens ipſi ſuppeditatum eſt à Clar. D. D. Medicis Electoralibus Bavaricis.

AFfectum, quo *Reverendiſſ. Dominus* ab aliquo tempore detinetur, reduci poſſe exiſtimamus ad paralyſin, non nervos tantummodo, qui motum inſtrumentis loquelæ impertiunt, ſed etiam linguam, illiusque & partium vicinarum muſculoſas partes afficientem. Lingua ſane cum ex ſubſtantia carnea, ſpongioſa conſtet, facile humidiores ſuccos, undecunque etiam copioſius ingruentes, imbibit, retinet atque vicinis partibus liberaliter ſubminiſtrat, non ſine magno vocis & ſermonis impedimento. Unde *Galenus Lib.* 7. *de compoſ. Med. Cap.* 5. *Vocis organa,* inquit, *cum ab humiditate vehementius, & ut ægre ſolvi poſſint, fuerint madefacta, vox intercipitur: quando vero moderatius ſunt humectata, raucedo oboritur.*

Ac licet *in Reverend. Domino* dentium conſtrictio aliquando, eorumque colliſio cum aliquo ſtridore ſuſpicionem nobis injiciat, motus alicujus convulſivi: credimus tamen & *judicio doctiſſimi Medici Wepferi conſulentis* aſſentimur, inferioris maxillæ muſculos deorſum trahentes invalidiores eſſe, quam de facto ſint muſculi ejuſdem maxillæ ſurſum trahentes & os claudentes: atque adeo opinamur, inferioris maxillæ muſculos deorſum trahentes, magis à cauſa morbifica irrigatos, & exin robore ſuo deſtitutos, laxitate imbecilliores eſſe.

Præterea cum videamus, maxillam inferiorem magis trahi ad latus dextrum, non dubitamus, muſculos maxillæ illius in parte dextra ſitos, univerſim nondum adeo à cauſa morbifica affici, ſed naturali temperie adhuc firmiores, ſubjectam ſibi maxillam attrahere violenter: muſculis ex adverſo, in parte ſiniſtra poſitis, & ob nimiam laxitatem languidis, imperium neceſſario ſequentibus. Ita namque à

natura

natura comparati ſunt muſculi omnes, ut niſi illorum proprium robur, à ſemetipſis ſibi pari virtute à natura ubique oppoſitis, temperetur; mox ſuis inſita virtute ſe contrahentibus fibris, annexa ſibi quæque pro viribus, etiam contra voluntariam animalis directionem ad ſe pelliciant.

Verum quod inferioris maxillæ muſculos in parte dextra collocatos à convulſione abſolvamus & locum affectum, ipſiusque morbi eſſentiam, in mollitie potius & humidiori laxitate inſtrumentorum vocis præcipue vero ex parte ſiniſtra ſitorum reponamus? cauſam addimus, cum quod ſi motus convulſivus adeſſet (ſicuti *Medicus conſulens D. D. Wepfer* recte iterum ſentit) non tam facile os aperiri poſſet: tum quod tinnitus ac totalis fere ſurditas auris ſiniſtræ, ab aliquot ſeptimanis continuus, nobis perſuadeat, majorem in illo latere humiditatum acervari colluviem.

Cauſa itaque eſt colluvies ſeroſa, non ſine muco pituitoſo commixta: quam, probabile eſt, tum à toto, tum vero potiſſimum ex capite in hæc vocis inſtrumenta prope adſita decubuiſſe. Neque hoc mirum videbitur illi, qui *Reverend. Domini* temperamentum, conditionem, incommoda, commiſſos in victus ratione errores, probe examinaverit. Omnia enim in id conſpirant, ut *Reverend. Vir* à puero literis deditus, communi Literatis fere omnibus malo (quod acidulis jam bis adhibitis mitigare ſine dubio tentaverat) vexari videatur: illo nempe, in quo hypochondria ob latentium viſcerum fervorem æſtuant, ob ventriculi viſcerumque naturalium laborioſam coctionem, inquietudines & æſtus nocturni turbant. Urinæ aliquando tinctiores apparent, cruditates & ſeroſa colluvies aggregatur, flatus copioſi ſuſcitantur, aures tinniunt, caput humiditatibus & vaporibus repletum defluxionibus perpetuo fons opportunus evadit.

Caput profecto, quod in hoc *Viri Reverendiſſimi* temperamento calidum humidum ſuſpicamur, & ob frequentes graviſſimosque animi labores (ut victûs rationem taceamus) vehementius exæſtuans, tanquam ſpongioſa aut glanduloſa Subſtantia, vel *ut Hippocrates loquitur*, magnæ inſtar cucurbitæ ventri impoſita, vappidos crudioresque humores à ſubjectis viſceribus partim attrahit, partim recipit, partim denique ipſummet per congeſtionem cumulat: per venas deinde *Venarum vomitum Hippocrates vocat*, in ſubjectas partes effundendos.

Quod vero caput *in Reverendiſſ. Viro* ad linguam potius nervos & muſculos inibi ſitos ſeſe exonerarit? haud facile dixerimus: facit quidem aliquid partium harum capiti ſubjectarum vicinitas: poteſt ſine dubio multum culpa illa *à Clariſſimo Medico Wepfero ſupra conſulente*

lente allata, quod collum non bene contra injurias aeris in tot ac tam continuatis itineribus, munitum fuerit: attamen ſi vinis generoſioribus ſulphureis, multo viſcoſo tartaro imprægnatis, capiti & nervoſo generi admodum inimicis, cauſam ex parte tribuerimus, forſan non multum aberrabimus: penetrat illud nervoſas partes, in easque excrementa ſanguinis ſecum vehendo, deponit. Hinc credibile eſt, non ſerum ſolummodo, ut ſupra monuimus, ſed ſanguinem quoque crudiorem, pituitamque lentam nervoſas has & muſculoſas partes altius inſediſſe.

Cæterum ad alia ſymptomata in literis deſcripta, & hactenus à nobis nondum explicata, quod attinet, paucis reſpondemus. Primò Fragor quem *Reverend. Vir* in utroque latere mandibulæ inter loquendum percipit, mucoſæ humiditati adſcribendus eſt, ipſam articulationis cavitatem occupanti, ligamentaque laxanti. Secundò frontis dolor, poſt ſermonem diutius protractum, moleſtans, non male *à Reverend. Patiente*, linguæ inſolito labori, dentiumque præcipue adſtrictioni tribuendus eſſe putatur, muſculis nervisque haud difficulter conſentientibus. Tertiò quod *Reverend. Vir* nuper, incipiente hoc affectu, *Germanicas voces* facilius quam *Latinas*, augeſcente vero morbo utrumque idioma ægre pronuntiare potuerit, ſine dubio poſterius hoc linguæ, magis ſemper magisque præter naturam humectatæ, & ad loquelam ineptæ, adſcribendum eſt: prius vero nativæ organizationi dandum: certum enim eſt, cujusque nationis homines vocum inſtrumenta ita habere diſpoſita, ut nativas voces promptius, exteras vero difficulter, imo aliquas nullatenus pronunciare & exprimere poſſint. Quid igitur mirum, ſi *in Reverend. Viro Germano* ſermonis inſtrumenta labefactata, *Latina vocabula* ægrius, quam *nativa & Germana* proferre potuerint.

Porro quod mane *Reverend. Vir* commode etſi tarde, interdiu vero nullum verbum dare, ut intelligatur, pronunciare poſſit, præcipuè ſi nihil in ore teneat dentibus impoſitum, reſpondemus, certum eſſe de humiditate aliquid in parte læſa per quietem de noctu conſumi, unde liberior tempore matutino locutio: lingua vero interdiu motu & loquendi conatu incaleſcens, facile iterum attrahit, imbibitque abundans ſeroſum phlegma, quod à capite aliisque partibus copioſe affluit, moleſtiſſimæ ſubſequentis ſalivationis materia.

Interim cum nondum alte ſit defixa malorum radix, *Reverendiſſ. Patiens* juvenis virium robore valeat, actiones internas Principes peragat omnes ſine noxa, remedia generoſiora & experta nondum adhibuerit, & demum mollificatio potius & incipiens paralyſis, quam totalis

talis linguæ annexarumque partium facta ſit reſolutio: firmam, faventе Numine, ſperamus ſanitatem, atque tanto minus dubiam, cum non dubitemus *Reverend. Virum* eam habiturum *à Clariſſimis Medicis* adſiſtentiam, qualem hæc diuturna & aliquando contumacia mala requirunt. Poſſunt quidem abſenti ægro conſignari in ſcriptis plurima quæ *à præſente* tamen *Medico*, longo uſu & firmo judicio commendando, pro varietate circumſtantiarum, vel immutantur vel rectius quam ab abſentibus adminiſtrantur.

Noſtra itaque opinio eſt, ut *Reverend. Viro* duplex quodammodo medicatio adhibeatur: una, quæ hoc tempore hyemali, altera, quæ proximo imminente Veris tempore peragatur. Præſervatio ſeq. modo inſtituenda, primo abſolvitur per diætam, ſeu ſex res non naturales *à Medicis* appellatas, ſunt autem aër ambiens, cibus & potus, ſomnus & vigiliæ, excreta & retenta, motus & quies, animi affectus: quæ niſi perquam exacte obſerventur, irrita ſunt *reliqua omnia*, quæ adhibentur, *remedia* malo utplurimum altius agente & propagante radices.

Aer temperatus ſit ad caliditatem parum & ſiccitatem declinans: calidus in hypocauſtis, igne vehementer ſuccenſo, caput onerat, atque humiditates reſolvendo deſtillationes auget: fugiendus eſt humidus, ventis vel nebulis turbidus, frigidus aer: nam ut aquilonius flatus adſtrictione & expreſſione, inſtar manus ſpongiam aqua plenam exprimentis deſtillationes concitat, ita & è contrario fundendo & liquando Auſtrinus movet capitis excrementa. Vitanda itaque, vel quantum fieri poteſt, corrigenda eſt aeris inclementia, partim *integumentis*, partim *ſuffimigiis ex Tacamahaca*, *Benzoin*, *Succino*, *Maſtiche*, *Roſis*, *Caryophyllis &c. paratis*: ea tamen cautione, ut *à juvantibus & lædentibus* deſumantur argumenta: odoratiora enim ad humores in cerebro fundendos apta (inter quæ & *Balſama Apoplectica*, præcipue, ſi *Moſchus & Zibethum* prævaleant) non ſemper tuta eſſe judicamus: quare *ſequenti forma paratum* laudamus *Balſamum* naribus, ſuturis, nuchæ, per vices inungendum.

℞. *Ol. Nucis moſch.* ℥ij.
Balſ. ſuccin.
majoran. āā. ℥j.
Ol. ſtillat. roſar.
Rad. rhod.
Caryophyllor. āā. *gutt. vj.*
Succin. gutt iij.
Miſce.

 Cibus

Cibus & potus frugalis eſto, cœnaque prandio frugalior: quanti alimentorum parcitas ad morbos complures ſanandos ſit momenti, docet experientia, & *Reverendiſſimus Vir* pro ſua prudentia ſufficienter novit. Inter cibos deliget carnem vitulinam, pullorum, caponum, gallinarum, avium nemoralium, melioris ſpeciei, quales ſunt attagenes, phaſiani, perdices, alaudæ, turdi, columbæ ſylveſtres &c. cerebra gallinarum, leporum, tanquam ſpecifica in his affectibus commendantur ab Arabibus: cavebit vero ſibi à carnibus bovinis, porcinis, cervinis, cæterisque ſalitis, ac fumo ſiccatis, ab anſerinis item & anatinis, ſicut & reliquarum avium, quæ in aquis degunt. Piſcibus non veſcatur, vel certe rariſſime, iisque ſaxatilibus tantum. Omittet ova ad duritiem cocta, acetaria cruda, legumina, aromatum copioſiorem uſum, cæpas, allia, ſinapi, raphanos, lacticinia, paſtilia, caſeum, fructus fugaces, exceptis paucis ficubus, paucisque uvis bene maturis, in prima menſa ſuo tempore concedendis: horum loco conveniunt pruna Ungarica cum ſaccharo vino & aqua cocta, nec non interdum pomum dulce coctum, aniſo conſperſum. Olerum uſus parcior eſto: ſin alvus adſtricta, ſpinachia conducet: aliis temporibus ſummitates fœniculi recentes teneræ, petroſelini folia cum radicibus, ſalvia, rosmarinus, pimpinella, acetoſa, majorana, chærefolium, borrago, cichorium, carnibus recte incoquentur: eligendo ſemper in hyeme calidiora: temperata magis in æſtate. Cæterum aſſa potius quam elixa conveniunt, niſi alvi ſiccitas obſtet, vel (quod ob mandibulæ laxatam aliquatenus articulationem ſuſpicamur) maſticandi & deglutiendi difficultas impediant: hac enim præſente, minime improbamus liquida, cum à nimia & laborioſa maſticatione, ſeroſam colluviem ad partes, ante multa humiditate laxas, attrahi immerito non ſuſpicemur. Menſa tandem claudatur dimidio cochleari ſeminis fœniculi ſaccharo non multo incruſtati, cui tertia pars ſeminis coriandri præparati, & ſaccharo cooperti, ſit admixta. Vinum generoſum & meracum, ſulphureum tartareum, caput replet, nervosque ferit vehementer: eligatur igitur oligophorum, vel ſi generoſius ſit, aqua diluatur, cui *panis infuſus, aut momentum maſtichis* incoctum ſit. Proderit, ſi *primus hauſtus* fiet aliquando *ex aqua fontana, cum floribus & ſummitatibus roriſmarini in B. M. deſtillata*, ita etiam admittitur *ſubinde hauſtus ex vino ſalviato vel roriſmarini factus.* Quod ſi *Reverend. Vir vinum medicatum* particulari à nobis experientia comprobatum, ſibi pararet, ſaluberrimum illud futurum non dubitamus, in prima ſemper menſa, ad partem quadrantis menſuræ noſtratis (quarum una tres libras medicinales capit) admiſſum, *vinum ita conficitur.*

℞. *Lign. Lentiſc.* ℥*xij.*
Viſci querni.

Rad.

Rad. Rhod.
Santal. citr.
Sarſæparill. ãã. ℥iij.

Inciſa imponantur in ſacculum lineum amplum & in Menſuris aquæ xv. ad conſumptionem quartæ partis decoquantur, addendo ſub finem, donec intumeſcant.

Paſſul. maj. rejectis purgaminibus ℔iiij.

Omnia dein actu calida projiciantur in dolium capax unius urnæ ſeu menſurarum noſtratium 72. ſuſpendendo nodulum, conſtantem ex M. ij. flor. anthos, mox impleatur totum vas vino Tyrolenſi ſeu albo, ſeu rubello bono & fermentationi relinquantur, quâ ſufficienter facta, vas optime ad xx. dies obturetur, ac tandem uſui reſervetur.

Somnum interdiu fugiat: pomeridianus capiti nocet, nec unquam admittendus de die, niſi forſan *Reverend. Vir* noctem habuiſſet inſomnem: attamen nec prandium nec cœnam ſomnus immediate excipiat: ſed cœnâ peracta, lento gradu in conclavi obambulet, & poſt duas horas quieti ſe tradat: vigiliis in hoc affectu magis, quam multo ſomno neceſſariis.

Alvum laxam eſſe oportet, quæ ſi non reſpondeat, *cibis laxantibus, ſuppoſitoriis, clyſteribus in caſu præſenti utiliſſimis, tum domeſticis, tum etiam acrioribus, vel tandem pilulis* ſollicitanda erit, ut caput à vaporibus ſubvolantibus non oneretur, aliaque periculoſa accidentia præcaveantur: in quem finem probarentur nobis *pilulæ ſequentes, ſemel in ſeptimana ad* ʒß. *poſt cœnam frugalem, circa medium noctis* ſumendæ, ſuperbibendo *mane ſequenti juſculum cum* ʒiß. *Cremoris tartari.*

℞. *Aloës ſuccotr.* ℥j.
Succ. roſar vel Sacchari roſar. ℥x.
ſalviæ.
cichor. ãã. ℥ij.

Evaporent calore hypocauſti vel in B. M. ad mellis conſiſtentiam, adde

Agarici trochiſc.
Rhab. elect.
Diagryd. roſat. ãã. ʒij.
Spec. diambr. ʒj.
Ol. ſtillat. caryoph.
Rad. Rhod.
Macis ãã. *gtt. vj.*

Succini alb. ppt. ʒß.

Cum melle anthoſato fiat Maſſa & formentur Pil.

Corporis exercitium mane, jejuno ventre, & poſt prandium, abſoluta ſtomachi coctione inſtituatur, ſiquidem pleno ventre exercitium non tantum non prodeſt, ſed quam maxime nocet, quod ipſum quoque obſervandum eſt in uſu balnei, quod nunquam repleto ſtomacho ſine magnæ noxæ periculo, adhibetur: lectioni, ſcriptioni ac meditationi plurimum vacare, & præſertim mox ab epulis, plane eſt inconſultum.

Ira omnisque vehemens animi contentio ac perturbatio, cerebrum mire lædit, præbetque deſtillationibus occaſionem: contra mentis tranquillitas, ac hilaritas, conferre non parum creduntur: magnam enim vim habet ad pellendos morbos animus quietus, non irâ aut mœſtitiâ turbatus: *ut rectè dixerit Menander, morbum ferre multo ſatius eſſe quam triſtitiam*: quin imo, *ut Aurelianus loquitur, Animorum curæ, motibus corporis turbationem ſæpius vehementem addiderunt.*

Cæterum hoc tempore hyemali conſulimus, ut *Reverendiſſ. Vir ſemel in menſe, ante novilunium expurgetur pilulis mox deſcribendis, quinque horis ante cibum*, atque *poſt horas duas juſculum* epotet: unà *cum Cremoris Tartari* ʒiß.

℞. *Pil. Cochiar.*
de Bryonia ãã. ʒß.
Cum melle anthoſat. fiant Pil. No. xx.

Si *forma Electuarii* magis arridet, *talis* parari poterit, *omiſſis pilulis.*

℞. *Elect. diaphœnicon.*
Indi Macoris ãã. ʒij.
Conſerv. roſar. ʒiß.
Cort. citr. cond. inciſ. ʒß.
Magiſt. Jalapp. gr. vij.
F. Boli cum ſacch aro.

Facta ſemel *tali purgatione*, *pulverem viperinum* proponimus *ad* ʒß. *addendo grana duo ſpec. diambr. pro una doſi, ad dies quadraginta continuatum ac cum modico juſculo calido, vel cum vino ſalviato, mane jejune* ſumtum: ſanguinem egregie mundificat, movet à centro ad circumferentiam, humiditates reſolvit, particulari vi balſamica viſcera roborat, *præſtans in omnibus affectibus chronicis remedium.*

Ad evacuationem particularem, faciunt *gargariſmata & maſticatoria:*

toria: *illa ex vino* parabuntur *cum infuſione ſalviæ, addendo quartam partem aquæ ſalviæ & ceraſorum nigrorum*: *vel ex aqua ſalviæ, primulæ veris, betonicæ, tiliæ, cum melle anthoſato percolando, & bis in die, mane & ſero* os tepide colluendo, eâ ſemper cautela adhibita, ne *uſus frequentior* attractione noceat, hæc vero ſeu *maſticatoria* fiunt *ex trochiſcis ſequentibus*.

℞. *Mithridatii.*
Acori condit.
Nuc. Moſch. cond.
Cort. citr. condit.
Conſerv. flor. primul. ver. āā. ℥ij.
Cum ſucco ſalviæ fiant Trochiſci.

Semel vel bis in die adhibendi, non negligendo cautelam, de quâ paulo ante monuimus.

Pro confortatione ac exſiccatione laudamus primo tum *conſervam roſar. anthoſ, tiliæ, primulæ Veris*: tum *Mirobalanos conditos horâ ſomni* ſumendos, tum quæ longe melius præſtat *conſervam ſalviæ bacciferæ, Venetiis allatam*: *aqua ex caryophyllis recentibus viridibus deſtillata, quæ ex Indiis deportatur,* mire conducit, aut illius loco *aquæ carbunculi cochlear unum, horâ ſomni* deguſtatum, *globuli è ſuccino facti & ad collum geſtati,* caput exſiccant, roborantque; idem efficit *pulvis craſſus ex caryophyllis aqua roſarum aliquoties irrigatus, & iterum exſiccatus, addendo pulverem florum Anthoſ roſarum, rad. rhod. ſuturis & capiti inſperſus.*

Tempore Veris proximo *expurgandum* cenſemus *corpus epicraticè Brodio laxativo, ſyrupo Regio Aureo, melle roſato ſaccharino, potione Ducali, Electuario paſſulato, Elect. Diacatholiconis lenitivo, Indo majore, Pilulis, ſi opus, cochiis, aggregativis, ſine quibus, præcipue è Bryonia,* quæ admodum ſunt correctæ. Alterantia deobſtruentia non negligendâ; *viris in arte Medica præſtantiſſimis* pernota. *Acidularum uſus* in ſubjecto ad hypochondriam proclivi conduceret quidem, ſed abſtinendum modo, & magis urgenti incumbendum eſſe, conſulimus. Itaque *poſt univerſalia adhibita* laudamus *Decoctum columbæ ſylveſtris cum china; Santalis, ſalſa, viſco querno, ad viginti dies potum, præmiſſo* ſemper *alternis diebus unicornu minerali,* ſumto *ad* ℈j. *cum aqua card. benedicti & ſpeciebus diambræ,* pro eliciendo in lecto ſudore. Denique

que *embrocationes, ſtillicidia, thermas naturales ſulphureas aluminoſas*, etiam *ad gargariſmata* uſurpatas: item debito tempore *Venæſectionem in brachio, ſub lingua, venarum ſedalium apertionem, inuſtionem ad nucham, ſetaceum*, & quæ ſunt alia tam *ex pharmaceutico*, quam *chirurgico fonte* deſumta, hic pluribus non enarramus, ſed ſubmittimus una cum cæteris *judicio Clariſſimi Medici Ordinarii*, qui tanquam præſens, pro ut immutantur, vel nova emergunt ſymptomata, mutare etiam remedia noverit. *Deus Optimus Maximus vota Medicorum ſecundet. Monachii* 23. *Decembr.* 1668.

Johannes Jacobus de Maphæis.
Franciſcus Ignatius Thiermair.

Poſtea *Rever. D. D. Conſtantiæ inviſi*, & obſervavi illum inter comedendum pro lubitu os aperuiſſe, item quoties jubebatur, citra obſtaculum: quantum libebat os aperuit: quoties autem loquendum erat, ſtatim dentes ſtringebantur, & ut dicebat ſibi inter loquendum lingua retrahebatur: quoties autem vel *linteum complicatum* vel *fruſtulum maſtiches*, vel *nummum aureum convolutum* dentium ſeriei interponebat, diu loqui & diſcurrere poterat. Ex quibus concluſi muſculos maxillæ inferiori dicatos debiliores minusque validos & promptos, ut tam celeriter & tam cito & tam prompte muſculis maxillæ ſuperioris reſiſtere potuerint, vel quo minus pari celeritate ſupernis muſculis correſpondere potuerint, prout alias in loquela requiritur, inprimis in concitata & celeri. Hactenus *plura veſicatoria* brachiis appoſuit. Inde levamen accepit, ſed rediit ſymptoma. Devenimus igitur *ad curam ſudorifer. ſuper ſcamno.* Poſtea *fonticulus* in brachio dextro excitandus: ſuaſus *fonticulus* in nucha. Quia lingua retrahitur, forte aliquid convulſivi ſuberit.

Ante ingreſſum in Balneum ſudoriferum comedat ʒj. vel ʒiß. hujus Electuarii.

℞. *Conſ. roſ. r.* ℥*iij. Major. Anth.* ãã. ℥*j.*
Mithridat. Dam. Theriac. Andr. ãã. ℥*ij.*
Pulp. pom. citr. no. iij. Mſc. F. Elect.

Mox ſuperbibat hauſtum decocti ſudoriferi ad ℥*iiij. vel* ℥*v.*

℞. *Scob. lign. guajac.*
Cort. Guajac. ãã. ℥*j.*
Saſſafr. ſarſæpar. ana, ʒ*vj.*

Chin.

Chin. ſel. pond. ℥iiß.
Lign. viſc. quer. ʒij
Sant. citr. ʒiß. *affunde aq. font. ferv.* ℔viij. *ſtent in infuſione in vaſ. terr. vitr. in l. c. probe tecta hor.* 24. *addi poſſunt infuſo ſcob. lign. lentiſc.* ℥ij. *coq. in vaſe bene clauſo ad conſiſtent. dimid. Adde.*
Paſſul. min. ℔ß.
Sem. aniſ.
fœnicul.
Coriandr. in pet. ligat. ana. ʒvi.
Herb. roriſmar.
Beton. ana. *Mj. ſub finem decocti ſtent adeo rurſus bene tecta, donec frigeſiant, col. ſervetur ad uſum.*

Hauſtu ſumto ſtatim ingrediatur Laconicum ſcil. mane hora 6. *& veſperi hora* 5. *In Laconico poſt quadrantem horæ refocilletur cochl. j. vel ij. mixturæ ſyrupor.*

℞. *Syr. acet. citr.*
Berber.
Rib.
Granat. acid. ana. ℥j.
de rub. Id. ℥ij.
Aq. ſcabioſ.
card. bened.
acetoſ. ana. ℥j.
Conf. alker. c. ʒj. *Mſc. cui ad acorem majorem addi poſſet ſucc. herb. d.* ℥j. *vel* ℥iß. *Hinc quolibet horæ quadrante uſus hujus ſyrupi* repetatur.

In Laconico perduret primum per dimidiam horam: poſtmodum diutius ſenſim. Perſiſtat in illo ad ſummum ad hor. j. vel iß.

Ante egreſſum è balneo detergatur probe linteis calefactis. Hinc nucha valide inungatur ol. calefactis.

℞. *Ol. è floribus Slotan.* ℥iß.
lumbric.
chamom. ana. ℥j.
Ping. caſtor.
human. ana. ʒij. *Mſc.*

Poſt-

Poſtquam Rev. Dominus lectum è Laconico repetiverit, dentur cochl. iij. Mixt. ſyrup. In lecto perduret per horam dimidiam, nec tunc ſubſequentem ſudorem impediat.

Toto curationis hujus tempore Rev. Dom. in hypocauſto permaneat. Cura prima vice ad dies 10. *vel* 12. *prorogari poterit. Veſcatur cibis optimi ſucci, facilis digeſtionis, temperatis : vinum vitet, bibat dein decoct. chin. cum ſyrupo acid. ut rib. berb. de rub. id. &c. Chin. ℥ij. in menſ. j. aquæ ebulliant. Alvus quotidie aperta ſit : ſi adſtricta, ſolvatur ſuppoſitoriis vel clyſteribus domeſticis. Omittantur purgantia. Mœſtitia & ira exulent.*

Reverend. Dominus Vicarius Generalis me convenit 1693. *Menſ. Sept.* A multis annis conſtrictio involuntaria ipſi non moleſta fuit : de qua *Vener. Thyrmayer, vid. Conſil. Lib. II. C.* 13. *pag.* 169. Interea munere ſuo nunc ſcil. *Viſitatoris Generalis*, nunc à 2. annis *Vicarii Generalis* præeſt, dum *Viſitator* erat crebra itinera confecit: nunc *Vicarius Generalis* multum ſedet, ſcil. ſingulis diebus lunæ decem horis continuo antequam prandeat. Eſt nunc *annorum* 58. catarrhoſus admodum *Die* 18. *Aug.* valde tuſſiit. Cum pridem ſine moleſtia collem aſcenderet, nunc in acclivium aſcenſu experitur dyſpnœam aliquam , ſed non magnam, unde adhuc *Mörſpurgi* à litore ad arcem ſcandit non magna cum difficultate. Obaudit voces tamen claras & fortiores eminus intelligit : nondum utitur perſpicillis , diu nullam Cephalalgiam paſſus eſt, nuper parum in occipite : quamprimum lectum petit, indormiſcit, dormit tribus horis , poſtea non amplius, uſque dum appropinquat mane : nulla patitur inſomnia terrifica, nullam vertiginem experitur. Raro ſudat mane. Renes dolent, jam duos calculos ſatis magnos eminxit. Nunquam interdiu dormit. A 3. annis pedes alternatim tumore œdematoſo cum rubore, pruritu & dolore, ſed leviculo afficiuntur, in illis emergunt puſtulæ quandoque. In manibus ſcabies quandoque pruriens oboritur. Hactenus paſſus eſt Tertianam intermittentem, manſit ſcabies. Tumor pedum à tepore lecti imminuitur. Credit ſi ſudor mane ut pridem ſponte emergeret, nunquam invaſurum tumorem pedum, aut citius ceſſaturum. Pridem multum mane ſudavit, ex quo illico ſubſtitiſſe tumorem obortum meminit.

Eſt carnoſus , facies gutta roſacea deturpari incipit, puſtulæ in pedibus ſunt ſyrones, ſi frictione rumpantur, dolor & tumor augentur, tumor impreſſa veſtigia ſervat. *Singulis menſibus ſcarificationem* admittit, *V. S. ter in anno.* Vere uſus eſt *Nod. laxant.* Hyeme *pil. cephal.*

Juſc.

Juſc. alt. cum diuret. Pulv. ceph. Ulm. decoct. Caffee, Thee, Balneis domeſt. pulv. tabac. cum ceph. Fonticulos 2. geſtat. Pulſus æq. robuſt.

Apoplexiam veretur ob perpeſſam conſtrictionem maxillarum paralyſis effectum, frequentes catarrhos, hydropem, ob pedum tumorem, ſudorem ſuppreſſum, vitam nunc nimis ſedentariam.

Ipſius Dom. Frater M. D. & Profeſſor prolixum Conſilium ſcripſit: in quo præcipua ſunt diæta ſtrictiſſima, in qua nimium potum fugiendum inculcat. Suaſit inſuper *Potum Thermar. Fabar.* quem hoc anno intermiſit. *Decoct. Caffee poſt prandium. Nodul. purg. Trag. hepat. Juſc. alter. M. & V.* Vinum diluat *decoct. lign. aut rad. chinæ.*

Suaſi *Elect. contra Catarrhos, Tab. cephal.* Majus exercitium.

Menſe Mart. 1694. *Reverend. Dominus, dum Lucernæ erat apud R. Nuncium Apoſtolicum gravium negotiorum cauſâ, forti Apoplexia obiiſſe dicitur.*

OBSERVATIO CLII
Loquelæ peculiare Vitium.

REv. *D. Georgius Chriſtophorus Hartmann Paſtor Ebertingenſis in Ducatu Würtembergico prope Vaingam*, ſtaturæ juſtæ, muſculoſus, robuſtus, bene coloratus, barba ex rubro fuſcâ præditus, cætera ſanus, Ætat. 48. *Ante Paſcha* 1685. occaſione odontalgiæ ſenſim inter loquendum præter voluntatem dentes collidebantur, ut verba quidem pronunciare, ſed non ea, qua debebat gratia, valeret: quod ipſi evenit in familiari colloquio & inter concionandum, adeo ut non amplius ſuo munere fungi potuerit: in hac ſeriei ſuperioris & inferioris adunione ſtatum quendam ſenſit: ut commodius loqueretur, dentibus interpoſuit *fruſtulum radicis glycyrrhizæ, aut chartam præmanſam arcteque compactam.* Omnes literas bene pronuntiat, attamen quædam verba cum ſibilo aliquo, aut voce hac dentium vitioſa conjunctura quaſi fracta. In gena ſiniſtra intus prope maxillam ſuperiorem tumorem ultra ſemeſtre habuit indolentem & durum, quo ſauciato effluxit mucus copioſus cum ſanguine, unde evanuit, ut *die* 9. *Maji* 1686. *quo me Stuttgardiæ convenit,* nullum amplius veſtigium apparuerit. Hujus ſymptomatis cauſâ *variis remediis* uſus eſt, etiam *Acidulis Göppingenſibus & Thermis Bollenſibus, item ex Conſilio D. Makofsky multivariis pilul. purgantibus fortioribus & mitioribus*, ſibi quoque *Setaceum*

in collo traducendum ejus juſſu curavit. Suaſi tunc *frictionem colli ad medium thoracem pilâ laneâ ſtupâ infarctâ* : *cum ſeq. pulv.*

℞. *Rad. Valerian. ſylv.* ℥iß.
pœon. ℥j.
C. C uſt. ʒiij.
Sacch. ℥iij.
Doſis mane ʒj. *cum aq. beton. aut ſalv.*

Die 1. *Julii* 1686. *ſcribit* ſe pati in ſiniſtro latere oris dolorem, tum ratione gingivæ, tum linguæ cum ardore & tumore linguæ, ejusque quadam delaſſatione : inſuper animadvertit, ſpaſmum quendam ſolum in ſiniſtro latere gingivarum circa tres dentes ſuperiores & unum inferiorem, hinc exporrigitur verſus linguam, à lingua verſus palatum indeque rurſus ad dentes, adeo ut inter loquendum dentes ita conſtringantur, ut ſtrideant atque è longinquo audiatur : dum autem ipſum coram *Stuttgardiæ* examinavi, os aperire & dentes pro lubitu, ſine ullo labore & abſque impedimento diducere valuit, quoties petebatur: idem fit ſponte quoties comedit, nec ab apertione oris tunc nec vel minimum doluit : ſimilem hunc affectum tunc dixi *Rev. D. D. Vicarii Generalis Conſtant.* *Vid. Obſerv. ſuperiorem.*

Die 7. *Jul.* 1686 *ſcribit D. D. Salomon Reiſel*, hanc dentium colliſionem vocat ſpaſmodicam : addit *R. Dnum* aliquoties ſenſiſſe remiſſionem ſymptomatis; ſed per breve tempus, inſuper notaſſe aliquando ſpaſmum quendam in lingua, iterum levem tumorem futuri abſceſſus ſignum : ſuaſit *perfrictionem linguæ cum Theriaca & ablutionem cum vino.*

Reſp. d. 14. *Jul.* 1686.

Hæc dentium inter loquendum colliſio non videbatur vere ſpaſmodica eſſe, illo tempore *quo me Stuttgardiæ convenit;* nam in paſtu inter mandendum pro lubitu os aperire, ac dentium phalangem etiam magno hiatu diducere potuit : opinabar potius adeſſe robur majus maxillam inferiorem adducentium ſeu attollentium muſculorum ſcil. temporalium, pterygoideorum ſeu maſſeterum internorum & externorum, quam antagoniſtarum ſeu maxillam deorſum trahentium, ſcil. digaſtricorum & lati, ſeu πλατύσμα μυῶδες *Galeni* : nunc autem aliquid ſpaſmodici concurrere apparet, quia *D. Æger* ipſemet tractum in ſiniſtra gena, & aliquid ſpaſmodici in lingua ſentit, & quia colliſio tam vehemens ut ſtrideat dentibus. Verum ſi & hac vice adhuc pro lubitu os aperire ſolito hiatu poterit, ſpaſmodicam afflictio-

nem

nem non magnam credo, potius exiſtimo antagoniſtas, imprimis digaſtricos aliquid paralytici paſſos fuiſſe, qui alias imbecilliores ſunt maxillam attollentibus, ut facile ex illorum ſtructura judicare licebit, nec latus digaſtricis læſis aut impotentioribus magnas ſuppetias ferre poteſt, utpote maximam partem membranoſus. Ut hoc credam *me perſuadet ſimilis caſus, qui Reverend. D. D. Vic. Gen. Conſtant. ante aliquot annos contigit à perfrigeratione nimia colli, non bene contra frigus muniti tempeſtate brumali, aquilone flante dum iter per alta juga Sylvæ nigræ peregit*, nam Digaſtrici oriuntur plerumque à proceſſibus mammillaribus poſt aures, aut in loco vicino ſtyliformi oſſi, ubi facile aura frigida appellere poteſt, niſi probe collum contra ferociam ventorum cuſtodiatur: inſuper huc defluere ſerum non difficulter poterit, quod ſemper copioſum ſub cuti capillata ſtagnat *apud Literatos*, qui incurvo collo multum legunt & ſcribunt.

Ad cauſam auferendam, ſpirituum animalium affluxum promovendum, ſuaſi præ multis litubus *frictionem nuchæ pila lanea ſtupâ infarctâ*, quæ ulterius adhibenda deorſum ducendo, imprimis verſus proceſſus mammillares, antrorſum verſus claviculas, & retrorſum ad interſcapulium: ſi vero lubeat inſuper *Aq. Reg. Hung.* adhibere non nocebit, verum illam diluendam puto *Aq. Lavend.* ne horum muſculorum nervus exiguus exareſcat. Præterea ſemper diu noctuque contra frigus collaribus muniatur. *Setaceum* diſſuaſi, quia plus ſæpe attrahit quam extrahit, unde quibusdam collum prope obſtipum reddit. *Purgatus fuit abunde & forte nimium.* Potius totum genus nervoſum corroborandum *nervinis & antiſpaſmodicis: pulv. addi poſſet cinnab. nat. ℨiß & ol. ſuccin. gt. iiij. ol. Nuc. M. expr. gr. viii. hunc pulverem* ſumere poſſet *cum aq. ſerpill. lumbricat. per M. B. deſt. Veſicatoria* applicentur *in autumno.*

Tumorem quod attinet, de illo nihil certi pronuntiare poſſum, quia neſcio qualis & ubi emergat. Habuit pridem tumorem in maxilla ſuperiori ſiniſtr. interne, quo ſauciato effluxit mucus pellucidus. An forte ille recruduerit? *quod factum memini ſæpius D. Oeconomo S. Blaſ. & Löwen-Villingæ, quia folliculus eximi nequit, ipſemet tumorem incidi, profluxit humor albumini ſimilis, ſubſidit & prope per annum evanuit, rediit atque rurſus ranarum inſtar ſub lingua incidebatur ſine ulla moleſtia ſubſequente:* ſi talis recreſceret & humor ſub digitis fluctuaret, ſine ullo ſcrupulo aperiatur. Si alius tumor illeque in lingua ſurgeret, ante omnia in illius conditionem inquirendum: ſi inflammationi ſi-

milis, ſuppuratio caute promovenda : ſuaderem potius *diſcutientia. Theriaca* prodeſſet in ſpaſmo linguæ ejusve paralyſi. *Collutiones temperatæ* optime fiunt *ex decocto Fol. Alth. flor chamom. ſambuc. melilot. naſturt. aq. ſaturej. &c.*

Die 28. *Oct.* 1686. *me Stuttgardiæ convenit :* os pro lubitu aperuit, linguam exeruit, volvit, verſavit pro lubitu : guſtat exacte, ut nullum in lingua vitium animadverti potuerit : ibi ubi tendo muſculi temporalis vel maſſeteris deſcendit in maxilla ſuperiore ſiniſtra, tetigi ſinum, quo fortiter preſſo pus per dentis medii cavitatem prodiit. *Die* 29. *Oct.* narravit occaſionem morbi fuiſſe odontalgiam, quam paſſus eſt 1684. *menſe Octobr. ſub finem Dec.* excrevit abſceſſus in maxilla ſuperiore, qui demum *ſub finem Januar.* 1685. apertus fuit : *circa finem Decembr.* 1684. jam percepit conſtrictionem maxillarum ſeu colliſionem. Ab apertione abſceſſus nullum levamen ratione hujus colliſionis , imo pejor fiebat. Obſervavit, ſi equitavit, ſi ſe exercuit obambulando, pila ludendo, minus pati colliſionem. Præterea ſentit ſubinde per utramque manum titillationem quandam ad extremos digitos excurrentem, ſinus in maxilla ſuperiore ſiniſtra minus puris continuit : ſuperſtites ibi molares carioſi ſunt: quandoque quaſi ceræ mane infixi videntur, ſi mica panis, fruſtulum carnis dentibus &c. incumbat, ad colliſionem cogitur, quandoque ſponte contingit , adeo ut dentibus ſtrideat, quandoque minus prompte, imprimis ſi edere velit, os aperire valet : ſi cibum intruſit ob linguæ quandam imbecillitatem, ſæpe ingeſtum verſus fauces trudere nequit: Interea linguam pro lubitu quaquaverſum volvit, omnes literas accurate pronuntiat ſine ulla hæſitatione, loquitur prompte diu. In palato medio ubi portio carnoſa & oſſea junguntur, foraminulum habet ſtylum admittens ſed non profunde , ſine ullo ſenſu oſſis aſperi aut denudati carioſi.

Controverſia *inter Exc. D. D. Hoffmann. P. P. Altorfin. D. D. Reiſelium & me,* unde proveniret iſta dentium colliſio ſeu attractio maxillæ inferioris ad ſuperiorem inter loquendum, aut ſi aliquid dentibus incumbat de cibo aut ſolummodo mica panis &c. An adſcribenda muſculorum attollentium robori, aut convulſioni ? an vero maxillam retrahentium imbecillitati ? ſpaſmum muſculorum temporalium , Maſſeterum &c. credere nequii , quia pro lubitu os aperire, aut ſi arctius conſtrictum ſit os, digitis facile maxillam inferiorem deorſum premere valet. Quia mali occaſio erat odontalgia maxillæ ſuperioris & abſceſſus longe lateque ſe expandens, exiſtimo muſculos maxillam deprimentes debiliores attollentibus factos fuiſſe , à ſtagnatione lymphæ circa progreſſum vel inſertionem nervorum, qui ad hos muſculos deprimen-

primentes pertinent: nam in principio humor diffundebatur ad utramque maxillam ſuperiorem & valde ad maxillam inferiorem ſiniſtram, unde facile nervorum iſtorum propagini humor impingi poterat. 2. Nunc videtur foramen in palato & percipit jam titillationem, ſeu quendam ſenſum formicationis in utraque manu ad extremos digitos. 3. Apparet in velo palati ſerum exſudans ex oſculo p. n.

Huic igitur debilitati porro ſuccurrendum *pulv. & aq. ſerpill. lumbr. In frictione*, quæ imprimis neceſſaria: *Aq. Reg. Hung.* non penetrat ad locum affectum. Magis prodeſſet *Gargariſma ex cephalicis & adſtring. ſcil. ex herb. beton. ſalv. roriſmar. ſerpill. prunell. roſ. r. in aq. cum melle coct. Purgetur pil. cephal. ante plenilunium ac novilunium horâ ſomni* ſumptis. Si non cedat malum, *mane hor* 5. bibat ℥vj. *Decocti Guajaci, beton. roriſmar. ſimil. in aq. cum melle coct.* incumbatque *ſcamno ſudat.* aut in lecto ſudet *per d.* 3. *vel* 4. dentes carioſos tres maxillæ ſuperioris ſiniſtræ *ferro candente* adurat. *Loco decocti ſudoriferi* Suaſi ℞. *Theriac.* ʒß. *rob. ſamb.* ʒij. *pulv. diaphor. ex* ½ *diaph. C. C. ung. alc. &c.* ʒß. *aq. card. bened.* ℥iij. *vel* ℥iiij. *ſcamno* demum utatur, ſi plane non ceſſerit malum, primum tentet ſudorem in lecto.

Nuper ſævum dolorem paſſus eſt in regione renis ſiniſtri, ſimile quid ante aliquot annos per plures dies ibidem paſſus eſt, & cruenta minxit. *D. D. Breuning* ſuaſit *ol. amygd. d. & ocul. cancr.* Junior cruenta minxit: in principio *pulv. Valerian.* tuſſim excitavit, ſponte remiſit. *Die* 5. *Nov. me convenit Vayngæ:* pus ex dente medio expreſſi: *uſtionem* optime perfert, ſcreare multum non cogitur.

Die 7. *Decembr.* 1686. *ſcribit*: hactenus diligenter uſus eſt *medicamentis* & quotidie dentem aduſſit: contractio manet: putat principium contractionis latere ſolummodo in gena ſiniſtra, quia præter laſſitudinem & dolorem hujus genæ in maxilla ſuperiore, ſentit pondus quoddam Libr. quadrant.: inſuper dentes hujus maxillæ vacillant: remittunt hæc ſymptomata *ab aduſtione.* Credit multum humoris pravi adhuc ibi latere: ſi conſultum putavero, dentes maxillæ inferioris eradicandos curabit, ut humori melior exitus paretur. Dolet quoque pars dimidia linguæ in latere ſiniſtro cum impedimento inter comedendum: non credit dolorem linguæ provenire à denegato ſufficiente ſpatio pro motu linguæ, nam ob hanc cauſam tota lingua pateretur. *A Theriaca* bene ſe habuit ſed non conſtanter. A 14. diebus vapor calidus exit, ex aure ſiniſtra M. V. etiam interdiu ſed tolerabilis, putat provenire à veteri defluxione frigida ad dentes ac defluxio

 ſiſteba-

ſiſtebatur, & in genam repellebatur, unde hic ſibi nidum fecerit. *Pilulas* ſumpſit, & *ſemel in ſeptimana ſudoriferum.* Multa aqua ex ore effluit. Noctu à colliſione maxillarum immunis, mane redit, tota die durat, nihil ſuper dentibus tolerare poteſt propter hanc colliſionem & fortem morſum.

Die 18. *Febr.* 1687. Conſtrictio dentium noctu & interdiu multum remiſit: verum inter edendum rediit, ſed non tam fortiter ut pridem, unde emaciatus fuit: hactenus ter concionatus eſt, ita tamen ut lignum interponere cogeretur: bene ſucceſſit. Culpam attribuit 3. dentibus maxillæ ſuperioris, quorum medius adhuc vacillat, & præ cæteris malæ diſpoſitionis eſt: *adurendos curavit ſæpius mane & veſperi. Quidam Chirurgi* illum eruendum putant, ut humoribus exitus paretur. Putat linguam in ſiniſtro latere multum pati, nam ſentit tractum à gingiva ſiniſtra ad palatum & linguam, & inde rurſus ad palatum & gingivam: ob linguæ affectum præ dolore edere nequit. Hactenus uſus eſt *pulvere & ſemel in ſeptimana ſudavit.* Deficit *aq. ſerpilli lumbricat.* Deficit quoque *gargariſmus. An Vere hoc purg. & V. ſecanda?* ſentit defluxiones frequentes ad maxillam ſiniſtram ruere, quæ imbecillis ſit.

Die 6. *Mart.* 1687. Fortis dentium colliſio multum remiſit, ut diu noctuque ſatis quiete vivere poſſit: attamen inter edendum moleſta eſt, ut vix edere poſſit, nec duriora maſticare valeat: præcipuam culpam attribuit linguæ, quæ inter edendum valde dolet. *Ab uſtione dentium* multum levaminis percipit, *uſtionem* continuat, attamen dentes firmi manent excepto medio: ſentit defluxionem ad illum deſinere, nam in illo pondus quoddam percipit. *Aq. ſerpilli* parandam curavit *ex ſerpillo ſicco. An gargariſmus continuandus? de purgatione & V. S.* exacerbatur ſecundum quadras lunæ. Emaciatur porro.

Die 23. *Mart.* 1687. *ſcripſi*, ut *pulver. cum aq. ſerpill. ſudore ſemel in ſeptimana, gargariſmo & aduſtione dentis* pergat. Utatur *ante V. S. pil. cephal.* Si *dextro Artifice* potiri poſſit, extrahatur dens, ſin minus, relinquat, tandem fruſtillatim elabetur, aliàs facile maxilla ſuperior findi poſſet, ac deterius malum ſuperveniret.

Die 3. *Maji* 1687. *me convenit Stuttgardiæ*: uſus eſt hucuſque *frictionibus quotidie bis: uſtione dentium quotidie bis: pulvere quoque bis cum aqua ſerpilli lumbricat.* ſumſit quoque *bis pil. cephal. V. S. fuit in pedibus:* Diætam diligenter obſervavit. *A Paſchate hucuſque* bis in ſeptimana concionatus eſt. Dentes inter loquendum adhuc collidit, ſed

ſed non tam fortiter ut pridem, adeo ut concionari valeat ad integram horam : ſi ſermonem longius protrahat, ſubinde dentibus ſtridet & delaſſationem quandam in genis percipit. In colloquio familiari melius quam pridem rem ſuam peragere valet. Inter comedendum præcipuum impedimentum experitur, nam conſtrictio non concedit maſticationem longiorem & ſufficientem, deinde non promte ingerere poteſt cibum. 3. Linguæ pars dimidia, ſiniſtra ſcil. dolet, urit, ſi cibus illi incumbat, ut fere deglutire cum labore cogatur, putat linguam dimidiam & palati dimidium tumere, ardor iſte & dolor non tamen ſemper contingit : alias tamen ſemper pruritum aliquem percipit in lingua dimidiata, dentes videntur in maxilla ſuperiore imprimis ceu ceræ infixi eſſe : inſpectis faucibus vidi tonſillas ſatis magnas & uvulam prolongatam & craſſam, non tamen rubebant, ſed udæ erant cum faucibus admodum. In palato ubi confinium eſt partis carnoſæ & oſſeæ ſupernæ 2. oſcula vidi, ex quibus ſerum indito ſtylo exiit lympidum: dentes 3. carioſi in maxilla ſiniſtra ſuperiore non vacillant, ibi externe ad unum molarium iſtorum fiſtula apparet, ex qua pus coctum expreſſi, ad poſticum ſacculus eſt, qui quandoque pure impletur, hac vice tamen nihil continuit. Linguam ſatis humidam & magnam habet, illam pro lubitu movet. Os aperire poteſt pro lubitu abſque cunctatione, quod antea non ſtatim potuit : os diu apertum detinere valuit, dum fauces inſpexi : quandoque dentes nunc colliduntur, non tamen fortiter conſtringuntur ut pridem, & promptius os rurſus aperit : appetit, non ſitit, alvus aperta, bene dormit : hyeme domi manſit, ſentit ſe à frigore & ab ira lædi. Ab itinere 2. milliarium delaſſabatur. Manifeſte ſentit ſe *ab uſtione dentium* juvari. Ingenium adhuc promptum eſt, memoria valet.

Sumat 1. *Solummodo mane pulv. ex radic. valer. abſque cinnab. cum aq. ſerpill. lumbricat.* 2. Pergat *ſtrenue frictione colli.* 3. *Uſtione dentis.* 4. *Gargariſmo.* 5. Licet ſubinde *fumum tabaci ſed cum Cubeb. mixt.* haurire. 6. *Æſtate rarius* ſumat *El. ex rob. ſambuc. & theriaca.* 7. *Pil. cephal.* ſumat *adhuc ſemel ante V. S. ſub finem Maji.* 8. Si tuberculum poſticum in maxilla ſuperiore ſiniſtr. tumeat, imponat *ficum inverſam & in lacte coctam.* 9. *Fonticulos ambos* in brachio apertos ſervet. Veſcatur cibis boni ſucci & facilis digeſtionis. Vinum bibat. *Æſtate veſperi hauſtum acidularum* bibere licet, non tamen illas copioſe aut large, ad fontem bibat, cum ſit *anceps remedium.*

Die 15. *Aug.* 1687. Affectus in eodem manet, diſtorſio oris ſeu labiorum remiſit, dentium vero colliſio permanet, nec ambæ maxillæ, ut decet, moventur, dentes nondum firmi ſunt, ubi ichor ex ulcuſcu-

cuſculo gingivæ emanavit, conſolidatum fuit: cibum ingeſtum antequam illum deglutire poſſit, diu in ore volvere cogitur. Tuberculum avellanæ magnitudine enaſcitur, putat defluxionem frigidam, quæ maxillam dimidiam occupavit rurſusque exitum quærit, ſed non invenit, noctu enim à quiete detumeſcit tuberculum ac evaneſcit, ac ſine impedimento loquitur, poſt quadrantem vero horæ, quando ſurgit, redit ſentitque defluxionem ad maxillam ſuperiorem. Hactenus uſus eſt *pulv. cum aq. ſerpill. lumbricat. Uſtione dentium & frictione poſt aures* perrexit, *ut & gargariſmo*, verum nondum maxillæ officio ſuo reſpondent. Hactenus tamen munere concionatorio functus eſt, ſed cum labore, dum media in concione dentibus ſtridere cogeretur, ut cathedræ vicini id audire potuerint, cum tamen tota die & noctu id non eveniat. Putat dentes carioſos præcipue in culpa eſſe, cum ſemper graves & ponderoſi ſint, quandoque doleant, licet nullus vacillet: quandoque firmi ſunt, donec novus influxus fiat. Quia affectus linguæ non cedere vult, *an vena ſub lingua*, quod antea ſæpius factum eſt, *ſecanda ſit? Petit ulterius ſimul Conſilium.*

Die 28. *Aug.* 1687. *ſuaſi*, ut pergeret *uſu pulv. cum aq. ſerpill. lumbric. gargariſm. dentium uſtione, frictione: V. S. ſub lingua* omitteret, *præmiſſo purgante V. S. in brachio ſin.* Exercitia concionatoria continuaret: pararetur *vinum Med. ex ſaſſafr. Guajac. herb. ceph. in muſto infuſis, de quo* biberet *in paſtu pro primo hauſtu cyathum. Addidi morbos nervinos curatu difficiles, ſuperari continuatione remediorum.*

Die 22. *Nov.* 1687. *Chirurgus* in maxilla inferiore dentem fiſtulæ proximum extraxit feliciter, unde tumor ſiniſt. genæ evanuit, exiit humor inde acerrimus, quem putavit linguam eroſurum, quia tumor evanuit, iſteque exitum invenit, ſperavit ſymptoma mitius fore, ut in principio apparuit, verum nondum liberum ſe ſentit, quia ichor ſeu ſerum maxillam ſuperiorem pervagatur, ut propter debilitatem dentium fere comedere nequeat: ſpaſmus quoque continuat, verum ſolummodo quando edit, aut concionatur, dentibus ſtridet: quando ſpaſmus adeſt, lignum interſtitio phalangi dentium interpoſitum atteritur. Fatetur tandem affectum multis modis mitiorem eſſe ac pridem fuit.

Pergat *medicamentis*. Quia humor maxillam ſuperiorem pervagatur, utatur *Veſicatoriis*: ſumat aliquando rurſus *pil. cephal. ante vel poſt novilunium*. Caute dentes in ſuperiore maxilla eximendi ſunt. Commendavi *Frictiones*.

Die 17. *Febr.* 1689. *ſcribit.* 'Præterita æſtate affectus permoleſtus

tus fuit: ob fortem tractum, lignum ſemper dentibus interponere cogebatur; quamprimum vel per quadrantem horæ in lecto decumbit, penitus remittit, mane quamprimum ſurgit, redit, unde ſemper adhuc ſperat ſe ab hoc affectu liberatum iri: in maxilla ſuperiore ſemper humorem ſtagnare putat, quia dentes minus firmi ſunt, & in lingua ſiniſtra dimidia, unde ægre comedit: hactenus uſus eſt *pulvere ceph. pil. ceph. & frictione.* Cætera ſanus eſt, & nullam cephalalgiam experitur.

OBSERVATIO CLIII.

Impotentia Brachii dextri.

Hiſtoriam hujus morbi Dominus de Tournes Bibliopola Genevenſis Celebris mihi D. 27. Martii 1693. tradidit.

L*ectiſſimus Puer* undecim annorum, temperamenti ſanguinei & boni habitûs: *ante* 5. *præter propter annos* morbillis detentus, labium ſuperius tumens paulo poſt habuit, atque ideo *remedia evacuantia & revellentia tum interna tum externa* ipſi adminiſtrata ſunt, quibus tumor reſolutus *Lectiſſimus Puer* cætera ſanus viſus eſt. At pauco elapſo tempore de Torpore quodam brachii dextri ſeu impotentiâ movendi ipſum conqueri cæpit. Motûs difficultas tum potiſſimum percipiebatur, quoties brachium attollere & ſupra caput ferre tentabat, unde vitium circa humeri articulationem ſubeſſe prima ſuſpicio fuit, at cum nullus ibi tumor nec aliud luxationis humeri indicium eſſet, humori viſcido & lento ibidem hærenti atque ligamenta ejuſdem oſſis imbibenti, quicquid erat vitii, adſcribebatur. Idcirco *corpore expurgato ad thermas ſulphureo-nitroſas d'Aix Allobrogum Æger* miſſus eſt. Levamen inde haud multum ea tempeſtate percepit, at æſtate ſequente, cùm iter eò iterum inſtituiſſet, optime habere & brachium facile quaquaverſum movere viſus eſt. Res eo in ſtatu annos duos aut tres manſerunt, donec *anno præterito* major etiam quàm antea brachii attollendi impotentia fuit, quod exercitiis quibusdam, quibus defatigatum paulò antea fuerat brachium, imputatum fuit; haſtam ſcil. & vexillum tractans, ſupra caput rotaverat ſæpius & per plures dies. Quicquid fuerit, *anno ſuperiore aquas d'Aix tertiò & quartò* repetit *ſub Veris & Æſtatis finem.* At nihilo melius inde habuit, præſidiumque illud quo antea feliciter uſus fuit, nullum attulit levamen, quia manet etiamnum humeri attollendi impotentia, nec ullus circa oſſis articulationem tumor apparet, nulla itaque humeri, ut dictum, luxatio:

Claviculæ ſubluxationem aliquando accuſari poſſe putabatur, cujus diagnoſis *optimis Chirurgiæ Scriptoribus* difficilis perhibetur, at nulla figuræ mutatio, nullave cavitas oſſis hujuſce cum Acromio Articulationem ſubeſt.

Muſculorum forſan brachium attollentium, *Deltoidis* ſcil. & *Coraco-Brachialis* Paralyſis ſuſpicari poſſet, at humerus atrophia non laborat nec ullatenus imminutus apparet. Rigiditas ſane, quæ obſervabatur in tendinibus muſculorum ſub Ala latitantium *ſubſcapularis* ni fallor & *Teretis minoris,* cum vi brachium attollere quis nititur, tendinum illorum infarctum arguere videretur, quaſi nimirum humor auſterus & aluminoſus illos imbiberet & fibras contraheret, unde humerus deorſum adduci deberet: at neque *unguentis* neque *balſamis aut axungiis, ne humanâ quidem excepta*, juvatus eſt, nec *Fotus ex Omaſis & interaneis ovium aut vaccarum* hilum profecerunt, *nullaque emollientia aut roborantia* utilia fuêre.

An ulla ex cauſis prædictis hic locum habeat, anne aliunde peti debeat? Quæritur, unàque remedia convenientia indicentur, ſi quæ tandem ſint, à Viris Excell. Conſultiſſimis, Experientiſſimis, quibus hoc ſcriptum tradetur, exſpectat Dominus Parens & rogat, cui operam meam in hoc affectu deſcribendo lubens commodavi. Genevæ d. 21. *Martii* 1693.

Le Clerk, M.D.

In Literis paternis hæc referuntur : Morbilli copioſiſſimi & moleſtiſſimi eruperunt, faciem & totum corpus infeſtarunt, ac veneno hoc quaſi implebantur, quatuor diebus oculos aperire nequiit. Diſcedentibus morbillis obſervatum fuit reſtitaſſe defluxionem & debilitatem in brachio dextro circa humerum, quia nequiit ſine moleſtia manum ad caput attollere. *Sequenti anno* miſſus *ad Thermas d'Aix in Sabaudia* ſine ullo ſolamine: *ſequenti anno* rurſus illas adivit, harum uſu integre ab impotentia vindicatus videbatur. Anni quinque vel ſex præterierunt, æque dextro ac ſiniſtro brachio utebatur nec vel de minimo dolore querebatur, adeo ut de ejus impotentia nec cogitarint quidem, multo minus attenderint. *Anno* 1691. *hyeme ſub finem anni & principium anni* 1692. apparuit rurſus impotentia, motum ejus ignavius conatus eſt, nec illo fere utebatur, ac de dolore circa articulum conquerebatur & de rigiditate ſub axillis, motum in agendo impediente. Adſcribebatur id perfrigerationi. *In principio anni Chirurgi* magnâ diligentiâ in affectum inquiſiverunt, putarunt adeſſe relaxationem humeri & ſcapulæ ac ſimul parum retro ceſſiſſe, hanc ob cauſam

ſam ſuaſerunt *thoracem intus oſſibus Balenæ firmatum* : fidem dederunt, ſic humerum cum ſcapula in priſtinum ſitum redactum fuiſſe nihilque ſupereſſe quàm debilitatem aſſeverarunt. Spina dorſi rectiſſima erat, oſſa ad humerum ſpectantia & clavicula naturalem ſitum & conformationem habuerunt, unde perſtiterunt in ſua ſententia, nihil ſupereſſe, quàm debilitatem quandam. Verum *Dominus Parens* quotidie videns puerum brachium non attollere, nec in altum ſublatum ab eo teneri poſſe, aliud ſubeſſe malum credidit : culpam attribuit duobus tendinibus ſub axilla duris & rigidis, deſtitutis communicatione ſpirituum vitalium vel potius animalium. Cæterum puer eſt ſaniſſimus, impiger, agilis, nullus tumor, nulla atrophia apparet, licet minus nutriri, quàm ſiniſtrum obſervetur : in articulo tamen humeri dolet, non tamen obſervari poteſt, an proveniat à muſculis attollentibus, quia non dolet, niſi brachium in altum tollatur : omnis defectus eſt ab humero uſque ad cubitum : à cubito ad extremos digitos nihil præternaturalis animadvertitur : cubito, manu & digitis omnes motus pro lubitu peragit, etiam manu dextra ſcribit pro lubitu. Firmiter credit motûs impedimentum adſcribendum eſſe tendinibus rigidis ſub axillis. A longo tempore delectatur armorum tractatione, ſc. haſtarum, bipennis, vexillorum; & verentur, horum abuſu, imprimis vexilli rotatione ſuper capite, hanc impotentiam reduxiſſe. *In Thermis* quoque uſus eſt *Embrocationibus.*

Conſilium Medicum.

IMpotentia brachii dextri ad motum, ſurſum verſus caput faciendum, non poteſt adſcribi vel muſculorum illud attollentium tumori, aut oſſibus humeri aut claviculæ loco motis aliterve affectis, cum in & circa humerum dextrum, aut in clavicula nullus tumor, nullaque cavitas obſervetur : licet humerus cum ſcapula aliquantulum loco motus creditus ejusque cauſa indutus fuerit *thorace oſſibus Balenæ ſuffulto*, attamen levicula iſta declinatio hujus impotentiæ cauſam non fuiſſe inde patet, quia his repoſitis & ſuo loco firmatis perſtitit impotentia: inſuper plurimi reperiuntur imprimis in ſexu fœminino, quibus alterutra ſcapula elatior eſt, vel dum juvenculæ & teneræ adhuc infantes geſtarunt, vel dum ad latus inclinato nimium corpore nebant ſimilesque labores diu peregerunt ſedentes citra motûs aliquam imbecillitatem : ac forte *Nobilis iſte Puer*, dum brachio dextro pro lubitu uti non potuit, ſenſim toto thoracis latere dextro ad ſiniſtrum inclinando, ſcribendo, aliave audendo levi iſti ſitus mutationi anſam dedit. Impotentiam hanc adſcriberem potius ſpirituum animalium influxui ſufficienti denegato per nervos cervicales *ad muſculum Deltoidem cæ-*

teroſque humerum attollentes deſtinatos, *de his muſculis vid. Myologia Broun, & de Nervis Vieuſſens Nerograph. L. 3. c. 2. Tab. 24. & 25.* Impedimentum credo lympham intra involucra ramulorum nervoſorum, ad hos muſculos ſpectantium, effuſam & inſpiſſatam ac glutinoſiorem factam, partem medulloſam prementem & plenum ſpirituum animalium influxum prohibentem. Ut hoc credam, me perſuadent occaſio hujus mali, quæ erant morbilli, nam in toto corpore abundantiſſime effloruerunt, oculos per 4. dies clauſerunt, & jam evaneſcentibus, obſervatum fuit primo labium tumidum, quod aufferendum erat *remediis evacuantibus & revellentibus internis & externis.* Debellato morbo & ſublato labii tumore demum obſervatus fuit brachii dextri torpor & ad motum brachii in altum impotentia. Nam in morbis acutis, quorum in numero merito hi morbilli cenſendi ſunt, humores funduntur & ſanguis multis ſpiritibus exhauſtis ſeroſior redditur, unde non infrequenter obſervantur febres etiam ardentes, Morbos, ut vocant, frigidos ſubſecutos fuiſſe. *Febri maligna jam aliquot menſibus hic epidemice graſſante vidimus Nob. Adoleſcentem, qui in declinatione Febris Petechialis Hemiplegiam incurrit cum colluvie in pectore ſtagnante enormi, ut Phthinodes crederetur: quia hydropota erat, prope ſolo lactis potu ab utroque malo, benedicente Deo, convaluit; plures obaudiverunt diu; fœmina 30. annorum & puer 13. annorum corripiebantur gutta ſerena, viſum recuperarunt Setacei beneficio.* Quò magis credam à ſero alicubi circa nominatos nervulos hærente, me perſuadet robur ſecunda vice *Thermarum Aixenſium* brachio reparatum, ut aliquot annis nihil de impotentia ſupereſſe viſum fuerit, adeò ut dextro æque ac ſiniſtro pro lubitu uti potuerit. Quod idem confirmat recidiva *ſub finem anni 1691. & principium 1692.* eveniens à frigore, nam ab illo magis torporem augeri animadvertit. Non juvarunt quidem *Thermæ eædem bis in uſum vocatæ,* etiam *non neglecta embrocatione,* fueruntque fruſtranea *unguenta, olea, pinguedines, fotus cum omaſo & interaneis animalium, aliave.* Verum id ſolemne eſt nervinis affectibus, ut ægerrime cedant, forſanque cauſa ſeu impedimentum latet in loco, quorſum vis *Topicorum* hactenus non pertigit; nervi enim ad hos muſculos abeuntes ſunt ex cervicalibus, & incertum eſt, num foris ad latera colli? anne verò intra ſpinæ fiſtulam impacta ſit? taceo nervorum conformationem ſemel læſam difficillime reconcinnari poſſe. Serum, ut ſpirituum animalium influxum remoretur, intra involucrum rami nervoſi ramulos ad hos muſculos mittentis effundendum eſt, aliàs ſi foris ſolùm illos irroraret ac lamberet, non poſſet hoc præſtare, ut in hydropicis obſervatur, qui plerumque ſenſum & motum in pluribus

ribus partibus integros retinent, licet in aqua quaſi natent. Intra involucrum effunditur ex capillamentis arteriarum, quibus etiam interna nervorum dotata ſunt, *an mediis glandulis? quarum mentionem facit Clopton Havers Lib. de Oſſibus*, non auſim dicere, quia nec à me nec ab aliis forte viſæ fuerint: attamen certum eſt ab his irrorari interſtitia quoque muſculorum & articulorum. Recidiva evenit *Puero iſti*, quia pars poſt primam invaſionem debilis aut certo laxior manſit, ad infuſionem & receptionem talis humoris aptior, illam promovit ſanguineus aliàs ſimul ſero abundans violentis exercitiis, à quibus ſanguis aliquomodo fundebatur: loco autem huic impingebatur ab expoſitione corporis frigido aeri forte æſtuante corpore, nam recruduit impotentia *hyeme ſub finem Anni* 1691. & *principium* 1692. Humorem hunc à capite ad fiſtulam ſpinalem medullæ deſcendiſſe non credo, quia cæteri omnes nervi integri perſtiterunt huc uſque, vix enim cæteri lædi non potuiſſent, cum oriantur ſeu ſcaturiant omnes à medulla ſpinali eodem loci: *vid. Vieuſſens.* Etſi ſymptoma hoc muſculorum humerum attollentium paralyſin aliquam ſapiat, nondum tamen atrophia apparet, quamvis hanc partem minus nutriri *Dominus Parens in Literis* memorarit: id fit, quia muſculi hi per arterias ſufficiens alimentum accipiunt, & ſi ſpiritus animales ad nutritionem neceſſarii credantur, nec illi deficiunt penitus, nam *Puer* in altum moto brachio dolorem quendam experitur, ſcil. commotis humoribus intra articulum reconditis, ſive ligamentis ob intermiſſum motum magis corrugatis & à violento aut inſueto motu ſubito extenſis; & omnino ſpiritus animales copioſe à nervis cervicalibus ad brachium & muſculos adhuc transvehi, inde conſtat, quia brachium à cubito ad extremos digitos pro lubitu movet & adhuc ſcribere valet. Rigiditatem tendinum muſculorum humerum deprimentium ſub axilla tactui occurrentem obſtare humeri ſublationi in altum facile concedo; illam tamen productam fuiſſe ab humore quodam aluminoſo tendinis interiora infarciente, mihi perſuadere nequeo, quomodo enim hic humor è tota maſſa ſanguinea, illæſis aliis partibus ad hos ſolos tendines deflectere ſuamque ſedem ibi figere potuerit, non video. Potius id eveniſſe propterea exiſtimo, quia hi deprimentes muſculi à ſuis Antagoniſtis jam ultra annum rariſſime extenſi fuerunt; notiſſimum eſt, ſi vel *Ægrorum aut Chirurgorum culpâ* in vulneribus & abſceſſibus incurva relinquantur diu, poſtea artus ægerrime ad ſitum & uſum legitimum & vix *ſine machinis* perduci poſſe. *Id evenit Colonello Locumtenenti Moſero in Ducatu Würtembergico, Nob. Dn. Alexandro Ziegler & Joh. Murbachio pecuniam multoties numerantibus in minoribus digitis; minor & auricularis ex conſuetudine inflexi perſtiterunt, ut è vola manus amplius*

 educi

educi nequiverint. Fit hoc, quia tendines, niſi ſubinde extendantur & relaxentur, breviores redduntur ac contracti permanent. Quæ cum ita ſint, potiſſimum ad hoc ſymptoma aufferendum, opera danda, ut obſtaculum, in nervo influxum ſufficientem ad muſculos humerum attollentes, tollatur, diſcutiatur, liberque influxus procuretur.

Cum enim *Nob. Puer* cætera ſaniſſimus ſit, vegetus, agilis & vel maxime delectetur exercitiis arma variè verſandi, non multùm laboris inſumendum ad roborandas alias partes & maſſam ſanguineam corrigendam, ſufficient, ſi hæc laudabili diætâ in præſenti ſtatu etiam inpoſterum conſerventur. Ad cauſam impotentiæ eliminandam *multa interna & foris Topica eaque efficaciſſima adhibita ex hiſtoria ab Excell. D. D. Clerico conſcripta* & *ex literis Domini Patris* abunde perſpicio, ut quod addendum ſit, prope neſciam, ſupereſſe tamen videtur *ſudoris provocatio ſuper ſcamno ſudorifero. Iſta ſudoris provocatio præ aliis minus debilitat legitime inſtituta*; nam illi exſerto capite & collo, ceu in lecto incumbunt, prius *congruo Electuario & decocto* ſumptis: calor pro lubitu moderari poteſt ibique relinquitur ad bonam virium tolerantiam, & nihilo minus egregie etiam in capite & collo ibi & poſtea in lecto porro ſudant. Deinde *illud efficaciſſimum à* 30. *annis* comperi, ſeroſos enim humores diſſolvit & educit ex reconditis latebris, quorſum vix *aliorum topicorum virtus* pertingit. *Sic ante plus quàm* 20. *annos illam ſuaſi Vicario cuidam Generali cum palpabili fructu: ille ſub finem Autumni officii cauſa per ſylvam Martiam iter faciens à vento frigido circa cervicem, non bene contra frigus collo munito ſenſim quoties locuturus erat, præter voluntatem ſibi dentes conſtringi animadvertit, quod etiam inter comedendum evenit; quoniam os ſponte aperire potuit atque ipſemet ei dentes diducerem, credidi muſculos maxillam inferiorem detrahentes aliquid paralytici paſſos fuiſſe, fortioribus adducentibus imprimis temporalibus perſiſtentibus: cum tum interna tum externa fruſtranea eſſent, tandem ipſi ſcamni uſum perſuaſi. Vid. Obſ. CLI. Idem ſymptoma vidi ante paucos annos apud V. D. M. ſcamnum hactenus ob turbas bellicas in Ducatu Würtembergico omiſit. Præterito anno ſcamni uſum commendavi Perilluſtri cuidam Canonico jam ſexagenario & Colonello Helveto vix* 30. *annorum majori, ambobus ob ſemiparalyſin muſculorum faciei os cum fœda deturpatione ad latus trahebatur, eo cum fructu, ut vix amplius obſervari poterit. Perſuaſi autem propterea potiſſimum, quia prædixi topica alia fruſtranea fore, cum nervi ſpiritus animales his partibus ſuggerentes intra cranium à quinta conjugatione poſt ſellam equinam oriantur, quorſum virtus topicorum penetrare non valeat. Alias quoque in hemiplegia & lumbagine inveterata ſuadeo. Typum ſcamni* nuper *Excell. D. D. Mangeto* tranſmiſi, qui lubens ejus copiam faciet.

Commodiſſimum tempus incumbendi, eſt tempus matutinum finita

nita concoctione, exonerato corpore, quò aliàs ſpontanei ſudores emergunt. Antequam ſurgat, detur *Bolus magnitudine nucis juglandis aut moſchatæ.*

℞. *Conſerv. roſar. rubr.* ℥ij. *Anthoſ. majoran.* āā. ℥ß.
Conf. de hyacinth. c. ʒj. *ſyr. capill.* ♀ *parum. Mſc. F. Electuar.*

Superbibat *hauſtum* ℥iij. *vel* ℥iiij. *hujus decocti calide.*

℞. *Rad. chin.* ℥j. *aut ſarſæparill.* ℥ji. *ſem. fœnic.* ʒij. *Inciſ. coq. cum aq. fontan.* ℔iiij. *in vaſe clauſo per horam unam. Coletur ſine expreſſione.*

Cuilibet hauſtui poteſt addi ſyr. capill. ♀ *aut flor. paralyſ. ad cochl. j. vel ij.* Interea apparetur *ſcamnum, ei imponatur ſaccus paleâ plenus, ſuperſternatur linteum mundum, per oſtium in imo ciſtæ batillus unus vel ij. prunâ ardente pleni indantur, claudatur oſtium, anterius verſus cervical. appendatur linteum mundum multiplicatum, ut caloris exitus prohibeatur: tegmini imponantur culcitræ, ut calor bene coerceatur. Quamprimum ſaccus incaluit, puer ſcamno incumbat exſerto capite, appendatur anterius linteum, ne calor faciem feriat: capiti ſubſternatur pulvinar molle: coſtæ & tegmini imponantur lintea mollia, ut illis ſubinde facies & collum detergantur. Dum incumbit ſcamno, aliquoties refocilletur cochl. j. Julepi.*

℞. *Aq. fl. paralyſ. beton.* āā. ℥ij.
Matr. perlar. ppr. ℈j. *C. C. ph. ppr.* ℈ß.
Conf. de hyacinth. c. ʒj. *ſyr. de Rub. Id.* ℥ß. *Mſc. d. ad vitr.*

Si calor ipſi moleſtus, eximatur batillus: ſin nimium tepeſcat, indatur alius. Sinatur ad optimam tolerantiam. Abiturus à ſcamno detergatur totum corpus imprimis caput & collum, reponatur in lectum calefactum ibique ſubinde porrigatur cochl. j. aquæ ſeu julepi cordialis. Maneat in lecto, donec ſubſtiterit ſudor: dum ſcamno utitur, permaneat ſemper in conclavi temperatè calido; nullo modo aëri frigido ſe exponat. Prima vice non relinquo ſuper ſcamno ultra quadrantem horæ: Nob. Puerum verò in ſummo non ultra horam. Veſperi ejus uſus non eſt neceſſarius. Extra lectum collare calidum hoc pulv. perfumatum circumponat.

℞. *Succin. flav.* ℥j. *Maſtich.* ℥ß.
Flor. lavend. ſummit. roriſmar. āā. ʒvj. *Mſc. F. Pulv. gr.*

Bene fieret ſi totum capillitium detonderetur ſingulis vel alternis menſibus: capiti imponatur Cucupha,

℞. *Succin.*

℞. *Succin. alb. ppr.* ℨij. *Maſtich.* ℨj.
C. C. uſt. ebor. uſt. āā. ℨß. *Mſc. F. Pulv. Inſpergatur goſſypio, inſuatur ſindon. alb. pro Cucupha.*

Geſtet capillitium factitium.

Uſus ſcamni continuetur per dies 8. *Poſtea naturæ induciæ concedantur per dies* 8. *Sic repeti poterit indefeſſo ſtudio, donec motus brachio redeat. Extra tempus uſus ſcamni cervici toti imponatur emplaſtrum diacalcith. Fabr. Hild. Dum utuntur ſcamno, vinum denego: potum ſuadeo decoct. rad. chin. aut lign. ſaſſafr. Cibi ſint boni ſucci, facilis digeſtionis: extra uſum illius concedo vinum, ſed tali decocto dilutum.*

Interea quotidie opera danda, ut tendines humerum deprimentes ſenſim relaxentur; hanc ob cauſam cubitus cum humero blandè manu à thorace abducendus: interſtitio pulvinar quotidie craſſius & ſic per gradus interponendum, ipſeque cubitum menſæ vel ſedili imponat quotidie altius, ut ſenſim iſti tendines extendantur rurſus, ſubindeque humeri ſublationem in altum moliatur: quo tendines lubentius cedant, hi interdum *ſolo oleo lumbricor.* quaſi fricentur. Quià amore armorum ducitur, hoc exercitium potius commendarem quàm diſſuaderem, quia à talibus influxus ſpirituum animalium egregie promovetur. Brachium crebro antrorſum retrorſumque moveat, quandoque rotationem audeat.

D. T. O. M. omnia ſalutaria eſſe jubeat!

Scaphuſii d. 1. *Aprilis.* 1693.

Joh. Jacob. Wepfer, M. D.

Excellentiſſime Domine!

EA eſt affectûs *Nob. Pueri* male habentis natura, ut dubia non pauca circa ejus diagnoſin ſubinde enaſci nihil mirum videri debeat. *Conſilium Medicum ab Excellentia Tua tanta cum Acribeia ſcriptum,* ut vix quicquam addi aut deſiderari poſſit. Verùm unum aut alterum ſupereſt, de quo majorem explicationem tum *Tibi* dare, tum *à Te* viciſſim accipere neceſſitas incumbit. Primo partem affectam humerum ſcilicet, quod ſpectat, is, *ut Vir Nobiliſſ. Ægri Parens ſcripſerat*, etſi altero tantillum minor, ejusque muſculi molliores paulo ſint, differentia tamen hæc, niſi attentè & curioſè utrumque humerum comparanti, non facile percipitur; adeò ut mollities illa & aliqualis atrophia uſui hujus membri fere abolito, multum ſaltem imminuto, adſcribi poſſe videatur. Eadem ſane de cauſa, ob uſum nimirum ceſſantem

ſantem, ſcapulæ ejuſdem lateris muſculi atoniam & laxitatem quandam præ ſe ferunt, ſcapulamque ſurſum deorſumque moveri patiuntur, quod *Chirurgis Noſtratibus* anſam præbuerat emotionem aut veluti prolapſum hujuſce partis accuſandi.

Alterum quod ad iſtius affectûs diagnoſin, præter ante ſcripta, ſcire non parùm refert, in eo verſatur, ut quatenus & quouſque humerum movere ſeu attollere poteſt *Nob. Puer*, probe noſcatur: ſupponit *T. Exc.* Humerum hunc aliena manu cum aliqua violentia attolli poſſe. Id quadantenus verum eſt. Attollit ſcil. humerum uſque adeo, ut angulum propemodum imò vix ac ne vix quidem rectum cum thorace efformet; at ultrà, ſuperiusve attollere, aut angulum obtuſiorem facere nulla adhibita vi hactenus potuit. Quia quotiescunque hoc tentatur, totum corpus retrorſum præ impotentia ulterius progrediendi & præ dolore incurvat. Hæc pauca majoris explicationis causâ dicenda habui, quibus an ſoli paralyſi muſculorum attollentium humerum contumaciſſimus affectus adſcribi poſſit? an præterea vitio cuipiam circa articulum ipſum & ligamenta hærenti, viderit *T. Excell.* Eadem hæc ligamenta per exercitium intempeſtivum aut nimium primò vim paſſa, elongata aut laxata aliquantulum fuiſſe crediderim, inde ſeri viſcidioris & facile concreſcibilis portiunculam articulo ſenſim inſtillatam fuiſſe, imo ligamenta ipſa imbuiſſe, quod ſubluxationis obſcurioris ſpeciem præſtiterit.

Hoc poſito muſculorum deprimentium rigiditatem, quam modo accuſabam, ut & attollentium atoniam pro affectibus ſecundariis modo haberem. An alii cauſæ totum hoc acceptum ferendum ſit? ignorare Me ingenue fateor; *lubens itaque exſpectabo, quid ſuper hac re in Conſilii doctiſſimi & elimatiſſimi nuper accepti ſupplementum addendum habebit T. Excell.* Curationem quod attinet, ſcala ſeu pulvinar *à Te* propoſitum maximopere mihi probatur, à quacunque demum cauſa hæc brachium attollendi impotentia pependerit. A ſudoribus arte provocatis, an tantum profectûs percepturus ſit *Nob. Puer?* ſudores *poſt Thermas ſuperiore anno* copioſè prolecti, faciunt, ut dubius hæream.

Fotus ex Decocto Omaſorum, imò interaneorum ovium & vaccarum cum ipſo fimo applicata, additis herbis nervinis, diſcutientibus & emollientibus è re eſſe, unà *cum oleis lumbricorum, catellorum &c.* exiſtimarem. Cætera ab exercitio peti poſſe, quod juxta *cum Excell. T.* commendavi, nullus dubito, eamque ſolùm ſupereſſe viam, quâ reſtitui poſſit pars in priſtino officio, ſi modo id ſperari etiamnum poſſit, credo. *Vale Vir Excell. & fave*

Tibi addictiſſimo

Genevæ d. 18. *April.* 1693.

Le Clerc, M. D.

Nob. Dnus Parens addit in Literis ad me datis die 17. *Aprilis* 1693.

*P*Uer Brachium antrorſum & retorſum vim movendi habet, & quando juvat & ſuſtinet manum dextram, ſiniſtrâ illam fronti admovere poteſt ad pileum uſque, verùm brachium rectà à thorace extendere, ipſi impoſſibile eſt ad arripiendum aliquid de menſâ, quod altius ſitum eſt manu dextrâ: & alius ipſum adjuvans, illud magis præſtare poſſet, quàm ipſemet, nec brachium à thorace ultrà 4. vel 5. digitos removeri poteſt; & quando attollere conantur manum, *Puer* non exiguos dolores patitur & corpus flectit ſecundum motum brachii, id eſt, inclinat ad latus, ut ſublationem brachii ſubterfugiat. Hæc ſcribit, quia *in Conſilio* ſcripſerim motum humeri ab alio ſurſum juvari poſſe, quod tamen præſtare nequit: unde colligit, aliquid eſſe, quod detineat & impediat ſublationem humeri, nervos ſcil. aut tendines ſub axilla nimis rigidos ceu minus obedientes. *Petit ſuper his Reſponſum.*

Die 27. *Aprilis* 1693. *reſpondi:* Impotentiæ hujus cauſam non eſſe 1. Capitis humeri loco moti, quia circa articulum nec tumor nec fovea reperta fuit. 2. Non impletio acetabuli ſeu ſinus in capite ſcapulæ, aut impletionem aut humorem quendam ligamenta in hoc articulo imbiberint, quamvis humor in hoc acetabulum effundi ac ab eo ligamenta imbui poſſint, nam ligamenta in ſuperficie interna prædita ſunt glandulis, *vid. Clopton Havers de oſſibus.* Verùm tàm ſinum quàm ligamenta vitio carere exiſtimo, quia humerum antrorſum & retrorſum movere valet, ſine dolore, non autem ſurſum. Culpa hærere videtur in muſculis attollentibus ſcilicet in *Deltoideo, ſupra & infra Spinato Scapulæ,* unde illi flaccidiores & incipiente atrophia afficiuntur, & humerum deprimentibus brevioribus redditis ac prope rigidis factis, ut nullâ vi externâ avelli valeant. Cauſa imbecillitatis attollentium eſt ſpirituum animalium influxus imminutus: ex defectu ſpirituum animalium atrophia & impotentia brachii oriri etiam poſſunt. Inſigne oportet eſſe damnum, quia plures ſimul muſculi ſuâ virtute aliquomodo orbati fuerunt.

Decocta Omaſorum & interaneorum animalium cum fimo & plantis nervinis mihi non diſplicent, menſibus vernalibus hæcce adhibere tutò & forſan cum optato effectu poſſent, diætam ac Regimen *Excell. Dominus D. le Clerc* tanquam præſens jam diriget. Inſuper commendavi denuò *ſcamnum ſudoriferum menſibus autumnalibus & hybernis,* ſi *Decocta* optatum effectum non præſtiterint, utendum, quia ejus benefi-

beneficio *Medicamenta* melius ad locum perducuntur, quàm *ab ullis aliis Topicis. Hoc* in diſtorſione oris, conſtrictioue dentium plus præſtiti, quàm *aliis externis. Exempla aliquorum curator. in Conſilio memoravi:* ſcalam quaſi articulatam ſive cum pulvinari ſive cum menſa aut ſedili per gradus commendavi. *Pulv. contra flux. pro fumo &. cucupha* non è re foret, ſi adhiberentur.

Si ulterius inſervire potuerim, me moneant, lubentiſſime id præſtabo.

OBSERVATIO CLIV.

Impotentia Inceſſus.

NObiliſſimi *Dni Johann. Frider. Romul. Syndici Nördling. Uxor* 28. annor. Nupta anno 18. ætatis. Statura oblonga, juſta, nec carnoſa nimis, nec gracilis, facies candida cum rubore ſuffuſa. Ratione ventriculi ſana, obſtructionibus alvi & menſium obnoxia: Puella adhuc nudis pedibus per plateas inceſſit incuriâ Novercæ. Nupta querebatur de laſſitudine ſpontanea, adſcribebatur vitæ ſedentariæ & ſolitariæ. Sexies peperit: quoties gravida erat, laſſitudo incrementa ſumpſit, ſpaſmus quoque tempore graviditatis utero & pedibus moleſtus erat cum intolerabili dolore, unde poſt puerperium *ter V. S. in pedibus fuit*, quod *Medici Nördlingenſes* improbârunt.

Menſe Januar. 1676. ex concione domum itura pedibus inſiſtere nequiit, ſed ſuffulta aliâ fœminâ domum ducenda erat. Erat tunc gravida; poſteà domi manſit. Tum ſpaſmus in utero ex pedibus crevit, obortus intolerabilis dolor lacerans in pedibus, doluit quoque in lumbis, ſitiit, & ita ſigna calculi renalis ſe oſtenderunt, cujus cauſa uſa eſt *pulv.* lumborum dolor inde remiſit, pedum crevit; donec *die* 18. *April.* Filium peperit, qui obiit ex diarrhœa *die* 11. *Jun.* In puerperio & extra lectum intolerabiliter augebantur dolores pedum. NB. Pedes frigidi & gelidi quaſi, & à genubus ad digitos ſtupidi, digiti quaſi emortui evaſerunt. Frigus hoc pedum à lumbis & utero ad pedes per femora deſcendiſſe putavit, unde femora emaciata, venæ evanuerunt, acceſſit ſeu dyſuria ſeu ſtranguria. Poſt puerperium cum incedere non poſſet niſi ſuffulta, uſa eſt *Thermis Wembdingenſib. in Bavaria*, quæ prædita ſunt ⦶ *& maximam partem* 🜂*r.* calefaciendæ ſunt. *Ab uſu harum Thermarum per 6. ſeptiman.* pedibus rediit calor, tactus; atrophia evanuit, venæ prominuerunt & ſola incedere valuit per hypocauſtum. Attamen *poſt Thermas* cùm anteà pedes ſub genubus flec-

tebantur & incurvabantur, ſiniſter extendebatur. Poſt reditum *è Thermis* dolor rediit. Uſa eſt *ſpir. fortib. Frictione & inunctione unguent. nervin. ter vel quater in die*: unde obambulat, etiam ſcalas ſcandit: pedibus calor rediit: contractio tamen & tenſio in pedibus maxime in ſiniſtro non remittunt. *Poſt inunctionem* immediatè meliùs incedit, quàm ſi differtur aut longius *poſt inunctionem*: celeriùs incedere meliùs valet quàm tardè. Frigus adhuc ſentitur, quamvis calor lecti pedibus proſit & quandoque ſudor ex illis proliciatur. Nunc utitur *Reliquiis ex Cereviſia* (Trebern) *calidè. Thermæ Ferinæ* ſuadentur. Natura ſibi ſuppetias feret, nam pedes, nervi & venæ robur recipere videntur, modo natura juvaretur. Manent obſtructiones alvi, menſium & aliqua dyſuria, unde credit *Thermas* non ſufficienter juvaſſe. Alvus perpetuò *medicamentis* aperta ſervanda. *Menagoga* fruſtrà data. *Fortia medicamenta* reſpuunt *Medici.*

Hiſtoria hæc perſcripta fuit à Nobiliſſ. Dno Marito d. 19. Octobr. 1676.

Reſolutio.

IMpotentia hæc incedendi non videtur unquam paralyſis fuiſſe, quia ſemper cum dolore & ſpaſmo quodam juncta fuiſſe ſcribitur, quia maximam partem cum lumbagine jungebatur. Laſſitudo ſpontanea in pedibus non fuit ſemi aliqua paralyſis, quia ſupra dictis ſymptomatibus comitabatur, quia illa fieri potuit ob ſanguinis arterioſi legitimum influxum inhibitum; impediri autem potuit tum ob nervulorum arterias ambientium contractionem, tùm ob illarum compreſſionem, nam plerumque gravida hæc patiebatur. Nec ſtupor aut frigus pedum poſt ultimum puerperium eveniens ſufficiens ſignum ſunt paralyſis, quia cum hoc ſtupore dolor lancinans pedum & tenſio aderant, quæ ſigna ſunt, medullam ſpinalem in lumbis nec compreſſam nec obſtructam hactenus fuiſſe: ſtupor ille quia cum atrophia & manifeſto frigore jungebatur, indicio potius eſt illum originem ſuam ducere à denegato influxu ſanguinis arterioſi.

Si omninò paralyſis aliqua concurrere credatur, fatendum tamen erit malum originem ſuam traxiſſe ab humore, illi qui arthritidem & convulſiones particulares excitat ſimili: quia cum dolore, manifeſtis ſpaſmis muſculorum abdominis, non uteri, femorum & pedum & lumbagine junctus erat. Quia nervi iſti ſæpiùs & diu convulſi fuerant, fieri potuit, ut tandem affluxus ad plexus nervoſos alicubi in femoribus factus fuerit, qui influxum ſufficientem impedierit, unde laſſitudo ſpontanea, impotentia incedendi, ſtupor, etiam atrophia, ſi ſuccum nervoſum ad nutritionem concurrere credamus, & denique frigus evene-

evenerunt: niſi quoque ob dictas rationes arterias anguſtiores factas fuiſſe velimus: quia *Thermæ* juvârunt, indicium eſt omninò influxum impeditum fuiſſe.

Cauſa igitur proxima non frigida & torpida, ſed acris & vellicans neceſſariò ſtatuenda ob dolorem & ſpaſmum: cujus quoque effectus ſunt dyſuria & ſymptomata nephritidi ſimilia, quamvis nullum adhuc calculum excreverit. Quia *Thermæ Wembdingenſes* juvârunt quidem ac impotentiam aliquandiu ſuſtulerunt, non tamen fidum auxilium præſtarunt; nam poſt reditum *ex Thermis* redierunt dolores vehementes & ſpaſmus: nimirùm eo modo juvarunt *Thermæ*, prout levamen arthriticis afferre ſolent ſcil. momentaneum, ſævioribus doloribus poſteà recrudeſcentibus.

Humores acres generantur ob varias cauſas ſcil. totam maſſam ſanguineam calidiorem, viſcerum acres humores ſcil. bilem & ſerum ſalſuginoſum ſeparantium, obſtructiones: (anne quoque ob illorum fermenta depravata? quod *Helmontiani* dicerent) ob errores in victu ſc. eſu ciborum ſalitorum, aromatibus conditorum, potum cereviſiæ ſc. victu ſimili qui ſcorbutum progignit. Cumulatus fuit ob vitam ſedentariam, menſium ſuppreſſionem. Pedes potiùs, quàm alias partes humor iſte afflixit, quia in juventute imprimis debilitati fuerunt, dum tenera nudis pedibus inceſſit.

Affectus ut omnes nervini difficulter curatur. *Interna & externa calidiora* non facilè ſuaderem. *Ab internis alterant. calid.* acrimonia augetur, *à purgantibus* magis turbatur: *ab externis ſpirit. & unguent. calidis* nervi ſæpè rigidi fiunt, ſi diu continuentur, unde contractura immedicabilis eveniret. *Ex. gr. D. Schwartzius*, Hänsleins von Hüffingen *Uxor, aliique.*

Potiùs ſuaderem *antiarthritica, diaphoretica, abſorbentia*: cujusmodi eſt *pulv. m. ſpecif. cum ♁io diaphor. add. cinnab. nativ. Thermæ* proderunt *cum acidulis junctæ, ut R. Dno Kochio. V. S. in pedibus* nocentiſſima eſt, quamvis in dolore iſchiadico ſummoperè commendetur: *Id ſuo damno expertus idem Dnus Paſtor, cui omnem ſuam calamitatem adſcribit: nam poſt illam impotentia crevit, ut per plures annos non ampliùs incedere potuerit accedentibus atrophiâ, ſtupore, frigore & aliquot in locis gangrænâ, maximè in pede ſiniſtro circa medium tibiæ & circa pollicem pedis in parte externa. Demùm repetito uſu Thermarum* 1675. & 1676. *cum acidulis juncto convaluit, ut nunc utcunque rurſus incedere valeat.*

Menagoga, quia ſæpiùs peperit, non largiùs obtrudenda: *infuſ. cortic. aurant.* ℥ß. *octiduo ante inſtantes menſes* ſufficit. Alvum apertam ſervet *ſuppoſitor. clyſter. domeſticis & cibis laxantibus.* Sudor matutinus optimum auxilium. Veſcatur cibis optimi ſucci, declinet aërem frigidum. Pedes imprimis contra frigus muniat, cum nervi ipſius admodum irritabiles ſint.

Die 26. Octobr. 1676. ſcribit. A reliquiis cereviſiariis in planta pedis dextri oborta eſt macula rubra cum livore. In corpore ſentit ſpaſmum ac ſi curva futura eſſet, maximè ſi ſe frigori exponat. Tendines quoque maximè in pede ſiniſtro tenduntur: in ſummo fœmore frigus patitur, quod ad extremum pedem inſtar auræ alicujus extenditur. Inter mingendum dolet in planta pedum, inde quidam ſcorbutum conjiciunt adeſſe, quod non credit ob colorem faciei vividum & viſcerum optimam conſtitutionem: potiùs affectum adſcribit utero.

Reſpondi Doneſchingæ die 3. Novembr. 1676.

IN prægreſſis memorata & hæc quæ in his recenſentur oſtendunt genus nervoſum graviter affligi, ut illud ſit primaria morbi ſedes, nam ſpaſmi & tenſiones non poſſunt fieri niſi his afflictis. Frigus longam partium nervoſarum afflictionem conſequitur ob multas cauſas, vel quia etiam arterias ambientes ramuli nervei ſtringuntur ac influxum denegant, vel quia ſanguis influens non vegetatur à ſucco nervoſo. Uterus in culpa eſt per accidens, nec affectûs ſedes eſt, nec fons vitioſum humorem ad genus nervoſum ablegans, quicquid habet, ipſemet precariò obtinet, vel à maſſa ſanguinea immediatè, vel mediantibus nervis. An in illo lateat aliquid fermenti, ambiguum eſt. Per accidens autem in culpam venire poteſt, quia nec tempore graviditatis nec extra illud maſſa ſanguinea depletur, unde principium mali evenit tempore imprægnationis tùm ob ſanguinem detentum, qui fortè copioſior, quàm fœtus exigebat, nam plethorica videtur, tùm ob compreſſionem nervorum in pelvi à mole fœtûs. Nam aliàs uterò hoc vitium adſcribi non poſſe confirmatur inde, quia idem Viris evenire poteſt, *ut R. P. Johann. Baptiſt. Eiſelin Mon. St. Blaſ. qui hoc ipſo anno eadem paſſus eſt: & ante annum P. Hermanno Bavaro. Ante aliquot annos Paſtori noſtro Primario.*

Pergat igitur *præſcriptis*, Meque de ſucceſſu edoceat, ſimulque de eventu maculæ in pedis dextri plantâ oborta. Scorbutum adeſſe non dixerim, cum alia ſigna abſint, non tamen negârim ſerum ſanguinis ſalſiùs & acriùs eſſe quàm decet, neutiquam tamen tàm corruptum, ut in ſcorbuticis obſervatur.

Die

Die 16. *Novembr.* 1676. *ſcribit.* Apud uxorem nullum ſabulum in urina ſubſidet. *Pulvis antiarthrit. & antiſpaſmod.* Spaſmum ex pedibus in ſoleas ſeu plantas pedum propulit, menſes movit, at frigus & tenſio in pedibus manet cum ſenſu formicationis in digitis pedum, intereà addit illam currere & quidem inoffenſè poſſe, at tardè incedere non valere. Veretur pedem ſiniſtrum breviorem à contractione præ dextro fieri. *An ſcarificatio coxarum contra paralyſin uxoris utilis ſit? Num Acidulæ Egranæ conveniant & an præmittendæ: an Thermar. uſui jungendæ.*

Reſpondi: *Scarificationem in cruribus* diſſuaſi, quia ad partem affectam trahit non exhaurit. *V. Tractat. de Apoplex. in Auctario hiſt.* 13. *pag.* 370. *Acidulæ* præmittendæ & jungendæ: *Egranæ* bonæ ſunt.

Die 5. *Decembr.* 1676. *miſit literas.* Petit *pulv. ſpecif.* pro uxore, qui optimè conducit. At impotentia eundi cum frigore & ſenſu formicationis nondum ceſſant; ſi verò pedibus terram concutiat & currat; calorem attrahit. *An contra frigus nullum topicum proſit?* In toto corpore optimè habet.

Suaſi *Frictiones & Laconicum.*

Die 5. *Januar.* 1677. *ſcribit pulv. ſpecif.* ſpaſmum & conſtipationem ſuſtuliſſe & menſes ritè fluere: obambulat per ædes & quò magis pedes movet, eò meliùs habet & incaleſcunt: citra motum verò frigus & ſenſum formicationis permoleſtum ſentit: itaque ob hoc ad motum adigitur. Suadetur *pediluv. ex fœce vini. An Thermæ Wembdingenſes, an aliæ naturâ calidæ* an der Entz *meliores ſint?* primæ 4. horis diſtant *Nördlingâ.*

Reſpondi: commodiores at non utiliores.

Menſ. Maji 1677. *ſcribit. Balneum fœcum vini* non profuit, nec *frictio panno albo*, unde putat *calida* non profutura neque etiam *balneum vaporarium.* Aliàs adhuc frigus & ſiccitatem cum ſenſu formicationis in pedibus ſentit, item tractum in pedibus per ſuras, plantas pedum uſque ad extremos digitos, maximè in pede ſiniſtro. Si ſpaſmus iſte ſublatus eſſet, crederet ſe ſanam. Cæterum *pulv. ſpecif.* & motus optimè proſunt, quandoque etiam calorem pedibus reſtituunt. Quando *pulv.* omittit, lumbago redit, ut illum neceſſariò continuare cogatur. *Thermæ Wembdingenſes* profuerunt ante annum. *Enzenſes* non tutæ erunt ob milites, ipſaque ab itinere læditur. *Quomodo Acidulas Egranas ante Thermarum uſum bibere debeat & in ipſo uſu Thermarum?*

Reſpon-

Reſpondi : Quia *tempus Thermarum* inſtat, omittat *Baln. vaporarium.* Bibat *Acidulas legitimè*, comedat *fruſt. tab. Imperat. aut ſimiles : purgetur blandè infuſ fol. ſenn. Balneet quotidiè hor.* 5. ante ingreſſum bibat *hauſt. acidular.* omittat *pulv.*

Menſ. Jul. ſcribit. Bibit *Acidulas Egranas* : alvus tertio quoque die *clyſter. domeſtico* aperienda fuit, quandoque ſua ſponte alvus ſolvebatur. Appetiit, ambulatio profuit, nunc *Thermis* utitur, à quibus nullum levamen adhuc ſentit, quod ante annum quandrante elapſo demùm contigerat, intereà tamen per dimidiam horam iter conficere potuit.

Menſe Septembr. 1677. *Nobil. Dnus Joh. Fridericus Romul. ſcribit.* Uxor adhuc extra lectum & obambulationem tenſionem in tibiis ſentit, manè ſudat in lecto, putat ſe curatum iri, ſi tenſio & exſiccatio nervorum tolli poſſet. Omnem culpam adſcribit *inſeſſui ex Decoct. herb.* poſt puerperium. Valde conſtipata eſt, putat inteſtinum rectum à teneſmo læſum *:* ſuadetur *Balneum Vaporis.*

Suaſi contra conſtipationem 1. *Statam horam aſſellationis.* 2. *Clyſter.* 3. *Inunct. umbilic. unguent. laxat.* Contra tenſionem ſub genu *inunct. ol. lumbric. p. ij. ſp. lumbric. p. j.*

Die 28. *Octobr. Ulmâ ſcripſit :* Uxor non patitur ani procidentiam verùm anguſtiam quandam, ut *nullos clyſteres & ſuppoſitoria* admittere poſſit *:* ſi alvus occluſa ſit, patitur oris fœtorem *: Acidulæ Egranæ* cum aliis alvum laxarunt ; ſolæ minùs: *poſt abſolutum potum* redierunt conſtipationes. *Paſſul. laxat. cum ſyrup.* putat imbecilliores fore. Putat *Thermas Wembdingenſes* ipſius affectui incongruas & nimis calidas fuiſſe, cùm imbutæ ſint ♁r. *albo* ⊕ & ○. opinatur ○ nervis inimicum & tractionem tendinum efficere. Sperat *ol. & ſpir. lumbric.* profuturum. *An illis metapedium inungere liceat? An non quotidiè & qualis contra fœtorem oris,* quàm non ſcorbuticam credit, quia benè colorata. ℞ *ſumenda ſit? An & quale Decoct.* ad artus roborandos & arthritidem penitùs extirpandam *ſumendum? Pulv. ſpecif. cum* ♁ *diaph.* profuit ſummoperè, reſtituit fluxum menſium ordinariè, qui inordinatus & quandoque ſubſiſtens multorum ſymptomatum cauſa fuit. Pedibus melius uti poteſt quàm ante biennium *poſt uſum pulv. therm. & acidul.* Solùmmodo tenſio muſculorum pedum moleſta eſt: frigus tolerare nequit: ſi diu in templo ſedeat, poſteà ægre incedit, nec domi diu ſedere licet, interdiu ab obambulatione, noctu à tepore lecti benè ſe habet.

Die

Die 8. *Novembr.* 1677. *ſcribit.* Illam à pueritia debiles & ponderoſos pedes habuiſſe, menſes parcè & inordinatè fluxiſſe, pedes in ſex partubus & *iteratis V. S. in pedibus* magis debilitatos fuiſſe, inſuper malè tractatam à noverca: putat Melancholiam & mœrorem malum auxiſſe, cum quatuor liberi & quidem derepentè mortui ſint non ſine magno terrore, quamprimùm enim tale pathema patitur, protinùs frigus & tremorem in pedibus ſentit, nunc quidem excutit talia pathemata & ſubinde hilaris eſt. Ante tres annos in quinto puerperio ob ſubitam infantis mortem ſubitò lochia ſubſtiterunt ſummè perterritæ: à Clinica datus *hauſtus lochia movens;* circa finem puerperii *inſeſſu ex iisdem herb. in aq. coctis per d.* 2. *fervidiſſimè* uſa eſt, capite quoque operto & vaporibus expoſito: *à potu Decocti* pedes frigefacti, ob frigus *æſtum inſeſſus* non percepit, *finito inſeſſu* totum abdomen doluit, artus contrahebantur & pedes tremuerunt. Pedum tremor, tormina ventris & artuum contractura continuarunt, donec ſexto gravida facta fuit, tum ſæviſſimus dolor lumbos invaſit, credebatur Nephritis, Lumbago deſiit poſteà in dolores coxarum pedumque & in ſpaſmum flatulentum: partui vicinæ pedes imi planè ſtupidi evaſerunt: in ultimo puerperio nullæ venæ viſæ in metapedio, credit *inſeſſum illum* omnia illa contraxiſſe.

Nihil magis profuit quàm *Pulv. ſpecif.* qui tormina ventris, lumbaginem & ſpaſmum ſuſtulit & fluxum menſium ordinatum fecit: ſperat meliora *ab ol. & ſpir. lumbric. thermas* faſtidit: *acidulæ* non nocuerunt. Si hilaris eſt, ſenſum formicationis non ſentit, ſi triſtis ſit aut terreatur, mox redit cum frigore. Nunc maximè angitur propter tendinum & nervorum tractum & exſiccationem, exoptat *medicamentum emolliens.* Frigus & diuturna ſeſſio moleſta ſunt; nam ire non poteſt ferè, donec in hypocauſto & à motu incaleſcat.

Reſpondi: Lumbago, coxarum dolor, ſpaſmus, ſtupor & formicationis ſenſus in imo pede ſigna ſunt medullam ſpinalem afflictam ac metaſtaſin aliquam illuc factam fuiſſe. Auxerunt malum partus frequentes, mala tractatio à noverca, menſes inordinati, lochiorum ſuppreſſio, *freq. V. S. in pedibus.* Tormina ventris, alvus ignavior tùm iisdem nervis, tùm plexibus meſenterii adſcribenda ſunt.

Cauſa eſt ſerum extravaſatum in fiſtula ſacra, quod nervorum ductum ſequi valet, ac nervos in pedibus anteà debilitatos magis affligit. *Thermæ* quandoque proſunt: *Wembdingenſes* nocere non potuerunt, nec nervos exſiccare & adſtringere cum tantillum, 🜍 & ○ quod continent multâ aquâ diluatur, *Pulv. ſpecif. ſemel in ſeptimana* ſum-

tus prodeſſet : item *Decoct. Guajac. ſ. cum paſſul.* quia balſamum naturale conſervat & diſcutit. *Ol. lumbric. cum ſpir.* aliquid agit, non tamen fontem exhaurit, ad quem non penetrat. Alvi occluſio fit propter hæmorrhoides, non eſt ani procidentia: hoc malum augetur *à purgat.* quia *nec clyſteres nec ſuppoſitoria* fert, paret *ex vitell. ov. butyr. croc. globulos*, quos indet. Veſcatur cibis laxantibus ante paſtum: *paſſulæ cum brodio* utcunque non ſtatim alvum moveant, iterato tamen id præſtabunt. Alvus tardior eſt non propter hepatis vitium, quod benè conſtitutum, quia benè colorata, ſed propter inteſtinorum ignaviam nervis aliquo modo afflictis.

Menſe Martio 1678. *ſcribit.* Uxor *ter* uſa eſt *Decoct. Guaiac. ſemper per d.* 14. & poſteà decem diebus quievit. Poſt diem tertium per dies tres menſes fluebant & pedes ſudarunt, quod anteà non fiebat, unde pedes flexiliores fiebant & formicatio & roſio remiſerunt, mox tamen redierunt. Extra lectum per dimidiam horam pedes benè habuerunt, poſteà rurſus perfrigeſcunt & roſio redit. Pedum digitos pro lubitu movet, putat in planta omnes tendines concretos, quamvis anteà conſtrictio & contractura illorum fortior eſſet. Si ultrà horam ſedeat pedesque penduli ſint, roſio (Grůblen) & perfrigeratio cum ſtupore adſunt uſque ad genua : ambo ſymtomata mitigantur à decubitu per horam dimidiam vel ab obambulatione, ſi verò nimium ſe defatiget, venit roſio cum æſtu. Quando in lecto incaleſcit, nullos dolores patitur, at non exquiſitè ſentit. *Ab oleo lumbric.* nullum levamen percipit, *Spir. lumbr.* omiſit, cùm anteà ab illis læſa fuerit. Petit *Decoctum balſamicum*, quod acrimoniam fortius pellat : *An verò hoc ſufficiens ſit? an Laconicum conveniat cum ſpir. lumbric. ? Thermis* non fidit, cùm *Wembdingenſes* ipſam nimiùm calefecerint ac acrimoniam in nervos compulerint, & effectum *acidularum Egranarum* impediverint. *Acidulæ* tormina ſuſtulernnt & alvum facilitarunt : *Thermæ* verò illa denuò effecer[illegible]nt. *An acidulæ hoc anno repetendæ ? pulv. ſpecificus* lumbaginem ſuſtu[illegible]t, *illo* utitur *bis in ſeptimana.* Si *illum* omittit, redi[illegible]. Conſtipatio permoleſta eſt : *Paſſulæ laxat.* nimis debiles ſunt. Sumit *tertio quoque die juſcul. alterat. ſenn.* ℥ij. *cum prunis.* Alia alvum non ſolvunt, ventriculum juſculum hoc debilitat.

Reſpondi : cùm nervorum pedibus inſervientium magna adhuc afflictio ſuperſit, imprimis in lumbis, poterit *decoctum Guajaci præſcripto modo bis per d.* 14. adhibere, cùm verè balſamicum ſit & auferat humorem nocuum, diebus induciarum utatur *juſcul. alterat. beton.*

beton. rec. flor. paralyſ. chærefol. naſturt. hortenſ. quæ alvum movent. *Laconica* omittat. *Purgantia* continua nocent, utatur cibis laxantibus ante paſtum, *ſuppoſitoriis ſcilicet fruſtulo candelæ ſevinæ. Pulv. ſpecifico* pergat. *Acidulas* æſtate bibere poſſet.

OBSERVATIO CLV.

Paralyſis Fœmorum.

JUliana *Dorothea Cell. Filia Excell. D. D. C.* 13. annor. 1678. erat aſcitica: num anaſarcica? curabatur *à Domino Parente* potiſſimùm. Ab illo tempore debilis erat, aliquoties hectica imminuit. Commiſit errores in diæta, veſcebatur cibis frigidis & abutebatur pane. *Menſe Maj.* 1684. correpta fuit dolore vago per artus atroci, & ſtatim in medio ſterno veſperi dum è feneſtra proſpectabat, poſteà indormivit, manſit dolor in pede dextro, ſiniſtrum pedem corripuit ſtupor & motûs impotentia: *ab uſu balnei vaporarii* dolor pedis dextri imminuebatur, manſit ſtupor ſiniſtri pedis. Inungebatur *ol. lumbric. ſpir. ceraſ. n. &c.* Manet paralyſis totius fœmoris ſiniſtri. Continuò dolet circa medium ſterni, quandoque cum palpitatione cordis. *Die* 8. *Junii* 1684. *ipſam conveni:* appetit, dormit, urinam habet naturalem. Non poteſt extra lectum manere, ſi in ſellam locetur, in leipothymiam incidit: delectatur fragis. Alvus aperta eſt, at fœces valdè indurantur. Suſpicio eſt maleficium adeſſe. Ego paralyſin crurum exiſtimo. Invaſit dum veſperi è feneſtra ſpectabat, truſo ſero etiam ad hæc loca, ut quoque ad ſternum præcipitatum fuit, ſuaſi *pulv. ſeq.*

℞. *Pulv. Marchion.* ℨij. *Ung. alc. ppt.*
C. C. ph. ppt āā. ℨj. *Cinnab. nat.* ℨß.
Ol. deſt. chamom. maioran. āā. *gt.* ij.
ſuccin. gt. j. *Extr. caſtor.* ℈ß.
Tab. man. chr. perlat. ℥iß. *Mſc. F. p. ſ.*

De hoc pulvere ſumat *manè horâ* 5. ℨß. *veſp. horâ* 5. ℈j. *cum aq. cephal. aliqua.*

2. Oſſi ſacro imponatur *Empl. fœtid. Mynſ.* 3. *Fricetur.*

4. Utatur *Balneo Canſtad. per hor. ſemis.*

In lecto ſedens aut decumbens pedes & fœmora extenſa habet, quando genua flectuntur attracta vel inflexa tibia dolet valdè in genu-

 bus

bus, aliàs fert attactum genuum; quando ſedet ac tibiæ pendent, quod illarum pondere fit, ſtatim dolet, ut dolorem perferre nequeat, rogatque unicè, ut tibiæ iterum extendantur, quod ſuis viribus nec ſedens nec decumbens præſtare valet. In ſiniſtra planta nec titillationem nec digitorum pedum compreſſionem percipit, in dextro utramque ſentit, attamen, nec fœmur, nec tibiam, nec pedum digitos movere valet. Nihilque de lumbagine queritur. Pridem appetitus erat proſtratus, urina pallidior erat, nunc appetit, ſapiunt tamen magis cibi frigidi, quàm calidi: calefactorum comeſtionem jam diu differre ſolebat, donec frigeſiebant, impenſè delectabatur pane. Eſt macilenta, pallidior, ante coloratior, vegeta & agilis. Valdè queritur de dolore continuo in medio ſterno jejuno & vacuo ſtomacho.

Quia ſubitò malum ipſam invaſit, accuſant veneficium, cujus ſuſpectam habent fœminam quandam effutientem morbum eſſe incurabilem.

NB. *Ipſius Domina Mater* convulſionibus & colicæ obnoxia fuit & ſummè extenuata convulſa obiit.

NB. *Pulv. Marchion. nec ipſa nec ſoror ejus tolerare potuit. Ariſit ſemper pulvis ruber Pannon.*

Reſolutio.

AFfectum paralyſin utriusque pedis & fœmoris eſſe imprimis verò ſiniſtri, teſtantur utriusque impotentia & inſignis ſtupor pedis ſiniſtri. Loc. affect. erit circa os ſacrum, quia utrumque fœmur impotens, quia urinam & fœces retinet, erit circa exitum nervorum cruralium. Cauſa erit ſerum vel nervos premens vel irrorans, huc pulſum non afflatu veneficæ ſed aëris nocturni, qui huc & ad mediaſtinum fuit truſum: magis ſtagnavit in oſſe ſacro, quia ſtatim poſt invaſionem in lectum locabatur. Abundat ſero, quia jam anaſarcica fuit; delectabatur frigidis: ſerum hoc aliquid ſcorbutici habet, quia primum dolorem vagum per artus paſſa eſt & adhuc in genubus dolet, cor ſimul palpitat.

Præter pulv. diaphoreticum, proderunt fortè *Naſturtin. &c.* Propterea *Thermæ* differendæ, donec levamen percipiat *à pulv. frictione & empl. Mynſ. fœtido. Vid. Drawiz.*

OBSER-

OBSERVATIO CLVI.

Hemiplegiæ Principium.

DOmina *Franciſca Gebele, Uxor Simonis Gebele, Præfecti Wolfachenſis.* 31. annor. ſtaturæ oblongæ; gracilis, albicans, tenera. *In Autumno* 1669. *Wolfachio Argentoratum* profecta eſt cœlo pluvio, quinta die menſium fluentium: tota madefiebat & madidis veſtibus lecto noctu incubuit, non diu poſteà coryzâ correpta fuit, quæ ultra dimidium annum duravit, manante ex nare ſiniſtra muco ſubflavo, quandoque fœtente, ex dextra autem nihil prorſus. Gravida facta, enixa eſt *menſe Julio* 1670. Infans tertiâ ſeptimanâ à partu ab aphthis interiit. Puerperium ſalubre erat. Finito puerperio *menſ. Aug.* Cardialgiam & Colicam ſævam circa coli flexuram paſſa eſt per biduum cum alvi conſtipatione, cujus anſam neſcivit: adſcripſit illam tamen mœrori & moleſtiis, quas pertulit, infante ægrotante & moriente. Tormina hæç ſuâ ſponte ceſſarunt. Poſt paucos dies noctu aliquid ſubitò reſpirationem intercepit, cum dolore graviſſimo præcordiorum, ut loqui nequiverit, quamvis omnes ſenſus conſtarent, ſimulque totum corpus; abdomen ſcil. & thorax ceu opiſtotono attollebatur: duravit aliquot horis, poſteà non amplius rediit. *In principio Sept.* cœlo frigido & humido in prædium abiit, doluit inde collum in dextro latere: non magni fecit hunc dolorem, utpote ipſi non inſuetum. *Die* 4. *Sept.* Veſperi animadvertit, ſe nec dextrum oculum claudere nec labia dextra ritè adducere poſſe: *d.* 5. *Sept.* manè animadvertebatur oris diſtorſio quædam: *die 6. Sept.* 1670. paſſa eſt frigus quoddam in capite, inſequente mox æſtu quodam, poſt quem ægrius loqui poterat, ac linguam graviorem & ponderoſiorem, ac ad motum ineptiorem putabat. *Die* 9. *Sept.* 1670. *ipſam inviſi*, os ſiniſtrorſum incurvum erat, imprimis quando loquebatur, labia in dextro latere adducere, aut illis aliquid apprehendere aut tenere nequiit, quod tamen ſiniſtro latere benè labiis præſtare poterat: palpebrâ ſuperiore & inferiore oculum dexrum claudere nequibat: dum conabatur frontem attollere, ſiniſtra pars rugoſa evaſit, dextra verò glabra & immobilis manſit, adeò ut dimidia exactè rugoſa & altera exactè etiam dimidia glabra & lævis permaneret. Gena dextra adſtricta & tenſa. Hanc dimidiatam paralyſin faciei nec antecedebat nec comitabatur capitis dolor aut vertigo, imo nunquam aliàs capitis doloribus obnoxia erat. Hyeme quidem in latere ſiniſtro odontalgiam, quæ in abſceſſum gingivæ deſiit, paſſa eſt. Cæterum nullius aliûs occaſionis ad hoc malum conſcia erat.

 Reſolu-

Reſolutio.

IN paralyſi iſta affecti videntur nervuli ad frontem, palpebras, labia, & linguam in dextro latere pertinentes, idque à lympha in medullarem horum nervorum ſubſtantiam effuſa ſeu circa illos ſtagnante. Occaſionem ſeroſæ effuſioni & alluvio primam dediſſe videtur madefactio totius corporis, nondum plenè ceſſante menſium fluxu, quod poſtquam Coryza excitata per dextram narem exitum invenit, in ſiniſtra ſubſtitit. Dum gravida fuit nullum damnum peperit, quia aliorſum, multum ſcil. ad uterum properabat, niſi quod odontalgiam effecerat, nec quicquam dum lactavit. Poſtquam verò infante mortuo multum lachrymavit, ac paulò poſt frigido aëri ſe expoſuit, ſerum denuò commotum fuit, & ejus portio dolorem in collo commovit, quo neglecto portio ejus circa nervos prædictos ſtagnavit ac hoc ſymptoma effecit. Idem ſerum ſtagnans Colicæ primùm, poſteà etiam illius ſpeciei ſuffocationis ab utero affligendo nervos vagos & cervicales diaphragmatis authorem fuiſſe exiſtimo. *Ritè adhibitis* penitùs convaluit.

Ad ſeri evacuationem & revulſionem ſuaſi *Pil. ceph. ſemel in ſeptimana ℈j. duabus horis à parca cœna. Fonticulum* juſſi *in brachio ſiniſtro.* Ad abſorbendum humorem ſeroſum in capite & ad nervos roborandos ſumat *manè horâ 6. ʒj. & veſperi horâ 5. ʒß. hujus pulv. cum aq. roriſmar. & ſaſſafr. & cinam. deſt.*

℞. *Radic. valerian. ſilv.*
pœon. ãã. ℥ß.
Semin. fœnic. ʒiß.
Limat. C. C. ℥j.
Cubeb. ʒj.
Mac. Nuc. moſch. ãã. ℈iiij.
Cinamom. ʒij.
Succin. ʒj.
Sacch. alb. ℥iiij.
Mſc. F. p. ſ.

Cervicem benè inungat *Liniment.*

℞. *Herb. roriſmarin. ſalv. majoran.*
ſerpill. ãã. *M. ij.*
Flor. lavend. M. j.
Piper. ʒij. *pic. alb.* ʒij.
Baccar. junip. M. ij. Inciſ. & contuſ. coq. cum butyri rec. ℔j. *lento calore probèque agitando, poſtea exprimatur fortiter, add.*

ol.

ol. juniper. ℨj. *Mſc.* Collum obvolvat *linteo calido perfumato.* Abſtineat in victu à piſcibus & imprimis à lactuca : infund. in vin. *roſmar.* Caput contra frigus probè muniat.

Die 12. *Sept.* doluit caput circa tempus dextrum & poſt aurem dextram circa muſculi maſtoidei inſertionem. Uſu *pulv. cephal. cum aq. cephal.* remiſit. Os adhuc incurvum fuit. *Fonticulus* cœpit manare exciſâ eſcharâ.

OBSERVATIO CLVII.

Hemiplegia.

NObiliſſ. *Domina N. N.* 45. annor. ſtaturæ brevis, obæſa, octo fœtus vivos peperit, bis abortiit. Menſes ſtato tempore fluunt ſed pauca quantitate & pallidiores debito. *Præterita æſtate & in principio autumni* ſæpè pedes *Badâ Kirchdorffium* manè jejuno ſtomacho ivit ſcil. ultra horam : calefacto corpore vacuo ventriculo comedit poma, pyra, pruna Damaſcena, mala perſica, domum rediens famelica multum comedit, veſperi rurſus fructus crudos : ſiticuloſa ſæpe magnâ copiâ frigidam avide & plenis faucibus bibit. Conſuevit diu aliquoties in ſeptimana cœnam omittere, die ſequente in prandio largius veſcebatur. 1686. *d.* 27. *Auguſti* horrore correpta fuit, nullo ſubſequente æſtu, ſimul hemicrania lateris dextri ad nucham uſque acceſſit, quum vinum vitaſſet, largè ingeſſit aquam, unde abdomen intumuit & mane quoque pedes : reſpiratio difficilior evaſit cum aliqua anxietate. Aliquot diebus ſeq. hemicrania poſt medium noctis rediit, duravit ad diei ſequentis horas pomeridianas, cum aſthmate & anxietate. Ejus cauſa uſa eſt *vino purgante*, unde tamen non ſufficienter dejeciſſe ſe putavit : poſtea uſa eſt *Mixtur. cum ſpir.* ⊖✳⊡ ſed rurſus illam evomuit; hinc *ſpir* ⊖✳⊡ *ſolum, item decoct. pectorale*, quod ſudorem movit, retinuit. Pedes plerumque veſperi detumuerunt. Aliquando remiſit hemicrania per diem ; recruduit die ſequente. *Die* 13. *Septembr.* mane ambo pedes intumuerunt, imprimis dexter cum aliqua motûs impotentia, ut ſtare & incedere nequierit; imo in lecto ipſum movere non valuit abſque ullo dolore, quamvis ſenſus manſerit. Hodie multum minxit, unde abdominis intumeſcentia remiſit, urina quæ antea tinctior erat, pallida evaſit, hemicrania remiſit, putavit decubitum humoris ad pedem factum fuiſſe atque impotentiam aliquid Apoplectici minari. *Circa veſperam ipſam Badæ conveni :* pulſum habuit naturalem, reſpiravit facilè, at-

tactu

tactu non fervebat, urina erat pallida, abdomen molle, pedes & genua œdematoſi. Cibi ſapiebant, planè non ſitiit, caput aliquantulum doluit in occipite. Circa ſeptimam veſpertinam dedi *cochl. ij. hujus Mixturæ.*

℞. *Aq. ſcabioſ. gramin.* āā. ℥iiß.
Sp. Bezoard. Palat. Eſſent. ſudorif. āā. ʒj.
Syr. aperit. Mind. ℥j. *Mſc.*

Cœnavit de juſculo, carne minutim conciſa: bibit unc. ij. vini circiter diluti *Decocto C. C. uſt. & ſem. fœnic.* Poſt cœnam dormivit: dixit caput ſibi aliquomodo ſtupidum eſſe abſque vertigine aut tinnitu aurium. Caput ipſi frequenter doluit, maximè inſtantibus menſibus. *Ipſius Dominus Pater, D. Mater, Sorores & Fratres* Apoplexia mortui ſunt. Triduo antequam impotentia pedis dextri evenit, pes & brachium dextrum admodum frigebant etiam in hypocauſto. *Die* 14. *Septembr.* nocte prægreſſa bene dormivit, unde ſtupor capitis evanuit, nihil de hemicrania, aſthmate & anxietate ſenſit, at in brachio ſenſum formicationis animadvertit, quod antea etiam evenit cum aliqua manûs impotentia, etiam ante hunc inſultum. *Circa medium noctis & ſummo mane* ſumpſit *mixturam liquoris*: alvum rite ſolvit, ultra ℔j. urinæ minxit, urina naturalis eſt. *Horâ 6.* primùm *laterem ignitum vino rubro conſperſum*, tibiis interpoſui, optime toleravit, ambæ tibiæ maduerunt inde cum tolerantia: *Pulv. ex Diaph.* ♃. & *rad. Ir. Flor. &c.* non ſufferre potuit, putabat plumbum aliudve ponderoſum ventriculo immitti, quod diu gravavit: *Liquor* nullam prorſus moleſtiam parit, citò permeat etiam ex ipſius ſenſu, nec quicquam inde angitur. Pulſus planè naturalis fuit, lingua humida.

Difficillima eſt *ad medicamenta ſumenda*, citò intermiſit *uſum medicamentorum*, tantummodo *lateres* adhibuit. Manet imbecillitas pedis cum dolore in ſura dextra, pedem adhuc trahebat 2. *Octobr.* 1686. Suaſi tum *trageam ſtomach. ſubt. offic. cum pil. reg. inc. ol. d. roriſmar. Frictionem ſurarum, liquorem ſupra deſcript.*

Die 6. Octobr. Imum pedem circa malleolos & digitos ejus movere nequit, tumor manet, licet utatur *tegulis calefactis*, & multùm ſudet. Totum pedem movet & illum firmiter locat ac ſentit, ut & in brachio dextro, quod tamen imbecillius eſt, atque in illo vellicationes quasdam percipit, & quandam vertiginem ſi incedit: dolet caput nunc in ſiniſtro latere ut antea in dextro. Appetit benè, vinum aquâ diluit. Putat tendines rigidos eſſe à catarrho hoc: propter dolorem ſiniſtri cranii ſuaſi *Veſicatoria* in carpo.

Reſolu-

Reſolutio.

NObiliſſima Domina Matrona multùm lymphæ crudæ cumulavit in maſſa ſanguinea abuſu fructuum crudorum, acetariorum; potu frigidæ enormi, aliàs debilitata tot partubus & abortibus &c. unde menſes decolores quoque fiebant; decubuit hujus lymphæ portio intra cranium & meninges & ſubſtantiam medulloſam debilem aliàs & laxiorem ob diſpoſitionem hæreditariam, nam *Parentes, Fratres & Sorores* Apoplexiâ corripiebantur, ob frequentem Cephalalgiam imprimis ob ultimam hemicraniam Meninges affectas fuiſſe, patet ex hemicrania ad occiput extenſa, medulloſam quoque ſubſtantiam inundatam fuiſſe patet ex ſenſu formicationis dextri brachii & omnimoda impotentia pedis dextri, adeò ut multum lymphæ hoc in loco effuſum fuiſſe pateat inde. Crudæ lymphæ redundantis ſigna ſunt abdominis intumeſcentia cum aſthmate & anxietate, pedum œdema inſigne. *Spem curationis* præbent urinæ copia indeque ſubſequens levamen, detumeſcentia abdominis, liberior reſpiratio, abſentia ſitis, appetitus integer, ceſſatio doloris, ſenſus ſuperſtes in pede affecto.

Lympha ergo corrigenda, educenda, & in locis affectis diſcutienda. Igitur I. *de liquore ex ſpir. bezoard. & Eſſ. ſudorif.* porrò ſumat *mane horâ* 5. *vel* 6. *hor.* 8. *vel* 10. *poſt meridiem hor.* 3. *hor.* 5. *& circa medium noctis*, ſi vigilet, *cochl.* 2. *vel* 3. II. *Horâ ante prandium quotidie aut alternis diebus* ſumat *cochl. j. vel ij. hujus mixturæ:*

℞. *Syrup. de rhamn. catarct.* ℥ij.
Oxymell. hellebor. Geſn. ℥ß.
Aq. baccar. rub. Id. ℥j.
cinamom. opt. ʒij. *Miſc.*

III. *Singulo mane per dimid. hor.* inter tibias ponant *laterem ignitum vino rubro perfuſum & linteis involutum.* IV. *Fricetur* ſpina dorſi & brachium dextrum, *pilâ laneâ perfumatâ bacc. juniper. maſtich. & ſuccin.* V. Veſcatur cibis boni ſucci & facilis digeſtionis. Vinum diluat *decocto ſaſſafras. Fonticulus* in brachio ſiniſtro prodeſſet.

Ab his brevi integrè convaluit. Suaſi, ut *præſervationis gratiâ* juxta diætam *Trageâ cephalicâ* utatur.

OBSERVATIO CLVIII.

Hemiplegia.

D*Ominus N. N. Pellio.* Annorum 30. eſt ſtaturæ mediocris, carnoſus, pallidus, capillis fuſcis præditus: vixit apud exteros Annos circiter 8. *in Civitatibus Hanſeaticis, Dania &c. Die* 7. *Junii* 1693. mihi valetudinis ſuæ ſtatum his verbis perſcribit.

Ante duos cum dimidio annos in Holſatia ſanus lectum petiit, mane expergefactus, expertus eſt, ſiniſtrum latus obdormiviſſe quaſi cum impotentia artuum & loquelæ impedimento, quam tamen mox recuperavit manente hemiplegiâ. Acceſſit febris continua durans 10. ſeptimanis, hinc febris quotidiana ſupervenit & tandem ſcorbutus, qui, quando ex frigore ad ſudorem movebatur, intolerabilem pruritum peperit, erat atrorubeſcens, à frictione candidus evaſit, plerumque in artubus inferioribus, tandem etiam manum invaſit & ſcabioſa reddita fuit, tandem etiam evanuit.

Contra Hemiplegiam varia fruſtra tentata fuerunt. Tandem adiit *Thermas Carolinas,* ad quas profectus eſt, poſtquam à plus quam morbo annuo aliquantum vires recuperavit. Iter peregit non ſine frigore, & ex malo Affectus pejor evaſit: *Thermæ* tremorem pedis affecti ex parte ſuſtulerunt per 4. ſeptimanas continuatæ. Poſtquam domum rediit, uſus eſt *opera Medici Ordinarii,* qui *præter alia* ſuaſit *Balnea & unguenta* ſine ope. Adhuc in pede & manu affectis nullum digitum movere poteſt, manus ſiniſtra clauditur, pollex intra manum tenditur, pedis imum articulum & digitos nec tantillum movere valet. Semper adhuc defluxiones fiunt ad latus affectum. Latus ſiniſtrum ſemper frigidius eſt dextro cum ſuperſtite ſenſu abſque dolore. Pedem ſiniſtrum trahit, brachium ſiniſtrum movet ſed cum labore.

Sequens Conſilium ipſi d. 13. *Junii* 1693. *exhibui.*

HEmiplegia hæc orta eſt à ſero ſanguinis, quod profundius ſe inſinuavit intra cranium ſpinalis medullæ ſiniſtro cruri, nam ſimul loquelam primo ſuſtulit: licet loquela redierit, nervique loquelæ dicati liberiores ſint, perſtitit tamen in medulla ſpinali, unde ſiniſtrum latus ad motum eſt impotens adhuc: non tamen omnem ſpirituum animalium influxum occluſit, quia in hoc latere adhuc ſentit, & primo & diu poſt pes tremuit.

Cauſa proxima, quæ nihil aliud eſſe poteſt, quàm humor aqueus qui profundius ſe huic portioni medullæ immergere & inſinuare poteſt,

teſt, ſive ſit ſcorbuticus, qualis in principio fuit, ſive ſimilis ſero noſtratum in his regionibus, ubi aer eſt ſalubrior, veſcimur cibis non adeò ſalitis & loco cerevifiæ bibitur vinum. Ægre tolletur *à purgantibus*: planè non *à balneis, unguentis, aliisve topicis*, quoniam virtus non pertingit ad locum affectum. Proderunt *ſudorifera*, quorum tamen virtus juvanda *ſcamno ſudorifero*. Hoc efficaciſſimum : efficit ut *virtus ſudorifera* ad ima penetret, eſt tuta, dirigi poteſt, ut ad ima penetret & vires non debilitet.

Suaderem *ſudorifera* hoc ordine utenda.

I. Detur *mane horâ ſextâ Bolus à ʒj. ad ʒij. hujus Electuarii.*

℞. *Conſerv. cochlear. rec. ℥ij. Conſerv. anthoſ. fl. paralyſ.* āā. *℥ij. Ther. Androm. ʒj. Diaſcord. Fr. ʒiij. mag. ♃ii diaph. ʒj. Pulp. pom. citr. n. j. Mſc.*

II. *Poſt dimidiam horam* detur *hauſtus hujus decocti ad ℥v. calidè.*

℞. *Radic. ſarſæparill. non carioſ. ℥iij. ſem. fœnic. ʒiij. paſſ. major. exac. ℥iß.*

Inciſ. & contuſ. coq. cum aq. fontan. ℔vj. in vaſe dupl. per horas 2. coletur.

III. *Hinc imponatur ſcamno ſudorifero ad hunc uſum rite confecto & calefacto, exſerto capite : dum illi incumbit, reficiatur hac mixturâ corroborante.*

℞. *Aq. flor. acac. beton. fl. til.* ana. *℥ij. mag. ♃ij. diaph. ʒß. Pulv. analept. Frig. Mind. compl. ʒiß. ſyr. rub. Id. ʒvj. Mſc.*

Sinatur ſuper ſcamno per dimidiam horam, poſtea per horam, ſed nunquam longius : dum illi incumbit, indatur pila intra manum ſiniſtram. Ante egreſſum inter detergendum fricentur Dorſum & pes deorſum, brachium antrorſum, & in lectum calefactum reponatur, ibique ſubinde mixturâ roborante refocilletur.

IV. Diætam accuratè obſervet. Veſcatur cibis boni ſucci & facilis digeſtionis, ut juſculis carnium, hordeatis, carnibus teneris juniorum animalium, oleribus recentibus cum butyro recent. pomis coctis, ovis recent. ſorbilibus &c. Vitet nimium ſalita, pipere aliisque aromatibus nimium condita, cruda, acida, paſtas farinaceas, butyro frixas, nimis pinguia &c. *Sudationis tempore* potus ſit *decoct. rad. chinæ*, niſi debilis evadat, tùnc dari poſſet vinum *hoc decocto* dilutum. Cœna ſemper parcior ſit prandio. *Sudatio continuari poſſet*

per dies 10. *ad* 12.*poſtea Naturæ induciæ concedantur ad Septembrem uſque.*

Die 10. *Julii* 1693. *Scamno primum* uſi ſunt *cum medicamentis præſcriptis per horam dimidiam ; reliquis diebus* manſit *ſuper ſcamno per horam unam.* Egredienti *è ſcamno* brachium tremuit per horam dimidiam, antea pes: tremorem in pede ſuſtulerunt *thermæ Carolinæ.* Inſuper valdè poſt ſudorem ſitit, ſitim *decocto chinæ* pellit. In victu obedit, bibit tamen vinum vetuſtum æquali parte aquæ temperatum. Continuavit hæc 10. dies : valetudo in eodem ſtatu verſatur *die* 28. *Julii* 1693.

Reſpondi : Tremor brachii ſignum redeuntis virtutis, ſi in loco affecto ſit. *A ſcamno* induciæ concedendæ *ad menſem Septembris uſque:* interea tempore induciarum nihilominus opera danda, ut genus nervoſum roboretur, ſpiritus animales ad locum affectum alliciantur. Licet *ſcamnum* prima vice non multum juvarit, non tamen *Ægrum & adſtantes* oportet delaſſari aut hujus operæ tædere, ſed ſuo tempore rurſus *ad ſcamnum ſudoriferum* recurrendum : affectus enim nervinus ultra biennium durans non uno alterove impetu ſuperari poteſt, cum recentiores ægre tollantur: non eſt periculum, modo caute adhibeatur. Tempore induciarum *a ſcamno ſudorifero* utatur 1. *hoc pulvere.*

℞. *C. C. ph. ppr.* ʒij. *Ungul. alc. pp.* ʒj.
Mag. ♁ii *diaphor.* ʒiß. *Cinnab.* ♁ii *rectif.* ℈ij.
Matr. perlar. ʒß. *Extract. xyloal. gr. xv.*
⊖ *vol. C. C* ʒß. *Pulv. analept. Mind. compl.* ʒj.
Ol. nuc. moſch. expreſſ. gr. viij.
deſt. majoran. roriſmar. ãã. *gtt. iiij.*
Sacch. alb. ℥iij. *Mſc. F. pulv. d. ad ſcat.*

Doſis mane hor. 6. ʒj. *& veſp. hor.* 4. ʒß. *cum aq. ſalviæ, vel omiſſo ſaccharo cum mucilagine tragacanth. Fiant pilulæ ex* ʒj. *No. xxxx. doſis manè No. x. & veſp. No. v.*

2. *Superbibat manè hujus aquæ deſtill.* ℥ij. *& veſper.* ℥iß.

℞. *Radic. Valerian. ſylv. cum fol. & flor rec.* ℔ß.
Herb. recent. majoran. cum flor. ſalv. lavend. ãã. *Mvj.*
ſerpill. naſturt. aquat.
roriſmar. rutæ recent. ãã. *Miiij.*
beton. cum flor. Mviiij.
Summit. fœnic. cochl. ana. *Mvj.*

Inciſ.

Inciſ. & contuſ. inde veſicæ capaci adde lumbric. terr. vino alb. lotor. Numero C. affunde aquæ fervidæ menſur. vj. ſeu ℔ *xx. deſtill. ſtatim, quatuor primæ menſuræ ſerventur ad uſum.* 3. Sumat *tertia vel quarta quaque nocte circa horam nonam theriacæ* cœleſt. *gr. iiij.* 4. Tota ſpina dorſi à nuchâ ad nates uſque, fœmora, brachium *mane & veſperi probè fricentur.* 5. *Semel in menſe ante vel poſt novilunium,* ſi ſudatione *ſuper ſcamno ſudorifero* non utitur, *purgetur aut his pilulis cephal.*

℞. *Extr. cathol.*
pil. cochiar. ana. ℈*ij.*
Caſtor. ℈ß.
Diagryd. 🜍. *gr. vj.*
Ol. deſtill. ſuccin. alb. gt. ij.
Mſc. F. cum ſ. q. Elix. propr. Par. pil. No. L. de ☉ *& conſperg. pulv. ſantal. rubr.*

Doſis bihorio poſt parcam cænam Num. viiij. vel. xj.

Aut loco pilul. cephalicarum talis potio laxans manè hor. ſexta calide propinetur, *& poſt duas horas* præbeatur *juſcul. carnis ſine pane & ad prandium uſque adhuc bis.*

℞. *Fol. ſenn. ſ. ſ.* ℥*ij. Rhabarb. ſel.* ℥*iß.*
Agar. alb. ℥*j. Flor. beton. lavend.* ana. *Pj.*
Paſſul. min. ℥*vj. ſem. anis.* ℥*iß.* ⊖ ♀ ℈*ij.*

Inciſ. & contuſ. affund. aq. flor. acat. beton. ana. *q. ſ. ſtent per noctem in loco temperato, mane leni ebullitione factâ coletur citra ullam expreſſionem.*

℞. *Hujus colaturæ* ℥*iiiiß.*
Syr. de cichor. c. rhab. ℥*vj.*
Aq. cinam. bugl. ℥*ß. Mſc. d. ad vitr. pro una doſi.*

Die 16. *Sept.* 1693. *ſcribit Dn. Medicus : Scamnum ſudoriferum* ex incuria nimis calefactum ſudorem largiſſime promovit etiam ad leipothymiam, inſuper longior *ſupra ſcamnum* mora ſitim ingentem peperit, quæ autem ſua ſponte remiſit, quoad hemiplegiam ratione motûs nihil adhuc attulit, niſi quod in digitis frigus & calorem rurſus ſentiat : ſi ungues præcidantur propius cutim illum digitos retrahere. *Ante uſum ſcamni* illum frequenter catarrhos perpeſſum fuiſſe ſuffocationem aut apoplexiam minitantes : illos *poſt uſum ſcamni* non amplius moleſtos eſſe. Tempore induciarum *à ſcamno* uſus eſt *pulvere cum aqua deſtill.* qui magis quàm *Pilulæ* arridebat. Utetur quoque *laxante.*

 Non

Non abundat ſanguine nec amplius catarrhoſus eſt, unde *nec V. S. nec ſcarificationem*, *nec fonticulos* neceſſarios, putat.

Reſpondi ſtrenue adhucdum *cum præſcriptis* continuandum eſſe, quum tales affectus nervini, imprimis inveterati ſi ſint, non tam brevi expugnari poſſint.

OBSERVATIO CLIX.

Hemiplegia.

NObiliſſimus Dominus Joh. Remwald. G. de T. Lucernas: ſtaturæ longæ, carnoſus, fuſcus, annor. 46. *Anno* 1692. *d.* 18. *Junii* correptus fuit hemiplegiâ lateris dextri: *Die* 4. *Novembr.* 1692. de hac ſupererant pedis dextri imbecillitas ſeu claudicatio aliqua ob pedem non nihil abbreviatum à tendinum contractione ſeu corrugatione, nec brachio benè uti valet: ſenſus his ambobus artubus integer eſt, & brachium quoque & digitos movere poteſt, ut literas ad me miſſas ſubſcripſerit, ita quidem ut in hypocauſto & lecto promptiùs & faciliùs moveat, quamprimùm verò in apricum prodit & frigeſit, tendines brachii & digitorum contrahuntur digitique incurvantur. *Medici* in principio ſuaſerunt *Frictiones pannis calidis*, *& poſtea ablutiones artuum cum ſpir. vin. ceraſ. & camphor.* quorum uſu artus robur aliquod acquiſiverunt; incedens pedem promovet quidem, ſed non ultra ſpatium unius vel duarum unciarum diſtantiam unius ab altero: extra lectum brachium movere nequit, at ope brachii ſiniſtri illud movere & flectere pro lubitu valet. Singulo mane fortiter oſcitat, muſculi artuum contrahuntur inde, quandoque in ſomno, aut ſi in lecto decumbat, artus motu quodam tremulo, fæmora ceu convulſivo afficiuntur. Intra caput ſupra aurem ſiniſtram ſuſurrum continuò ſentit, ceu aquæ in illa ſuper igne ebullientis. In facie lateris affecti debilitatem quandam experitur; nunc tamen magis, nunc minus. An hæc ſit contractio & labiorum torſio?

In principio loquelam penitus amiſit, quam tamen poſt paucos dies integram recuperavit. Appetitus erga cibum & potum bonus eſt & cætera valet, nec habet de quo meritò conqueratur. Hemiplegiæ anſam dediſſe putat. 1. Exceſſus commiſſi in Hohnrein dum res curavit *Equitum Melitenſium.* 2. Dum *poſt obitum Nobil. Domini Patris Menſ. Januar.* 1692. *defuncti*, *Menſe Majo* cœlo pluvio, remotis capillis factitiis cogebatur aliquot diebus ex ſuis ædibus per pontem ad templum Parochiale, auf Hoff, ire. 3. Caſum ante ſex annos in latus

tus ſiniſtrum factum, idque *ex Medicorum opinione*, cui tamen fidem non adhibet, quia caſus fiebat in ſiniſtrum latus, & quia poſt caſum nec dolorem nec moleſtiam ullam poſteà perpeſſus eſt.

An Thermæ Fabarienſes proficuæ futuræ? diſſuaſit illas D. D. Harder Prof. Baſil. quem bis in conſilium vocavit, quia defluxiones excitet, cùm tamen profuerint Nob. Domino Grædero Colonello Juniori & Cappucino Hemiplectico eodem tempore cum ipſo hemiplegiâ affecto; quibus ambobus hæ profuerint. Perilluſtri profuiſſe ipſemet 1681. *thermas Ferinas vidit. Petit præſervantia ab Apoplexia & à recidiva, item diætæ accuratæ deſcriptionem.*

NB. In fœmore & genu dextro dolet, dum inceſſum auſpicatur & in axilla, olecrano & carpo dextro; imprimis ad mutationes aëris.

Die 1. *Novembr.* 1692. *propoſui curam ſuper ſcamno ſudorifero, cui tamen præſens in principio eſſe debet Medicus ejus peritus.*

Die 8. *Novembr.* Jam diu ſingulo mane ſentit mucum craſſum pectus aggravare, quem propter lentorem ægrè ſcreatu aut tuſſi rejicit, ab aliquot diebus maturiorem experitur, colore flavum, illumque ſine labore excernit & ſimilem ex naribus emungit. Ab inſultu hemiplectico huc uſque urina gravem odorem ſpirat, putat id fieri à reliquiis cauſæ hemiplecticæ: cætera appetitus cibi & potus bonus eſt, & benè dormit.

Analyſis.

HEmiplegiâ affectum fuiſſe in prima invaſione, quia motum totius dextri lateris cum loquela amiſit. Cauſam intra cranium non ſolum totius lateris paralyſis, ſed quoque loquela ſublata teſtantur. Illam exiſtimo fuiſſe ſerum extravaſatum, quia poſt reparatum motum & loquelam *à menſe Junio ad hunc uſque diem ſcil. ultra ſemeſtre* ſuperſunt reliquiæ, quæ non niſi à ſero derivari poſſunt, nam ſanguis extravaſatus tam diu ſine graviſſimis ſymptomatibus perſiſtere non potuiſſet. Illæ ſunt imbecillitas pedum, ob quam pleno paſſu incedere nondum valet, item brachii, quod extra lectum movere nequit aut ſi frigus patiatur, oſcitatio matutina, unde artus contrahuntur, ſuſurrus continuus intra cranium ſupra aurem ſiniſtram, tremor quidam & ſuccuſſio artuum in lecto, quandoque in ſomno, dolor in fœmore & genu dextro & in axilla dextra ad olecranum uſque, digitorum contractio à frigore, debilitas in facie, an illa ſit oculorum, an labiorum illis quaſi diſtortis ob paralyſin? quæ tamen in literis non exprimitur. Ad reliquias pertinet mucus tenax pectori incumbens, cum labore pridem

vel

vel ſcreatu vel tuſſi eliminandus, & ille qui nunc copioſè emungitur; claudicatio aliqua in pede dextro & conſequens paralyſis & neglecta ejus extenſio, unde tendines flexores corrugati & aliquomodo contracti perſtiterunt. Hæc ſymptomata proveniunt à ſero intra crânium vel partem cerebri medulloſam infarciente, vel foris premente, quandoque vellicante, unde ſpiritus animales nondum ſufficienter influunt, quandoque nervuli ad motus convulſivos excitandos impelluntur, unde ſuccuſſiones, digitorum contractiones, oſcitatio: ſuſurrus fit nervis acuſticis preſſis. Mucus, qui ſcreatu aut tuſſi expellendus, & qui nunc copioſè emungitur, non quidem provenit ex partibus intra cranium, attamen partibus illis debilitatis ſerum otio collectum alibi exitum quærit ſcil. in pectore, naribus &c. Sero materiam præbuerunt exceſſus in vino, ſimul cerebrum debilitarunt & ad hunc affectum diſpoſitum reddiderunt. Ejus extravaſationi & propulſioni ad intima medulloſæ ſubſtantiæ anſam dedit ambulatio ultra quadrantem horæ ex ædibus per pontem cœlo pluvio, nimis denudato capite & abjectis capillis factitiis (Peruque) ad templum primarium auf Hof, non diu ante invaſionem hujus affectus *ſcil. menſe Majo.* Caſum hujus mali occaſionem quoque fuiſſe certo ſtatui nequit, non propterea quia in ſiniſtrum latus fuit, nam ſæpè obſervatum fuit læſâ parte ſiniſtrâ dextram paralyticam fuiſſe & viciſſim, ſed quia caſus ſex integris annis hunc affectum præceſſit: attamen negari nequit caput valdè indè debilitatum fuiſſe, atque ad hunc affectum proclivius evaſiſſe.

Igitur indicationes erunt ſerum, quod adhuc præter naturam intra cranium in & circa medullam & alibi circa nervos hæret, ac largiùs ex glandulis narium, faucium & bronchiorum exſtillat, evacuetur & diſſipetur, ſimulque nervinæ partes corroborentur. His indicationibus ſatisfieri poſſe ſpem faciunt ſenſus tactus in artubus integer, cum reliquis ſenſibus, aliquis motus in artubus ſuperſtes. Verùm quoniam morbus per ſemeſtre durat, ut ex reliquiis patet, & cauſa illius intra cranium & ſpinam aliiſque in locis abditis corporis detinetur, quorſum *Topica* vix pertingunt, *generoſum remedium* requiritur, ſcil. *provocatio ſudoris mediante ſcamno ad hoc opus neceſſario*, cum hac ratione optimè ſerum tollatur & ſi ritè inſtituatur, id ſine damno fiat. *In hac cura* hæc obſervanda ſunt. 1. Corpus ante ejus uſum *blandè purgandum hac potione.*

℞. *Radic. polypod. q.* ℥ß.
Herb. betonic. majoran. flor. anth. ana. *p. j.*
Semin. fœnic. ʒi *fol. ſenn. ſ. ſ.* ʒiij. *rhabarb. el.* ʒiß.
Agaric. alb. ℈j. ⊖ *abſinth.* ʒß. *cinam. ac.* ℈j.
Mac. ʒß. *inciſ. & contuſ. infund. hor.* 12.

Cum

Cum aq. fervid. q. ſ. vaſe benè clauſo : manè factâ brevi ebullitione colet· citra expreſſionem.

II. *Manè antequam ſcamno incumbat, detur bolus magnitudine juglandis.*

℞. *Conſerv. roſar. rubr.* ℥ij.
majoran. anthoſ. ana. ℥ß.
Theriac. Androm. ʒß.
♁ *diaphor. C. C. ph. ppr.* ana. ʒj.
Syrup. anthoſ. parum. Mſc.
Sumat. M. hor. 5. & *V. hor.* 8. *in lecto.*

III. *Poſt horam dimidiam à bolo ſumto bibat unc. iv. vel* 5. *hujus decocti calidè.*

℞. *Lign. ſanct.* ℥ij.
lentiſc. ℥j.
viſc. quern.
Rad. chin. ana. ʒiij.

Inciſ. & contuſ. infund. cum aq. fontan. fervid. menſ. iij. in vaſe terreo: mane adde paſſul. maj. exac. ℥ij. *ſemin. fœnic.* ʒij. *coq. ad conſumt. dimid. part. colatur. ſervetur in vaſe vitreo.*

IV. *Dum incumbit ſcamno & poſt egreſſum è ſcamno in lectum, ſubindè detur cochl. j. hujus Julepi.*

℞. *Aq. ceraſ. nigr. flor. til. beton.* ana. ℥ij.
Magiſt. ♁ *diaph. C. C. ph. ppt.* ana. ℈j.
Syr. de rub. id. ʒvj. *Mſc.*

V. *Dum Electuar. & decoctum propinatur, caleſiat ſcamnum : primâ vice non maneat ultra quadrantem horæ ſupra ſcamnum, & manè ſemper longius, quàm veſperi, nunquam tamen multum ſupra horam. Caleſiat primum batillis duobus prunis benè accenſis : poſteà unus eximatur, ſi calor minuatur, indatur novus batillus ſeu foculus : dum illi incumbit, lintea munda ipſi imponantur, ut ad detergendum in promptu ſint. Dum ei incumbit ſubindè facies detergatur. Antequam lectum petat ſuper ſcamno detergatur, hinc in lectum caleſactum reponatur, ubi rurſus ſudabit : è lecto non ſurgat, donec ſudor omnis ſpontè ceſſaverit. Si ſurrexerit, maneat tamen ſemper in hypocauſto, nec unquam se aëri frigido credat.*

Cura hæc continuari poterit per dies 14. *aut tres ſeptimanas, prout*

vires conceſſerint: poſt hæc induciæ concedendæ per 2. vel 3. ſeptim. Hæc cura ſic menſe Decembr. Januar. Febr. & Mart. inſtitui poterit, etiam Aprili, ſi neceſſum ducetur. Tum in cura ſuper ſcamno, tum extra illum accurata diæta ſemper obſervanda eſt.

Durante curâ 1. vitetur penitùs aer frigidus, propterea neceſſum, ut domi in hypocauſto maneat, cubile etiam ſit temperatum. 2. Comedat cibos boni ſucci & facilis digeſtionis. Cibi ſint caro vitulina, agnina, hædulorum, pullor. gallinac. avicul. montan. pullor. columbin. in prandio non autem in cœna. Ova ſorbilia, poma dulcia, pyra, pruna Damaſcena, pruneol. coct. caulis florid. oryz. & hord. in juſcul. carn. coct.

In ipſa cura nulli nunquam conceſſi piſces, lacticinia, placentas & alia hujus generis. Carnes pro lubitu aſſæ vel elixæ dandæ: cœna ſit parcior prandio. Potus ſit *decoct. ſaſſafr. aut rad. chin. quarum* ℥ij. *vel iij. coq. in menſ. ij. aq.* quibus pro lubitu *paſſulæ corinth.* addi poſſunt. 3. *Extra ſcamnum* obambulet: quantum poſſibile brachium & pedem dextrum cum digitis moveat in & extra lectum. 4. Fugiat ſomnum pomeridianum quantum poſſibile, nec ſtatim à cœna lectum petat. 5. Alvus quotidie ſit aperta, ſi tardet, moveatur maturè *ſuppoſitor. aut clyſtere domeſtico.* 6. Vitet æquè iram ac melancholiam; animum ſemper ad meliorem ſpem erigat.

Extra curam 1. Aërem frigidum, pluvium & nivoſum ſemper fugiat; & dormiat ſemper in cubili temperato. 2. Veſcatur carne bubula benè elixa, ferina juniore præter illas, quæ *in cura* concedebantur: etiam piſcibus bonæ notæ ſcil. truttis, aſciis, luciis minoribus aliisque carnem friabilem habentibus. Vitet carnes adultiorum animalium, ſuillam, anatum, anſerum, columbarum adultiorum, piſces viſcidos, carpiones, tincas, anguillas, cochleas, pedes animalium: fructus crudos, caſeum, bolos ex farina mera paratos, placentas non benè ſubactas & ponderoſas, braſſicam muriâ conditam.

Conceduntur oryza in lacte cocta, pultes cum ovis paratæ. Bibat vinum vetus rubrum aut album, ſed non valdè ſulphuratum, diluat illud ſemper *aquâ, in qua parùm ſemin. anis. aut fœnic. coct.* Quo magis corpus exercuerit, eò meliùs. Fugiat ſomnum pomeridianum, quantum poſſibile. Alvus ſemper aperta ſit: nunquam inhibeantur ſudores matutini ſpontanei. Imprimis exulet melancholia.

Curâ hac finitâ, uſque dum denuò illam ineat, nihilominùs cerebrum cum genere nervoſo corroborandum, & ſerum à capite abducendum erit, quam ob rem ipſi ſuaderem 1. *Trag. ſeq.*

℞. *Spec. diambr. diamoſch.* ana. ℥j.
Pulv. analept. fr. Mind. ℥iß.

Pil.

Pil. Reg. ʒj.
Cubeb. galang. ana. ʒß.
Ung. alc. ppt. ʒiß. *ol. N. M. expr. gr. vj.*
Sacch. alb. ℥iij. *Mſc. F. p. ſ.*
Doſis ſit *mane ſummo* ʒj. *cum aq. rorismar.*

2. *Purgari* poſſet *ſubindè ante novilunium pil. cephal.*

3. Prodeſſet *Fonticulus, imò ſetaceum,* quod humores ex profundis cerebri partibus educit, *ut obſervatur in gutta ſerena.*

OBSERVATIO CLX.

Hemiplegia.

REv. D. *Joh. H.* ſtaturæ juſtæ, carnoſus mediocriter, colore fuſcus: 48. annor. Ante *6.* annos terrorem gravem perpeſſus eſt cum horrore propter Autocheirum; ab illo tempore tremorem quendam maximè in ſiniſtro brachio & pede; nam in obſcuro penduli ſpuma madefecerat manum ſiniſtram; acceſſit etiam vertigo quædam & dolor quidam, & impotentia in ſiniſtro pede : diu noctu quoque valdè in ſomno artus concutiebat. Anteà nihil prorſus vel tremoris vel vertiginis paſſus eſt. Dum 14. annor. erat, è lecto lapſus brachium ſiniſtrum & pedem fregit : verùm ab illo tempore nihil ſiniſtri paſſus eſt, ſed robuſtus erat ac ſtudia proſequi potuit feliciter , ac *apud Exteros* ſtudiorum causâ ſanus vixit. *Die* 25. *Nov.* 1671. manè jejuno ſtomacho horâ circiter ante prandium, dum *in Schola* ſuæ vocationi vacabat, prægreſſo mœrore gravi ob filioli unici obitum, ſenſit titillationem in faucibus cum nauſea aliqua & preſſione & ſtimulo circa præcordia , & irritatione ad vomitum : mox exclamavit ſibi periculum imminere aliquod , properavit ad ſedile , inde verò in terram præcipitatus per integram horam omnium ignarus manſit : ad ſe rediens in ſiniſtro latere paralyticus fuit: ab hora 10. antemeridiana ad 10. noctis loqui nequibat, ſenſit obſtaculum in collo , quod nutibus indigitavit adſtantibus : circa 10. loquela rediit potu pauxilli vini. NB. Ante 1omam noctis liquida deglutire nequiit, & collum inflatum erat. *Die 26. Nov.* Manè ſanguis ex faucibus & naribus ad unc. vj. isque grumoſus etiam emanavit, ſanguine profuſus ſenſit ſibi quaſi clavum ex faucibus eductum fuiſſe, unde liberius loqui valuit. Sequentibus diebus adhuc aliquoties ſanguinem ex faucibus & naribus excrevit. In paroxyſmo reficiebatur *ſpir. ceraſ. nigr.* ſumſit quoque *pilul. cephalic.* Sic ſenſim convaluit. Poſt 5. ſeptimanam concionatus eſt.

Die 21. *Mart.* 1672. *me convenit;* Memoriâ valet, nec morbus ipſam imminuit, omnibus ſenſibus valet, caput non dolet quod antehac factum. In ſiniſtro latere debilior eſt, ita tamen ut pedes *Stambeimio* 2. leucis à nobis diſtante ſine labore huc pervenerit. Appetit, non ſitit. Dolet in hypochondrio maximè ſiniſtro cum pulſatione: hypochondria inflata ſunt. Manè ſentit in faucibus bolum quendam, lingua albicat, manè quoque quandoque ad vomitum ſtimulatur. Tremor in brachio ſiniſtro ut & in pede ejus lateris ſubindè adhuc moleſtus eſt, ſed non ut pridem; ſi pedi innitatur, tremorem impedit. Vertigo adhuc ſubindè moleſta eſt, imprimis æſtate magis quàm hyeme. Sudat frequenter, magis tamen in latere ſiniſtro quàm dextro.

Reſolutio.

Cauſa ſubitæ perturbationis omnium ſenſuum eorumque mox inſecutæ abolitionis cum loquelæ interceptione, & hemiplegia ſiniſtri lateris, fuit obſtructio partium nervoſarum intra cranium, quià ſubitò ſupervenit. Illud erat ſerum, nam caput anteà lachrymando defatigarat, quod jam à caſu & terrore debile erat. Titillatio in faucibus, irritamen ad vomitum effectus erant obſtructionis, non cauſa. Hæmorrhagia etiam effectus illius, nam loquela ante illam rediit, inſuper grumos egeſſit, quod indicio eſt ſanguinem extra cranium extravaſatum fuiſſe: fortè propter hunc inſultum alicubi intra nares & fauces vaſa ſanguifera conſtricta fuerunt, unde ſanguis ſtagnans vaſorum oſcula reſeravit. Ceſſavit paroxyſmus diſſipato ſero fluxili ex ſuâ natura, eoque *purgantibus* revulſo & evacuato.

Reliquiæ tremoris & vertiginis ſuperſunt, ſero denuò ſe poris inſinuando. Malo occurrendum, ne recidivet.

Sumat *manè pulv.* ʒß. *c. aq. ſalv.*

℞. *Pulv. cryſtallin. compoſ.* ℥ß. *vel* ʒvj.
Rad. Valerian. ſylv. pœon. ana. ℥ß.
aron. ppt. ʒij.
Nuc. moſch. mac. ana. ʒj.
Sacch. alb. ℥ij. *vel iij. Mſc.*

2. *Purg. pil. cephal.* 3. *Fonticulum juſſi d.* 21. *Mart.* illum apertum ſervet. 4. *Ter in anno V. S.* 5. *Alternis menſibus ſcarificetur.* In victu vitet viſcida.

OBSER-

OBSERVATIO CLXI.

Hemiplegia.

D*Om. J. H. Vitoduranus*, 43. annor. Pallidus, ſtaturæ mediocris: junior multos errores commiſit, à multis annis temperanter vivit. *Anno* 1658. paſſus eſt arthritidem vagam vehementer, ab illo tempore non decubuit huc uſque, *Anno* 1677. *Thermis Fabarienſibus* uſus eſt *inſeſſu* propter defluxiones, lumbaginem & faſtidium erga vocationis negotia. Tum temporis quoque crebrò lingua muco albo obducebatur. *Anno* 1668. primùm calculos excernere cœpit, ab illo tempore alios excrevit primum è dextro, ultimum ex ſiniſtro rene cum dolore nephritico ſatis magno & vomitu. *Poſt Thermarum uſum* poſt tres menſes optimè habuit. *Menſe Septembr.* 1677. poſt cœnam non immodicam obſervavit ipſe ſe claudicare, domeſtici viderunt ipſum pedem trahere, tum quoque brachium dextrum imbecillius animadvertebatur: ſomnolentus erat, horâ 9. lectum petiit, nihil minùs quàm de Apoplexia cogitans. Mane horâ 3. expergefactus ſurrexit micturus & niſi ſuſtentatus fuiſſet, cecidiſſet, vomuit, in lectum repoſitus rurſus bis vomuit, ſenſus internos amiſit, loquebatur inarticulatè; compellatus audivit & alloquentes intuitus eſt; non tamen ad interrogata reſpondit: reſpiravit ſine aliqua moleſtia aut ſtertore. Veſperi adſtantes agnovit, loquebatur articulatè, at verba non ſuccedebant ad nutum, diebus ſequentibus ſenſim vires recuperavit; at obſervabatur memoriæ inſignis hallucinatio, adeò ut narrationem quandam occiperet, illam tamen pertexere nequiit ob verborum congruorum defectum. Quarta ſeptimana templum adiit, præter textum nullius doctrinæ recordabatur. NB. Die ab inſultu ſexto incedere valuit, verùm manui tardiùs robur priſtinum rediit, diu cultrum firmiter tenere nequiit, nec ſcribere valuit, & adhucdum nonniſi lentè literas pingit, cauſans præcipue indicem & medium manûs affectæ. Curabatur *pil. cephal. aq. cephal. Pulv. & Electuario cephal. Nulla* adhibita fuerunt *veſicatoria, nulla V. S. nulli clyſter. Externè ſpiritus, inunctiones, Balſam. cephal.*

Die 1. *April.* 1678. *Ipſum cum Excell. D. D Joh. Henrico Hegnero conveni in Trüllíken.* Ab inſultu apoplectico hucuſque debilitatem quandam capitis patitur, quæ leipothymiam minatur, nunquam tamen in leypothymiam deſiit, quandoque debilitas hæc vertiginem quandam minatur, nunquam tamen vel gyrantem vel titubantem expertus eſt. Cum hac capitis debilitate conjuncta eſt obtuſio quædam, caput

tamen non dolet. Quandoque anxietate indicibili corripitur & inexplicabili: poſt illam ſemper urina turbatur, hac præſente ipſum quoque vitæ tædet. Sæpe ſine cauſa iraſcitur. Ad lachrymas fundendas proclivis. Pridem valdè laborioſus erat: omnium tædet & negotia detrectat ac averſatur. Amavit pridem conſortia ac hilaris erat, nunc ſolitudinem quærit, melancholicus admodum, omnia adverſa ſunt, ſæpè triſtis valdè. In dextro latere cutis capillata tàm debilis eſt, ut illam pectinare non audeat. Mala dextra œdemate tumet. Hyeme mucoſa copioſè exſpuere cogebatur; Vere merè aquea exſpuit. Primum appetitus imminutus, nunc integer quidem eſt, at cibi videntur inſipidi, nec vini ſaporem accuratè agnoſcit, nunquam vomit, non eructat, non gravatur: alvus ſemper aperta. Urina pallida, tenuis, Hyeme ſudavit in lecto, nunc manè madorem ſubindè ſentit, pridem largiſſimè ſudavit, dormit ante medium noctis placidè. Pulſus robuſtus, ſed frequens, celer: ſubindè manus valde æſtuant. *A Laconico* nuper ſemper frigidus manſit pes dexter, quamvis ſudarit: dextra pars capitis ſicca erat, licet ſiniſtra valdè maderet.

Reſolutio.

HEmiplegia iſta non facta fuit à ſanguine extravaſato, ſed à ſero nimium irrigante crura medulloſa intra cranium in dextro latere, nam ſenſim invaſit ac tandem quoque ſenſus internos aliquo modo in principio abolevit; ſomnolentus erat: curabatur illis quæ ſerum à cerebro revellunt: Item *abſorbentibus & exſiccantibus &c.* Imbecillitas partium in hemiplegia hac affectarum innuunt debilitas, obtuſio & anxietas ſubindè eveniens, proclivitas ad lachrymas, moroſitas & ſomnolentia quædam ſubindè eveniens, debilitas digitorum manûs dextræ; dextræ partis cutis capillatæ, malæ inflatio.

Utcunque Melancholia adſit, non tamen ab hypochondriis provenire videtur, cùm nulla ſigna affectus hypochondriaci adſint. Serum cumulavit propter Nephritidem, fortè etiam vitam ſedentariam, cœnam largiorem & decubitum nimis citum à cœna. Illud evacuandum ſimulque à capite revellendum, genus nervoſum corroborandum ejusque reliquiæ abſorbendæ. *Purgetur bis in menſe.* Ego utor *pil. cephal.* quas exhibeo 2. *horis poſt parcam cœnam.*

℞. *Extract. pilul. cochiar.* ʒj.
Caſtor. gr. vj.
Magiſter. Gialapp. gr. iij.
Ol. d. ſuccin. gtt. ij.
Spir. ceraſ. n. q. ſ.
Mſc. F. Pil. No. xxx. deaur. doſ. pil. viiij. vel x.

Fon-

Fonticulus propediem excitetur *in brachio ſiniſtro.* Detur *ſingulo mane* ℈j. *hujus pulv.*

℞. *Diaphoret. ♂tial.* ʒij.
C. C. ph. ppr. Ungul. alc. pp. āā. ʒiß.
Cinnab. nativ. ʒß.
Ol. N. M. expr. gr. iij.
Tab. man. Chr. perlat. ʒvj. *Mſc. F. pulv.*
Sumat cum aq. fl. til. vel rorismar. in lecto.

Surgens *manè & veſperi horâ* 5. ſumat 6. *Rotulas vel* 7.

℞. *Spec. diambr. diamoſch.* āā. ʒj.
Extract. xyloal. ℈j.
Conf. alkerm. compl. ʒj.
Conſerv. anthoſ. ℥ß.
Sacch. alb. in aq. rorismar. ſolut. ℥iij.
Mſc. F. confect. in rotulas.

Vertex & nucha inungantur *hoc balſamo.*

℞. *Unguent. alabaſtrin.* ℥ß.
Ol. N. M. expr. ʒij.
deſt. majoran. rorismar.
lavendul. āā. *gtt. vj.*
Succin. gutt. iiij. Mſc.

V. S. non negligenda *menſe Majo.* Veſcatur cibis euchymis & eupeptis. Cœna ſemper ſit parcior prandio. Vinum diluat *decoct. lign. viſc. quern. cujus* ʒij. *coq. in aq. fontan. Menſ. j.* Vitet ſomnum pomeridianum, nec ſtatim à cœna lectum petat. Ab ira arceatur. Animus ad hilaritatem componatur.

Die 18. *Auguſti* 1678. *ſcribit D. D. Joh. Heinricus Hegner* illum benè ſe habere, conſortia adire. *An præſervantia in uſum reducenda? affirmatur.*

OBSERVATIO CLXII.

Hemiplegia.

Nobilis Dominus *Joh. Caſpar Denger, Magdeburgo-Saxo.* 36. annor. gracilis, ſtaturæ oblongæ, *Locumtenens Cæſareus Villingæ*, multa militiam ſequens paſſus eſt & nunc planè canus, aliàs hilaris, nunquam

quam melancholicus. 1682. *menſ. April. propè Weiſſenhorn* veſperi tinnitu moleſtiſſimo cum quadam capitis perturbatione correptus fuit; mox caput præter voluntatem dextrorſum cum dolore magno rapiebatur, deglutire nequiit; quandoque reſpiratio intercipiebatur, aliquoties leipothymia inſtabat, ut ſedere cogeretur: vomuit quoque bilioſa. *Pharmacopœus* dedit *lap. bez. gr. xx.* unde largiter ſudavit, totumque latus dextrum paralyſi afficiebatur. Spaſmus colli remiſit. Quoties ridebat, os incurvabatur. nec manu nec pede uti diu potuit. *Fricabantur* artus ac involvebantur *ſacculis ſale plenis & calefactis*, unde ſenſus rediit. *Ab unguentis* rediit motus, ſed magis *ex uſu Thermarum 🜍earum. Die* 18. *Octobr.* 1682. manu & pede rurſus uti potuit, nec os amplius incurvabatur, nihil de tinnitu amplius ſentit, ſed nondum priſtinum robur acquiſivit, & in artubus ſenſum formicationis obſervat.

Unguis ex angulo majore oculi ſiniſtri ex carunculæ lachrymalis baſi enaſcitur, jamque portionem pupillæ obtegit, ſatis pertinaciter corneæ adhæret, habet ſua vaſa capillaria, & propè iridem in illo conſpiciuntur hydatides lente majores.

Suaſi *Thermas Ferinas* etiam hyeme utiles, unguis trahatur primum *marga aut lapid. hæmatit.* poſteà *unculo tenui* & exſcindatur. Foris noctu palpebris imponat *Unguent. ex butyr. recent. lap. calamin. tut. camphor.*

Scholia.

1.

CAuſam hujus hemiplegiæ primùm extrà nervis incubuiſſe credibile eſt, quia vellicando ſpaſmos effecit, unde collum ad latus trahebatur, reſpiratio & deglutitio impediebatur: ſubiens medullam effecit paralyſin, unde priora ſymptomata ceſſarunt. An ejus ſubintrationem *ſudorifera* promoverint?

2. Intra cranium cauſam delituiſſe credibile eſt, quia in principio tinnitum & perturbationem intra caput ſenſit, reſpiratio & deglutitio difficilior reddebatur, leipothymiam minabatur, vomitus excitabatur.

3. *Topica* juvarunt revellendo non diſcutiendo, cùm locum affectum non attigerint.

OBSER-

OBSERVATIO CLXIII.
Hemiplegia.

PErilluſtris Dominus de Montmolin Cancellarius Sereniſſimæ Duciſſæ Longevillanæ in ſupremis hisce Neocomenſi & Vallenginenſi Comitatibus Helvetiæ; Catarrhoſus admodùm, quam ob cauſam Conſilium meum expetens 1678. *tale Ipſi ſuppeditavi prolixum*, de quo vide ſupra de Catarrhis frequentibus, Obſerv. CIV.

Excellentiſſimus Dominus D. Grojan Neocomo 1690. *Menſ. Sept. nomine Domini Cancellarii ad me ſcribit, ac Conſilium meum petit.*

AMpliſſimus Dominus Cancellarius agens annum 63. climactericum magnum, temperaturæ eſt calidæ & ſiccæ, antehac affectibus catarrhoſis continuò obnoxius fuit, quorum cauſa *ex Conſilio Excell. Tuæ* hactenus per plures jam annos cum emolumento non ſatis laudando, *ſolo lacte, cibi potusque loco,* veſci ſolitus eſt, adeò ut *ſtrictè obſervatâ lactis diætâ*, nullum incommodum, vitæ munia qualiacunque ritè obeundi, obſtiterit. Is autem totâ præteritâ æſtate ſummè etiam ardente Sirio, per integrum fermè diem in vineto extra urbem, ſub radiis ſolis, operarios plures conductos obſervandi opusque dirigendi gratiâ, modo ſedens, utplurimùm verò ſtans, imò hinc indè itans commoratus fuit, imò etiam jam inſtante æquinoctio autumnali, in quo diluculum & crepuſculum frigidiuſcula, dies verò æſtuoſa non verò gelida; hoc vitæ genus ita agens nihil incommodi diu ſenſit, niſi poſtremis diebus ſolis æſtu intenſiſſimo plus ſolito caput feriente, adeò hoc incaluit, ut, ipſo fatente, cerebrum in cranio eliquare debuerit. Elapſis aliquot diebus in prædium unâ atque alterâ leucâ abhinc diſtans, eques profectus, in itinere fœmur ſiniſtrum ad extremum uſque pedem ponderoſius eſſe ſibi viſus eſt, paulò poſt gravitate accedente ſimul debilitate inſolitâ dictæ partis, magis perceptâ, ex equo ſponte deſcendens, & pedibus ſtare præſumens præceps in terram corruit, fœmore affecto ponderi corporis cedente, nullo interim ex lapſu obſervato incommodo; confeſtim denuò erectus lento gradu pedibus domum reverſus eſt: poſt quatuor plùs minùsve dies conqueri incepit de dolore capitis gravativo & obtuſo, circa tempora tamen quoties exſcreare volebat, lancinante; de tinnitu & ſuſurro aurium; totius laſſitudine, formicationis ſenſu circa homoplatas, moleſtia quadam irritante pedes, adeò ut quietos eos continere non potuerit. *Die* 14. *hujus menſis Septembris ad Ampliſſ. Dominum Cancellarium accerſitus,* conquerebatur de dolore capitis gravativo & obtuſo, circa tempora ſaltem

tem

tem à ſeri commotione, acriter pungente; ſuſurro aurium, fœmoris prædicti totiusque cruris debilitate abſque dolore ſenſibili: *Fonticulus* ab aliquot jam annis in brachio ſiniſtro excitatus nihil fere fluebat: interim mens, ut antehac, alacriter functiones peragebat; appetitus valebat; ſitis nulla, urinæ citrinæ, claræ, alvus pigrior; pulſus magnus, robuſtus, rarus; cutis levi quodam udore perfuſa.

In tali ſtatu *Ampliſſ. Dominum* offendens in cauſam occaſionalem ſyndromes recenſitorum ſymptomatum ſtatim inquiſivi, occurrit primo quaſi intuitu mora diuturnior, ſimulque crebrior ſub radiis ſolis tempore æſtuoſo totâ die; circa veſperam verò in aëre frigido &c. Serum à maſſa ſanguinea in glandulis ſubcutaneis ſeparatum per cutis porulos eliminandum, tranſpiratione obſtante, non ſolùm cutis ſpiracula coarctando; ſed etiam ipſum ſerum in acido ſalſum corrumpendo, forſan etiam idem inſpiſſando. Prætereà ipſa ſymptomata examinavi, ex quibus affectum catarrhoſum adeſſe judicavi; partes verò affectas, glandulas cerebri præcipuè, deindè membranulas interiores narium, cavitatis interioris aurium, ſcapulas & femur cum toto pede. Cauſam proximam partes prædictas afficientem ſerum acre acido-ſalſum, vel immediatè ex arteriis cum ſanguine in dictas partes effuſum, vel mediatè priùs in lympham commutatum, ſed ob fibrarum aliqualem ſtricturam ab externo frigore auctiore factam poſt incaleſcentiam totius, imprimis capitis, ubi remora aliquali plùs minùs accumulatum, quod pro ratione affectæ partis plùs minùs ſenſilis, aciditatis plùs minùsve acris, quantitatis plùs minusve copioſæ, effuſum recenſita modò ſymptomata producere valet. Quare cauſam proximam, ſerum jam effuſum & adhuc effundendum, removendum eſſe judicavi, vel minuendo vel etiam avertendo, acido-ſalſum in eo, partes nerveas vellicans temperandum, cauſam remotam catarrhalis ſeri excretionem ſtimulantem amovendam, ſenſum irritationis moleſtæ demulcendum; partium affectarum tum tonum, tum robur vitale reſtituendum, earum vitium corrigendo.

His indicationibus ut ſatisfieret, *Frictiones blandæ cum linteis mollibus calidis, ſuffumigio ex ſuccino citrino, maſtiche & benzoe parato, fumigatis* adhibitæ fuèrunt. *Aqua ſpir. Hungar.* poſtea aſperſæ & illinitæ partes affectæ & probè tectæ fuerunt, unde nocte ſequente ſomnus placidus inſecutus ſymptomataque mitigata apparuerunt, cum verò alvum à triduo non depoſuerat, ideò poſterâ die *infuſum rhabarb. cum aliquot granis* ⊖ 🜿 *hauſit, aliàs remedium ſibi conſuetum*, hinc ſedes 3. excrementa conſiſtentiæ ſaltem mollioris copioſa dejicientes habuit: accedente nocte *doſi* uſus, *pulv. abſorb. ex antihect. Pot. cinnab.* ♁*ii. ſuccin. alb. &c. confecto & jam dudum ab Excell. Tua præſcripto*; cujus uſu irritationis ſenſus moleſtus mirè placatus fuit, ſimulque ſeri

acri-

ri acrimonia attemperata, hinc lenis diaphoreſis ſupervenit, unde ſat benè valere aſſeruit.

Die 17. *Septembr.* Perſiſtente adhuc aliquali femoris cum toto pede, imbecillitate, circa veſperam mador corporis uberior emerſit cum ſumma euphoria, & *Fonticulus* in brachio copioſiorem ichorem fundebat: uſurpatis ſic *temperatioribus remediis*, cùm paulatim ſymptomata diſparerent, nec *copioſa variaque remedia* malum jam cedens deſideraret, nec ætas ingraveſcens in valetudinario, fortiora perferre non poſſet, *modò præſcripta ad* 22. *Sept.* continuavit; at cum denuò à quatriduo alvus adſtricta erat, *infuſum rhabarb. conſuetum* petiit, à quo bis copioſe & de nocte ſemel pituitoſa dejecit.

Die 24. *Sept.* Appetitu vigente, urinis exiſtentibus citrinis, claris cum enæoremate divulſo. Pulſu pro ratione ætatis perſiſtente magno, forti & raro, de motûs aliquali impotentia, pedum gravitate denuò conqueritur, ideò ut *uno remedio* pluribus indicationibus ſatisfieret, *ſpir.* ⊖ ✳ *aromat. & ſuccinatus ad aliquot guttulas* aſſumendas præſcriptus fuit, ex cujus uſu cùm vires recuperare *Ipſe Ampliſſ. Æger* obſervet, propterea etiamnum in uſu pergit, ſpe fretus *hujusmodi alterantia volatilia aromatica* ſolatium allatura. Interim apoplexiam jam imminere aut poſthac adventurum timet *Ampliſſ. Dominus;* ideò *ab Excellent. Tua* avidiſſimè petit, ut quid ad hanc præcavendam agendum foret? cum probè ſciat, *Exc. T. in Tractatu de Apoplexia* prolixe egiſſe. Hoc quoque inſerere jubet, à tempore, ex quo *lacte* veſci incepit, optima ſanitate ſe fruitum eſſe, adeò ut alacriter incedere, imò per integrum ferè diem obambulare valuerit, cùm verò nunc ſubitò & magis quàm unquam antehac motûs aliquali impotentiâ laboret, ſummopere noſcere avet, num uſus ulterior profuturus, annon potius inpoſterum Apoplexiam, Paralyſin &c. producturus vel acceleraturus ſit? nihil de victu addo cum *ſolo lacte Ampliſſ. Vir* veſcatur, addito quandoque pauco pane vel uno alterove vitello ovi, illudque magna voluptate aſſumat, probe concoquat, in cæteris diætæ partibus ſtrenue ſe gerit. Num verò *alia inſuper evacuationum genera ſive ex Chirurgia ſive ex Pharmacia* petenda ſint, præter hactenus adhibita, *mentem Tuam mecum* communicare, ut digneris, ex animo rogo, & quamprimum *Reſponſum* denegare ne velis. *Hiſce vale.*

Neocomi d. 25. *Septembr.* 1690.

T. T.
N. Grojan, M.D.

Has

Has ſecundas Literas Excell. D. D. Grojan die 1. *Octobr. miſit.*

AMpliſſ. Dominus Æger d. 26. *Septembr.* ſymptomatibus iisdem in prioribus meis memoratis conflictabatur: alvus à triduo adſtricta erat, *clyſtere ex emollientib. & carminativis parato* fuit ſollicitata, à quo ſemel non nihil dejecit cum levamine doloris capitis gravativi & circa tempora pungentis: *die* 27. *Septembr.* cùm pulſu naturaliter perſiſtente & *continuato lactis uſu*, cui jam ab aliquot annis ſine ullo incommodo aſſuetus erat, exhibito inſuper *bis in die, mane & veſperi, quandoque in meridie ſpir.* ⊖ ✱ *ſuccinato cum cochleari lactis*, adminiſtratisque *Frictionibus* in prioribus deſcriptis, meliùs eo die ſe habere videretur *Ampliſſ. Dnus Cancellarius* aliquid levaminis perciperet, in eorum uſu, ut pergeret, juſſus fuit. *Die* 28. *Septembr.* circa veſperam accedente capitis dolore intenſiore cum lancinationibus circa frontem & tempora, ſomnolentiâ quâdam inſolitâ, venis ubique turgidis, facie ſimul rubicundiore, oculis quaſi inflatis, *vena in pede lateris affecti oppoſito fuit aperta & ℥vj. ſanguinis eductæ*, qui poſt paucas horas totus fere in ſerum fuit converſus, innatante tamen pelliculâ albidâ, viſcidâ & ſpiſſâ. *Die* 29. *Septembr.* Dolor capitis ferè ablatus videbatur, ſatque quietus erat, adeò ut curam rei domeſticæ habere brevi putaret, circa veſperam ſedem copioſam ſponte ſuâ habuit, per noctem inſecutam ter copioſa excrementa dejecit, ac deinde *die* 30. *Septembr.* ſubindè conqueſtus eſt de continuo deſidendi conatu ſed irrito; pulſu interim in eodem motu perſiſtente, urinæ ſibi ſimiles erant, appetitu itidem adhuc vigente; ſomnolentiâ interim auctâ; ab horâ 8. matut. ad 6. veſpertinam, nullam urinam reddere potuit, etſi cum moleſtiâ quandam ad mingendum irritationem ſentiret, maximè in ipſa urethra. *Loco lactis integri* juſculum carnium ſorbendum porrectum fuit, poſt horas aliquot *guttulas quasdam liquoris C. C. ſuccinati*; ſub veſperam vegetior quidem videbatur, verùm inſequens nox inquietudines crebriores excitavit, dum ſubinde, ut è lecto levaretur, peteret. Sudores heri ſuborti, calidi quidem ſed ſimul viſcidi, parùm levaminis attulerunt. Hodierno die ſemper eſt ſomnolentus, parùm præter conſuetudinem loquens, de nullo dolore ullius partis corporis conqueſtus eſt, ſicut heri, in quo manus utraque dolebat, urina redditur, pulſus idem, juſculum aſſumit, bene deglutit, reſpiratio libera eſt, parùm ſudavit, maximè in brachiis; alvus nunc pauca & ferè aquea flaveſcentia dejicit, extrema non niſi difficulter movet. *Gelatinam C. C.* cum juſculo carnis ad pauca cochlearia ſumendam nunc præſcribam:

Balſa-

Balſamum apoplecticum vertici, nuchæ & ſpinæ dorſi inungendum *poſt frictiones adhibitas* ordinabo, continuo interim ut prius *uſu liquoris C. C. ſuccinati. Validiora* perferre vix par eſt, ob ætatem ingraveſcentem, macilentiam habitûs, victûs rationem præcedentem. In hoc ſtatu *Nobiliſſ. & Ampliſſ. Dominus* degens etiam atque etiam, ut & *Nobiliſſ. Domini Filii ejus* inſtantiſſimè rogant, ut nullâ interpoſitâ morâ, huc *Exc. T.* ſe conferre non graveris, quo *Ampliſſimo & Nobiliſſimo Domino Conſilio & Auxilio* præſtò eſſe poſſis. *Hæc feſtinanter: Vale. Neocomi die* 1. *Octobr.* 1690.

Reſponſum ad duas præcedentes Literas.

PErilluſtrem Dominum Cancellarium aliquid hemiplectici paſſum eſſe, in ſiniſtro latere, femoris ſiniſtri impotentia teſtatur: cauſam proximam ſerum omnino agnoſco, quod ſolum ſe profundius medullæ ſpinali inſinuare & quandoque brevi iterum diſſipari poteſt, ut quoque *Domino Ægro* poſt ſudorem evenit: intra cranium illud ſtagnare, inter ſubſtantiæ medullaris & ejus tunicæ portionem aliquam ſuſpicor, quia caput obtuſum eſt, aures tinniunt & formicationem in homoplatis ſentit. Occaſiones omnino fuerunt longior mora in ſole & ventus aquilonaris: radii ſolares ſerum & ſanguinem fuderunt, ventus profundius illud adegit, ut in ſene facile talem tragœdiam inſtituere valuerint. Quia ſemper aliquid ſeri denuò ſtillat in locum affectum nunc debiliorem ſeu laxiorem factum, ut colligo ex robore partis iteratò reſtituto *Exc. T. dexteritate*, rediit. Hoc ſerum ex loco affecto retrahendum, diſcutiendum ſimulque pars læſa roboranda erit. Dum ſerum adhuc fluxile eſt, nec in gelatinam concrevit, nec omnimodam pororum nerveorum ſeu obſtructionem ſeu compreſſionem effecit, illud audacter evacuandum & revellendum eſt, eoque magis quia caput obtuſius & aures tinniunt, quamvis adhuc mente valeat: licet *purgatus* jam fuerit, ſuaderem tamen inſuper *ſequentem potionem laxantem*, quam etiam in graviore hemiplegia *Illuſtriſſimo Domino Comiti de Fürſtemberg lac jam diu potanti* ob cauſam externam obruto cum fructu dedi & hactenus aliquoties repetii.

℞. *Fol. ſenn. ſ. ſ.* ℥iij. *Rhabarb. elect.* ℥ij. *Agar. alb.* ʒi.
⊖ *abſ.* ʒß. ⊖ ♀ ℈ß. *Flor. roriſmar. beton.* ãã. *Pj.*
Macis ʒß. *ſem. fœnic.* ʒj.

Inciſ. & contuſ. infund. cum aq. fervid. q. ſ. in vaſe vitreato bene clauſo per noctem: manè præmiſſâ leni ebullitione coletur citra expreſſionem: in colat.

lat. ℥*v. ſolv. Mann. elect.* ℥*iß. iterum coletur: hanc potionem ebibat manè hor. 6. poſt duas horas exhibeatur juſcul. gallinac. & adhuc bis ad prandium uſque.* Prandeat more ſolito etiam citra ſcrupulum de pullo gallin. elixo ſed citra condimentum acidum.

II. Inpoſterum ſuaderem *ſingulo manè hor. 5. & veſp. hor. 5.* ʒß, *hujus pulveris cum aq. beton. aut ſalv. aut roriſmar.*

℞. *C. C. ph. ppr. ungul. alc. ppr. ãã.* ʒ*iß.* ♁*ii diaphor.* ʒ*j.*
Cinnab. nativ. ℈*j.* ⊖ *vol. lumbr. aut C. C.* ℈ß.
Ol. deſt. ſuccin. rectif. gtt. ij. Tab. man. chr. perl. ℥*iß. Mſc. F. P.*

Si lubet *ambr. gryſ. gr. vj. ſp. roſ. ſol. addi* poſſunt: *Moſchum* omitterem.

III. *Horâ 7. matut.* audacter propinarem *hauſtum lactis*: ut magis *Lac* proficuum eſſet, ſtatim poſtquam mulctum fuiſſet, elixarem: frigefacto cremorem detraherem: ante propinationem cyatho intus deaurato inditum aqua fervida ad naturalem calorem reducerem ac *addito ſyrup. capill.* ♀ *cochl. j.* exhiberem. Certè *Lac*, quod anteà robur artubus attulit, denuò id faceret: *id revera præſtitiſſe apud Illuſtriſſ. prædictum Comitem didici: nam nunc 68. annorum tam vegetus eſt, ac ſi nihil unquam tale quid perpeſſus fuiſſet.* Sunt, qui *in lacte pulv. Caffeé* coquunt, ſed nullam de hoc experientiam habeo: *ſpir.* ⊖ ✱ mihi ſuſpectus eſt *in cura lactea*: vererer ab illo *coagulationem lactis*: an verò illam conciliet, dùm elixatur, eò periculum fieri poteſt.

IV. *Frictionem omnibus ablutionibus cum ſpiritibus cephalicis, inunctionibus cum ol. & unguent. nervinis & emplaſtris* præfero: verùm illam faciendam curo *panno rubro ſcarlato* à nuchâ ad os ſacrum, & per partem externam & internam fœmoris per quadrantem horæ & propè ad rubedinem cutis: *hac plus præſtiti, quam cum aliis Topicis.*

V. *Fonticulus* apertus ſervetur *globulo ex cera viridi, cui aliquid pulveris Cantharidum inditum ſit*, ſed non ultrà 24. horas relinquendus, poſteà *conſuetus globulus* indendus. Si continuaret capitis obtuſio, in altero quoque brachio *Fonticulus* commodè excitaretur: verùm de hac re coràm plura diſcurrere licebit. In victu omninò *præter lac* cibum ſolidiorem ſuaderem, & in paſtu *decoctum rad. chinæ cum paſſulis ex. gr. in aq. font.* ℔*iiij. coq. rad. chin.* ʒ*ij. paſſul. maj. exacin* ℥*j.* Si alvus occluſa fuerit, moveri poſſet *clyſtere domeſtico blando.*

Hac tempeſtate Autumnali moretur ſemper in cubili & hypocauſto temperato. Quò magis ambulando & brachio & manibus geſticulando

culando ſe exercuerit, eò melius erit; ſic largiorem ſpirituum animalium affluxum promovebit, feliciusque obex excutietur. Animus ſemper ad optimam ſpem erigendus eſt. *Literas Exc. T. acceptas* in hoc itinere perlegere demùm occaſio data fuit. Operam dabo, ut quamprimum licuerit & vires Deus conceſſerit, Vos conveniam. Hîc plurima negotia peragenda mihi ſuperſunt, quæ tamen pro virili abrumpam. *Vale Exc. Domine cum tota Familia ac cum officioſiſſima ſalute rogo Perilluſtri Domino Cancellario dicas, me pro virili Ipſi, concedente Deo affuturum, quantocyus poſſibile erit.*

Excell. T.

Clarona Helvetiorum d. 7. Octobr. 1690. ſerâ nocte.

Addictiſſimus
Joh. Jac. Wepfer, M. D.

Die 2. Octobr. 1690. peſſimè ſe habuit, profundè dormivit, cum ſtertore, ut vix excitari potuerit: datus fuit *liquor C. C. ſuccin.* fricabatur à nucha ad os ſacrum. Circa meridiem brevibus intervallis *tres clyſteres* injecti fuerunt, unde ceu ex profundo ſomno expergefactus loqui cœpit. Inter loquendum obſervatum memoriam valde læſam fuiſſe, nam quæſitorum oblitus, in unam rem vel quater inquiſivit. Veſperi vis animalis alacrior erat, nocte inſequente placidâ ſine ſtertore dormivit. Mane fœces craſſas ſpontè egeſſit, ſudavit cum levamine, liberius etiam loquebatur, ſenſim vires recuperavit ac levi adminiculo obambulavit. Brachium tamen imbecille manſit. Manum ori admovere nequit. Raucedine correptus fuit, quæ tamen brevi remiſit. Urinam craſſam copioſè cum ſedimento emittit, à frigore turbatur, quæ tamen leni calore admoto mox clareſcit. Alvus plerumque ab aliquibus diebus ſpontè aperta, ſi pigrior ſit, *clyſtere leniter emolliente* facilè aperitur. In pede ſiniſtro ſubinde frigus ſentit, licet attactu caleret, mox maduit ac ſudor univerſalis ſupervenit cum magno levamine.

Die 20. Octobr. 1690. *Neocomum veni ac Perilluſtrem Dominum Ægrum ad d. 28. in tali valetudinis ſtatu reperi.* Inceſſit longius quâm ab aliquot diebus fecerat, ob imbecillitatem circa malleolos pedis ſiniſtri parùm ad latus nutavit, inclinavitque hactenus in latus ſiniſtrum. Color faciei hucuſque vividus perſtitit, nec habitus corporis imminuebatur: aliquando toto ferè die ante & poſt prandium obambulare poteſt citra ullum incommodum. Jam à duobus menſibus ſomnolentus erat & præter conſuetudinem aliquando in ſenatu, dum deliberabatur de re gravi, dormivit, quod omnes aſſiſtentes terruit; tunc quoque querebatur de frontis dolore. Legit promptè, indè tamen ſubindè poſteà caput dolet, minùsque compoſitus fit: hiſce diebus multùm

de

de rebus gravibus aliquoties diſcurrebat *cum Amicis* ſine ullo impedimento aut ſequente perturbatione. Dicebat ſe non tàm acutè, ut pridem, audire, aures ſiccæ, ac cerumen viſcidum & craſſum erant. *Die* 27. *ab injecto clyſtere* & eductis multis ſcybalis fuſcis ſed minoribus, auditum ſe integrum recuperaſſe aſſeveravit. Appetitus ſemper conſtitit & plus comediſſet, ſi ipſi conceſſum fuiſſet, veſcebatur ſolùm juſculis aliquando etiam ovis ſorbilibus, pomis, pruneolis, prunis coctis, non ſitit, bibit plerumque *decoctum radic. chinæ ut ptiſanam*, rariſſime vinum hâc permixtum. Alvus pigrior erat, verùm facilè *per clyſteres* etiam prunis, pruneolis coctis movebatur ac ſolutâ alvo plerumque melius dormit: *Clyſteres* ordinariè multas fœces craſſas & in ſcybala coactas copioſè educunt, etiamſi præter juſcula, ova ſorbilia, aut ſubinde poma cocta, pruneolas, pruna & ſimilia, nihil comedat. Multum minxit, urina ratione conſiſtentiæ minùs pellucida, depoſuit plerumque ſedimenta craſſiuſcula, quandoque copioſa: unâ atque alterâ vice tinctior erat cum ſedimento craſſiore, ſubindè etiam turbabatur, aquâ calidâ brevi ſolvebatur. Semel cum difficultate reſpiravit, ſudavit quandoque cum levamine. Pulſus ſemper robuſtus, plenus, æqualis, nonniſi ſemel celerior ac frequentior. *Die* 24. *Octobr.* Inter loquendum dicebat ſibi leipothymiam imminere, vertiginem adeſſe, ſubitò expalluit, ſudor frigidus in fronte emerſit, pulſus penè evanuit & nullibi reperiri potuit: mox ad alvi ſolutionem ſtimulabatur, noluit decumbere, aliquandiu poſt alvum exoneravit, multas fœces craſſas compactas, flavas etiam liquidas: quamprimùm lectum petiit, pulſus rediit isque parvus & rarus, debilis, rediit quoque color faciei vividus. In hoc paroxyſmo dextrum brachium, aliàs ſanum, imbecillius evaſit: in lecto robur, calorem, colorem naturalem rurſus recuperavit. Ante meum adventum idem ipſi evenit *ab infuſo rhabarbari ipſi conſueto.* Ante & poſt cœnam magis eructavit, quàm hactenus ante comeſta poma & pruneolas: flatus per inteſtina oberrabant. Cœna erat juſculum, potus Ptiſana cum pauxillo vini: inquietus erat ad mediam noctem. Lingua viſcida: circa hor. 1. noctis bibit *Ptiſanam*, poſtea ſumſit *pulv. doſin ex diaph.* ♃ *&c.* Quietior evaſit, dormivit placidius licet interruptim. Frigus pedum ſubindè ſenſit, quod *Ipſi & Dominæ Matri* evenit ſæpe, attactu erant calidi, mox madent, nulla tamen in reliquo corpore ſequitur alteratio unquam. Artus lateris ſiniſtri adhuc juſtò debiliores ſunt, majus tamen robur indies acquirunt. Hucuſque utebatur *pulvere abſorbente & roborante ex diaphoretico* ♃. *C. C. ph. ppt. ungul. alc. &c. liq. C. C. ſuccin. Frictiones quotidie bis* inſtituebantur.

Die 28. *Octobr.* 1690. Manè hor. 8. *lac recent. mulctum* rurſus

incepit

incepit bibere *ad ℥xvj. cum pauxillo Sacchari.* Pranſus eſt *juſculum lactis cum pane*, poſt prandium ſuâ ſponte dejecit : cœnavit *lac cui cremor demtus erat*, bibit *decoct. rad. chinæ*, nocte optimè dormivit. Sequente die urinæ copioſæ, tenuiores, cum enæoremate naturali reddebantur. Circa veſperam eructavit acida, dicebat ſe laſſiorem eſſe, inquietè etiam dormivit, ſed ſequentibus etiam noctibus ſomnus plerumque erat placidus. Pulſus ad meum diſceſſum erat optimus. Sudat cum levamine, ac à ſudoribus laſſitudo omnis evanuit. *Die* 1. *Novembr.* aliquam gravedinem capitis ac aurium tinnitum experiebatur, poſt 2. horas remiſit ac vegetior evaſit. Tuſſiit ſubindè & nares mucoſæ erant. Appetitus viget, non ſitit, alvus nunc plerumque ſuâ ſponte aperta eſt, urinæ planè naturales ſunt, coloris citrini. Sine impedimento *cum Amicis & Cognatis* omni tempore de rebus ſeriis cum magna attentione confabulatur. Hactenus *ſolùm lac methodicè* bibit cum notabili virium augmento.

Reſolutio.

AFfectus, qui *Perilluſtrem Dominum Cancellarium circa* 13. *Septembr.* 1690. obruit, eſt Hemiplegia quædam, nam ſtatim in invaſione prima fœmur ſiniſtrum ponderoſius & ad motum ineptius evaſit, & cum illi inſiſtere vellet ex equo deſcendens, humi cecidit, ac impotentia pedis hujus aliquot ſeptimanis duravit. *Die* 4. *Octobr.* brachium ſiniſtrum attollere, nec manum ori admovere potuit. *Die* 13. *Oct.* Manus ſiniſtra intumuit, & 21. *Octobr.* imo pede vacillabat; diu in ſiniſtram partem capite & pectore inclinavit.

Hemiplegia hæc ex leviculorum numero eſt, nam à prima invaſione hucuſque retinuit motum in artubus & ſenſum etiam in vigore morbi 30. *Septembr.* Nam complicatis digitis leviculè preſſis ſtatim ſenſit & brachium movit. Cauſam nihilominus tamen intra cranium contentam fuiſſe, atque etiam medullarem cerebri ſubſtantiam afflixiſſe, non obſcurè patet : nam ſtatim in principio *ſcil. d.* 19. *Septembr.* caput grave & obtuſum fuit, à ſcreatu pungebantur tempora, aures tinniebant, ſenſum formicationis in homoplatis obſervabat. *Die* 24. *Septembr.* Omnes functiones animales languidæ & ferè proſtratæ erant. *Die* 26. *Septembr.* attonitus jacuit; noluit loqui. *D.* 29. *Sept.* cum fœmoris majore impotentia ſomnolentus fuit, omnes ſenſus ſtupidiores erant. *Die* 2. *Octobr.* ſopore profundo cum ſtertore quaſi ſepultus jacuit; tunc & antea aliquoties memoriæ valdè imminutæ indicia præbuit, nam ad reſponſa vel quater & amplius data denuò ceu dictorum

planè inſcius, inquiſivit. *Die* 20. *Octobr.* poſt lectionem in libro ſenſit adhuc ſibi caput aggravari, quæ omnia evincunt cauſam profundiora quoque intra cranium occupaſſe.

Cauſa hujus hemiplegiæ ſerum eſt, tum poros medullares cerebri inundans, tùm foris intra anfractus ſtagnans, non autem ſanguis extravaſatus, nam affectus jam aliquot ſeptimanis duravit, ſenſim imminutus fuit, tùm à ſudoribus ſpontaneis, tùm à diſſolventibus ſcil. *Liq. C. C. ſuccin. ſp.* ⊖ ✳ *aromat. pulv. diaphor.* Item revulſo ſero *à laxantibus ſcil. infuſ. rhabarb. cum* ⊖ ♀. *à crebris clyſteribus*, cùm, quæ à ſanguine extravaſato dependet, citò enecet, niſi *Trepano* exitus paretur, aut ſi paucus ſit, maturé diſſipetur *ſacculis cephalicis &c.*

Seri plurimum ad cerebrum perfertur per arterias, nam præ ulla alia parte in toto corpore his ditatur: vaſa ſanguifera duræ meningis & maximam partem tenuis meningis, item omnia, quæ in baſi cerebri & intra anfractus feruntur meræ arteriæ ſunt, *ut demonſtravi in Tractatu meo de Loco affecto in Apoplexia: quibus etiam aſſentitur Vieuſſens in Nevrologia.* Sanguis ad cerebrum allatus ad minimum duplo plus ſeri continet, quàm venarum, *ut etiam ad oculum demonſtravit Excell. D. D. Schelhammer in Epiſtola ad Exc. D.D. Manget & Socium in Theſauro Anatomico.* *Perilluſtris Dominus* jam ab aliquot annis multum ſeri cumulavit in maſſa ſanguinea, cujus rei cauſas ſimulque ſalſuginis ejus prolixe oſtendere conatus ſum *in Conſilio* 1678. *ſcripto*: multumque ſeri ei permixtum adhuc innotuit *ex V. S. die* 28. *Septembr.* nam ſanguis tunc valdè ſeroſus erat. Serum *apud Perilluſtrem Dominum* aliquomodo extravaſatum fuit, ac ſtagnavit intra anfractus cerebri, ac quaſi fuſum & colliquatum profundius cerebri poris medulloſis ſe inſinuavit longiore morâ ſub radiis ſolaribus, aliquot diebus per plures horas, ut *Ipſemet* crediderit cerebrum ab his elixatum quaſi fuiſſe, ſerum hoc profundius & ad intima adegit expoſitio corporis ac capitis vento frigido boreali quandoque penetrantiore *circa Neocomum* flante: motum ejus promovit equitatio ad montana *d.* 14. *Septembr.*

Ex his patet ſerum in maſſa ſanguinea imminuendum, per loca congrua evacuandum, à cerebro revellendum & ad loca vicina derivandum atque intra cranium conſumendum, cerebrum roborandum ſeu ejus poros ad priſtinam conformationem reducendos eſſe; ſimulque opera danda, ut ſanguis laudabilis producatur atque aptus ad nutritionem & ſufficientem proventum ſpirituum animalium reddatur. Ut melius conſulatur *Perilluſtris Domini* valetudini, aliud hoc tempore, quo ex hac hemiplegia eluctatur, aliud impoſterum agendum erit, ſive

ſive benè ſe habeat & in priſtino ſanitatis ſtatu verſetur, ſive recidiva, quam Deus avertat! ob unum alterumve errorem oboriatur, quæ omnia *Methodo executiva* trado.

I.

Per dies 10. *aut ſi neceſſum ulterius* ſeu eò uſque donec cerebro ſua ſerenitas reſtituatur, *hac Methodo* inſiſtendum arbitror.

1. *Singulo mane horâ 6.* ſi vigilet, detur ℨß. *hujus pulveris cum aqua betonicæ aut florum tiliæ.*

℞. *Pulv. antibect. Pot.* ℨiß.
C. C. ph. ppr. Ung. alc. ppt. corall. r. pp. āā. ℨj.
Succin. alb. ppt. cinnab. nativ. Hungar. āā. ℈ij.
⊖ *ſuccin. vol. gr.* iiij. *extr. lign. al.* ℈ß.
Ol. nuc. moſch. gr. iij. *tab. man. chr. perl.* ℥j. *Mſc. F. P.*

2. *Veſperi duabus horis ante cœnam* dentur *cochl. ij. hujus mixturæ.*

℞. *Aq. flor. til. paralyſ.* āā. ℥iß. *beton.* ℥j.
Liq. C. C. ſuccin. ℨß. *Magiſt.* ♃ii *diaph.* ℈j. *ſyr. cap.* ♀ ℥ß. *Mſc.*

3. *Singulo mane* vertex illinatur *hoc balſamo.*

℞. *Ol. nuc. moſch. expr.* ℨij.
deſt. roriſmar. majoran. ana. ℈ij. *rut. ſuccin.* ana. *gt.* vj.
Balſam. Copaiv. ℈ij. *Mſc. dilig.*

4. Si alvus aperta ſit ſuâ ſponte, non neceſſum eſt ut moveatur, ſi verò 48. horis occluſa ſit indeque noctes inquietæ eveniant, injiciatur *conſuetus clyſter:* aut ne nimium illis aſſueſcat, parentur *tales globuli*

℞. *Ferment. piſtor. cochl.* iij. ⊖ *comm. toſti cochl. j.*
Fellis bubuli cochl. ij. cum farina q. ſ. Mſc. & paretur paſta, ex qua globuli magnitudine pruni ſylveſtris ſuper lamina cuprea aut ferrea farinâ conſperſâ, ſiccentur ad duritiem in fornace.

Horum globulorum tres vel quatuor butyro obliti manè die ſecundo aut tertio in anum indantur, & ultrà horam & amplius retineantur, ſeu donec ad excretionem ſtimulent.

5. Quando obauditio contigerit, paretur *Turunda craſſitie pennæ anſerinæ ex linteo raro arctè convoluto & filo circumligato longitudine digiti, ejus apex* imbuatur *hoc liquore* rurſusque leniter exprimatur.

 ℞. *Spir.*

℞. *Spir. ceraſ. nigr. Lavend.* ana. ℥iß.
Fell. Taurin. ʒiij. *Mſc.*
Hâc Turundâ manè & ante cœnam aures mundentur.

6. *Fonticulus* prior non claudatur donec recens manare cœperit, *globuli* commodè parantur *ex ligno Hederæ*, ſi ſiccentur paro *globulos ex cera viridi cum pauxillo cantharidum*, ſed non ultrà 24. horas in ulceribus relinquendi ſunt.

7. *Frictio* monſtrato modo totâ hyeme & ulterius continuetur.

8. Si fortè Catarrhi moleſti eſſent & ad pectus ruerent tuſſimque excitarent, cum fructu *horâ ſomni ſcil. hor. 9. hoc Electuarium* prodeiſſet.

℞. *Conſerv. roſar. rubr.* ℥iß. *anthos. majoran.* ana. ℥j.
Spec. analept. Fr. Mind. ʒij. *Ther. Androm.* ℈j. *Mſc. dilig.*

Toto hoc tempore etiam hyeme, licet integrè vires recuperaverit, cœlo pluvio, & nivoſo domi maneat, aut certè non diu verſetur in aêre frigido ſive humido, ſive ſicco: in frigore gelido ſæviente maximam partem in lecto degat. Prandeat horâ 11. Cœnet horâ 7. Prandium ſint juſculum carnis cum pane, pruneola aut poma dulcia in aqua cocta & cum ſaccharo conſperſa: quandoque in prandio concederem carnes vitulinas, hædinas, agninas minutim conciſas & cum butyro recent. paſſulis & juſc. carnis coctas: aliquando etiam aviculam pinguem aut pullum gallinaceum aſſum. Bibat porrò *decoct. rad. chin.* Vinum & acida omnia omittat, quoniam animus eſt propediem *curam lactis* repetere. Cœnet nihil niſi juſculum. Cum cibis panem ſalubrius junget, quàm biscoctum ſaccharatum.

II.

Cerebro ad meliorem conſtitutionem reducto, *Lactis potum* audacter repetendum exiſtimo, quia à plurimis annis illum optime pertulit, laſſitudinem per tres annos integre ſuſtulit, & *Perilluſtris Dominus* vegetior evaſit & quaſi rejuveneſcebat, quod indicium eſt *ex lactis uſu* copioſos & laudabiles ſpiritus vitales & animales reſtauratos fuiſſe, nec hemiplegiam *lacti* adſcribendam eſſe; ſed errori externo ſc. moræ longiori in ſole & in aere frigido Borea flante, etiam veſperi: inſuper quoque *Perilluſtris Dominus* nihil quicquam de Nephritide animadvertit, imò urina ante hujus potum quandoque craſſa & obſcura meliorem conſiſtentiam ac colorem acquiſivit & ſemper debita copia prodiit. Verùm, uti apud alios, opera danda, ut *lacte ſano* fruatur & caveatur, ne in ventriculo grumeſcat aut bileſcat.

Quando

Quando *potum lactis* inchoaverit & aliquot diebus biberit, non citius, quia nuper *ab infuſo rhabarb. ipſi familiari* debilitatus fuit & expalluit, *purgari* poſſet. *Purgans* autem ſit *vel infuſum rhabarb.* aut ſi fortè ob crebrum uſum minus alvum laxet, *tale* parari poſſet.

℞. *Fol. ſenn. ſ. ſ.* ℥j. *Rhabarb. el. Agar. alb.* ana. ℈ij. ⊖♀℈ß.
Flor. borrag. beton. ana.*Pug. j. ſem. fœnic.* ℥j.

Inciſ. & contuſ. indantur vaſi vitreato : affund. aq. font. calid. q. ſ. benè clauſa digerantur in loco temperato hor. 12. *coletur citra expreſſionem: in colaturæ* ℥iiiß. *ſolv. Mann. ſelect.* ℥x. *iterum coletur : detur mane hor.* 6. *calidè, hor.* 8. *detur juſc. ſine pane & adhuc bis ad prandium uſque:* prandeat poſtea more ſolito : ſi fortè ignavius purget, aliis vicibus *doſis ſennæ* ℥j. *rhabarb.* ℈j. augeri poſſet. Vel ejus loco dari poſſet *de ſequente mixtura,* quam frequenter ſenibus cum optato ſucceſſu ſuadeo.

℞. *Syr. roſar. ſ. ſ. de cichor. cum rhab.* ana. ℥j.
Extr. Diacartham. ʒß. *aq. flor. acat.* ℥j. *Mſc. ad vitr.*

Hujus cochl. ij. vel iij. dari poſſent *manè hor.* 6. ſi alvum non moveant, *poſt horam octavam* rurſus dentur *cochl. ij. ſeu quod reſtat,* poſtea bis juſculum ad prandium uſque.

Lac vaccæ ſanæ paſtæ fœni primarii part. ij. ſecundarii parte j. bibat recens mulctum tepore naturali præditum in conſueta portione cum pauxillo ſacchari. In prandio comedat juſculum lactis cum pane, aut vitell. ovorum aut cum oryza minutim contuſa in pultis formam coct. Licet quoque in prandio tuto veſci carne vitulina aut hœdina minutim conciſa, item de pullo gallinaceo elixo aut aſſo & fruſtulo panis ſed non ultra ℥iij. *mallem ut in prandio biberet decoct. rad. chinæ aut lign. viſc. quern. quorum* ʒij. *cum paſſul. Corinth. contuſ.* ℥j. *coqui poſſunt in menſ. j. aq. fontan. Veſperi poſſet bibere lac prius elixum ac cremore privatum, ſed rurſus calefactum, cui aliquid de potu ordinario admiſceat : addo quandoque cochl. ſyr. violar. imprimis ſi alvus ſit immorigera. Cibum ſolidiorem in cœna omittat.*

Vitentur omnia, quæ pridem diſſuaſa fuerunt : *In hac cura* nuſquam tutus eſt vini potus, licet non ſtatim damnum percipiatur, nec grumuli in ventriculo & inteſtinis turbas dent; nam chylo magna pars lactis permiſcetur, cui, ſi accedat vinum, etiam in vaſis ſanguiferis, coagulationem quandam parere valet, unde, imprimis in glandulis obſtructiones ſubnaſcuntur, aliorum, etiam periculoſorum morborum cauſæ, eoque nocentiorem, quia diu cauſa eorum latet vixque agnoſcuntur,

cuntur, donec difficulter ſuperabiles evadant. *Videantur Petr. Sal. diverſ. Zacut. Luſ. Fern. aliique de Tuberculis crudis pulmon. aliarumque partium.*

III.

Si recidiva gliſcat, aut paroxyſmus Apoplexiæ ſimilis immineat, quantocyus ſerum à capite revellendum eſt & ſpiritus animales excitandi, *hac methodo.*

1. Injiciatur *Clyſter,* licet alvus aperta ſit.

℞. *Rad. Irid. noſtr.* ℥ß. *Bryon.* ʒij.
Herb. beton. Salv. major. ana. *Mj.*
Fl. Malv. arbor. P. j. ſem. fœnic, ʒij.
Inciſ. & contuſ. Mſc. coq. in ſ. q. aq. fontan. ad conſumt. tert. part. Colat. ℞. ℔j. *add. mell. anthoſ. cochl. iij.*

Elect. cathol. ℥j. *El. Hier. picr. Gal.* ℥ß. ⊖ *commun.* ʒj. *Mſc.* *Idem clyſter* aut ſi fortior exigatur *aliquoties* iterari poterit, ſed *non niſi bis in die,* niſi neceſſitas alia imperet.

2. Si venæ valdè turgeant atque æſtus percipiatur, tutò *Vena in pede ſecari ac* ℥iiij. *vel* ℥v. *ſanguinis* educi poterint.

3. *Manè hor. 6. & veſp. hor. 5.* detur ʒß. *hujus pulveris cum aqua beton. ſalv. aut ſimilis cochl. ij. vel iij.*

℞. *Pulv. antihect. Poter.* ʒiß. *ung. alc. pp. C. C. ph. pp. oc.* ♋. ana. ʒj.
Matr. perl. pp. ʒß. ⊖ *vol. lumbr. aut viperar.* ℈ß.
Ambr. gryſ. gr. vj. ol. d. rorismar. gtt. ij. Tab. man. chr. perl. ℥iß.
Mſc. F. Pulv. d. ad ſcat.

4. *Horis intermediis diu noctuque,* ſi vigilet, dari poſſet *ſubinde cochl. j. vel ij. ſeq. mixturæ:* modo non ſtatim à paſtu

℞. *Aq. flor. til. pœon. paralyſ. beton.* ana. ℥j.
Liq. C. C. ſuccinat. ℈ij. *mag.* ♃ii *diaphor.* ʒß.
Ol. d. ſuccin. alb. rorismar. ana. *gt. j.*
Tab. man. chr. perlat. ℥ß. *Mſc. d. ad vitr.*

5. Si ſopor gravis accedat cum memoriæ magna imminutione, ſtatim *Veſicatoria utrique carpo & internæ tibiæ utrique ſub genu* applicarem: aliquando in hoc caſu imprimis ſi vertigo accedat, *capitis cuti capillatæ toti, abraſis prius capillis veſicatorium inſtar cucuphæ impono, ac*

horis

boris 8. vel 10. relinquo, nullam veſicam excitat, niſi fortè attingat portionem cutis depilem, quod tamen cavendum: multum aquæ ex poris educit ſine ulla moleſtia, dempto veſicatorio, imponatur butyrum recens braſſicæ capitatæ inductum. Quamprimum cutis exſiccata fuerit, furfures pectine buxeo ſenſim aufferendæ. Si neceſſum ſit, poſt dies 10. vel 12. veſicatorii applicationem denuo repeto: ſed veſicatorium ſit empl. Horſtii aut Auguſtanor. nullo modo fermentum cum Cantharidibus. Vid. apud Bartholin. C. 4. Epiſt. 86. p. 489. Puerarius Medicus Genevenſis Patri ſuo ex gravi capitis commotione à caſu aliquid paralytici paſſo Veſicatoria toti capiti raſo cum fructu applicuit.

6. Excitetur ſoporoſus *ſpir.* ⊖ ✱ *urinoſ. aut ſpir. fulig. aut ſpir.* ⊡ naribus admoto; item *balſam. ſuccini.* Linguæ apex attingatur *ol. d. caryoph. cinamom.* Naribus illinatur *aqua Lavendul. cui parum Euphorb. & ſacchar. permixtum.*

7. In forti oppreſſione ſpirituum animalium magno cum fructu dedi *hanc potionem.*

℞. *Pil. cochiar.* ℨj.
Syr. roſar. ſol. ſimpl. ℨij.
Aq. ſalv. q. ſat. ad ſolutionem.
Detur *qualibet horâ tota potiuncula.*

8. *Lac* in tali ſpirituum animalium oppreſſione omittatur, quamprimum hæc remittit, & ſpiritus animales majorem ſerenitatem acquiſiverunt, tunc *hujus potum methodo conſuetâ* rurſus auſpicetur: cibetur juſculis: potus ſit *decoctum ſaſſafras.*

Deus T. O. M. omnibus benedicat!

Neocomi d. 25. Octobr. 1690.

Joh. Jacob. Wepfer, M. D.

Abiturus die 5. Novembr. 1690. *monui* 1. ut nunc omitterentur *remedia ante lactis potum ſumenda, except. balſamo cephal. & globulis ex fermento, bile &* ⊖, 2. *Purgantia* omitteret aut parcius hæc ſumeret, quia *ab uſu rhabarb.* & ab excretis durioribus in leipothymiam incidit ferè, fortè membrana nervea nimis denudata *à ſæpius ſumto rhabarbaro.* 3. A ructibus acidis non terreatur, quia non quævis aciditas nocet, nam caſeoſa ſubſtantia ſemper aceſcit in vitulis, agnis, hædulis &c. etiam pinguiſſimis, non tamen ſemper nocua eſt.

Morboſus acor in ventriculo eſt, quando acida vomitu rejiciuntur, & grumoſa, quando ventriculus gravatur & inflatur cum anxietate. 4. Diarrhœa compeſcenda *ol. N. M. expreſſ. in juſculo piſi magnitudine* ſumtum.

" *Lactea Cura contra podagram, catarrhos &c. utilis futura talis "commendatur à Domino du Clos Medico Pariſienſi.* 1. *Ter aut quater in "die bibendum.* 2. *Manè bibendum recens mulctum, ne in ventriculo "aceſcat aut grumeſcat, addendum parum ſacchari: ſi os inde incaleſcat, "parùm aquæ fontanæ.* 3 *Pro prandio comedat panem, bibat lac tan- "tum quantum ventriculus toleraverit, panem comedat ſiccum aut lacte "mollitum. Item juſcula lactis cum vitellis ovorum. Item ova ſorbilia "cum pane, oryza: pultes lacteas: coagula lactis. NB. At qualia? fruc- "tus crudos aut coctos at dulces. Si diarrhœa ſuperveniat, lac calidè "bibendum: ſi alvus adſtricta, bibat tempore ſomni lac frigidè. Si "appetitus proſtratus ſit, horâ ante prandium ℥ij. rhabarb. aq. infuſ. bi- "bendum: diebus* 2. *vel* 3. *repeti poteſt, ſi neceſſum ſit: ſi abdomen infla- "tur, dari quoque poteſt digeſtionem juvans. In hac cura non opus ha- "bebit alio purgante.* 5. *Si febriles acceſſus ſuperveniant, lac non eſt "omittendum; ſolummodo lacti addatur quarta pars aquæ communis: o- "mittat panem & alia alimenta: V. S. podagricis nocet.* 6. *In principio "hujus curæ uſus cum fœminis omittendus menſibus* 3. *vel* 4. *Hucuſque "Dominus du Clos.*

NB. Dum *Perilluſtris Dominus Lac* pridem bibit, paulò poſt mul- tum mingere cogebatur, adeò ut, quod antea non fiebat, non raró *ex Senatu* exire cogeretur, imo toto tempore, quo *Lac* bibit, urina te- nuis & ſpicea fuit cum enæoremate tenui: dum nunc *menſe Octobr.* juſcula ſumſit, urina ſemper minus tenuis cum craſſo ſedimento: ex his concludo tenuiorem partem *Lactis* citò ex jejuno & ideo ad maſ- ſam ſanguineam ferri. Caſeoſum diu in Colo perſiſtere, unde craſſas fœces & compactas ſæpe dejicit: *Lactis* partem tenuem multo tenui- orem eſſe chylo ex juſculis & carnibus confecto; nam chylus ex juſ- culis & carnibus &c. prolectus ſimilis eſt Gelatinæ, quæ ex carnibus parantur: ergo *lactis* tenuior pars minus quàm juſculum carnis calcu- lum veſicæ augebit; quamvis ſemper illum augeant aſſumpta alia quæ- vis, nam auctus viſus in lactantibus, in hydropotis &c. non tamen ne- gari poteſt illum magna incrementa ſumere à vino, à cibis ſalitis, viſ- cidis, caſeo &c.

Hoc

Hoc Memoriale Neocomo Menſe Februarii 1691. *mihi mittebatur.*

PErilluſtris Dominus Cancellarius poſt meum abitum indies melius ſe habuit. Expergefactus bibit *mane lac recens mulctum. Meridie lacti ebullienti* immittit *duo vitella ovorum & ℥iij. panis. Veſperi* quoque ſumpſit *lac recens mulctum,* verùm addidit *tertiam partem aquæ,* ut alvus liberior eſſet, *uti D. D. du Clos præſcripſit cuidam Capitaneo.* Hæc nutritio effecit, ut nec famem nec ſitim haberet hucuſque, nec *poſt meum abitum* aliud edit & bibit. Verum *ab ℥xiiij. lactis* pervenit ſenſim *ad ℥xx.* ſine ructu aut aggravatione ſtomachi. *Poſt meum abitum* alvus per dies 15. occluſa erat, ut 10. *Clyſteres* admittere cogeretur, poſtea iis non amplius opus habuit, quia ferè alvus quotidiè ſpontè ſolvebatur; ſi tardius ſolutio fiebat, evenit tamen ad finem ſecundi diei. Fœces ordinariè ſunt ſiccæ & duræ globoſæ, colore olivæ, raro flavæ aut albicantes. Urinæ magis inæquales ſeu variæ, quàm dum apud ipſos commorabar, eminxit claras inſtar aquæ fontanæ, in principio duarum defluxionum exiguarum, quas bis paſſus eſt; carebantque ſedimento: & dum duo iſti catarrhi durarunt, quandoque minxit urinas turbidas albas, quandoque claras colore citrino. Sedimentum turbidæ urinæ farinaceum evaſit aut ſimile lacti denſato ſeu coagulato. Quæ clara emingebatur, nunc talis manebat, nunc turbabatur itidem cum ſedimento farinaceo. Miſit ſedimentum farinaceum ſiccatum, ut explorem ejus naturam.

Reliquiæ defluxionis, dum ipſi aderam, ſeu Hemiplegiæ imminuuntur inſenſibiliter, ita ut duæ defluxiones, quæ hactenus ſupervenerunt, nulla attulerint incommoda alicujus momenti, exceptâ ultimâ, quæ tuſſim aliquam & ſputi ejectionem effecit, ac impediverunt ſomnum, qui aliàs ordinariè durat 5. 6. vel 7. horis. Dum hæ duæ defluxiones durarunt, ſenſit verſando brachium ſiniſtrum aut illi incumbendo levem dolorem ſcapulæ ſiniſtræ ad olecranum, verùm non impedivit, quo minùs motum retinuerit, extra hunc caſum tàm liberum habet, quàm manus dextra.

Dum hæ defluxiones aderant, poſt meridiem frigus leve pedum ſupervenit, aures graviores quoque erant, ac ſi aere plenæ eſſent ſine tinnitu. Vox minus clara *caſſéé*, ſeu *fracta.* Pedes parùm tumebant, ut impreſſa digitorum veſtigia ſervarint & à faſcia in brachio inciſuræ ſeu ſulci: *à frictione* ſulci evanuerunt, à tepore lecti noctu quoque pedum œdema.

Tumor pedum diverſus eſt à ſtupore ambarum manuum, ille

in lecto evaneſcit, hic mane evenit in ſomno, quando evigilat, imprimis manûs ſiniſtræ parvus digitus rigidus & ſtupidus fit. Probabile videtur ſymptomata pedum, aurium & vocis provenire à tranſpiratione deficiente. Nam tunc quando pedes frigore afficiuntur, dum manet in lecto, ſupervenit calor, & mador unde ſtatim talia ſymptomata evaneſcunt, ſaltem multùm imminuuntur, & melius dormit, ac mane nullum amplius incommodum aut valde exiguum ſentit, quia ſudor ſerum tanquam horum cauſam ſuſtulit. Id ipſum confirmat in ſua opinione, quia, dum ante ſex ſeptimanas ſe expoſuit aëri, illo die, quo exiit, magis illa incommoda ſenſit quàm ordinariè. Heri multùm ſeri ex ore emiſit, inde pedes quaſi inflati erant & digiti manûs ſiniſtræ minus ſtupidi & quaſi nihil torpidi. Verum quando evigilat, urinæ ſunt turbatæ: videtur urina non eſſe turbida, niſi prope partum.

Frictionem manè & veſperi admittit per totum corpus, ea opinione, quod illa juvet inſenſilem tranſpirationem ſibi ſummè utilem. *Balſamo* nucham & caput in monſtratis locis inungit *mane*. *Electuarium*, quod ſuaſeram contra catarrhos, ad ſtomachum videtur ipſi optimum eſſe.

Quid in futurum agendum ſit? quid ſibi velint mutationes urinæ? quid minentur pedum tumor, & digitorum ſtupor in manibus?

Ad hoc Memoriale reſpondi Die 20. Februarii 1691.

PErilluſtris Dominus ſcire avet, quid in præſente valetudinis ſtatu porrò agendum & in futurum ſperandum aut timendum ſit?

In cura lactea nihil immutandum videtur; quoniam *lactis potum ad ℥xx. mane, in meridie lac cum vitellis duobus ovorum & ℥iij. panis & lac in cœna cum tertia parte aquæ* tolerat, inde nec gravatur, nec eructat; quia quoque hæc famen ſedant & explent, ac ſitim compeſcunt; quia denique vires conſervat, alvus ritè ſolvitur fæceſque naturales & compactæ ſunt, tandem quia pro nutritione corporis & virium conſervatione *hæc lactis ter in die ſumpta copia* ſufficit, nihil addendum aut detrahendum eſſe videtur. Creditur aliàs *Germanorum & Helvetiorum* ſeu fermentum ſeu menſtruum ventriculi aliquaque ſolidiora poſtulare, *ut quoque exegiſſe vidi apud Fr. Cappucinum Rothwilanum, qui ſolo lacte & vitellis ovorum cum pauxillo panis podagram curare annitebatur, periculoſa Diarrhœa correptus fuit, ut illam penitus intermittere cogeretur. Alii manifeſte ſenſerunt, vires ſibi à ſolo lacte nec reparari nec augeri imò imminui, unde neceſſario carnium animalium ac omnino victum pleniorem ei*

jungere

jungere debuerunt, & hunc uſque in diem id faciunt ſine læſione imo cum effectu exoptato: nam non ſolùm nationes propè integræ, nec omnia individua æque victum tenuem tolerant. Eoque magis huic curæ inſiſtendum, quia manifeſtè experitur *Perilluſtris Dominus*, indies ſe melius habere & ſymptomata hemiplectica imminuta fuiſſe *poſt meum abitum;* quod etiam factum eſt in duabus defluxionibus, quæ hactenus evenerunt, nam *citra ullorum remediorum aliorum uſum* evanuerunt. Quæ indicio ſunt *hanc curam lacteam & alimenti & medicamenti vices* præſtare. Indeque concludo audacter pergendum eſſe *illâ.*

An alia remedia Pharmaceutica aut Chirurgica Perilluſtri Domino ſuadenda? porro diſpiciendum eſt. Quia alvus aperta eſt ſponte, quia quoque nullam tenſionem in abdomine, nullam aggravationem in præcordiis percipit, nec eructat, *nec clyſtere nec ullo alio purgante* opus habet. Quoniam duæ defluxiones ſpontè ceſſarunt, non opus habet *vel pulvere vel aqua cephalica nuper præſcriptis:* multo minus *fortioribus remediis*, quæ non niſi ſopore profundo præſente adhibenda ſuaſi. Pergat ergo *ſolo lactis uſu & frictione.* Si defluxiones ſentiat, utatur *Electuario ex conſerva roſarum rubr. theriaca &c. horâ noctis. Poſt Paſcha circa medium menſis Aprilis* iterum edocendus ero de ſtatu valetudinis, tunc deliberandum, *quid porrò agendum & imprimis num Venæſectio conveniat?* interea attendendum erit ad omnia ſymptomata, quæ interim evenire poſſunt.

Quid metuendum, quidve ſperandum ſit? nihil mali timendum & felix ſucceſſus ſperandus, quod potiſſimum inde colligo, quia ultimæ duæ defluxiones hemiplegiam nec auxerunt, multò minus attulerunt, imò, quæ ſupererant, hactenus prope evanuerunt ſuâ ſponte: inſuper aliquo modo dolorem excitarunt, ſi brachio ſiniſtro incubuit aut illud movit, quod indicio eſt, defluxionem extra nervos delapſam eſſe, nec illorum medullæ ſe inſinuaſſe, quod confirmant etiam tuſſis & vox rauca. Ab urinæ varietate non turbetur, nam quia nec in renibus dolet, nec in ipſa mictione ullum dolorem ac impedimentum percipit, nullum calculum adeſſe, multò minus aliquid purulenti latitabit? ſedimentum exſiccatum, quod mihi miſſum fuit, multùm ſalis continuit, parùm terræ. Quia tumor pedis tepore lecti & ſudore evaneſcit, *nulla* poſtulat *remedia.* Stupor & rigiditas digitorum poſt ſomnum, non provenit ab influxu ſpirituum animalium, ſed à motu ſanguinis impedito, uti multis etiam ſanis evenit, nihil mali portendit, nam ſuâ ſponte evaneſcet, quando ſurget & ſe moverit. Pergat *frictione, uſu balſami:* mane tardè ſurgat, ſudorem ſpontaneum nun-

quam impediat. Extra lectum corpus imprimis, pedes contra, frigus muniat.

Menſe Martii 1691. *ſcribit Excell. D. D. Grojan*; optimè ſe habuit *Perilluſtris Dominus*; prægreſſa hyeme gelidiſſima in publicum prodiit abſque moleſtia: dum manus ſæpe aeri frigidiſſimo expoſuit nudas, unde obriguerunt, poſteà flexiles redditæ *à chirothecis pelliceis*, *Diætam lacteam* accuratè obſervat.

Idem Exc. D. D. 20. *Maji ſcribit*: *Perilluſtris Dominus Cancellarius* legit ſæpè & cum attentione *D. D. du Clos Pariſ. curam lactis frequentem purgationem exigentem*: *Illuſtriſſimus Dux à Schomberg ſingulis ſeptimanis ſumſit purgans ad reliquias fœculentas lactis evacuandas*: hanc ob cauſam *Ipſi* quoque concedere cogebatur *infuſ. rhabarb.* ʒj. ⊖ 🜿. ℈ß. *cum aq. communi*, unde ter alvus ſolvebatur, urina crocea evaſit, quam ſimul copioſe eminxit. Conqueritur ſubinde de dolore obtuſo fœmoris dextri citra motûs impedimentum. Cætera optimè ſe habet.

Die 29. *Maji* 1691. *reſpondi*: Quia tantopere urget *purgantia*, *infuſum rhabarb. cum* ⊖ 🜿 *ſubinde* dari poterit, quia ⊖ 🜿 *utpote alkalinum* acidum debellat atque ita coagulationem præcavet. *Curâ lacteâ* porrò pergat, ac omnia, *quæ in diverſis Conſiliis præſcribebantur*, obſervet.

OBSERVATIO CLXIV.

Hemiplegiæ Species mira.

R. *D. P. N. N. Braunsbergâ Boruſſus, Confeſſarius in N. Monaſt. Sylv. Hercyniæ.* 45. annor. ſtaturæ juſtæ, olim carnoſior, nunc macilentior. Parùm comedit à longo tempore, potus cibum longè ſuperat quantitate. Oculi perpetim flaveſcunt, ex ore acorem ſemper redolet, etiam jejunus. *Circa principium anni* 1675. cum equo in foveam nive opertam cecidit: equus magno conatu ex fovea emergens calce pedem dextrum ſub malleolo interno fortiter feriit, adeò ut calcis veſtigia per ocreas & tibialia ibidem impreſſa viderentur. *Per* 3. *Septimanas* nullum dolorem nec aliam moleſtiam animadvertit: poſteà ſubindè ardorem quendam non continuum nec diuturnum ibidem pati cœpit. Poſteà ardor ſe longius diffudit, nam ab imo pede dextro ſubitò totum latus dextrum invaſit uſque ad caput, maximè verò in cervice & ad extremos digitos per totum brachium pectus & abdomen dimidium uſſit. Ardor iſte ſemel in menſe quandoque

bis

bis invadit, non durat ultra horæ quadrantem, poſt invaſionem debilis evadit, ut decumbere cogatur, & loquela minùs prompta redditur. Invadit plerumque manè horâ octavâ vel paulò ante, jejuno ſtomacho, nunquam poſt paſtum. Præſente paroxyſmo ſumptâ *Aquâ antiapoplecticâ*, aut manu ob æſtum maximum frigidæ immerſâ ardor remittit ac citius à paroxyſmo liberatur. In ipſo paroxyſmo artus movet pro lubitu; non p. n. ſuccutiuntur: extra paroxyſmum ſcribit, obambulat, celebrat, concionatur. Tremit quidem artubus, ſed ante hunc ardorem jam tremulus erat, quod adſcribebatur copioſo potui, & ſpiritui vini, cui admodum indulget.

Die 10. *Junii* 1676. *me convenit Doneſchingæ.* Obſervavi pedem dextrum ſemi luxatum, nam malleolus internus non prominet nec tactu reperiri poteſt, dexter verò admodum protuberat & duplo major eſt naturali: imum pedem nihilominùs movet, minus tamen quàm ſiniſtrum: non dolet, incedit citra claudicationem, ita tamen ut magis extrorſum pes inclinet, nec pulpam ſub pollice & portionem tali internam ſatis firmiter & planè terræ ſeu pavimento imprimat. Totus pes veſperi œdematoſus fit, mane detumeſcit. Nullam vertiginem, nullam cephalalgiam, nullum denique tinnitum aurium experitur. Omnia ſani munia propemodum obit.

Reſolutio.

CAuſam referre, unde ardor iſte momentaneus ad ſummum per quadrantem horæ durans eveniat in toto latere dextro, adeò vehemens, ut præ moleſtia manum frigidæ immergere cogatur, difficile & arduum omninò eſt. Succo nervoſo acri ob contuſionem generis nervoſi ſub malleolo dextro adſcribere poſſem, quia nervis illis in pedibus læſis effectum, ut primum ſolummodò latex iſte ad locum affectum funderetur; poſteà principium ſeu portio dextra medullæ ſpinalis ob ardorem in pede dextro in conſenſum traheretur ſeu ſtimularetur, ut ibidem quoque latex iſte effunderetur: nam acri humore abundat, quia parùm comedit, multùm verò bibit; præterea ſpiritui vini nimium indulget: comovetur jejuno ſtomacho, quia ſanguine chylo nondum diluto hic humor magis efferus redditur. Denique hoc ſymptoma affinitatem habet cum hemiplegia, nam loquela difficilior redditur, ipſeque inde vel maximè Apoplexiam veretur, laſſitudo ſpontanea & debilitas, ob quam decumbere cogitur, quamvis artus adhuc movere poſſit. Brevi autem durat affectus, quia humor valde tenuis eſt.

Non videtur fieri conſtrictis arteriis vel venis, quia nulla ſtagnantis ſanguinis ſigna in paroxyſmo obſervantur.

Suaſi *Ipſi manè ac veſper. Pilul. ex diaphor. ♃l. cinnab. nativ. cum ſucc. beton. parat. Tabul. cephal. Balſam. apoplect. Aq. antiapoplect. Foris emplaſtr. diachalcit. cum ♄ diaphoret. ligaturam pedis.*

OBSERVATIO CLXV.

Hemiplegia Lateris ſiniſtri cum motu convulſivo poſt Hemicraniam.

N*Obiliſſ. Domini Equitis & Proconſulis N N. Filius apud Uranios:* erat annor. 12. *Anno* 1689. ſanus & robuſtus, pro ætatis ratione ſtaturæ longioris : videbatur *Matri* Hecticæ obnoxius 1689. *d.* 13. *Jul.* verùm tunc nec vel minimum indicium Hecticæ imminentis apud ipſum, *dum Altorffii apud Uranios eram*, animadvertere poteram : narrabatur illum per incertos paroxyſmos ſævâ hemicraniâ affici, ob quam decumbendum ipſi fuit, vomuit, poſteà dormivit, poſt ſomnum omnis dolor evanuit: erat tunc in procinctu *ad iter in Italiam.* Suaſi tunc *pulv. cephal.* caveat ſibi ab æſtu & ſanguinem inflammantibus. *Hunc pulverem* ipſi profuiſſe *Domina Mater ſcripſit. Tribus annis* quibus *in Italia* morabatur non frequenter hemicraniâ corripiebatur : at 1692. æſtate aliquoties atrocem hemicraniam rurſus expertus eſt : *die* 11. *Auguſt.* 1692. quo tempore annum ætatis 15. ſuperavit, *ſcribebatur d.* 30. *Jul. Mediolano Luganum*, macilentus & pallidus pervenit : in toto ſiniſtro latere debilior erat cum ſenſu formicationis, manu ſiniſtrâ pro lubitu uti nequiit, quandoque nec brachium nec pedem firmum tenere potuit, labium ſubinde ſiniſtrorſum trahebatur, impingebat ſubinde in loquela, linguam graviorem dixit. Hæc tunc temporis jam per dies 14. erat perpeſſus: appetit, non decumbit. *Medici Mediolanenſes & Luganenſes* ſpaſmodicum affectum vocabant, & Apoplexiam timendam prædixerunt. *Quæritur, an in Italia ſinendus?*

Reſpondi : In Italia hujus generis affectus feliciùs *congruis adhibitis* curari poſſe utpote in regione calida. Si animus ſit illum domum relocare, id faciendum ante hyemem. Miſi *pro itinere Elæoſacch. cephal. ſeq.*

℞. Sacch. alb. ℥ij. Extract. caſtor. ʒß.
Ol. nuc. moſch. expr. ℈ij.
deſt. roriſmar. majoran. ãã. ℈j.
lavend. ſuccin. ãã. gt. iiij. Mſc.
Cum aq. betonic. flor. til. ſumend.

2. Pulv.

2. *Pulv. cephal. pro aq. cephalic.*

℞. *Diaphor.* ♃. ʒj. *C. C. ph. ppt.*
Ung. alc. ppt. ãã. ʒij.
Cinnab. ♁ *rectif.* ℈ß. *Extract. caſtor.* ℈ij.
Ol. N. M. expr. ℈ß. *ol. ſuccin. rect. gtt. iij.*
Sacch. alb. ℥ij. *Mſc. F. Pulv.*

30. *Theriac. cœleſt.* ʒß. *F. pil. No. xxx.*

Commendavi ipſis *Frictiones* totius ſpinæ, muniant ipſum probè contra frigus & pluvias.

Die 25. Auguſt. 1692. *Domina Mater Altorffio ſcripſit.* Uſus eſt *transmiſſis* & multò meliùs ſe habet: verùm manu ſiniſtrâ non benè uti valet, nec pedi ſiniſtro ſuum robur conſtat, nullum prorſus patitur dolorem, eſt hilaris, benè comedit, rurſus fit coloratior: *Altorfium* pervenit *d. 23. Aug.* pedem ſiniſtrum firmum tenere nequit ut nec quoque brachium, & quidem minùs verſus noctem quàm interdiu, & brachium minùs quàm pedem: noctu benè dormit: antequam *meis remediis* uſus eſt, nullum globum in thorace ſuo foramini manu ſiniſtrâ intrudere valuit: nunc id optimè peragit.

Die 29. Auguſt. miſi rurſus *Pulv. cephal. add. Extr. caſtor.* ℈ʒ. *Cinnab.* ♁. *gr. xij. rad. pœon.* ℈j. *Mſc.*

Die 5. Sept. 1692. *D. D. Franc. de Menteln ſcribit*; Narium hæmorrhagiam conſuetam jam ab anno ſubſtitiſſe, & à duobus menſibus motus convulſivos in artubus ſiniſtri lateris obſervatos fuiſſe, qui adeò invaluerint in his, ut quoque os torſerint & loquela nunc impingat: addit hæc fieri ſine ullo dolore aut ſenſûs læſione, non continuò ſed per intervalla; videri ipſi *Domino Ægro* manus & brachia ſuum robur habere, niſi impedirentur à motu convulſivo. Unde ſtatuit affectum potiùs convulſivum, quàm paralyticum & potiùs actionem depravatam, quàm abolitam aut imminutam, idque ab irritatione à particulis acribus maſſæ ſanguineæ ſecretis & depoſitis ad partes nervoſas. Ab 8. diebus *poſt uſum pulver. cephalic.* meliùs habet: *Elæoſacch.* nondum uſi ſunt, quia modum utendi ignorârunt. *An utilia ſint juſcul. alterat. cochlear. naſturt. aq. fumar. acetoſell. flor. borrag. endiv.* non neglectis *caſtor. cinnab. ſuccin.*

Reſpondi: Aliquid paralytici concurrere, quia globulos in thorace manu ſiniſtrâ intrudere non potuerit, ſenſum formicationis ſenſerit: conſiſtere poſſe motus convulſivos cum ſemiparalyſi nondum medul-

medullâ penitùs occupatâ: ſumat *Pulv. mane* ℈j. *veſp.* ℈ß. *Elæoſacch.* ℈ij. *permiſcend. aq.* ℥vj. *& promiſcuè cochl. j. atque alterum* dandum. *Juſcula alterata* non rejeci. Commendavi ipſis imprimis *Frictiones.*

Die 13. *Septembr. D. D. de Menteln ſcribit:* Affectum primò apparuiſſe hemiplegiam eſſe, nunc accidentibus motibus convulſivis vocandum meritò paralyſin convulſivo-ſcorbuticam, *qualis deſcribatur à Riverio in Praxi & Obſervationibus.* Monet deſcriptionem *à Medicis* communicatam diverſam eſſe, ac nunc animadvertat, nam nullum defectum vel in motu vel in ſenſu deprehendi, nec in brachio nec in pede ſiniſtro, quando digitis manûs ſiniſtræ uti voluit cum aliqua vi, ſenſit digitorum tenſionem aut ſuccuſſionem imò in toto brachio: ſi verò quietos tenuit, vel ſi illos leviculè movit, non fiebat. In principio quidem ſæpius in die brachium ſuccutiebatur, quæ tamen nunc minùs moleſta eſt. Extra tempus ſuccuſſionis nullam obſervat impotentiam, nunc iterum veſtes induere valet, niſi digitos fortiùs *Ex. gr.* verſus globulos trudat & per foramen adigat: inter ingrediendum ſentit leve quoddam impedimentum, quod adſcribit ungui pollicis carnem ſaucianti: inter ridendum & loquendum os non trahitur ad latus, ut in principio & augmento morbi fiebat, nec os diſtorſum manet. In ſiniſtro latere nullum ſentit formicationis ſenſum. Impedimentum loquelæ adſcribit venis ſublingualibus admodum turgidis, quam attraxit frequenti linguæ vibratione in ore, etiamſi nec loquatur nec edat. Etiam venæ brachii & pedis affectorum turgidiores debitò ſunt. Unde *ipſemet Æger* ſuum affectum adſcribit plethoræ, provenientem ab hæmorrhagia ſuppreſſa à longo tempore. *An V. S. in pede ſano inſtituenda?* dubitant *domeſtici & ipſe,* quia *mea medicamenta* jam profuerunt: putant maleficium ſubeſſe, unde jam exorciſmis uſi ſunt &c. Æger quotidie melius habet, imprimis ſi obambulando ſe exerceat per prædia. NB. Scintillatio quandoque oculis obverſatur ac ſi lumen parvum per oculum jaculetur. In latere affecto facies macilentior & pallidior eſt. Urina plerumque eſt pallida, tenuis & cruda.

Die 21. *Auguſt.* 1692. *D. D. Carolus Joſeph. Marlianus Medicus Saroni in Ducatu Mediolanenſi ſcribit D. D. Sebaſtiano à Lacu Luganum. Dominus Eques eſt temperamenti calidi & ſicci,* gracilis, ſtaturæ proceræ, facie florida: paſſus eſt hæmorrhagiam largam narium præteritis annis. *Menſ. Jun.* 1692. ſentit aliquid de capitis parte ſiniſtra deſcendere cum læſione partium oris, motu brachii convulſivo & linguæ impedimento, ut verba non benè pronunciaret. Læſio ſiniſtræ partis an fuerit doloroſa & motus convulſivus num tonicus an vibrans? non fuit explicatum. Affectum non levem eſſe, cùm totum genus

nervoſum in conſenſum trahere & funeſtos caſus producere poſſit: magis tamen timendum, ſi à capite læſo originem ducat, quia motus convulſivos præceſſit ſenſus quaſi rei alicujus deſcendentis. Impuritates congeri & demitti putat à tota maſſa ſanguinea vel à liene: has imbutas eſſe acrimoniâ, ut ex temperamento, ætate &c. conſtet, acriores factas ob ſuppreſſam narium hæmorrhagiam à calore evaſerint, qui ſemper agat: huc perveniſſe evaporatione vel exſudatione ad partes nervoſas & membraneas. Particulas has quoque vocat auſteras, acidas. Concludit humorem talem evacuandum, revellendum, corrigendum, novum proventum inhibendum & capiti proſpiciendum eſſe. *Ex Chirurgia* ſuadet *V. S. in pede ſiniſtro*: *Hæmorrhoidum apertionem*: *Veſicatoria*, at cui parti? hoc opus, hic labor: primò in cruribus, mox in coxis, denique in brachiis ad muſculum ſc. Deltoidem: *Cucurbitulas ſiccas*: *Frictiones*. *Ex Pharmacia lenit. ex ſenn. Myrobal. ſyr. roſ. ſ. ſ. caſſ. El. lenitiv. cathol. purgant. pil. coch. aur. hermodact. turbith.* ſuperbibat *ſer. alterat. cichor. endiv. borrag. bugl. fumar. lapat. ſem.* 4. *frigid. maj. min. epithym. rad pœon. Lign. viſc. querc. flor. primul. ver. lil. convall. ſem. & cort. citr. Alterantia: idem ſerum vel deſtill. vel per arenam trajectum*, quod melius putat: *add. ſuccis deſtillatis vel per arenam trajectis herb. refriger.* aut corrigentium humores acidos ſeu auſteros *ſcil. ſiſymbr. aq. cochlear. anagallid. borrag. endiv. lupul. fumar. portulac. acetoſ. &c. Specif. ol. ſuccin. ad gtt. viij. vel x. cum aq. ſpecif. flor. til. pœon. ung. alc. ppt. corall. margar. ſal ex rad. pœon. & corylo*, ſi haberi poterit. *Topica: ol. ſuccin.* temporibus, ſuturis & naribus inungendum. In victu vitet aromata ſalita, legumina, piſces cœnoſos, caules, carnes induratas, lacticinia, vinum penitùs denegandum, bibat *decoct. ſantal. alb. lign. viſc. q. add. rad. pœon.*

Reſpondi ad Literas D. D. de Menteln, die 13. *Sept.* 1692. *datas.* Complicati affectus Ægri, ratione primariorum ſymptomatum reputari poſſunt, ſi omninò *Hiſtoria* accuratè tradita fuerit: primò enim *Nobiliſſimo Domino Ægro* aliquid hemiplectici accidit, nam eo tempore quo invadebatur, omninò debilitas totius lateris ſiniſtri aderat, loquela impingebat, os diſtortum fuit, adfuit imbecillitas manûs ſiniſtræ, ut globulos thoracis intra ſua foramina trudere nequierit, quam actionem motus convulſivus tantopere impedire non potuiſſet, ſive motus iſte tonicus ſive ſuccuſſivus aut vibrans fuiſſet, nam nihilominus ſuum robur conſtitiſſet digitis. Inſuper, *ut in primis Niteris ſcribebatur*, ſenſus formicationis aderat. Loquelæ impedimentum non poſſum venis raninis admodum turgidis adſcribere, aliàs illud perpetuum, con-

tinuum & hucuſque durans perſtitiſſet. NB. Ranula ſub lingua non tantopore loquelam impedit, niſi magna ſit. Impotentiæ huic aliquo modo paralyticæ motum convulſivum acceſſiſſe, vel illam conſecutum fuiſſe ultimæ notum fecerunt, nam præter voluntatem pedes & brachia ſuccutiuntur, ut hos artus firmos tenere nequeat; ad hunc depravatum motum pertinet quoque linguæ vibratio intra os, licet id conſuetudini tribuatur, tamen quandoque illa proveniret citra voluntatem, aut ſaltem illa ſtudio quodam inhiberi poſſet, ſi mera conſuetudo eſſet. Impedimentum in ingreſſu firmo non poteſt eſſe unguis aliquis in pedibus, quia nullibi dolere ſcribitur. Paralyſis aliqua & motus convulſivi jungi poſſunt conſideratâ nervorum ſtructurâ imprimis circa crura medulloſa intra cranium: nam ſi ſpirituum influxus prohibetur, ab aliqua obſtructione illa producitur; ſi verò membranæ illorum, quæ ſoboles ſunt utriusque meningis, irritentur, hæc emergit. Nota eſt controverſia de tremore artuum, quem quidam ſemiparalyſi adſcribunt, putantque fieri ob imbecillitatem nervorum, nam dum vis movens unum ex artubus movere conatur, movetur pars, quia verò non benè & firmiter partem movet, obſtante partis pondere, reſultat tremor. Licet quidam nihilominus convulſivum quiddam judicent; & reverà eſt, ſi partes premant.

Locus primariò affectus eſt crus medulloſum cerebri intra cranium, quia totum latus ſiniſtrum affectum eſt, non cerebelli, quia nervi ab illo provenientes illibati perſtiterunt, ut patet ex actionibus imi & medii ventris integris & illibatis adhuc. Intra cranium hærere vitium teſtantur quoque loquelæ impedimentum & lux derepentè quaſi oculum ceu jaculum tranſiens: hæc enim teſtantur Par quartum & thalamos oculi affligi.

Cauſa proxima eſt ſerum, quia nullus alius humor, quàm hic & ſanguis huc perveniunt, tales effectus præſtituri: ſanguis quidem in vaſis ſtagnans dolores parit, nullam tamen paralyſin aut motus convulſivos excitat, & extravaſatus longè graviora mala excitat, & vix tollitur aut mors evitatur, niſi *Trepano* aut aliâ viâ exitus pateat: hoc verò extravaſatur & citra ſuppurationem tollitur, niſi nimium exundet: efficit paralytici quid, quatenus ſe medullæ inſinuat: Convulſionem, ſi membranas vellicet; imprimis ſi acre ſit, ut eſt *apud Nobil. Dominum*: id probat temperamentum calidum & ſiccum, unde metus hecticæ, hemicrania atrox, narium hæmorrhagia, quæ fit à ſanguine acrimoniâ ſuâ oſcula vaſorum in naribus reſerante. NB. Omne ſerum ſalſum, *in Ægro* ſalſius. Magis cumulatum ob hemicraniam, ſuppreſſam hæmorrhagiam. Indicationes ſunt ſerum avellendum, evacuandum, attemperandum & genus nervoſum roborandum eſſe, id-

que

que *congruis efficaciſſimis & diligenter*: quia hemicrania à puero duravit, meninges debilitatæ & laxiores & ad recipiendum humorem diſpoſitæ, unde tot recidivas paſſus eſt hemicraniæ. Si negligetur, timendæ æquè apoplexiæ ac epilepſiæ, cujus prodromi ſunt motus convulſivi; nec contemnendum lumen oculis obverſans, quod teli inſtar per illum jaculari ipſi apparet, *quod in Rev. & Illuſtriſſima Domina Abbatiſſa de M. ſemper prodromus paroxyſmi fuit, à quibus tandem enecata fuit.* Quomodo hoc præſtandum ſit *methodo exſecutivâ* his trado.

1. Propediem *V. S. in pede dextro non in ſiniſtro* emittantur ℥v.

2. Haud cunctanter *Fonticulus* excitetur *in brachio ſiniſtro.*

3. Si affectus crebro redeat cum hemicrania aut illa vehementius affligeret, nihil præſtantius eſſet *Setaceo.*

4. Si *Scarificationi* aſſueverit, non intermittenda.

5. *Purgetur* ante hyemem *potione mannata cum decoct. ſenn. rhabarb. Agaric.*

6. *Crebrò imo ſingulo manè horâ* 5. detur ʒj. *hujus pulv. ceph. & antiepileptici cum aq. rorismarin. flor. til. aut Valerian. ſylv. ſ. vin. deſtill.*

℞. *Rad. Valerian. ſilv. doronic.* āā. ʒij.
dentar. ʒj. *C. C. ph. ppt.* ʒij.
Ungul. alc. ppt. ſuccin. alb. ppt. āā. ʒj.
Pulv. antibect Poter. ℈iiij. *Cinnab. ♄ rectif.* ℈j.
Extract. caſtor. ʒß. *ol. ſuccin. rectif. gt.* iij.
Sacch. alb. ℥iij. *Mſc. F. P. ſ.*

Poſt ſumtum pulverem maneat in lecto per horas 2.

7. *Paretur aq. cephal. de qua ſubindè cochl. j.* detur,

℞. *Aq. roriſmar. beton. pœon.* āā. ℥j.
Pulv. March. ℈j. *Eſſ. caſtor.* ℈ß.
Ol. deſt. roriſmar. ſuccin. āā. *gt.* ij.
Sacchar. alb. ʒj. *vel* ʒij. *Mſc.*

8. Veſcatur cibis boni ſucci, facilis digeſtionis. Vitet valdè ſalita, fumo indurata, nimium aromatibus condita, nimis acida, viſcida, cruda. Exercitia corporis ſint mediocria, Si motus conuvlſivi continuaverint, vinum vix concedi poſſet, aut illud probè diluat *decocto lign. viſc. q. aut lentiſc. Singulo mane* totum dorſum *fricetur* à nucha ad os ſacrum *panno laneo.*

 Die

Die 29. *Martii* 1693. *ſcribit* Illum optimè habere: ſi quid animadvertit, utitur *theriac. cœleſt.* nuper moleſtiam in brachio ſiniſtro ſenſit, *à theriac. cœleſt.* ſumta ſtatim meliùs habuit. *Petit illarum copiam:* non *in Italiam*, ſed *Solodurum* ſtudiorum cauſa mittet *Illum Nob. D. Mater.*

Reſpondi d. 1. *April. Soloduri* aliàs aër ſatis ſalubris eſt & victus bonus: ibi bibere poſſet *Vinum Neocomum rubrum, non Lagotte.* Miſi *Pilul.*

Die 3. *April.* 1693. *ſcribitur* ab aliquot diebus malè habet, non quidem ratione veteris affectûs: fit melancholicus, non appetit, nec dormire poteſt, volutat ſe in lecto, conqueritur de artubus, ut præ laſſitudine obambulare nequeat: hæmorrhagia frequens moleſta eſt, putat ſe indigere *V. S.* emaciatur, ſitit, non tamen multum vini bibit, ſed *Decoct.* labia continuò finduntur.

Reſpondi: Si non ſubſit febris maligna *Vena ſecetur:* bibat *decoctum ſericum radic. cichor. acetoſell. acetoſ. tamarind. hepat. nob. ſem. acetoſ.* Febres malignas curare novit *D. D. à Menteln.*

Die 25. *April.* 1693. *ſcribit Dna Mater, Filium* ab aliquot diebus flaveſcere cum appetitu penitus dejecto, male habere in capite non ut pridem, ſed ſine dolore illud perturbatum eſſe, id adſcribit vento auſtrali, qui aliquot diebus ibi flavit, unde de hac capitis moleſtia non tam ſollicita eſt, quam de flavitie; veretur icterum adeſſe, addit illum quandoque vomiturire, evomere quandoque mucum paucum, ſed amarum, ſemper adhuc ſitire.

Die 13. *Maji ſerum alterat. hepat.* contulit, naturalem colorem rurſus habet: hac ſeptimanâ bis correptus fuit Hüfften-ac Zäpfli-weh, fortè ſenſu formicationis aut vellicationis in L. A. irritabatur tunc ad vomitum & quandoque nihil niſi mucum pellucidum evomuit. Aliàs quando hoc evenit, poſt vomitum dormivit & ſymptoma evanuit. Hæmorrhagia crebrò redit. In paroxyſmo uſus eſt *pulv. ceph. & theriac. cœleſt.*

Die 24. *Maji ſcripſi*, ut pergeret *pulv. cephal. ſubindè theriac. cœl. V. S. in pedibus* prodeſſet.

Die 24. *Jun. ſcribit: die* 14. *Jun. Vena ſecta fuit* cum fructu: icterus evanuit: ter Cephalalgia rediit, bis ſtatim *poſt Venæſectionem* ſed mitior, ſtatim poſt ſomnum remiſit.

Die 27. *Jul. ſcribit V. S.* profuiſſe. Hæmorrhagiam ceſſaſſe: per dies

dies 8. tractus ſpaſmodicus moleſtus fuit, nec unquam tamdiu duravit in artubus: colloquetur *cum D. D. Wipſlin*, ut inquirat *quid agendum porrò ſit?*

Die 9. *Novembr.* 1693. priſtinus affectus à tribus ſeptimanis denuò gliſcere cœpit, primò pes ſiniſter p. n. movebatur cum dolore iſchiadico, tribuit id defectui *pil. theriac. cœl. & pulv. cephal. dum hoc ſcripſit*, invaſit iſte motus cum pede etiam brachium ſiniſtrum cum decurſu per hos artus, ac ſi Nakir lateret. *A frictione* levamen ſentit. Cætera appetit, benè dormit, hilaris eſt.

Die 18. *Novembr.* Curſus iſte per artus fortior, cauſa *defectus remediorum*, motus nimius. Obſervat ſymptoma accelerari à multùm legendo.

Reſpondi die 28. *Novembr.* Utatur *Pil. & pulv. cephal. ut hactenus. Miſi Elæoſacch. cum cinnab. extr. caſtor. ol. cinam. cujus* ʒj. *Miſc. aq. flor. til.* ℥iij. *Frictio* non negligatur. Maneat domi hyeme.

1694. *Menſ. Maj. V. S.* jam diu caput valdè doluit: largâ quoque hæmorrhagiâ narium non rarò afficitur, unde debilitatur; tribuit hæc magno æſtui, qui jam diu *Altorffii in Valle apud Uranios* excedit: in promptu adhuc habuit *pil. & pulv. cephal.*

Reſpondi: Æſtu continuante poſſe *manè* ebibere *cyath. ij. acidul. cum ſyr. acetoſ. citr. d.* 5. *Jun.* 1694.

OBSERVATIO CLXVI.

Hemiplegia ſequente Epilepſia.

D*Ominus Clemens N. Præfectus N. N.* 57. annor. robuſtus, carnoſus, ſubflavus, juvenis militiam ſecutus eſt, multa à frigore pertulit. Cum aliquando ad iram vehementiſſimam proritatus totâ nocte bibiſſet ſtrenuè, ſummo mane cœlo nivoſo & pluvio nunquam ritè refecto corpore ſomno congruo ad hoſtem inquirendum *Villingâ* emiſſus fuit, ſexto die demùm rediit; paulò poſt in gravem morbum incidit, ac omnibus artubus pareticus factus eſt citra colicam prægreſſam aut comitem, cum ferè reconvaluiſſet, hauſto largius vino denuò pareticus factus eſt: 13. ſeptimanis decubuit appetitu penitùs proſtrato ſimulque ſiti ingenti affligente. Tunc quoque temporis quidam è turri ipſum ſclopeto petiit, globusque juxta tempus dextrum per pilei limbum tranſiit, illæſo tamen tempore, unde auditum diu amiſit cum

 dolore

dolore acerbo dimidii capitis, & hæc poſt vigeſimum & quod excurrit ætatis annum acciderunt. Poſteà bello durante *in ſervitiis Monaſterii St. Blaſii* vivens variam quoque ſortem expertus eſt, illud ab injuriis bellicis ſalvum conſervando. Quia admodum Hoſpitalis ſtrenuè ſubindè bibit. *Sub finem anni* 1669. cum *St. Blaſio* domum properaret brumâ intenſiſſimè frigidâ, domum reduci facies admodum intumuit ab eryſipelate pituitoſo, ut oculi quoque occultarentur, ſecutæ veſicæ plures; *ſudoriferis*, vini fugâ *&* *diaphoreticis ſiccis* ſenſim ab illo vindicabatur. Poſt illud eryſipelas capilli ceu in febre Ungarica deciderunt. Eryſipelas hoc comitabatur febris plurium dierum. Aliàs ob vaſtam molem corporis crebraque itinera diu lumbagini, nonnunquam verſus coxas declinanti obnoxius fuit. *Anno* 1670. *die* 19. *Jun.* dum menſæ aſſidet, antequam vel quicquam bibiſſet, quod nocere potuiſſet, in prandio nullâ prævia vertigine aut cephalalgiâ, dum cibos incidere conatur, animadvertit ſe furcillam ſiniſtrâ manu tenere non poſſe, & poſtmodum quicquid manu ſiniſtrâ apprehendere conabatur, elapſum protinùs fuit; ſurgens è menſa pedi ſiniſtro vix inſiſtere potuit, & niſi ſuſtentatus fuiſſet, in terram proſtratus fuiſſet, ſuffultus ſtetit & obambulavit; ſed nutante pede, non autem trahebat pedem: minus quoque expeditè loquebatur. Domum properans equo inſidens inclinabat verſus latus dextrum, nec ſedere ſe in equo ipſe animadvertit prout conſueverat. Primis diebus morbum neglexit, obambulavit, equitavit, poſtquam appetitus quoque deficere cœpit manente apprehenſione infirmâ ac loquelæ impedimento; accedente etiam dolore in colli ſiniſtrâ parte circa muſculum maſtoideum & in lumbis, *medicamenta* petiit. *Miſi pil. cephal. pulv. ſpec. balſam. apopl.* ſuaſi victûs rationem temperatam: vinum diluit *decocto chin.* ſenſim meliùs habere cœpit. *Die* 17. *Sept.* 1670. *ipſum Ewattingæ inviſi:* ſiniſtrâ manu apprehendere potuit, in minimo tamen digito & auriculari ſtuporem aliquem ut & in imo pede ſiniſtro cum frigoris ſenſu percepit, ajebat pedem imum adhuc quaſi ligneum & imbecillem eſſe, quamvis rectè incederet, delaſſabatur tamen brevi, ut vix ultra dimidiam horam incedere valuerit. Lingua minus prompta adhuc eſt, dolet ſubindè collum ſiniſtrum & lumbi, conqueritur de quadam vertigine in fronte cum gravedine reſidente. Appetitus rediit, omnes ſenſus conſtant, paulò tamen mæſtior eſt ac ad iram pronior, ac vehementior ac pridem fuit, dormit: poſt meridiem os ſicceſcit. *Inuſſi fonticulum in brachio ſiniſtro.* Suaſi *pulv. ex raſur. C. C. cinamom. N. Moſch. mac. roremar. rad. caryophill. cubeb. ſacch.* ſumat *M. ac V.* ℥j. *cum pane vino macerat. ſemel in menſe* utatur *pil. cephal.* Pergat *balſam. cephal.* veſcatur cibis boni ſucci, vinum diluat *aquâ, in qua parum fœnic. coct.*

Poſt

Poſt Hemiplegiam ante annum perpeſſam & Epilepſiam *die* 12. *Januar.* 1671. noctu expertam *die* 7. *Jnn.* 1671. in hoc valetudinis ſtatu verſabatur. Appetit ſatis benè in prandio & cœna. Non amplius ſitit. A cibo non gravatur, nec eructat poſt cibum ſumtum, at ſemper *poſt medicamenta.* Nunquam manè vomit. Alvus quotidiè aperta eſt, fœces quandoque indurantur, unde hæmorrhoides jam à ſemeſtri apertæ fuerunt, mediocriter ſanguinem ſtillantes. Flatus crebrò elidit. Urina hodiè manè cruda, alba & craſſa fuit, poſteà ante meridiem craſſior fuerat. Crebrò & multum mingit, ſæpè indè ſomnus interrumpitur. Reſpirat in plano benè, unde etiam decubitus in lecto eſt pumilis nec erectus eſſe cogitur, ſi acclivia ſcandat paulò difficilior eſt. Cor ante annum validè pulſavit, nunc in lecto, ſi lateri ſiniſtro incubuit, mutato autem ſitu ceſſavit, nunc equitanti. Aliquando tam validè pulſavit, ut magna debilitas ſecuta fuerit: ſumtâ *Eſſ. perl. M. D. Hetruriæ gt. iiij.* ceſſavit, Sæpè manum ſurſum repulit, nunc à cordis palpitatione immunis eſt. Pulſus eſt robuſtus, tardus, rarus. Somni ſunt interrupti, citò indormiſcit, continuat profundè primum ſomnum ad horas 3. poſteà nullum continuum ſomnum dormit, facilèque expergeſit. Somnus pomeridianus ipſi moleſtus eſt ſtatim à prandio, niſi alloquio caveatur. Gravedinem quandam capitis ſentit, maximè manè, minùs interdiu, minimùm poſt prandium. Gravedo major eſt ſuper oculo ſiniſtro in fronte & ſyncipite. Aliquando vertigo maximè manè ipſum corripit, ut vicino pariete ſe fulcire cogatur. Ingenii vires iterum integræ ſunt, quæ nuper diu ante obitum uxoris etiam admodum à Melancholia perturbabantur, adeò ut officii negotiá cum tædio maximo & nonniſi ſibimet vi quadam illatâ perageret. Nunc alacriter iterum omnia perficit & memoria valet. Obauditionem quandam animadvertit, concionantem Paſtorem aut alium ſubmiſſâ voce loquentem non intelligit plenè, aliquando aures tinniunt & ſibilant. Dextro oculo benè ad diſtans videt, propinqua non, niſi mediante ſpeculo, in ſiniſtro oculo non niſi lucem & colores ſplendidos *Ex. gr.* album, rubrum, flavum videt, ſed nihil diſtinctè & nonniſi obliquè verſus angulum externum; interno angulo admota non videt. In oculo pupilla gryſea eſt, ſed ſimilis illi quoque eſt dextra; nec pupilla ſiniſtra amplior eſt dextrâ, imò hoc mane ambæ pupillæ anguſtæ admodum erant. NB. Hæc viſûs debilitas demùm die decimo quarto poſt epilepſiam manè quodam ſurgenti evenit, primum omnia nebuloſa & quaſi per velum nigrum ſpectaret, apparebant, poſteà viſus in oculo ſiniſtro abolebatur. Palpebrâ inferiori inunctâ *Ol. thereb. in vaſe cupreo colore cyaneo tincto* ſenſim eouſque viſum recuperavit, ut nunc lucem & colores ſplendidiores videat. Guſtus & olfactus integri ſunt. Color faciei eſt ſubflavus, facies macilentior. Au-

res

res palleſcunt. Pedes, maximè ſiniſter œdemate ſed mediocriter tument veſperi, manè detumeſcunt, ſed non penitùs. Hypochondria mollia ſunt. Multum emaciatus eſt. Statim delaſſatur. Artus iterum robur ſuum acquiſivêre, qui ita nuper debilitati erant, ut manu dextrâ ante ſex ſeptimanas panis fruſtum abſcindere non valuerit. In ſiniſtro pede ultra genu frigoris ſenſum percipit, qui primum in imo pede perſiſtebat. In dextro pede hoc frigus non moleſtum eſt, quamvis ante biennium *ob V. S.* male factam & nervum læſum in illo gangrænæ periculum incurrerit, & vix 10. ſeptimanis à ſæviſſimis cruciatibus vindicaretur: profuit tandem imprimis *defenſivum meum & digeſt. anodynum*, nam anteà jam meliceria manabat. Manifeſtè ſentit à vino ſe lædi; unde ſibi egregiè à vino temperat: *hodie mane* ſumſit *pulv. ex radic. Valerian. ſylv. pœon. ſpecif. cum pane vino madido*, unde quaſi inebriabatur & uſque ad prandium temulentus ſibi videbatur: animadvertitur jejuno ventriculo & poſt paſtum loquelam minùs expeditam eſſe, minusque prompte omnia verba effari poteſt. *Fonticulus* largè manat. Licet appetat cibos, minus tamen carnes arrident.

Reſolutio.

EX capitis gravitate maximè manè poſt ſomnum, ex vertigine ſubindè eveniente, ut parieti vicino inniti cogatur, ex obauditione & tinnitu aurium, ex viſu ſiniſtri oculi imminuto & tantum non abolito nullâ ſuffuſione apparente, ex loquela minus expedita, ex perturbatione capitis cita à vini pauxillo jejuno ſtomacho deguſtato, manifeſtè patet, cerebrum debile eſſe & in poris ipſius ſerum ſtagnare, minus quidem quàm nuper, unde artus robur aliquod acquiſiverunt, tamen tantâ copiâ adhuc abundat, niſi *diæta & medicamentis* caveretur, ut damnum afferre poſſet, ſi vel copia ejus augeretur, vel à cauſa externa commoveretur ſcil. ira, vento aquilonari aut auſtrino, hypocauſtis nimium calidis aut crapula. Inſuper in reliquo corporis habitu cachexia relucet, nam ante paſtum facies & aures valdè palleſcunt, pedes ad genua œdematoſi ſunt, difficilius reſpirat acclivia ſcandendo, urina matutina cruda eſt.

Itaque ſerum redundans evacuandum & non ſolum cerebrum ſed & partes chylificantes & ſanguificantes roborandæ ſunt, diligenterque diætâ cavendum, ne ſero materia ſuggeratur auc impetuoſius commoveatur. Serum redundans evacuabitur *à fonticul. pil. ceph. poſt parcam cœnam, ſingulis vel alternis ſeptimanis ad gr. xviij.* ſumtis: *fortioribus purgantibus* non indiget, nec fortè ob inſultum epilepticum toleraret. Genus nervoſum, hepar & ventriculus roborabuntur *pulv. ſpecif. ſtomach. add. rad. Valerian. ſylv. pœon.* propter Epilepſiam & *ol. N. moſch. expr*, quo delectatur.

lectatur. *Foris balſam. cephal.* Oculo tutò foris admovetur *ol. thereb. cœrul.* modò non pomum oculi attingat. Vel ipſi prodeſſet *liniment. meum opthalmic. ex lap. calamin. tut. camphor. croc. metall. noctu* illitum. Geſtare poſſet *ſacculum ex rut. rad. Valerian. &c.* In victu vitet lacticinia, lactucam, omnia cruda. Piſcium eſus parcus ſit, iisque veſcatur aſſis potiùs quàm elixis. Omnia in butiro frixa nocent. Quia vinum caput lædit, illud diluat *ſuo decoct. add. pauxill. ſem. fœnic.* ſibi maximoperè ab ira caveat. *Noctu* ſumat *cubitum iturus conſerv. roſ. euphrag. bellid. min. cum theriac. bol. Arm.*

Die 11. *Jun.* Nondum *his medicamentis uſurpatis* circa 2. horam noctis caput valdè doluit, adeoque perturbatus fuit, ut neſciret ubi eſſet & quid ageret : præter voluntatem urina effluxit. Indormiſcenti artus motu convulſivo concutiebantur nunc cum delirio, nunc ſine illo, loquela enim nondum aufferebatur : motus iſti convulſivi durarunt ad 11. antemeridianam , poſt undecimam Epilepſia in nervum erupit, motus convulſivus imprimis latus ſiniſtrum, in quo pridem paralyſin paſſus eſt, conquaſſabat. Manu ſemper frontem fricabat. Duravit epilepſiæ paroxyſmus ad horam dimidiam. Suaſi *aq. antiepilept. cum pulv. antiepilept. de quibus ſingulis horis cochl. ij. vel iij.* ſumat. Vertex inungatur *balſam. cephal.* Vitet vinum, bibat *decoct. chin. cum ſyr. refrigerant.* Poſt paroxyſmum toto & ſequenti die *ſcil.* 13. *Jun.* deliravit & abſona loquebatur, ſubindè tamen ſanâ mente quædam enarravit. Urina involuntariè ſemper manavit *ad* 14. *Jun.* NB. Urina quando noluit, effluxit, quando mingere volebat, non poterat id præſtare. Ante inſultum epilepticum exclamavit dolorem humerum invaſiſſe, vix hoc effatus erat, erupit magno impetu & imprimis ſiniſtrum brachium torſit. NB. Paroxyſmus in ipſa hora novilunii ipſum invaſit.

Die 15. *Jun.* 1671. *Ipſum iterum conveni:* animo perturbatus erat & ſtatim lachrymas fundebat, conquerebatur de obtuſo capitis dolore, paroxyſmi prorſus ignarus erat, laſſus adhuc, urinam retinere iterum poteſt, at crebro mingit : uſus eſt *medicamentis præſcripto modo* , ajebat ſibi illa conducere. Alvus conſtipata, hæmorrhoides citra fœcum excluſionem largiter manarunt. Statim *clyſterem* injeci *ex emollient. & cephalic. add. elect. lenitiv.* Alvus denſe obſtipata quaſi eſt hæmorrhoidibus valdè turgentibus. *Clyſter* plurimùm materiæ atroflaveſcentis eduxit cum teneſmo, cujus hæmorrhoides præcipuam cauſam exiſtimavi. Teneſmus tam validus erat, ut ſudorem cum aliqua debilitate expreſſerit. Noctu dormivit; parcè cœnavit. NB. Anſam recidivæ putavit fraga condita vin. ſacch. & cinamom. largiùs veſperâ prægreſſâ

ab ipſo comeſta. *Die* 16. *Jun.* 1671. noctu *clyſteris beneficio* adhuc quater dejecit liquida, hoc mane ſcybala dura. *A clyſtere* debilitabatur. Hoc mane erat ſanæ mentis, quamvis plenus ſuſpicionum & metûs gravioris mali. Pulſus robuſtus, urina naturalis, tenuis, ſubflava, quæ heri turbida. Summo mane ſumſit juſcul. Circa 8. ſitiit, dedi *Aq. antiepilept. cochl. iij.* verticem *balſam.* tempora *liniment. ſomnifero* inunxi. Linguam vulneratam *mell. roſ.* Propter hæmorrhoides tumentes ſuaſi *liniment. ex linar. & cera alba.* Eodem die ſuaſi *aliud extra paroxyſmum, aliud in paroxyſmo agendum eſſe.*

Extra paroxyſmum quamdiu capitis dolor & animi perturbatio durat, dentur I. *ſingulo mane horâ* 5. *horâ* 9. *& veſperi horâ* 5. *cochl. iij. hujus mixtur.* ℞. *Pulv. antiepilept.* (*ex pulv. Marchion.* ℈ij. *lap. ſmaragd. ppt.* ℈ß. *ung. alc. ppt.* ℈iß. *C. C. ph. ppt.* ℈iij. *tab. man. Chriſt. perl.* ℥ij. *fol. aur. No. iij. Mſc.*) ℈ij. *aq. fl. til. ſatyr. purp.* āā. ℥iiij. *Mſc.* II. *Mane & veſperi* inungantur tempora *liniment. ſomnif.* III. *Singulis noctibus cubitum iturus* ſumat ℈j. *vel* ℈ij. *mixtur. ex conſerv. roſ. rubr. cum theriac.* IV. *Triduo ante novilunium poſt parcam cœnam ut & poſt plenilunium* dentur *pil. cephal. No. vij. vel viiij.* V. Si conſtipetur, injiciatur *clyſter.* ℞. *ſpec. cephal. & emoll. ex Pharmacopol. ſalv. rec.* āā. *Mj. coq. in juſc. carn. menſ.* ß. *cum cochl. ij. mell. Colatur. add. elect. lenitiv. cochl.* j. *vit. ov. No. iij. butir. recent* ℥ij. *Mſc.* Detur cautè, ano priùs probè ob hæmorrhoides perunсto. VI. Lingua læſa illinatur benè & ſæpè *mell. roſat.* VII. Victûs ratio ſit ex eupeptis. Potus *decoct. chin. cum ſyr. de rub. id. rib.* Si vero capitis dolor remiſerit, dari iterum poteſt vinum, ſed *decoct. chin. vel ſemin. fœnic.* dilutum. VIII. vertex & cervix *mane* inungantur *balſam. cephal.*

In Paroxyſmo ſtatim *fruſtum radic. glycyrrhiz.* dentibus ſubjiciatur, ne linguam mordeat; pollex educatur, naribus *balſam. ſuccin.* objiciatur: ori illinatur *Mixtura ex theriac. conſ. anacard. extract caſtor.* Quamprimum iterum deglutire poteſt, *ſingulis dimidiis horis* detur *cochl. j. aq. antiepilept.* Poſteà *per d.* 14. *& ampliùs* vinum denegetur.

Menſ. Octobr. 1671. *ſcribebatur.* Hactenus aliquot paroxyſmos epilepticos paſſus eſt & omnes in lecto plerumque ſummo mane, poſt finitum paroxyſmum omnium ignarus erat, tantummodò de omnium artuum laſſitudine conquerebatur. *D.* 18. *Octobr.* rediit paroxyſmus mane, brevior erat ſolito, anſam dediſſe putavit uvas comeſtas & vinum novum immaturum, poſt paroxyſmum conquerebatur de frigore pedis

pedis. Ipſemet ad me perſcripſerat ſexto poſt paroxyſmum die: Mente vacillare aliquantulum videbatur. *D.* 28. *Octobr.* 1671. rediit extra lectum paroxyſmus. *Die* 29. *Octobr.* ab illo immunis erat, benè pranſus eſt, hilaris erat in prandio, obambulavit. Circa 1. pomeridianam ſubitâ vertigine corripiebatur ac querebatur de neſcio quo ſibi imminente malo. In lectum collocatus congrua adhuc loquebatur. Ante 2. pomeridianam ſubitò omnem motum & ſenſum amiſit ac cum ſtertore reſpiravit, continuavit ſtertor ad 11. noctis. Ceſſante ſtertore placidè paulò poſt mortuus eſt. Semper jamdiu de vertigine conquerebatur, & iracundior ſolito erat jam ab anno; perpetuò triſtis poſt uxoris obitum.

Hemiplegia.

EJusd. ex filia nepos puer 4. annor. caput à carro attactum vehementer ſaxo alliſit, inſtar mortui jacuit, ore arctè concluſo: illo aperto cruor copioſe ex ore & auribus effluxit, hemiplecticus in dextro latere evaſit. *Inunctione ol. lumbr. chamom. &c.* intra tres ſeptimanas convaluit: capite mirè tumido affectus. Poſtquam detumuit, deprehenſa fovea in occipite & portio cranii eminentior altera ipſique quaſi incumbens. Nec ingenio nocuit, nec cæteris actionibus animalibus, niſi quod dexter oculus minùs mobilis ſit quàm ſiniſter: *narravit Mater d.* 17. *Sept.* 1670.

OBSERVATIO CLXVII.

Hemiplegia poſt Apoplexiam prægreſſâ Hemicraniâ.

D. *Joach. G. St. Gallenſis*, annor. 42. *Faber ſtannarius*, ſtaturæ mediocris, in arte aſſiduus, nunc pallidus, colore faciei citrino, gracilis. *Anno* 1692. *menſ. Mart.* paſſus eſt ſævam Hemicraniam. *Die* 28. *Mart. V. S.* inſtituturus perſuadebatur, ut illo die ob quadrantem lunæ illam omitteret, unde illam ad dies ſeq. diſtulit & primum in uno brachio, poſteà in altero *V. S.* admiſit. Perſtitit Hemicrania, poſt paucos dies *Medicus ejus amicus V. S.* ideò non profuiſſe dixit, quia ante illam neglexerit *purgationem*, ſuaſit *pulverem veſperi vino infundendum.* Sequente die *pulv. cum vino epoto* ter & poſt intervallum non longum adhuc ſemel vomuit, protinus ſequebatur Hemiplegia lateris dextri, diu jacuit ſine ſenſu, motu & loquela, poſteà recuperavit aliquem brachii & pedis motum, mutus tamen manſit, verum

rum non diu poſt nec pedem nec brachium movere valuit, ſimulque diu ſenſum amiſit. Acquiſivit motum brachii & pedum ac ſenſum, ita tamen ut nec ſtare nec incedere valuerit. Varia adhibita fuerunt, manſit tamen imbecillitas ferè in eodem ſtatu, loqui non valuit, quamvis id ſæpè conatus ſit, & non niſi voculam Germanicam proferre valuit Ja. Videt & omnia agnoſcit, legere tamen nequit: judicio valet, & cæteris externis ſenſibus. Benè appetit, nec in actionibus naturalibus & vitalibus vitium animadvertitur. *Menſe Jul.* 1692. *Thermas Badenſes* adiit, quarum *inſeſſu* uſus eſt *ad d.* 22. *Auguſt.* *A Thermis* robur acquiſivit, ut ſtare & ſuffultus incedere potuerit. Dum *Badâ* commorabatur, conſulebatur quoque *D. D. M.* qui ipſi perſuadebat impotentiam loquendi provenire ab uvula in latus tracta, quaſi hoc vocis plectro nulla vox articulata proferri poſſit, ſi ad latus rapiatur, non ob impotentiam muſculorum vocales cum conſonantibus in vocem articulatam formantium. Suaſit *V. S. ſub lingua & fonticulum in brachio paralytico* excitavit.

Die 23. *Auguſt.* 1692. *Badâ redux me convenit:* brachium dextrum parùm movere potuit, inceſſit per plateam pluribus paſſibus imum pedem extrorſum flectens, ita tamen ut firmiter talo inſiſteret, cum anteà ille propè luxaretur & malleolo externo niteretur, niſi ſuſtentabatur, unum alterumve gradum aſcendit præmiſſo pede ſiniſtro. Senſibus externis & internis valuit, licet legere non potuerit, ſive oculis libro propiùs ſive è longinquo admoto, vidit tamen cæterorum objectorum figuras, colores, molem & motum, ut omnia agnoſcat: ambæ pupillæ ampliſſimæ erant. Inſpectis faucibus uvula aliquantulum ſiniſtrorſum inclinârat, quam tamen facilè in legitimum ſitum reponere potueram, erat parva, humida, attactu frigida, mobilis, deſcendens ſpontè retrahebatur: linguam promtè exſerere & retrahere potuit, quaquaverſus illam movit, ut verè volubilis appareret, ſæpiùs cum nixu quodam loqui conabatur, verùm nullam niſi affirmantem voculam Germanicam articulatè proferre potuit, edidit quidem aliquot voces, quibus animi ſenſa edere conabatur, ſed voces non erant intelligibiles ab ullo ipſius miſeriæ ignaro, labium inferius parum ſiniſtrorſum inclinavit, in principio magis ſiniſtrorſum trahebatur. In utroque pede ſuræ firmæ & magnitudine æquales. Cætera ſanus erat.

Reſolutio.

Meningibus in hemicrania pertinaci vehementer afflictis earumque vaſis procul dubio valdè turgidis & diſtentis *à vomitorio* procul dubio vas aliquod ruptum fuit, nam ſtatim poſt vomitum ſequebatur

quebatur vera apoplexia. Maximâ parte humorum reſorptâ & diſcuſſâ remanſit hemiplegia lateris dextri cum loquelæ abolitione: reliquias non penitus ſublatas eſſe *ad* 23. *Aug.* inde conſtat, quia nondum benè pede dextro, minus brachio uti poteſt, nec vocem articulatam præter unicam Ja proferre poteſt, utcunque id cum animi quodam nixu ſæpe conetur, nec dum legere poteſt, quamvis omnia objecta viſus agnoſcat & probè diſcernat, & cæteris ſenſibus & judicio valeat. Reliquias quasdam intra cranium hærere circa cerebri partem medulloſam ejusque crura præter brachii & pedis imbecillitatem, id teſtantur loquela impedita & legendi impotentia: non copioſas eſſe colligere licet ex ſenſu & motu quoque aliquo in artubus reparato, motu linguæ volubili etiam labiorum, ex viſu penitùs reſtituto, ſi lectio excipiatur.

Ridiculum foret hæc velle uvulæ imputare utcunque paralytica eſſet, quia illa Lue venerea, aliterve ablata nihilominus omnes loqui, licet vitioſe valent: quamvis nec illam vere paralyticam eſſe apertè conſtet, cum non prolongata ſed retracta planè ſit, & licet ad latus inclinet, facilè tamen poſſit flecti & ad rectitudinem dirigi. Quia humor reſiduarum imbecillitatum profundè intra cranium hæret, non niſi *efficaci & ſæpius repetito remedio* tolli poterit: *Thermæ* aliquid egerunt, dum totam maſſam ſanguineam calefecerunt, multum ſeri eduxerunt per excoriationem, ſed non omnes exhauſiſſe, ſuperſtites imbecillitates fidem faciunt. *Ex omnibus nullum efficacius noſſem, quam ſudoris prolectionem mediante ſcamno ſudorifero per decocti lignorum potum legitimè inſtitutam: idque ſequenti methodo.*

1. *Calefiat ſcamnum benè conſtructum & tegumentis opertum undiqae, ne calor elabatur, focariis prunis ardentibus impletum.*

2. *Detur hauſtus decocti calidus ad ℥ iiij. vel v.*

℞. *Lign. Guajac. ℥ iiß. lentiſc.*
ſaſſafr. ãã. ℥ ß. Rad. ſarſæparill. ʒ vj.
Paſſul. maj. exac. ℥ ij. Mſc.

Inciſ. & contuſ. coq. cum aq. fontan. menſ. ij. in vaſe benè clauſo per hor. 2. in cacab. aq. pleno.

Poſt quadrantem horæ incumbat ſcamno: primâ vice per horam dimidiam, poſteà diutius, ſed nunquam ultra horas duas. Veſperi horâ 4. ſumtis prius ℥ iij. vel iiij. hujus potûs, rurſus ei per horam dimidiam incumbat.

3. *Dum ſcamno incumbit ſæpius reficiatur hoc Julepo.*

 ℞. *Aq.*

℞. *Aq. rorismar. ceraſ. dulc. cum nucl. contuſ. & aq. macerat.* āā. ℥iij. *Syr. de rub. id.* ℥vj. *Mſc.*

4. *Poſt elapſum tempus deſtinatum linteis calidis deterſus in lectum cubitum reponatur, ubi ſponte ſudabit & propterea ſubinde quoque reficiatur.*

Prandeat hora 10. *& cœnet hor.* 7. *veſcatur cibis boni ſucci & facilis digeſtionis: potus ſit decoct. ſaſſafr. cujus* ʒiij. *coq. in aq. fontan. menſ. j. caveat ſibi, dum hac cura utitur, ab aere frigido: alvus ſemper aperta ſervetur cibis laxantibus, ſuppoſitoriis aut clyſteribus domeſticis, non autem purgantibus, quæ non neceſſaria, dum appetitus viget.*

Cura hæc continuari poterit per ſeptimanas duas vel tres, poſtea naturæ aliquandiu induciæ concedendæ, iterumque poſtea repetenda.

Extra curam vinum concedatur, ſed dilutum *decoct. ſemin. aniſ. aut fœnic.* Tum quoque prodeſſet *Trag. cujus* ʒj. ſumat *mane poſt juſculum cum pane vino macerato.*

℞. *Rorismar.* ℥j. *Cubeb.* ʒj
Nuc. moſch. lim. No. ij.
Sacch. alb. ℥iij. *vel iiij. Mſc. F. p. ſ.*

Eadem detur *veſperi hora* 5. non præmiſſo juſculo. Fruatur tamen ſemper cibis bonæ notæ, nec permittatur, ut vino indulgeat. Interea quotidie opera detur, ut diſcat monoſyllaba pronunciare unico vocali cum conſonante juncto, poſtea vocabula magis compoſita. Niſi magna cauſa id ſuadeat, *purgantia* omittantur, etiam *V. S.* Aliquando tamen ſuadebo *pil. meas cephal.* ſi ſemel unum abſolverit, iterum edocear neceſſe eſt.

Die 29. *Sept.* 1692. *ſcripſit D. D. N. N.* uſus eſt exacte *præſcriptâ curâ:* putat motum artuum facilitatum fuiſſe, at loqui nequit: *D. D. N. N.* animadvertit in hac impotentia memoriæ labem adeſſe, nam ſi monoſyllaba monitus pronuntiavit, paulo poſt non ſolum neſcit proferre nec in animo habere videtur, profert potius aliena; nec ullo conamine ad propoſitum commovetur, putat fibras cerebri rigidiores & ſicciores eſſe, ut ſpecies illis imprimi nequeant. Vitam anteactam hæc confirmare; nam dum ſanus erat, Baccho nimium litavit crebrius, nam cellarum inſpector erat, ſine diei diſcrimine vina generoſiſſima immoderatius ingurgitavit. Ipſe de reconvaleſcentia dubitat & prope deſperat: concedendi cibi ſucculenti: *Decoct. ex extr. herb.* 🜂*r. oleoſ. aromat. prædita, ſaſſafr. roremar. major, beton. ſpir.* 🝆*l. cephal.* Improbat

probat *apophlegmat. frictiones, nimiam ſudoris provocationem,* quia inde tremor pedis convulſivus oritur. *V. S.* probat *Therm. Bad. uſum* improbavit *ob* 🜂*r.* quia æger non eſt phlegmaticus.

Die 24. *Octobr. ſcribit* illum in eodem ſtatu verſari. Utitur nunc *Pulv. ex rad. Valerian. ſylv. pœon. flor. anthoſ. ex conſilio Matronæ Nob.* cujus marito apoplectico & per tres annos loqui neſcio ſuaſeram cum fructu.

Reſpondi d. 5. *Nov.* Tutò *meâ methodo* pergere poſſet 14. *d. ſcamno* & 14. *d. pulv. cui per me addi poſſet rad. Valerian. ſylv.* Sic cauſa proxima aufferretur: cerebrum & medullam ſiccata eſſe credere nequeo, cum apoplexiam ſeroſam fuiſſe probare poſſem, cujus reliquiæ ſunt impotentia artuum & loquelæ, quas tolli poſſe hac ratione exiſtimo. *De memoriæ ratione cum Tulp. nihil certi conſtare cum Scalig. exiſtimo.* An *mechanicum Carteſianorum figmentum* locum habeat, non diſceptabo, cùm tempus non concedat: certè fibrillas cerebri ſiccatas rigeſcere in memoriæ abolitione aut imminutione vix credo: cerebro irriguo frequenter eveniſſe ſcio: & ſi à ſiccitate, cur non in omnibus febribus acutis aut in aut poſt paroxyſmos febriles quoque obvenit? *per me aliam methodum inire poterit. In ſimilibus hoc anno ter ſuaſi ſcamnum.*

Die 14. *Nov. D. D. N. N. rurſus ſcribit*: *In Conſilio* omiſſum, ut *ſingulis menſibus per d.* 14. uteretur *ſcamno.* Memoriam adhuc debilem ſemper obſervatam; nam nec legere, nec ſcribere amplius valet vel unicam literulam, etiamſi manus ducatur.

Die 28. *Nov.* A ſudore *ſupra ſcamnum* debilitatur & lumbi valdè dolent, motus pedum facilitatur, ſolus aliquot paſſus incedit, digitos *ſuper ſcamno* & manum movet: brachium manifeſtè atrophiâ affectum deprehenditur, commendatur *unguent. reſumtiv. ſpecif.*

Reſpondi: Propter debilitatem *ſcamnum* non nimium calefiat & brevius ei incumbat: *ſuper ſcamno* reficiatur *aq. cordial,* & *poſtea juſcul. Ungt. reſumpt. ſpecifico* utatur pro lubitu. *Pulv. majoran.* adjiciatur *pulv. cephalic.* quo utatur *præſcripto modo per dies illos* 14. *quibus non utitur ſcamno.*

Die 19. *Dec. bis* adhibuerunt *ſcamnum*, manet ferè in eodem: *An ejus continuatione juvari* & *in meliorem ſtatum perduci poſſit?*

Die 25. *Dec. ſcribit D. D.* illum benè ſine ope incedere, at brachium

chium non movere, illud atrophiâ affectum eſſe, ſuaſum fuiſſe *ungt. contra tabem partic.* Juſſi ut pergerent *ſcamno* & *cæteris.*

Menſ. April. 1693. *ſcribebatur* illum ſatis commodè per domum obambulare, appetere & cætera ſanum eſſe, verum loquelam nondum rediiſſe, *a ſcamno ſudorifero* debilitari: *An illo pergendum ſit? an alii quoque tam tardè illam recuperârint?*

Reſpondi: 6. April. Quoniam antequam *ſcamno* uti cœpit, affectus jam profundas egit radices, ægrius cedit, illo audacter pergat: ſi hac ratione cauſa nôn tollitur, non credo aliam ſupereſſe, quia *topicorum vis* non penetrat ad nervos recurrentes: Ne debilitetur, *ſcamno, non ultra horam manè* incumbat: dum illi incumbit, reficiatur *aq. cordial. ſcil. roriſmar. betonic. cum ſyr. violar. de rub. id.* Non continuetur *ultra dies* 8. *poſt dies* 8. quieſcat. *A ſcamno* in lectum reponatur.

OBSERVATIO CLXVIII.

Hemiplegia cum Loquelæ vitio.

Caſus miſſus fuit Norimbergâ *d.* 19. *Febr.* 1686.

VIr 40. circiter annor. ſtaturæ mediocris, ingenio valuit acri & celeri, non vulgariter, loquitur promptè, cachecticus videtur: poſt varios in diæta errores commiſſos ante tres annos caput ſentiebat aggravatum, balbutiebat, brachium dextrum impotens erat ad ſcribendum vel aliud quid agendum. Paralyſis verò hujus principium curabatur *ſudoriferis ex ⊖ vol. ſuccin. ⊖ vol. C. C. magiſter. ſuccin. aliisque confortativis internis:* item *laxantibus blandis, & externis, aq. ſalv. comp. ſpirit. C. C. rectif. ſpirit. lumbric.* ℞. *ſuccin.* ℞. *caſtor. c. ſpirit.* ✱*c. &c.* Poſt quinque vel ſex ſeptimanas ſubitò Comate obruebatur, ut vix potuerit excitari, & ſi oculos aperuit ſtatim rurſus indormivit: loquela multò impeditior quàm prima vice, labium incurvum & diſtortum erat ſine æſtu tamen, ſed cum facie pallida, brachium dextrum penè paralyticum fiebat, nec pes d. ab hac labe immunis fuit. Poſtquam *variis excitantibus* uſi fuimus, tandem *Vena ſecta fuit:* propinata in ſat magna quantitate ſupra memorata *medicamina cum aliis confortativis & externis,* quibus tunc tantum profecimus, ut poſt diem 6. ſomnus aliquo modo naturalis conciliaretur: poſt 20. autem diem labium minus incurvum, loquela expeditior & animus ad labores promptior fiebat. Suadebantur

tur poſteà *præſervativa*, *fonticuli*, *laxativa cum V. S. ſemel vel bis inſtituta.* Hucuſque tamen nec loquelæ promptitudo, nec pedi & brachio priſtinum robur reſtitui potuit. Poſtquam verò *Dnus Æger* ab anno ingentes mœrores & angores ſuſtinuit, affectus de die in diem deterior evaſit. Ingenium quod antea vegetum & promptum erat, torpidius factum eſt, pedes magis trahit, quàm incedit; quando loquitur, vix vigeſimum verbum intelligitur, emaciatur, facies pallida cum labiis, & quod peſſimum, interrogatus neſcit, an ægrotet & quid agat: ad triſtia & læta ſemper lachrymas fundit, cùm anteà lætiſſimus fuerit: appetit, ſitit.

Quæritur quid agendum? an Thermæ conducant? quales? Laconico uſus eſt cum ſpir. Juniper. per ferment. fact. ſed irrito ſucceſſu.

Reſolutio.

IN prima invaſione ante tres annos Affectum aliquid hemiplectici fuiſſe ex impotentia brachii & loquela vitioſa concludere licet: magis illud apparuit, poſtquam à comate liberatus fuit, nam loquela impeditior, labium incurvum & diſtortum erat, & non ſolum brachium ſed quoque dexter pes ad inceſſum imbecillior obſervabatur, & hanc labem hucuſque ſupereſſe imò invaleſcere manifeſtum eſt, nam neque pede neque brachio rite utitur, nec loquitur, ut intelligi poſſit.

Cauſa intra cranium in cerebro detinebatur in principio & adhuc ibi latet, nam ante invaſionem ſenſit caput aggravatum & poſteà loquela impeditior evaſit, Coma ſupervenit, labia diſtorquebantur: ingenium quod anteà vegetum & promptum erat, torpidius factum eſt, imò ſæpè quid agat, neſcit, atque ſe ægrotare ignorat. Eſt ſerum, quia malum à 3. annis durat: ſanguis aut citius enecaſſet, aut illo diſcuſſo jam pridem convaluiſſet. Cumulatum fuit ob exceſſus, ad cerebrum pulſum à triſtitia &c. receptum ob debilitatum cerebrum.

Quia malum à tribus annis duravit, profunde ſe medulloſæ ſubſtantiæ inſinuavit. Hanc ob cauſam, quia malum profundas radices egit, difficilius curatu erit, quod inde eluceſcit, quia *medicamenta præſtantiſſima* fruſtranea erant.

Ergo 1. Pro virili à cerebro revellendum, derivandum & evacuandum. *Fonticulis: purg. cephalicis fortioribus per vices: ſetaceo: veſicatorio toti capiti impoſito detonſis capillis: V. S.* ſi plethora adſit & ei aſſueverit: eadem ratio *ſcarificationis.*

2. Roborandum ⊖ *volatil. C. C. lumbric.* ℞. *ambrat. Rot. Tab. El. cephal. decoct. rorismarin.*

3. *Laconica, Thermæ* non conveniunt, fundunt, non evacuant, opplent magis caput: funeſtorum eventuum ab horum uſu plura exempla habentur.

4. *Frictiones.*

Vide in Exercit. de l. aff. in Apoplex. p. 264.

OBSERVATIO CLXIX.

Hemiplegia prægreſſo Aſthmate.

G*Eneroſus Dominus Joh. Jacob Schenck. de Stauffenberg*, qui pridem conquerebatur de quodam Aſthmate, quod inter obambulandum obveniebat, quo intercipiebatur aliquantulum ſpiritus, ut ſubſiſtere cogeretur, hinc inſtar auræ quidpiam ad caput non ſine perturbatione, imò ad extremos digitos vergebat. Idem Nephritidi admodum obnoxius fuit & plures calculos excrevit. Vertiginis quoque non expers erat. Subindè ſomno pomeridiano indulſit. *Circa finem Maji aut principium Jun.* 1669. mane cum ad iter procinctus eſſet *in arce Horn* ſubitò corruit, hemiplegia lateris ſiniſtri correptus cum aphonia: poſtquam refocillatus ad ſe rediit, loqui cœpit & conquerebatur unicè ſe brachium ſiniſtrum amiſiſſe, & cum famulus acceſſiſſet dextrâ validiſſimè ipſius brachium apprehendit, & hoc ſuum eſſe exclamavit & ne ſurriperetur, firmiter tenuit. *Multa medicamenta purgant. & cephal. alterantia foris & intus* adhibita fuerunt, tunc quoque *baln. vaporario* fovebatur *Conſilio D. D. Helblingii.* Ob incuriam tempore hoc æſtivo perpetuò in lecto decubuus excoriatus fuit circa nates, nam obæſus & plethoricus valdè erat. *Medicamentorum uſu* pedem iterum & parùm brachium movere, digitisque aliquid apprehendere valuit. *Præfectus Uttenwylenſis Conſilii cauſa ad me miſſus fuit d.* 23. *Jun.* 1669. *Buchovium. Quærebatur imprimis an nunc Thermæ Piperinæ conducerent?*

Reſolutio.

HEmiplegia hæc non videtur originem trahere à ſanguine extravaſato, quia primus inſultus non tam cito in ſiniſtri lateris hemiplegiam deſiiſſet, nec *à medicamentis* adjutus fuiſſet, ipſum potius lecho dediſſet. Nec à vaſorum cerebri repletione, quia etiam univerſalis manſiſſet, vel *à V. S.* penitùs ſublata fuiſſet. Credibilius illam eſſe à ſero, quod ipſum cumulaſſe in medulloſa cerebri ſubſtantia multa ſunt

ſunt quæ docent: Somnolentia, ſomnus pomeridianus, capitis præcedens gravedo, vertigo, ſymptoma illud aſthma comitans; probant quoque id *Medicamenta exhibita ſerum revellentia, evacuantia & abſorbentia.* Ad ſeri cumulationem fecerunt renes calculoſi. Cerebrum debilitavit haud parum terror, quem concepit ex vi intentata *à Comite quodam*

Prognoſt. Quia validus eſt, nondum adeo ſenex, diætæ obſervans, *diligenti medicatione* id præſtari poteſt, ut iterum obambulare poſſit, licet fortè brachium impotentius manſurum verear.

Indicationes ſunt ſerum evacuandum, à cerebro revellendum, derivandum. Cerebrum & nervoſum genus roborandum: ſeri influxum in medullam diſcutiendum. Ejus proventus cavendus. *Ex Chirurg.* proſunt *Fonticuli: veſicatoria: ſetaceum* nimis moleſtum foret. *Ex Pharmac. Internè purgantia cephal. ex extr. cochiar. aur. caſtor. ol. rorismarin. ſudorifer. diæta poſt caniculares ſuper ſcamno ſudorifero. Diuretica temperata: Cephalica temperata: Pulv. tab. electuar. ſuperbibendo aq. deſt. rorismar. Topica ungt.* quo tota ſpina dorſi inungatur, *ut ol. lumbric. è flor. Slot. chamom. calidiora ut laurin. tereb. juniper.* ſæpe nocent plurimum. *Balſam. cephalic.* prodeſſet *temperat.* quo nucha & cervix inungatur, *ex ungt. alabaſtr. ol. N. M. expr. &c. Purgantia item particularia. Errhin. maſticat. apophlegm. An Thermæ Piperinæ vel aliæ ut Helveticæ vel Ferinæ prodeſſe poſſint? Negatur hac vice,* quia humores fundunt, caput vaporibus implent, quod alias debile adhuc eſt, nec dum cauſa proxima ſublata eſt, quia cauſam proximam non attingit, multò minus tollit; imo auget, unde efficere poteſt, ut apoplexia vera ſequatur. *Experientia teſtatur non adjutos earum uſu, imò dum recens malum eſt, ſummoperè læſos & quosdam internecioni datos fuiſſe.*

OBSERVATIO CLXX.

Hemiplegia ſequente Cachexiâ.

R*Everendiſſima Domina Maria Margaretha* von Greütt / *Abbatiſſa* in Frauen-Alpp: 63. annor. ſtaturæ juſtæ, gracilis, pallida. *Anno* 1657. *menſ. Mart. d.* 12. manè ſummo percepit vertiginem, propterea iterum lectum petiit, horâ ſeptimâ in templo vertigo rediit, iterum remiſit, poſt duas horas rediit, ſecuta aliqua paralyſis dextri pedis: è templo ducta videbatur à dimidio capite in dextra parte per totum latus dextrum aquam tepidam perfundi, circumducebatur,

 tur,

tur, undè meliùs habuit, dimidiâ horâ poſt prandium ſomnolenta facta, hemiplegiâ dextri lateris correpta fuit cum cœcitate in utroque oculo, loquelam eripuit non tamen vocem, brachium ſtupidiſſimum evaſit. Veſperi vehementiſſimè vomuit primum cibum, poſteà mucoſum quid, nullam bilem: caput ne minimum quidem doluit. Cœcitas per dies 3. duravit, die 4. rediit viſus in ſiniſtro oculo, in dextro demùm poſt annum. Poſt menſem paſſa eſt paralyſin in pharynge, ut nihil liquidi deglutire potuerit, ſed aſſumta omnia per nares regurgitârunt, dura autem deglutire valuit: inſpectis faucibus dimidia pars albicabat: per dimidium annum mollia deglutire non valuit, ſed ſolummodo dura, & in hunc uſque diem levem ob cauſam aliquid laryngi illabitur, ſie erkirret leichtlich, unde in faucibus hærentia cum impetu ejicere cogitur. Per annum hemiplectica manſit, ut non niſi ſuffulta incedere potuerit, ingreſſum ſenſim addidicit.

Ab illo tempore uſque ad annum 1682. *d.* 28. *Jul. quo ipſam conveni* in Frauen-Alpp, dolet in occipite dextro, ubi ſutura deſcendit, ac ſi vulnus recenter ibi inflictum fuiſſet, plerumque nihil videtur, niſi quod quandoque œdemate tumeat digitique impreſſi veſtigium ſervet, attactum optimè perfert, ab hoc loco ſentit tractionem quandam per collum uſque ad humerum, videntur hic omnia tenſa. In brachio manet ſtupor, in illo tres videbantur nodi: pedes movet benè, ſenſumque illi obtinent. *Anno* 1667. paſſa eſt febrim tertianam vere, duravit 13. ſeptiman. ab illo tempore intumuerunt pedes leviculè: à duobus annis valde tument uſque ad genua dolentque, imprimis ſiniſter. Parum edit, ſæpe carnes prorſus faſtidit: comedit ova ſorbilia potiſſimum, juſcula, modo non ſint carnis, à cibo non gravatur, attamen inflatur licet parum comederit. A cibo non reficitur, poſt cibum ſumtum jejuna ſibi videtur ac ſi nihil comediſſet: alvus eſt aperta, urina tenuis, pallida, cruda, *die* 29. *Jul.* urina matutina erat ſubflava, conſiſtentiæ juſtæ. Pulſus eſt frequens, celer ſed robuſtus, patitur ſubinde tremorem cordis, reſpirat facilè, poteſt humiliter decumbere. Melius nunc in dextro oculo videt & in aure dextrâ audit, quàm in ſiniſtris. Dolet ſubinde tempus ſiniſtrum. Vertigo à multis annis non rediit; in aure ſiniſtra nihil prorſus videtur: obambulat in plano, ſcalas non poteſt aſcendere ob pedum debilitatem & pondus. Non ſitit, bibit ordinariè vix ℥viiij. vel x. raRò ℔j. plerumque placidè dormit, ſuâ ſponte non ſudat. *Purgantia* non tolerat; etiam *manna* ipſam per dies 10. debilitavit. Pridem *purgabatur* multum, poſt hemiplegiam *nullis* uſa eſt *acidulis.* Primo anno *multis cephalicis* uſa eſt *internis & externis.* Memoria eſt debilis. Eſt pallida, facies ſubflava, indies magis emaciatur, unde concurrente ſimul pedum œdemate veretur

tur

tur hydropem. *Fonticulum* habet *in brachio dextro*, ob dolorem in ſiniſtro alterum tolerare nequiit: dolet quandoque in hypochondrio dextro. Ab illo tempore, quo hemiplegiâ correpta fuit, frequenter tuſſit ob titillationem quandam in faucibus.

Analyſis.

HEmiplegia iſta lateris dextri eveniſſe videtur à cauſa intra cranium crus medulloſum anguſtans ſpirituumque animalium influxum intercipiens, nam præceſſit vertigo brevibus intervallis ter affligens: hemiplegiam comitabantur cœcitas utriusque oculi; vox articulata quidem, ſed ſubmiſſa; acceſſit deglutitio liquidorum & mollium difficilis, non autem craſſiorum & duriorum. Anguſtiam hanc adſcriberem potius obſtructioni, quàm compreſſioni; nam nec ante invaſionem, nec poſteà caput nihil quicquam doluit, quamvis imbecillitas per annum durârit, & ſtupor adhuc totum brachium occupet. Vomuit quidem, verùm non læſis membranis cerebri, ſed ob vellicatos nervos paris vagi, unde quoque valdè à vomitu debilitabatur, quia cor eorundem ſurculos accipit. Dolet quidem nunc juxta ſuturam lamdoideam dextram, procul dubio ob ſanguinis motum in meningis duræ arteriis impeditum, nam quandoque ibi œdema tangitur foveas digitorum impreſſorum retinens. Obſtructionis ſignum quoque lenta hemiplegiæ invaſio exiſtimatur, eòque magis, ſi dolor abſit. Cachexia à 2. annis gliſcere videtur, nam facies flaveſcit, pedes valde tument, ſuperna contabeſcunt; patitur ſubindè cordis tremorem, dolet ſæpe in hypochondrio dextro, faſtidit carnes ſæpè, urina eſt pallida, tenuis, cruda. Ventriculus denique morboſus videtur, quia parum omnino appetit, procul dubio nimium ejus interna ſuperficie muco effœto, *ut Gliſſon. vocat*, incruſtato, non ſine laxitate fibrarum, nam ſtatim à paſtu inflatur.

Indicationes igitur erunt. Caput & genus nervoſum roborandum, & ab ulteriore influxu præſervandum; incipienti Cachexiæ occurrendum & ventriculum roborandum eſſe. Hanc ob cauſam I. *Mane horâ* 5. ſumat *Pilul. No. v. vel vj. ex diaphor. ♃l. extr. pœon. xyloal. &c. cum aq. rorismarin.* II. *Manè horâ* 8 *& veſp. horâ* 4. ſumat ℈j. *hujus Trag.*

℞. *Cinamom. ac.* ʒij.
Galang. N. M.
Mac. Cubebar.
Cort. ☉*ant. rad. aron. pp.* āā. ℈j.
Ocul. ♋. *pp.* ʒiij.
Sacch. alb. ℥iij. *vel iiij. Mſc. F. Ps.*

 II. Ver

III. Verticem inungat *manè balſam. cephal.* IV. Caput tegat *Cucuphâ ex roremar. majoran. flor. beton. maſtich. C. C. uſt.* āā. ʒß. *Mſc. F. ps.* V. *Noctu* ſumat *Mixt.*

℞. *Conſerv. roſar. rubr.*
fl. beton. āā. ℥iß.
Mithrid. Dam. ʒj.
Bol. arm. Or. pp. ʒij. *Mſc.*
Doſ. Jugland. magnitud.

VI. *Pediluvium* adhiberi poterit, ſed cautè. Hyeme imprimis prodeſſet *Gelatin. C. C.* propter conſumtionem corporis, *add. fol. roriſm. beton. paſſul. maj. in colatur. ſolv. conf. alk. c. doſ. cochl. iij. manè loco Trag.* quæ tunc *veſperi* ſumenda foret.

OBSERVATIO CLXXI.

Fiſtula lachrymalis poſt Anchylopem malè curatum occaſione Odontalgiæ.

ILLuſtriſſ. *D. L. T.* annos natus 23. habitûs gracilis, temperamenti totius & hepatis calidi & ſicci. Ventriculi frigidi, capitis verò humidi & imbecillis cum collo oblongo, poſt aliquot commiſſa errata in ſex rebus ferè omnibus non naturalibus, *die 26. Febr. Mediolanum* petiit, & ſtatim conqueſtus eſt de maximo dolore dentis ocularis cum ingenti inflammatione in angulo majori oculi dextri, qui tumor *nonnullis Auctoribus* Anchylops nuncupatur.

Ibi *præmiſſis univerſalibus & diverſionibus per ſanguinis miſſionem, purgationem & cucurbitulas ſcarificatas* convenientibus applicitis localibus *à Doctiſſ. & Peritiſſ. Chyrurgo* ſectus fuit maturè immaturus adhuc aliquantulum tumor in angulo naſi, qui nihilominus ſpontè deindè apertus eſt ſub palpebra inferiori: poſteà in ſuperiori verſus naſi radicem: ita relatum *ab Illuſtriſſ. Patiente, ejusque ſervis, qui die 21. morbi me convenit. Vocatus unà cum D. Phyſico Bulgarono* inveni prædicta tria ulcera cum cannulâ plumbeâ in ulcere anguli naſi, ex quibus ſcatebat multùm materiæ virulentæ, & fœtidæ, uti etiam ex nare dextrâ cum aliquâ febriculâ: *adhibito exploratorio* reperi in ſingulis ulceribus magnam oſſis cariem, tam in cuneo quam in naſo, ex quo adhuc copioſius fluit ſanies. Perſpectis ulceribus magna fluxione vexatis *iterum purgatum eſt corpus,* uti etiam nunc fit;per epicraſin, attemperati

perati denuò humores *epaticis & cephalicis*, appliciti ſunt *hirudines venis hæmorrhoidalibus*: & licet *Nobiliſſ. Patiens* ſit delicatæ & moroſæ indolis, & quandoque etiam genio indulgentis, admiſit tandem rationibus motus *Veſicatorium in ſcapula dextra*, uti etiam *Setaceum in nucha*, quod jam ab initio fuit propoſitum ad derivandam defluxionem irruentem, quâ etiam tempore ſanitatis ab incunabulis ferè cum levi tuſſiculâ laborabat, & à qua evaſit immunis ubi *ſetaceum* expurgare cœpit. Interim *idoneis medicamentis* ſectum ulcus anguli naſi ad os uſque dilatavi, *ſic ſtabilientibus Viris graviſſimis in Arte exercitatis, & cauterio actuali* uſus ſum; circa tertiam diem adhibitâ diligentiâ extraxi ſquamulam oſſis, & denuò alias deduxi, & ſponte etiam per viam narium in os altera ſquamula prorupit. Ideò non neglectis aliis ulceribus in quibus etiam reperi non ſolum oſſis cariem, ſed perforationem oſſis cunei, per quod penetrat ſtylus ad longitudinem digiti ſub fronte in palpebra ſuperiori, in inferiori verò uſque ad radicem naſi, in cujus oſſe exteriori ineſt principalis corruptio: abhorrentibus Parentibus, uti etiam *altero Chyrurgo in conſilium vocato ab actuali cauterio*, quod *optimum, ne dicam fere unicum cenſetur remedium ab Auctoribus, de aliis topicis* mihi cogitandum fuit, & ſic *in vino deſtillato & rectificato ſecundum artem infuſa ſunt, & ebullita plura ſimplicia*, quæ conveniunt ad diſquammanda oſſa, *hunc liquorem* injeci, & injicio *per ſyphonem* in ulcus ſuperius *alteratum* ſecundum tolerantiam patientis *cum pulveribus exſiccantibus, qui liquor* dum injicitur non ſolum per narem dextram cum ſanie, ſed aliquando etiam tantillum per ſiniſtram exit. His ſic ſtantibus.

Quæritur à Te Viro Doctiſſ. & in arte Exercit. an tutò poſſit fieri inuſtio oſſis læſi ſine oculi periculo; uti multoties feliciter expertus ſum ſequutus dogmata tàm Antiquorum quàm Neotericorum Auctorum, an potius perſeverandum ſit in injectione ſupra dictæ aquæ ardentis attemperatæ juxta exigentiam, refrigerantibus appropriatis, licet propter mordicationem ortam ex injectione rubeat aliquando oculus dexter, incaleſcat caput, & doleat quandoque vel ipſe ſiniſter oculus, etiam extra tempus injectionis, qui dolor tamen cito lenitur ſimplici aquæ malvæ ablutione.

Peractâ relatione, cum non illico ſe obtulerit occaſio eam mittendi, 15. abhinc diebus ulcera exſiccata ſunt, remanente aliqua tumefactione in radice naſi, & ſupercilio, ubi erat ulcus, profluit tamen adhuc ex nare dextra pus mixtum cum catarrho, in minori verò copiâ quàm antea. Factus eſt propterea *D. Patiens* omninò à dolore oculi immunis, & ad libitum à domo exit. Hæc

Hæc currenti calamo ſcripſi, domeſticis curis, & Ægrorum curationibus non leviter occupatus: *ſupplex te exorans, ut libere dicas, & conſulas, quid faciendum pro Nobiliſſ. & Illuſtriſſ. Patientis ſalute recuperandâ, quam faxit Deus Opt. Max. ut te Duce, tuo Conſilio veluti Ariadnis filo conſequatur.*

J. à Porta, D. Chirurg.

Reſolutio.

POſt Anchylopem ſeu inflammationem in angulo majore dextri oculi, occaſione odontalgiæ dentis ocularis dicti, ſuppuratam, à pure acerrimo & forſan malignitatis haud experte plurium oſſium in illo loco perioſtium eroſum & poſtmodum oſſa tùm tenuia ac valde tenera, tum ſpongioſa carie affecta nimium quam clare patet, nam & ſquamulæ oſſium extractæ & oſſa ſtylo carioſa deprehenſa fuerunt. Caries hæc non ſuperficiaria fuit, ſed profundius illa ſubiit, imò perforavit, unde ab ulceribus his emanavit pus non ſolum per dextram ſed etiam in ſiniſtram narem, & ſiniſter quoque oculus condoluit. Adeo ut puris virulentia in hoc Anchylope ſuppurato longe lateque diffuderit ſeſe, ac circa radicem naſi, os frontis in orbita oculi os tenerrimum orbitam conſtituens propè glandulam lachrymalem, os naſi externum in dextro latere, os maxillæ ſuperioris ſub palpebra inferiori corruperit, non ſuperficietenus tantum ſed etiam profundius, imo perforarit, unde ſtylum digiti longitudine admiſit, & pus non ſolum ex ulceribus tribus copioſum & fœtidum prodiit, ſed utrâque nare, maximè autem dextrâ excretum fuit. Oſſium horum caries multam in medendo parit moleſtiam, quia quæ orbitam conſtituunt tenuia ſunt & tenera, ac carie leviter affecta tota corrumpuntur cariesque profundius ſerpit eaque perforat, ut *apud Illuſtriſſimum Dominum* factum: iisque ob oculi pomum ægrè ſuccurri poteſt, quod exquiſito ſenſu præditum *acriora & potenter ſiccantia* non fert *ex. gr. Euphorbium*, quod oculis infeſtum, & quia ulcera in narem pervia, ſtimulationem excitaret: deinde ob profunditatem & viam flexuoſam *cauterio actuali* nec poſſet nec liceret ipſi opem ferri. Naſi & maxillæ ſuperioris ut & frontis quatenus ſuperficiaria ſunt, auxilia lubentius admittunt, ſi tamen profundior ſit maxillæ ſuperioris caries, quia admodum cavernoſum & ſpongioſum eſt, utrumque non raro fruſtraneum eſt: ſublata carie in ſuperficie & qua in oculos incurrit *cauterio actuali*, profundior tamen manet, quæ *cauterium & medicamenta* reſpuit, quia *actuale* adhiberi nequit, *medicamenta* autem à muco narium invalida redduntur.

Tota curatio dependet *univerſalibus præmiſſis* ſc. illis, quæ copiam

piam ſanguinis imminuunt, ut *V. S. hirudinum applicatio*: quæ revellunt, ut ſunt *cucurbitar. applicatio*, *veſicatoria*, *ſetaceum*, *purgantia*: quæ ſanguinem mundificant, ut ſunt *hepatica &c.* tota, inquam, dependet à cariei ſublatione & affluxûs præcautione, & conſervatione partium vicinarum. Caries oſſium alibi auffertur quoque abraſione, exciſione, quæ hic locum non habent, *terebrationem in maxillæ ſuperioris limbo non procul à naſo poſt cauterium actuale inſtitutam à Domino Marchetto vidi*: quia tamen hic orbitæ oculi oſſa plurimùm patiuntur, & primaria fortè ſedes ibi, hæc locum vix habebit. *Inuſtio*, quia per ſe inde jam oſſa deſquamarunt, locum habebit ulteriùs in naſi & frontis & maxillæ ſuperioris oſſe in oculum incurrente, non verò in illa, quæ profundior eſt: nimirum *apud Illuſtriſſimum Dominum* caries, quæ ulceribus externis conſolidatis ſupereſt, aliter quam *cauterio actuali* aufferenda erit.

Hæc autem tunc temporis obſervanda erant, quando tria ulcera circa palpebras & radicem naſi adhuc patebant. Poſtquam ulcera clauſa ſunt, aliter res ineunda. Adhuc adeſt tumor, & pus per nares cum mucoſo excremento exit. Ambo indicia ſunt, adhuc ulcus ſupereſſe, & quia pridem conjuncta erant cum carie oſſium, admodum credibile eſt hujusmodi quandam ſupereſſe: quando enim oſſa ad maxillam ſpectantia carie corrumpuntur, ægerrimè utpote ſpongioſa, & multâ diligentiâ adhibitâ curantur, ac ad priſtinam naturam redeunt. Et quia tumor remanſit, vereor, ut nova collectione puris factâ denuò exulceretur, niſi copioſo & continuo puris effluvio per naſum id evitetur.

Tales puris collectiones & ulcera recrudeſcentia his in locis vidi aliquoties *in Matrona Vitodurana*, *Sorore Anna in Valle S. Catharinæ, in Fratre Secretarii Dieſenhof. in Fratre Gerold. Rheinov.*

Quærit Dominus à Porta Med. & Chirurg. D. An tutò fieri poſſit inuſtio ſine detrimento oculi? An potius perſeverandum ſit in injectionibus ex ſp. vini, à quo rubet oculus ſiniſter, incaleſcit caput, quandoque condolet oculus ſiniſter, licet citò evaneſcat aqua malvæ applicita?

Reſpondi: Ad oſſium cariem tollendam *præſtantiſſimam eſſe inuſtionem ferro candente*, quæ citiſſime in plerisque oſſibus cariem auffert, & ne ulterius ſerpat, inhibet: quod *medicamenta* tardè minusque fide præſtant. Non tamen in omnibus oſſibus carioſis adhibere licet; prohibetur *cauterium* in oſſibus tenerrimis, valde ſpongioſis, à viſu remotis, item illis, quæ citra gravius damnum partis nobilis vicinæ tangi *ferro candenti* nequeunt.

In Illuſtriſſimo Domino Comite maxillæ ſuperioris os majus prope naſum aduri poteſt tutò, *ut à D. de Marchettis Patavii vidi inuri, & poſtea terebrari in quadam Fiſtula lachrymali;* etiam os naſi & frontis. An verò os illud tenerum orbitam conſtituens, cui anterius glandula lachrymalis incumbit, ac interſtitium & paries quaſi intergerinus eſt inter naſum & alterum oculum, dubito, ſi ſcil. profundior ejus portio carioſa ſit: quia profundius eſt & viſum fugit, nec citra muſculorum oculos moventium & glandulæ lachrymalis læſionem via ad os uſque carioſum parari nequit, pomo oculi non tam valde timerem, cum *cauterium per cannulam linteo madido obvolutam* intrudi poſſet citra oculi læſionem: ſic polypos nares opplentes citra omnem dolorem exuro, ac probe exſiccatos citra ullam hæmorrhagiam extraho, *& dum hæc ſcribo, quendam ferro candenti in utraque nare Polypo affectum uro.* Uno verbo laudabiliter adhibita fuerunt *univerſalia:* bene inuſtus fuit in oſſibus carioſis conſpicuis. At ſuperſunt oſſa carioſa magis abſcondita: vereor illuc *cauteriis* non poſſe penetrari. Igitur *medicamentis* pugnandum & quidem per naſum intrudendis, ſi non obſtent corpora ſpongioſa narium: ſi recrudeſcat ulcus nova collectione puris in tumore facta, dilatato ulcere os in propatulum veniens uri citra damnum poteſt, & ne pomum oculi lædatur, fiat *id mediante cannula.* Si profundior ſit, mallem adhibere *turundas ex melle cocto add. pulv. congruis, qualis eſt Adankii &c.* quam injectiones quæ profundius petrant, ac ſinus vel dilatant vel novos ob violentiam injectionis efficiunt. Non negligerem tamen *univerſalia*: *ſetaceum* diu relinquerem.

Scripſi die 15. *Jun.* 1668.

OBSERVATIO CLXXII.

Oculi Fungus.

PHilippo N. *Fabro ferrario* 26. annor. *die* 14. *Decembr.* 1672. *Guttenburg.* Clavus ferreus ignitus in oculum dextrum proſiliit, unde perruptâ corneâ humores oculi exciderunt: neglexit per dies 4. morbum, die 5. ad diem 12. deligabatur: applicabantur *mucilag. fœnugræc. & cydonior. c. aq. acetoſell. parat. cui miſcebatur Tut. ppt. & lap. calamin.* uſurpatum quoque *Collyrium refrigerans. Die* 13. ſubitò, prægreſſo horrore, vehementiſſimo dolore oculi & totius dimidii capitis dextri correptus fuit, ſimul totum dimidium latus dextrum ante & retro occupans, ſine ulla cauſa externa irritante & dolorem

rem hunc provocante : mox oculus intumuit ac inſtar ovi gallin. extra orbitam prominuit. Impoſuit *D. Simon Schmid* primum *Cataplaſma anodyn. emolliens*, poſtea addidit *diſcutientia & modicè adſtringentia. D.* 16. ex vulnere, quod clavus ignitus corneæ inflixit, pus emanavit craſſum album, quod *per dies* 14. continuavit, quo temporis ſpatio ad ℔ij. effluxit: mox in vulnere, ex quo pus prodiit, caro primum lentis magnitudine excreſcebat, ſenſim ad magnitudinem nucis juglandis creſcens. Pure manante tumor & dolor remiſit : perſtitit caro; verebatur Fungum, qualem *Fabrit. Hildan. C.I. Obſ.I.* deſcribit, ☿- *inſperſo* Fungus creſcebat, inflammabatur, ac labia ejus invertebantur: inſperſit poſtea *C. C. uſt. ppt. lap. Calamin. &c.* ſine fructu. Non ferebat *aquas aut mucilag. ophthalmic.* ſemper lachrymæ manabant. Dedit igitur *decoct. ſudorifer. ſequens.*

℞. *Rad. ſarſæparill.* ℥ij.
chin. ℥ß.
Lign. ſaſſafr. ℥j.
guajac. ℥ij.
aloes. ʒj.
Sem. fœnicul. ʒiß.
Mſc. coq. in menſ. iiij. aq. ad conſumpt. dimid. part.

Sumſit *mane hauſtum* & ſudorem movit, *purgavit* illum *quinto quoque die pilul. cephal. m.* dum *decoct.* bibit. Poſtquam lachrymæ ceſſarunt nihilque inflammatorii obſervatum in Fungo ſcil. *d.* 14. *poſt potum decoct.* Fungum hunc conſtrinxit *filo*, à conſtrictione doluit imprimis in tempore dextro & in digitis pedum, ubi dolor tantus erat, ac ſi forcipe digiti premerentur: conſtrictam carnem aduſſit *ferro candente*: *filum* die quinto decidit : die 8. Fungus evanuit. In vulnere nihil nunc fungoſi videtur, permanet ſolum macula rubra. Omnium dolorum expers eſt & laboribus ſuis præeſt. *Curabatur* 8. *ſeptiman. ſpatio à D. Simon Schmid. Chirurgo Thieingenſ. præſtantiſſimo.*

OBSERVATIO CLXXIII

Cancer Oculi dextri exciſus, poſtea recrudeſcens lethalis.

N*ob. Domina Anna Maria N. N.* ſtaturæ mediocris, carnoſa, alba, capillis nigris prædita, pridem bene colorata, nunc pallidior, paulò macilentior, carnoſa tamen ſatis adhuc. Ætatis annorum 37.

 Bis

Bis nupta, in primo matrimonio ante 16. annos genuit filium adhuc ſuperſtitem ; in illius puerperio mamma dextra abſceſſum paſſa eſt, pluraque ulcera rupto illo ſupervenerunt, quia non mature aperiebatur : ulcera diu multum puris fuderunt, nec poſtmodum hucuſque ex illa mamma infantes lactare potuit. In ſecundo matrimonio ſepties peperit. Incolumi ſemper valetudine fruebatur, ſemel ex contagio ſcabiem contraxit, quæ tamen brevi aufferebatur *Thermis Fabarienſibus :* nullos unquam furunculos aliosve abſceſſus paſſa eſt. A natura à caſeo abhorret, abſtinuit quoque à cibis valdè ſalitis & aromatizatis, at delectabatur cibis fumo induratis in hoc loco conſuetis, nullos tamen exceſſus fecit ſemper temperantiæ dedita. Hæmorrhagiæ narium obnoxia fuit. Cæterum ſemper erat materfamilias ſtrenua.

Anno 1679. *Menſe April.* in angulo dextro majore oculi ad radices naſi externe accrevit tuberculum concolor, durum, mobile, piſi magnitudine, quod dum gravida erat, crevit ad magnitudinem pruni Damaſceni dimidiati. *Menſe Julio* peperit, fœtus die 8. mortuus eſt: ſumptis *aquis deſtillatis* Lochia copioſe manarunt, atque in illius puerperii ſeptimana tertia excrevit fruſtulum carneum oblongum, rotundum, præcedentibus doloribus parturientis prope gravioribus, ſequenti lochiorum fluxu largiſſimo, ut de vita deſperaret, mox tamen remiſit. Tumor ille primum ad naſum corrugari cœpit, mox penitus evanuit, manente macula rubra, quæ crucigero vel apice digiti tegeretur, indolens plane neque etiam pruritum ibi ſenſit, tandem pallidior evaſit, ſemper ſana manſit, neque capite neque alibi doluit.

Anno 1680. Rurſus gravidæ caruncula lachrymalis creſcere cœpit circa medium geſtationis tempus, primum ſenſit obſtaculum quoddam in viſu, oculi dextri, corpuſculo verſus angulum majorem adacto libere vidit : excrevit tunc ad magnitudinem avellanæ ſenſim & ſenſim, manſitque tale ad puerperium uſque, nec dum iridem attigit, habuit in angulo baſin anguſtam, verſus oculum verò dilatabatur. *Menſ. Jun.* oculus rubebat, impoſitum fuit *albumen ovi conquaſſatum cum aq. roſar. ſtupæ immerſum*, unde oculus magis intumuit, ſublato *hoc epithemate* oculus ſua ſponte ſubſidit, coloremque naturalem retinuit. *Die* 2. *Jul.* 1680. enixa eſt puellam pulchram adhuc vivam & vegetam : ob fiſſuras papillarum lactare non potuit, nutriebatur infans lacte elixo, dempto cremore. Lochia parciſſimè manarunt, *à medicamentis* paulò fortius ſed brevi tempore. Ab iſto puerperio aliquoties indie leviculos horrores hucuſque ſenſit. In hoc puerperio propter obitum Fratris unici multum lachrymata eſt. Tumor glandulæ lachrymalis manſit ſemper adhuc ſub palpebris abſconditus, nec unquam extra illas protuberavit.

Circa

Circa finem Auguſt. Chirurgus N. N. impoſuit oculo *ſacculos in vino & aceto coctos: d. 27. Aug. purgabatur ab Exc. D. D. N. N. Extract. panchymagog. gr. xxvj. & d. 29. Aug. ejusdem* ʒß. Ad tumorem iſtum imminuendum *d.* 30. *Aug.* præſcripſit *diætam ſudoriferam.*

℞. *Lign. ſanct.* ℥iß. *Cort. ejusd.* ℥j.
ſaſſafr. ℥ß.
Raſur. Ebor. ſem. card. b. āā. ʒj.
Rad. chin. ℥j. *ſarſæparill.* ℥ij.
Inciſ. infuſ. in aq. font. menſ. iß. *ſeu* ℔v. *per d.* 2. *coq. in* MB. *per hor.* 12. *Col. bibit calidè M.* ℥v. *V.* ℥iiij. *Remanent. add. paſſul. Corinth.* ℥iij. *coq. in menſ. iiij. in* MB. *hor.* 12. *Colatur. add. cinamom.* ʒij. *pro potu ordinario.*

Die 9. Septembr. purgabatur extract. panchym. ʒß. *extract. pilul. de agaric.* ℈ß. *Die* 10. *Sept. iteratum decoct. ſudoriferum. Die* 13. *Sept. rurſus purgabatur pilulis ſuperiorib. Die* 18. *Sept. iteratæ fuerunt hæ pilulæ ut & d.* 26. *Febr.* 1681. Uſa quoque eſt *Pilulis Marocoſtin. veſperi ſumendis.* Quamvis antea ad ſudores difficilis eſſet, à *potu* tamen ſudavit in lecto largiter. Poſt uſum *decoct. ſudoriferi* crevit glandula lachrymalis nunc in parte ſuperna ſub palpebra, nunc interne ſub inferiore ac antrorſum protendebatur, ſimulque palpebras attollebat, ac nodoſas effecit. NB. Incrementum ejus ſemper præceſſit pruritus aliquis, atque inde augmentum certò prædixit. Ab illo tempore magis magisque crevit. *Menſ. Decembr.* 1680. *Chirurgus* impoſuit *emplaſtr. nunc nigrum, nunc album*, diu tamen *topicorum* uſum diſtulit. *Menſ. Februar.* 1681. ultimum in publicum prodiit. Menſes plerumque anticiparunt tribus ſeptimanis, nunc parcius nunc fortius manantes. *Circa principium* 1681. Coryza & Broncho afficiebatur, libere naſum emungere potuit, quamvis *Chirurgus* polypum adfuiſſe dixiſſet, cujus nec veſtigium videre potuit. Ex naribus ſubinde liquor limpidus exſtillavit, rariſſimè ſubcruentus. In occipite oborta eſt papula ſeu tuberculum quoddam, *ab appoſito emplaſtr.* plures emerſerunt, *omiſſo empl.* ſua ſponte exaruerunt. Sternutavit ſæpè. Utcunque glandula creverit & palpebræ diſtenderentur, vidit nihilominus deorſum intuendo *uſque ad finem Maji* 1681. Toto hoc tempore nihil doluit niſi à tenſione, nares ſubindè aquam ſtillarunt, non ita pridem ſanguinem: appetiit, noctu dormivit, alvus aperta. Paulò poſt glandula crevit magis ſcil. à reditu *ex Walenſtatt* cœlo pluvio. Ab illo tempore palpebras non amplius ſuâ ſponte diducere potuit, ſi illas diduxit, lucem agnovit.

 Menſ.

Menſ. April. 1681. Ad me hiſtoria imperfectè deſcribebatur, in illa præter memorata ſcribebatur tuberculum glanduloſum carneam excreſcentiam eſſe, quæ fiſtulam minetur, quia multum puris fuderit: *dicta Ægra* illud pus lachrymas aut lympham inſpiſſatam nominat. Primâ vice additur adhibita fuiſſe *revellentia & abſorbentia*, ac *extrinſecus diſcutientia & putrefacientia*, unde evanuerit; quod falſum illa ajebat, cum poſt lochiorum fluxum poſt primum puerperium ſponte ſuâ diſparuerit. Secundâ vice gravidæ tuberculum recruduiſſe memorant, addunt adhibita fuiſſe *interna*, quod illa negat, & *Topica ſcil. album ov. c. aq. roſar.* quod tamen tolerare nequiit. Falſo ſcribebatur lochia ritè fluxiſſe. Fatentur *poſt decoct. lignor.* tumorem creviſſe. *Fonticulus* excitatus in brachio ſin. & in nucha. Falſò ſcribebatur in ſutur*a* lambdoidea ulcus manare.

Die 10. *Jun.* 1681. *D. D. Joh. Muralt. Tigurinus* vocat Affectum oculi procidentiam factam ab excreſcentia carunculæ lachrymalis eroſæ, primùm polypo ſimili, nunc cancroſa, quæ oculum verſus angulum acutum propulerit. Curationem maturandam, ne viſus pereat. *Vid. Trincavell. de Ratione Cur. aff. particul. L. IV. C. VI.* Ideo corpus mundandum *purgantib. & V. S. ophthalmic. int. & defenſivis topicis*, tum *Chirurgiam* adhibendam: imò ſi *medicamentis* non cedat, Oculum exſcindendum. *Vid. Obſerv. II. Cent. Fabrit. Hildan.*

D. D. Hottinger primùm prolixè probare conatur cauſam ſanguinem craſſum huc depoſitum & hic retentum ob partis laxitatem: affectum nondum cancroſum exiſtimat ſed ei proximum, quia tumor non ſit durus, lividus, venæ non cancri pedes referant, non doleat vel certè parùm, putat Polypum vel Ficum vocandum. *Chirurgiam* certæ morti præferendam autumat, quæ dextrè adminiſtrata periculo careat, & alterius oculi damnum avertat.

D. Hegi d. 2. *Jul.* 1681. Scribit Affectum, ſi non cancer ſit, cancroſo ſimilis, in quo præſtet experiri anceps remedium quam nullum; *Chirurgiam* quidem difficilem, attamen poſſibilem eſſe *Perito*.

Eod. ſcribit D. D. Joh. Heinr. Lavater Junior, nihil certi de morbi indole ſe definire poſſe ex hiſtoria ſcripta & coram narrata. Ambigit an Encanthis? num excreſcentia utriusque palpebræ? aut oculi Proptoſis ſit? ſi Encanthis ſit, putat neceſſum, ut Ægylops aut Anchylops cum oſſis unguis dicti carie præceſſerit. Si excreſcentia ſit in palpebris, videndum an pomo oculi accreverint, unde ſeparandi, quod cum dolore fieret, & timendum foret oculi contagium, atque ita cum palpebris

pebris oculi eximendi eſſent non ſine difficultate: ſi Proptoſis, oculus eximendus eſſet, cavendo læſionem meningum, unde convulſio lethalis timenda. Quia affectus jam cancroſus, putat ſectione difficulter citra recidivam tentari poſſe. Ad præcavendam illam ſuadet *Fonticulos* revellentes, *cephalica ſpecifica*, cavendo *omnia corrodentia.*

NB. Ante 9. ſeptimanas manubrium ferreum vaſis cuprei decidens feriit tumorem, ac foveam impreſſit ſine magno dolore, at cum perturbatione capitis.

Die 1. *Jul.* 1681. *N. N. appuli circa veſperam:* occurrit mihi vegeta ſatis. Inſpexi hunc tumorem utrâque palpebrâ tectum, oblitum undique *linim. de ceruſſ.* ambæ palpebræ arctè ſatis junctæ erant.

Die 2. *Jul.* Diductis palpebris album oculi conſpexi, pomum ejus non antrorſum ſed retrorſum & verſus angulum acutum truſum videbatur. Tota tumoris moles alta erat prope unc. iij. extra orbitam ubi altiſſima ſcil. in medio & verſus angulum majorem ſeu obtuſum: à radice naſi ad tempus dextrum transverſim longa unc. vj. à fronte ad maxillam ſuperiorem longa unc. vij. adeò ut ſupernè extra orbitam incubuerit fronti, ac ſupercilia ad unc. ſem. & amplius tumori incubuerint, inferius verò extra orbitam ferè ad unc. j. maxillæ ſuperiori extra orbitam accreviſſe videretur, in utroque angulo etiam orbitam ſuperavit, totamque radicem naſi occupavit, & propè tempus ejus aliquam portionem. Erat durus, inæqualis, rubicundus, venis nigris turgidus: palpebra ſuperior in cacumine ulcus habuit dimidii digiti capax, in latere verſus naſum aliud facilè apicem digiti admittens: inferior duo habuit in medio & unum infernè propè naſum: nullius labia invertebantur, parùm ſaniei ſtillabant, in centro alba lardo ſimilia. Indidi hiatui palpebrarum *lamellas ex ſpongia compreſſa*, & interſtitio inter naſum & tumorem, parabatur *ex cer.* ℥*ij. therebint. maſtich. gumm. elem.* āā. ʒ*j.* Toti tumori impoſui *epithema ſequens.*

℞. *Aq. geran. ſolan.* āā. ℥*iij.*
Succ. cancr. vivor. No. ij.
Plumb. uſt. lot. ʒ*ij.*
C. C. uſt. lap. calamin. āā. ʒß. *Mſc.*

Veſperi *extractâ ſpongiâ* ſanguinem fudit, ſequebatur tandem liquor lachrymæ ſimilis.

Die 3. *Jul. Extractâ ſpongiâ* rurſus ſequebatur ſanguis & tandem lachrymæ. Menſes hodiè eruperunt, doluitque in genubus. In cute frontis concolori inæqualitas quædam tangebatur cum dolore ab attactu. Obſervavi palpebram inferiorem à carne quadam fungoſa abſceſſiſſe tractu leviculo.

Die

Die 4. *Jul.* Carnem fungoſam palpebræ inferiori contiguæ primum *urere* cœpi, quod benè pertulit, magisque palpebra ſeceſſit.

Die 5. *Jul.* *Uſtionem* continuavi hoc in loco ſimulque in ulcere palpebræ ſuperioris ſine dolore : *exemptâ ſpongiâ* ſanguis ex oculo emanavit.

Die 6. *Jul.* Illâ perrexi, caro juxta palpebram inferiorem lardo ſimilis, ampla in ulcere palpebræ ſuperioris ei ſimilis, aquâ replebatur. Menſes continuant. Veſperi querebatur de dolore punctorio totius tumoris, qui antea quoque ſubindè afflixit, & quidem gravius antequàm poſt *uſtionem* : *ab uſtione* ulceris ſequebatur pruritus. Noctu ob fulgura & fulmina gravia parùm dormivit.

Die 7. *Jul.* Caro juxta palpebram inferiorem amplius occurrit: in ulcere palpebræ ſuperioris omnia ſicca, indidi *butyrum.* Tumor in ſuperiore & inferiore mollior alicubi apparere incipit. Hodie minùs ſanguinis fudit *extractâ ſpongiâ.* Veſperi inter palpebram inferiorem & carnem fungoſam ſtylum aliquouſque adigere, & antrorſum ac retrorſum ducere potui ſine dolore. Eſchara ex ulcere palpebræ ſuperioris excidit, labia ulcerum nullibi invertuntur : magis magisque hiant palpebræ.

Die 8. *Jul.* Hodiè *exemptis ſpongiis* nullum ſanguinem fudit, *uſtionem* benè pertulit caro fungoſa, at non palpebræ ob radios △ nimis vicinos: ideo canales conficiendos curavimus pro carne illa & ulcere maxillæ ſuperioris : menſes imminuuntur : urinam habet optimam. Manum eminus tumori admotam calor quidam ferit, non dolet. Poſt meridiem *uſſi mediante canaliculo*, quod bene toleravit & optimè ſucceſſit, noctu non benè dormivit.

Die 9. *Jul.* Corpus ſpongioſum & ulcus palpebræ ſuperioris *uſtum* ſine dolore, *ſpongiis extractis* nihil ſanguinis ſequebatur. Poſt concinnatos capillos caput doluit. Poſt prandium dormivit, cephalalgia continuavit imprimis circa verticem.

NB. Hodie nobis confeſſa eſt, ſe in profundo oculi quandoque dolorem punctorium ſenſiſſe, qui verſus anteriora extendebatur ceu inſtrumentum multis acutis cuſpidibus præditum feriens exteriora, quandoque infeſtaſſe verticem indeque antrorſum ad collum verſus laryngem.

Die 10. *Jul.* Eſcharam profundè *inuſſimus* : *ex ſpongiæ extractione* prope angulum majorem ſanguis profluit, & dolet ibi ob palpebras aliquantum exulceratas : noctu dormivit.

Die

Die 11. *Jul.* Dedi *potionem ex infuſ. ſenn. rhabarb. mechoac. hepat. & ſplenetic. add. ſyr. de cichor. cum rhab.* purgabatur quinquies: hamulo fungum ſub palpebra inferiore aliquantulum ab angulo minore retrahere potui, ſequebatur hæmorrhagia, quæ ſponte ſubſtitit, nocte benè dormivit.

Die 12. *Jul.* Mane rurſus tumorem hamulo attraxi, ſanguinem fudit, at brevi rurſus ſubſtitit ſuâ ſponte: duo ulcera palpebræ inferioris ſe dilatant, quamvis ſolummodo *filamenta ſicca* imponantur, item ſupernum in palpebra ſuperiore. Tumorem aliquoties *uſſimus* profunde, ulcera ipſius nec ſerpunt, nec invertuntur. Attracto tumore hamo diſtinctè vidit.

D. Hegi Tiguro rurſus ſcribit d. 9. *Jul. Ipſe cum Operatore,* qui 40. annis *Artem* exercuit, opinatur oculum conſervari poſſe, cum palpebræ oculo non accretæ ſint ipſaque videat, addit tamen rem ipſam, quid agendum ſit, demonſtraturam. Inſerit *Rhonhuſii Obſ.* 18. ſimilem huic in quibusdam. Ipſe animadvertit quoque tumorem palpebris non continuum ſed contiguum eſſe, ſperat oculum integrum propter corneæ duritiem; ſi verò affectus ſit, non exiſtimandum oculi inciſionem periculoſam fore.

Die 13. *Jul.* Propter limbos palpebrarum tumidos & exquiſito ſenſu præditos *uſtionem* non ritè perficere potuimus, nec illa tractionem cum hamulo tolerare potuit; itaque *Exſectionem faciendam opitulante Deo* concluſimus.

Poſt meridiem litigandum erat cum Chirurgo N. N. qui Ægram hactenus tractavit & noſtro adventu nequiter illam deſeruit.

Judicium, quomodo Nob. Dna Ægra hucuſque tractata fuerit a Chirurgo N. N.

TUmor *Nobiliſſimæ Dominæ Ægræ* primùm erat in dextro oculi angulo fungoſus, omnis malignitatis expers, nam ſuâ ſpontè largo lochiorum fluxu evanuit, macula rubra indolente ſuperſtite. Cum rurſus concepiſſet, circa medium geſtationis tempus in eodem angulo glandula lachrymalis, non muſculus, ut imperite ſcripſit *Chirurgus*, intumuit: nec tumor iſte in principio malignus erat, nam toto geſtationis tempore & aliquandiu poſt partum non valdè crevit, *qua medicamentorum externorum uſum* fere intermiſit. Poſteà verò *tum imperitiâ, tum negligentiâ, tum denique nocuorum medicamentorum applicatione*

tione & malitioſâ Chirurgi ambitione cum invidia conjuncta effectum fuit, ut tumor iſte in molem ingentem cancroſam excreverit. Nam in principio, ignarus indolis hujus tumoris, applicuit oculo *ſacculos nunc in vino, nunc in aqua coquendos;* aliquando *albumen ovi cum aq. roſar.* unde valde intumuit; eo ſublato tumor ſponte ſubſidit. Poſtea longo tempore *emplaſtrum fuſcum* tumori impoſuit, quod ſimile illi quod *ex lithargyr. cum oleo cocturâ* paratur; totam molem *ung. de ceruſ.* inunxit, pennâ illinivit pomum oculi *ol. roſ. cum liquore quodam permixto:* & quamvis tumor indies creverit, nihilominus his imprudenter perrexit; negligentiſſimè *Nobiliſſimam Dominam* & intempeſtivè deligavit, & non rarò dies præterierunt, antequam illam inviſeret, & quidem non rarò ebrius: quandoque *emplaſtrum album, ſimile empl. de ſperm. ranar. aut alb. coct.* veſperi admovit, mane ignarus facti illud rejecit, quamvis hoc ceu novum inventum ad tumorem expugnandum deprædicarit temulentus. Quin etiam in hiſtoria morbi mentio fit *putrefacientium* foris tumori applicitorum, quibus nihil pernicioſius excogitari poſſet, quod omnes norunt, quibus hujusmodi tumores vel per umbram innoteſcunt. Dum tumor quotidie augebatur vanâ ſpe *Optimam Matronam* lactavit,ac impudenter dixit, bonum eſſe tumorem creſcere, majori facilius opem afferri poſſe, imò ſponte caſurum; effatum *Chirurgo* indignum nec *in tyrone Artis* tolerandum. Interea dum tumor augebatur, imprudentiſſimè ſivit illum ſub palpebris abſcondi, unde ſupra modum dilatatæ fuerunt; extra orbitam erupit, arctiſſimè cum palpebris unitus fuit, imo tandem planè coaluit. Cum tumor adhuc parvus eſſet & mobilis ac ſine turpitudine aliqua, aut oculi damno *ſectione* aufferri poſſet, cum progreſſu temporis major factus eſſet, illaque ſine magno labore perfici poſſet, atque licet ab aliis commendaretur, imò urgeretur ceu neceſſaria, nihilominus tamen illam, *ſeu ex ignorantia Chirurgiæ, ſeu ex invida quadam malitia,*eluſit, veritus *ſectionem* exiſtimationi ſuæ potiùs quàm *Dominæ Ægræ* nocituram. Imò cum tumor longè lateque extra orbitam protuberaret, lividus, atrorubeſcens, inæqualis, durus, venis ſanguine atro turgidis, palpebris ſex in locis exulceratis ipſiſque ulceribus ſe dilatantibus, nihilominùs *ſectionem* vanâ garrulitate remoratus eſt, illam cum vitæ periculo junctam *Ægræ & domeſticis* inculcavit, aut recidivam timendam prædixit, cujus meritò author cenſendus foret, quia eò uſque tumorem excreſcere & profundas radices agere permiſit. Ex his omnibus manifeſtè patet *Chirurgo* omnem culpam adſcribendam eſſe, quod totus oculus cum palpebris exſcindendus fuerit: & ſi quid ex occulta radice, quod oculis aſſequi non licet, repullulet, illi unicè imputandum

dum eſſe, eò quod *Nob. Dominam* imperitè, negligenter & tantum non, ob neſcio quam arrogantiam, malitioſe tractarit.

Dies 14. *Jul.* Exſectioni deſtinatus fuit. Manè poſt ſeptimam ebibit ovum ſorbile & datus hauſtus vini albi: poſt, *implorato auxilio Divino ad Sectionem* progreſſum fuit. In ſella locatæ brachia fuerunt faſciâ latâ ſeu mantili alligata, oculus ſiniſter tectus, hinc circa 8. matut. *D. D. Brunner* inciſionem fecit ab angulo majore dextro ad minorem profundè, hinc retractâ cuti frontis ab uno ad alterum, poſtea tumorem cancroſum undique extra & intra orbitam unguibus ſeparavit, & cum deprehenderet, portionem hujus tumoris poſt pomum oculi aliquantulum depoſitum eſſe, abſciſſo nervo optico & muſculorum ocularium capitibus cultro incurvato totum tumorem cum oculo exemit: tres arteriolæ ſaliebant, ſanguinis prope Libr. j. effuſa fuit. Tumor cum oculo, expreſſo jam ſanguine, pependit unc. vj. & dimid. in illo vidimus tumorem cancroſum palpebræ utrique ab angulo majore ſupernè & infernè arctiſſimè concretum, & non contiguum ſed omninò continuum fuiſſe, imò quaſi in unum corpus coaluiſſe, ut ipſæmet palpebræ lardo ſimiles eſſent, exceptâ portione exiguâ non procul ab angulo majore. Tota tumoris conſiſtentia lardo ſimilis, atque in illum jam penetrarunt ulcera palpebrarum in utraque: quod *inuſſimus* vix erat 20. imò 30. pars tumoris, ad cujus præcipuas portiones igne pertingere nequivimus: erat ab angulo uno ad alterum continuus. Exempto tumore cum oculo *pulvillis & filamentis ſiccis conſperſis pulv. ad ſiſtendum ſanguinem* implevimus, ac impoſuimus *ſtuppam album. ovor. & aq. roſar. imbutam & conſperſam eodem pulv.* Obligata per aliquot paſſus ſcil. 6. vel 7. inceſſit, ac ſtans veſtibus exuebatur. Nulla leipothymia, nulla convulſio obſervabatur. Nihil prorſus inuſſimus, nec acus adhibita: quia non bene adſtrictæ erant faſciæ, ſanguinem fundere cœpit, ſed ſtatim remiſit: vomuit ſumpta *aq. cordial.* ſine damno. *Balſam. ſtomach.* inunctus.

Die 15. *Jul.* Subindè effluxit adhuc ichor ſubcruentus: vomuit amara, cauſam tribuit *aq. cordial.* cui *confect. alkerm.* immixta: noctu dormivit: alvus ſolvebatur *ſuppoſitor.*

D. 16. *Jul. Pulvilli* ablati *cum ſanguinem ſiſtentibus*, nihil cruoris ſequebatur, apparuit pus bonum. *Deliganda inpoſterum methodo Fabrit. Hildani.*

Die 9. *Auguſt.* 1681. *ſcribit D. D. Brunner:* Vulnus optimæ notæ, moris ac indolis apparet, pus probæ notæ fundit: oculus ſuperſtes

Nnnnn 2

ſtes valet, cephalalgia parum divexat, ut proſpera inde nobis eventura ſperem à Patre luminum. Hactenus quidem mentionem fecit doloris in orbita oculi ſuperſtitis, ſed brevi evanuit, pridie de dolore vulneris, ut ſomnum nocturnum interturbarit. Oſſiculum unguis maximam partem abſceſſit, ut ſpiritui attrahendo aut expellendo eò detur tranſitus; hanc tamen iterum novella recreſcente carne intercluſam iri confido.

Addit in Literis d. 16: *Auguſt.* Vulnus undique probæ notæ conſpicitur: rem agit domeſticam, quantum *per regulas medicas* licet, nullibi dolet niſi ex heſterno die circa frontem. Cæterum tuberculum in fronte jam olim obſervatum ſuccrevit, ſponteque iterum evanuit: nihil nunc timere ait præter illud tuberculum, ne incrementum capiat reſque ejus ita in priſtinum recidant: ait ſe ex illo dolorem nonnunquam percipere; hac nocte verò ex tota fronte doluit.

Die 6. *Febr.* 1682. *Nob. D. Ægra Feldkirchium venit, quo me vocavit, & in tali valetudinis ſtatu ipſam deprehendi: Poſt abitum D. D. Brunneri* tuberculum in fronte creſcere cœpit, *appoſitâ laminâ ♄ni. ☿io illitâ* ſubſidit & dilatabatur, ac oculo ſiniſtro ſano imminebat: cicatrix vulnus ubique operiebat, excepto ſpatiolo exiguo in orbita: gena poſteà etiam ſub cicatrice & in parte ſana protuberare cœpit: vulnus ubique coaluit, manſit ſpatiolum quod piſo tegi potuerat nondum cute opertum, quod tamen ſæpe ſiccum prorſus erat per aliquot dies, idque propè oſſiculum naſi in profundo orbitæ ſeu angulo majore. Occaſionem tumoris in gena dextra putat fuiſſe odontalgiam, quâ ceſſante tumor manſit. *Circa finem Decembr.* 1681. caro in orbita oculi duobus in locis pravior apparere cœpit, ſtillavit ichorem fœtidum, hæ carnes diſtinguebantur pariete quaſi intergerino carneo & in ſuperficie cicatrice operta, craſſitie propè pennæ anſerinæ. In angulo acuto quadam nocte caro valde intumuit & protuberavit acini uvæ magnitudine, adſcribebatur intumeſcentia defluxioni à capite & doluit, poſteris diebus cum ſtylo fortius attrectabatur, rumpebatur ac multum puris effluxit; caro tamen tam in angulo acuto, quam in majore alba, flaccida manſit, & ſenſim lardicea evaſit, nunc plus, nunc minus ichoris, quandoque etiam pus ſtillans: ſi ſtylus per carnem anguli majoris trudebatur, ad os nudum verſus naſum in profundo pertingebatur: utraque hæc caro eſt in profundo orbitæ, cujus limbus undiquaque & circumcirca etiam introrſum cicatrice tegebatur. Ab illo tempore dolere cœpit, ac indies hucusque incrementa dolor ſumpſit, eſt urens ſine ulla pulſatione, cui accedunt ſubitæ punctiones, ac ſi ferro acuto ſubito perfoderetur, invadit tantummodo noctu circa 11. aut 12. horam, tam vehemens eſt, ut ſibi à clamore temperare nequeat, atque

atque è lecto ſurgere cogatur, durat ab horæ quadrante nonnunquam ultra horam, ac dormientem expergefacit, invadit ſubitò, & in momento penitus rurſus evaneſcit, ſævit nunc in gena, nunc in fronte, rarius in fundo orbitæ, non raró in fronte & gena ſimul: interdiu nunquam vel leviculè dolor iſte ipſam hactenùs afflixit. Antequam dolor ipſam excruciare cœpit, & poſtqùam emerſit, hucuſque menſes dolorifici penitus ceſſarunt, redeunt tertiâ quâque ſeptimanâ, fluunt ritè & copioſe diebus 7. ſubindè quoque narium hæmorrhagiam experitur. Fluor albus aliquoties large manavit. Appetit, non ſitit, alvus officium facit: pulſus eſt naturalis, benè ſpirat, ſubindè ichor tenuis ex nare dextra effluit: poſtquam dolor ceſſat, rurſus dormire poteſt. Nuper ſcrophula ſub maxilla inferiore ſin. mobilis, dolens apparuit, quæ ſuâ ſponte evanuit. Hactenus carni in orbita imponebatur *pulv. exſiccans omiſſo alumine, add.* ♃*n. uſt.* āā. *p. æq. cum plumaceolis*, tegebatur *emplaſtr. de betonic.* Cicatrix in ſummitate genæ prope limbum orbitæ excoriata ſubindè parum ichoris fudit, quæ tamen protinus epidermide tegebatur *ſiccantibus applicitis.* Nuper *Setaceum* duxerant *ſupra fonticulum* pridem in nucha factum, *fonticulus* ſuâ ſponte reſerabatur ibi, & nunc plus puris ſtillat quàm *Setaceum.*

A d. 5. *Febr.* 1682. *horâ* 9. *matut.* non deligabatur *uſque ad hor.* 5. *veſpert. d.* 6. *Febr. pulvillis* parùm ichoris & aliquid boni puris adhæſit. Circa medium noctis dolor invaſit ac ſurgere cogebatur, duravit non ultra quadrantem horæ, poſteà lectum repetiit dormivitque ad 5. matut. cœnavit cum appetitu.

Die 7. *Febr.* mane multum ichoris cum pure adhæſit *pulvillis* & carni in orbita, ac ſummitatis in pariete ſuperficies excoriata erat, nondum tamen ita diremptus fuit paries, ut unum ulcus ambæ carnes conſtituerent, nam in profundo adhuc firmus erat, ab attactu doluit & ſanguinem fudit. Caro in utroque angulo crucigero amplior, coloris albi ſubflavi, lardo ſimilis, ſed quaſi lacera, non plana & æqualis, inſenſilis, in angulo acuto fortius attrectata ſanguinem ſtillavit, minus in majore, per quam facile ſtylum ad os naſi in profundo orbitæ adegi: apparuit rupto pariete carnem in unam molem brevi degeneraturam. Tumor frontis exordium ſumpſit à duobus tuberculis duris ſub cute mobilibus, quæ vix fabâ majora erant, eorum incrementum adſcribunt vomitibus enormibus Colicæ ſævæ comitibus. Vidi illum totum medium frontem occupare, à ſummo fronte ad radicem naſi longus erat unc. iiij. latus unc. iij. & dimid. prominet ſupra naſum & angulum majorem oculi ſin. ultra unc. j. minus in angulo majore oculi dextri, altior eſt in parte inferiore quam in ſuprema & laterali, ferè tamen ubique unc. j. altitudine, eſt concolor, durus, non valde in-

æqualis & tuberoſus, ſimilis eſt gummatibus ſeu tophis gallicis: à compreſſione *laminæ ♄n. ☿io illitæ* amplior evaſit & ad hos terminos ſe diffudit: putant *à Cataplaſm. ex cochleis &c.* quoque auctum fuiſſe, ac ſi de humido aliquid imbibiſſet, non negant tamen inde tractabiliorem evaſiſſe. Cæterum nullam laſſitudinem patitur, ait ſe poſſe montana ſcandere. Tumor genæ dextræ totam maxillam ſuperiorem occupat, atque ab extremo oſſis zygomatis deſcendit fere ſub ala naris dextræ ad labium medium, ſupernè à limbo orbitæ pertingit ultra finem maxillæ ſuperioris, ita tamen ut maxilla hæc etiam circa articulum ejus ſit à tumore immunis, parteſque illis incumbentes molles, à zygomate ad labium longus unc. v. à limbo orbitæ unc. iiij. altus unc. j. alicubi etiam altior, durus, concolor, inæqualis, ſuperne cicatrice tectus, quæ ſi excorietur, ſtatim *à ſiccantibus* conſolidatur: digito in os immiſſo ſimiliter tumorem intus prominere deprehendi, nec minus quàm foris durum eſſe: membrana intus tumori obducta aliquot retia minutiſſimorum vaſorum capillarium nigerrima oſtendit. Gingivæ ſuperiores à tumore immunes ſunt. Utcunque ex nare dextra quandoque ichor exſtillet, & quamvis anguſtior ſit ſiniſtrâ, nulla tamen excreſcentia carnea conſpicitur. Quoniam hac nocte dolor in maxilla & fronte valdè vehemens fuit, mane ſenſit ceu aquam fervidam verſus tempus d. & genam deſcendere, quod etiam aliis vicibus factum fuit; aliquando videtur frigida inſtar gelidæ deſcendere: ſubinde dentes dolent, nam caninus d. maxillæ ſuperioris & duo inciſores ſunt carioſi: aliàs *ab anno* 1673. poſt evulſum dentem nunquam odontalgiam paſſa eſt: exiſtimat tumorem genæ ab odontalgia hac vice incrementum ſumpſiſſe. Ante meridiem querebatur de genæ quodam ardore, ac ſi urticâ percuſſa fuiſſet, ſed non continuo & ſubito penitus ceſſante. Pranſa eſt bene, delectabatur imprimis piſcibus, parùm bibit vini albi aqua diluti. Veſperi parùm ichoris *pulvillo* adhæſit: carnem luxuriantem *aduſſi*, non ſenſit: ex nare veſperi ichor exſtillavit, quem inodorum dicit. Poſt cœnam aliquoties punctiones inſtar fulguris tumores pervadentes paſſa eſt & ſæpe etiam toto die, quamvis in primo examine ſæpius dixerit, ſe interdiu à dolore immunem eſſe. Cœnavit benè, hor. 9. lectum petiit, dormivit ad 10. dolor ſæviſſimus in ſomno ipſam invaſit, erat punctorius exclamavitque à fronte per genam ferrum acutum ſubitò adigi, præ doloris ſævitia tantum non deſperavit, ante hor. 11. remiſit, dedi 2. *pilulas anodynas cum pauxillo aq.* lectum petiit; ceſſante dolore dicebat ſynciput prope ſtupidum eſſe, paulò poſt rediit minus tamen ſæviens, verſus matutin. dormivit.

Die 8 *Febr.* mane laſſa erat, caro orbitam implens tota lardicea, paries permanet, ſupernè tamen excoriatus, quod etiam vicinæ cica-

cicatrici evenire incipit: urina pallida, craſſiuſcula. Ichoris parùm in ulcere apparuit, nam nocte dum ſurrexit, multum ichoris ex nare d. exſtillavit. Pedum tumor leviculus deprehenditur, in facie emaciatur, in artubus caro flaccidior eſt, labia & facies etiam, ungues valde, pallent. *Sanguinem V. S. emiſſum Chirurgus* ſemper mucoſiſſimum & pallidum obſervavit. *Diſceſſit Feldkirchio ante meridiem domum.*

Reſolutio.

TUmores frontis & genæ dextræ videntur cancroſi, nam ſunt duri inæquales, licet ſint concolores; ſubinde, imprimis tamen noctu patiuntur dolores urentes cum punctione, eosque ſæviſſimos: caro in orbita luxuriare incipit, quamvis vulnus antea conſolidatum fuerit fere penitus, eſt pallida, ladicea, fundit ichorem fœtidum, conſumit carnem jam cicatrice obductam, ulcus ſerpit & latius fit: dolet quandoque circa radicem, licet ſuperficies ſit ſenſûs expers.

Cancer iſte incurabilis eſt, nam frontis tumor oſſi frontis ita âffixus eſt, ut non niſi ab oſſe cum pericranio exſcindendus foret, nec tamen *Chirurgus* aſſeverare poſſet, nullum tumorem repullulaturum. Genæ tumor cum tota gena aufferendus eſſet, nec tamen polliceri quispiam poſſet, illum nunquam emerſurum, cum reliquiæ ſe facile intra glandulas & pinguedinem, quæ hic multiplex, abſcondi poſſent. Igitur *Cura palliativa* arripienda eſt. *Hac methodo*

I. Ulceri in orbita indatur *pulv.* ♄*n. merus:* ſi caro luxuriat & ichor redundet & fœteat, *pulv. card. ben. cum pulvill. Loco emplaſtr. de betonic.* tegatur *unguent. diapomphol. comp.* quod etiam imponi poteſt *poſt uſtionem. NB. Ung. hoc cum ſucc. ſolan. hyoſciam.* ♄*n. coq. in vaſ.* ♄*n. poſito in cacab.* ▽ *plenum, ne pinguedines adurantur.*

II. Si caro excreſcat valde, tangatur *ferro candente.*

III. Ambo tumores operiantur *ſaccul. ſicc. ex flor. chamomill. melilot. ſambuc. fol. geran. Rob. ſolan.*

Deinde tota maſſa ſanguinea jam miaſmate cancroſo imbuta quantum poſſibile mundetur, atque ab his particulis venenatis vindicetur. *Propterea*

I. Sumat *ſingulo mane hor. 6. vel 7. de hoc Electuar. & veſperi hor. 5. magnitudine juglandis.*

℞. *Conſerv. roſar. r.* ℥iiß.
borrag. pulp. tamarind. āā. ℥vj.

Diaphor.

Diaphor. ♃*al. C. C. ph. ppt.*
Ocul. ♋. *pp.* āā. ℥ij.
Syrup. fl. papav. err. parum. Mſc.

Superbibat *juſcul. alterat. borrag. bugloſſ. meliſſ. vincetox. tamarind.*

II. *Alternis noctibus* ſumat *pulv. anodyn.* ℈j. *vel* ʒß. *cum emulſion. amygd. d. vel aq. borrag. ſcabioſ.* Si verò vereatur moleſtam noctem, ſumat *pilul. anodyn. No. ij. vel iij. cum aq. papav. err.*

III. *Purgetur triduo ante V. S. potion. ex tamarind. ſenn. rhabarb. agaric. &c.*

IV. *Singulis tribus menſibus V. S. in pedibus nunc cephalic. nunc poplitea.*

V. *Singulis menſibus ſcarificetur triduo ante vel poſt novilunium,*

VI. *Fonticuli & ſetaceum* aperta ſerventur.

VII. Diæta accuratiſſima obſervetur, ac vitentur imprimis acria, ſalſa, aromatizata, coctu difficilia, ut braſſica muriâ condita.

Omittat *omnia emollientia & corrodentia ac putrefacientia.* Præſentibus aut inſtantibus menſibus *omnia medicamenta interna* omittantur.

Si exulceratio in ore incipiat, ſtatim adhibeantur *gargariſmi adſtringentes & refrigerantes omnis acrimoniæ expertes.*

An decoct. lign. ſancti conveniat ad ſerum malignum conſumendum? Tumor frontis ſimilis gummatibus ſeu tophis gallicis, & dolores imprimis noctu ſæviunt. *An decoct. plantag. cum ſacch.* ♄*n. ulceri in orbita imponendum? Hoc decocto ſolo* conſolidavit *D. Simon.* vulnus poſt ablatam mammam cancroſam *Neidingæ in Moniali.*

Nob. Domina Ægra d. 14. *Febr.* 1682. *feliciter Feldkirchio domum rediit, à medicamentis ibi ordinatis & hactenus continuatis* dolores ſæviores aliquantulum imminuti fuerunt; *an conſtanter, tempus docebit.* Ulcus in orbita amplius & profundius evaſit: inditur nunc *pulv. card. benedict.* Menſes hac periodo ſubſtiterunt, quamvis illa præſente *nulla medicamenta* adhibita fuerint, *an id ab itinere, an verò ab ultima V. S. largiſſima in pede evenerit?* neſcit: jam quoque ſemel emanſit & poſtea ſua ſponte rediit, *ita ſcribit D. Chirurgus.*

Reſpondi d. 21. *Febr.* 1682. Quia illa, quæ ultimum *Feldkirchii* præſcripſi, dolorem imminuerunt, illis pergere poterit: ulceri in orbita oculi *per d.* 8. inſpergat *pulv. card. ben. & per d.* 8. *pulv.* ♄*n.* ſi

ex

ex orbita caro excreſcat, ſique illa ſenſûs expers ſit, illam *ferro candente* adurat, cavendo ne oſſa attingat. Menſes nullo modo ſunt movendi, ſuâ ſponte redibunt, *menagogis* vitium ad uterum tranſportaretur. Proximè rem omnem rurſus explicent. Nos *de Cura* cogitavimus, quâ tumor conſumi poſſet, ſed oporteret, ut illa perpetuo in hypocauſto maneat, vinum penitus omittat, ac parum comederet & quidem ſolummodo aſſa & ſubindè panatellam. An talem conditionem ſubiret, moneat proximè.

Ipſa ſcribit d. 25. *Febr.* poſt reditum ſeptem noctibus benè dormivit: uſa eſt *Electuar. & decoct. per d.* 8. Menſes ſubſtiterunt: pergit *medicamentis, quid ulterius agendum?*

Reſpondi d. 28. *Febr.* Pergat his, *de menagogis* ne cogitet quidem. *D. Chirurgo* ſcripſi de alia cura: quia hæc dolorem mitigat, illâ ſtrenuè pergat, ſcribatque diligenter, ſemper ſi domi erimus, reſpondebimus.

Die 7. *Martii* 1682. *ſcribit Dn. Chirurgus:* ambo tumores manifeſtè creſcunt: caro in ulcere lardicea eſt, ſtylo undique oſſa tangi poſſunt, ſemper aliquid cum pure excidit, adeo ut caro ſuperflua nulla adſit, & timendum præſentem carnem amiſſum iri. Dolores recruduerunt, quamvis ante & præſente dolore datæ fuerint *Pilul. anodin.* Menſes emanent, ſperant ſi adeſſent, ſibi melius fore.

In Literis de d. 19. *Mart. datis addit idem:* Totum ulcus lardiceum eſt, de hac ſubſtantia lardicea ſemper fruſtula cum pure excidunt, unde ulcus amplius evadit, verſus naſum tangitur os nudum, per ſubſtantiam lardiceam quoque ſtylus adigi poteſt verſus oſſa, attamen non verſus nervum opticum, nec verſus muſculum temporalem, ubi adhuc ſenſus ſupereſt. Nuper ulcus verſus tempus poſt dolorem nocturnum vehementem ad unc. iij. vel iiij. ſanguinis profudit, hactenus non amplius. In nupera periodo menſium apparuerunt, ſed pauci, coloris ſulphurei. Dolores & tumores magis creſcunt quàm deficiunt: tumor frontis valdè incumbit oculo ſano. *D. Hegi in Operatione* deſideravit *Cauterium actuale,* nunc *illud & ſectionem* ſummopere improbat.

Die 21. *Mart. Ipſa ſcribit* ſe nullum levamen experiri, tumorem creſcere, dolorem tam atrocem eſſe, ut lapides findere poſſet. *D. Hegi Chirurgum Tigur.* deprehendiſſe os carioſum, quod *Chirurgus ordinarius* non animadverterit, laudavit *operationem,* in illa deſideravit *uſtionem,* quæ reliquias exſtirpaſſet; ſuaſit *unguent. contra oſſis cariem, & ▽ tumorem diſcutientem,* compoſitionem negavit, ▽ *& ungt.* ap-

 plicare

plicare jubet *cum ſaccul. quibus ſcrophular. add.* ait *ung.* mundare & ſub cruſta producere cutim. Meminit ulcus cancroſum *ſucc. perſicariæ cum mell. permixto* integrè curatum fuiſſe, *an conveniat?* petit *pilul. anodyn.* Nuper menſes apparuerunt dahleri amplitudine, poſteà aliquid de fluore albo. *An huic dolori commoriendum?* timet valdè alterius oculi jacturam.

Die 27. *Mart.* 1682. *reſpondi utrique: Cauterium poſt ſectionem* adhiberi non potuiſſe, quia nihil niſi oſſa ſupererant in orbita, illud quod renaſcitur, latuit in gena & fronte, ubi nihil tangebatur, nihil videbatur præter tuberculum in fronte, quod *D. D. Brunner* exciđiſſet, ſi potuiſſet. De oſſe carioſo mihi pridem ſcripſit *Chirurg. ordinar.* *Nec ſectio, nec uſtio* nunc conveniunt. Quia menſes redierunt, bonum ſignum eſt. Pergat *Electuar.* quia ſanguinem purificat & mitigat, ut & *pilul. anodyn.* Nec *aquam Heg.* accuratè agnoſco, niſi quod *ſpir. acidum* ſapore monſtret *ſimilem ſpir.* ⦶ *aut* ⊖*l.* *aut* 🜅 *dilut. nec unguent.* quod non eſt acre, ſi ſub cruſta novam cutim regenerare faceret, eſſet *mirabile medicamentum*, applicetur hoc, quia non acre deprehendi, ſi nocuerit, brevi omitti poterit: quia cutis integra, ▽ *illa* multum quoque nocere non poterit. Hæmorrhagia prænuntia eſt gravioris mali, ſi largior contigerit, faciet brevi finem laborum. *De ſucc. perſicar.* nullum habeo experimentum.

Die 25. *April.* 1682. *ſcribit Clar. D. D. N. N. Nob. Matrona* vehementi jam ab aliquot ſeptimanis excruciatur dolore malæ dextræ: nuper ad ſe vocatus petiit, dolorem *anodyno aliquo interno* ſibi ſedarem, quem in finem ipſi *Emulſion. ex ſem. fr. maj. amygd. ſyrup. papav. & laudan. opiat. aliquot gr. cochleatim* ſumendam præſcripſi, ut his ſubſtantiis ſulphureis effrœnes ſcorbuticorum ſalium particulas nonnihil irretirem, ligarem, atque inordinatum ipſorum motum aliquatenus infringerem; *aliquot de hac emulſ. cochlearia* ſumpſit, cum tumor intra os circa dentem caninum nuper cum ægrotæ non modico ſolamine, nemine laceſſente, crepuit erupitque, mox ſuperveniente & hactenus continuatâ copioſæ ex ulcere ſalivæ excretione, oſſe frontis circa naſi radicem atque oculorum canthos minores nonnihil paulatim detumeſcente. Indidit ulceri *Chirurgus perſicariam & card. ben. contuſos*, quibus effectum ut ſaliva copioſius promanarit. Cæterum graviſſimè ex ore olet, pendentibus ab ulcere membranulis ſeu filamentis coloris, qualis rubricæ eſt, vel potius qualis gingivarum à dentis evulſione. Tumor interim continuus conſcenſo naſo, ſiniſtri oculi canthum proximum

ximum ad oculi album uſque, ut jam huic à latere immineat, atque viſuræ umbram objiciat, ab aliquo tempore obſidet.

Reſpondi: Exulceratio tumoris in ore calamitatum finem faciet, quia ſerpet, *nec* ♄*n. ſpecifica* locum habebunt. *Succ. perſicar.* virtus mihi ignota eſt, ſcio illum acrem eſſe, forſan acuet ſal cancroſum, pejus ſcorbutico. *Quid Hegiana præſtiterint; hactenus non reſcivi.*

Die 8. *Maji* 1682. *ſcribit D. Chirurgus* : Tumor genæ dextræ diu ingentes dolores excitavit diu noctuque, tandem propè vulnus externè, & internè propè dentes molares ſuperiores exulceratus fuit cum ingenti fœtore & copioſo ichore, fruſtula putrida extraxit. *Externè* indidit ulceri *ſucc. naſturt. aq. c. mell. roſac. internè* ▽ *quandam.* Per ulcus interiùs & dentes conſpicere potuit os maxillæ ſuperioris, oſſa narium nuda, addit admodum ſentientia apparere & flava: gena rubeſcit. Tumor frontis ad naſum dependet, minus dolet: alius tumor pullulat ſub oculo ſiniſtro, qui videtur ſe conjuncturus cum tumore frontis, unde etiam huic oculo damnum imminere timent, minùs dolet quàm gena. Ulcus orbitæ non adeo informe eſt, illi indit *ſucc. naſturt. cum mell. roſac. addit quandoque pulv. card. ben.* Tumori imponit *ſaccul. ſicc. Ung.* & ▽ *D. Hegii* intermiſit, quia in illis acrimoniam deprehendit. Menſes ſubſtiterunt, unde crediderunt gravidam eſſe, ac propterea *mea interna* omiſerunt. Uſi ſunt quoque ℞. *D. Steinhauſeri*, item *extract. Melamped. it. cinnab. philoſoph.* quæ juvaſſe aliquomodo credebant, nunc quoque omittunt.

Reſpondi : ſeminium malignum reſtitaſſe abſconditum in gena, nimium quàm manifeſtum eſt; quia *ſua medicamenta* fœtorem tollunt, illis pergat, *externè* addi poſſet *aliquid de plumbo, neutiquam internis:* nullo modo gravida eſt, dolor & pus conſumunt materiam menſtrui. Placet *cinnab. philoſoph.* quia dulcificat ſanguinem: *ſaccul. ſicci* tumori imponi poſſunt.

Menſ. Jun. d. 8. *mortua eſt Ann.* 1682.

OBSERVATIO CLXXIV.

Oculi Procidentia.

B*Artholomæus Moſmann*, 60. annor. ſtaturæ oblongæ, gracilis, pallidus. Capillis rectis & teneris ſubnigris præditus: natus & educatus *in Sylva Hercynia* im Dänenbrunn. Ab anno ætatis 20.

 nun-

nunquam ægrotavit, nunquam capite doluit, licet ſe largius vino invitaſſet. Raro coryzam expertus, ſubindè rheuma ad pectus paſſus eſt, ut valdè tuſſire cogeretur, brevi tamen ceſſante tuſſi. Bellona *in Germania* ſæviſſimè tyrannidem ſuam exercente, à milite peculii ſui ſpoliatore immaniter in bregmate ſiniſtro ſclopeto inverſo percuſſus fuit, ut humi proſtratus omnium ignarus procubuerit: ſuâ ſponte ad mentem rediit, nec poſtmodum *Chirurgi alicujus operâ* bonis omnibus exutus, uſus eſt. Tangitur adhuc proximè ſuturam, vel in ipſa ſutura non procul à vertice oſſis inæqualitas, & aliqua ejus eminentia longitudine unciæ unius cum dimidia: verùm poſt hanc contuſionem nihil adverſi ſenſit, & laboribus ſuis ruſticis citra ullum impedimentum hactenus præfuit. *Ante octo annos* inferior palpebra dextri oculi protuberare cœpit præ ſiniſtra, ceu Emphyſemate affecta: nullus præceſſit caſus, vel ictus, vel contuſio, vel capitis dolor, vel alia occaſio ulla, quæ tumoris hujus cauſa eſſe potuiſſet: nec inde vel minimam moleſtiam cepit. *Ante ſeptem annos* adhuc ſclopeto metam præfixam petiit, inter præſtantiores ſclopetarios numeratus. Circa illud tempus obauditio ipſi in aure dextra evenit cum tinnitu, quâ aliquandiu durante ac penitus ceſſante tumor protinus creſcere cœpit, ita tamen ut illius incrementa non animadverterit, niſi monitus fuiſſet, adeò ne minimam moleſtiam in principio pepererit iſte oculi dextri tumor: ab illo tempore ſenſim tumor crevit *ſex annis* ad hanc molem, quâ nunc videtur: *à biennio* ferè in eadem magnitudine perdurat; nec ſi laboribus ruſticis vacet, metet, aliave peragat, indè amplius intumeſcit, nec quicquam damni *hac æſtate & autumno* 1670. quibus in fœniſecio & metendo occupabatur ſtrenuè, indè percepit; imò expertus eſt ſe tunc melius habere, cum inter labores oculi tumeſcentis obliviſcatur. *D.* 20. *Sept.* 1670. *me Scaphuſii convenit, cum D. D. Chr. Hardero & Joh. Thoma Forero diligenter tumorem exploravi.* Tumor magnitudine ovi gallinacei extra orbitam oculi dextri prominet, non exactè tamen ovalis: infernè amplior eſt, ſupernè verſus radicem naſi magis acuminatus: in medio hiatus eſt inter ſuperiorem & inferiorem pupillam, per quam protuberat annata rubra, tumida inſtar transverſi farciminis: eſt mollis, æqualis, niſi ſupernè ubi pomum oculi ſub palpebra latet, concolor, ſuperior palpebra lata admodum eſt ultra uncias duas ſc. adhuc ciliis ſuis prædita, mediocriter & non multum naturali craſſior, venis varicoſis prædita, quæ uſque ad tempus dextrum extenduntur: ſuperiùs concolor, infernè rubicundior, quia ipſam ſæpè deorſum trahit digitis ut oculi pomum tectum maneat, palpebram enim ſuâ ſponte deorſum movere & oculum claudere nequit, at ſurſum aliquo modo illam movet, aut preſſâ inferiore palpebrâ aut tumore

more ſua ſponte reſilit, oculusque denudatur. In illa adhuc punctum conſpicitur in angulo majore. Inferior palpebra quoque laxa eſt & ampla vaſis varicoſis prædita, cujus maxima pars à tumore & protuberante annata tegitur: ſurſum ſublata annata & pomo oculi cilia videntur, at punctum illud in majore angulo inſculptum reperire nequii: ſurſum levatâ palpebrâ pomum oculi in ſuperna parte verſus radicem naſi apparet, ultra orbitam prominens multum, nam totus tumor extra orbitam ad uncias duas exſtat. Oculus integer: nullum vitium in iride aut pupilla apparet, niſi quod hæc paulo minor videatur, exactè rotunda: albuginea ſupernè candida eſt, variegata tamen & conſperſa minutis vaſis ſanguiferis. In parte inferna ab iride rubeſcit, tumet, mollis tamen eſt, in illa hinc indè ulcuſcula apparent ceu in herpete miliari, attactum annata tumidior & rubeſcens, optimè perfert, digitis tetigi hinc inde ſine omnis doloris & moleſtiæ ſenſu: in angulo majore apparet veſtigium carunculæ lachrymalis. In parte inferiore verſus angulum minorem omnia impleta ſunt tumore, molli, fungoſo, indolente, attactui facillimè cedente, qualis quoque eſt annata tumorem hunc abſcondens, videtur totam cavernam, totum oculi antrum occupare maximè inferius, & verſus angulum minorem & extrudere pomum oculi, quo ei ceu pulvinari incumbit. Oculi globum ita extra orbitam protruſum movere poteſt ſurſum, deorſum, ad latera & in orbem. Videt quoque objecta ſimplicia non duplicia, accuratè, diſtinctè adeò, ut muſcam per feneſtram repentem conſpicere poſſit: viſio tamen aliquo modo fallax eſt, nam oſtenſo oculis ambobus apertis objecto aliquo ex. gr. nummo, dum manu illud prehendere conatur, ab objecto declinat verſus latus dextrum, neque illud, quamvis proximè ad illud accedat, tamen attingit, quamvis objectum diſtinctè & ſimplex oculis obverſetur. Neque in tumore neque in oculo dolorem patitur vel pungentem, vel pulſantem, vel tenſivum. Solum quando aeri frigido oculus exponitur, aut palpebrâ denudatus lumine illuſtratur, lachrymis ſeu tenui ſero exſtillante, pruritum & ardorem patitur: ſi fricet oculum linteo mundo & molli etiam fortiter, pruritus remittit, à ſplendore lucis illum valde percelli vidi, protinus inde lachrymis manantibus. Tumor iſte non impedit ſomnum nec in operibus ruſticis peragendis ipſum remoratur. *Ante triennium* per integrum annum pruritus & ardor oculi, ceu graviore ophthalmia affectus fuiſſet, oculus pruriebat, ardebat, multumque lachrymæ ex illo manabant, unde ſomnus impeditus fuit. *A biennio* ab his immunis eſt, modo oculum contra frigus probè muniat, nimiumque ſplendorem detractâ ſuperiore palpebrâ arceat. Oculi globum ſæpè manu non ſine vi quadam intra orbitam trudit abſque ullo dolore, imo cum quodam levamine: ita retruſo oculo tumor mollis

ſub inferiore & ſuperiore palpebra major apparet, magisque protuberat annata.

Anno 1669. Menſ. Nov. Empiricus quidam ſub palpebra inferiore applicuit *exedentia,* unde dolere cœpit oculus dexter, ſimulque obfuſcabatur ſiniſter oculus: quibus omiſſis utrumque ceſſavit. *Not.* Supercilia ad dimidium ferè hujus tumoris deorſum tracta apparent: in victu parcus eſt, nec vino deditus, & vix ſemel vomuit.

Die 27. Sept. Rurſus hanc procidentiam diligenter perluſtravi: vidi ſupercilium unciæ diſtantia à limbo orbitæ deorſum tractum, pomum ab interno tumore verſus canthum majorem & naſum oculi adactum: illud ipſum in linea parallela medii naſi verſatur, ſed ultra dorſum naſi prominet. Palpebra inferior duarum ferè unciarum lata eſt, in illa adhuc cilia apparent, protuberat admodum. Sub palpebra inferiore tumidâ & ſub ſuperiore verſus angulum minorem tumor tangitur, qui mollis & planè indolens, impreſſo digito cedit, remoto digito mox in altum tollitur. Annata per hiatum palpebrarum altè prominens craſſa eſt, rubra, attactum optimè ferens: ulcuſcula herpeti ſimilia pauciora verſus canthum minorem videntur, plura verſus canthum majorem. Multa etiam conſolidata ſunt *beneficio catapl. ex pulp. pomor. cum croco in lacte coct.* Repreſſi vi non levi oculum, qui prementi digito cedebat ſed inferius, verſus angulum minorem & ſupernè ſub palpebra ſuperiore tumor major ex antro prodiit, ac utramque palpebram & annatam attollebat in majorem tumorem; derepente oculo denudato lachrymæ protinus emanabant cum pruritu aliquo, quin etiam tenue ſerum ex nare dextra ſtillabat, utcunque fortiter preſſi digito oculum, quin etiam annatam hinc inde attigeram, nec lachrymæ profluebant, nec dolorem, imò indè levamen aliquod percipiebat.

Reſolutio.

Affectus eſt Procidentia vera ſeu πρόπτωσις ſeu ἐκπιεσμὸς oculi: quia non protuberat tumor in cornea ut in σαφυλώματε, quam meritò impropriè procidentiam dici rectè monet *Tulp. Obſ. Med. L. I. C.* 28. nec eſt pomum oculi fungoſum & cancroſum, quam oculi afflictionem. *Tulp. l. c. & Fabr. Hild. C.* 1. *Obſ.* 1. *& Cent.* 6. *Obſ.* 1. procidentiam appellant, fortè minùs rectè, licet extra orbitam oculi excedat, cum non ſolùm oculi ſitus, ſed tota conformatio in his fungis pervertatur: ſed oculus totus & integer extra antrum protruſus videtur, non ſecus ac integrum à cauſa violenta totumque pomum extru-

extruditur : *Sic novit Henr. ab Heer Obſ.* 4. *pag.* 69. *Cuidam digitis oculum expreſſum fuiſſe, ut ad naſi extremitatem penderet : & alium cui ictu tegulæ oculus excuſſus, qui ad dimidium naſi pendebat cognovit. Ambobusque oculos depoſitos fuiſſe, citra viſus læſionem meminit.* Sic *Aldrigetto à Turca ictu oculus excuſſus extra orbitam fuit, teſte Joh. Rhod. C.* 1. *obſ.* 84. *Huic medebantur Turcæ cucurbita magna ſine ſcarificatione nuchæ affixa. p.* 54.

Cauſa autem proxima, quæ oculum ita ex ſua ſede pulſit non eſt ictus aliquis, aut vehemens aliquis nixus, qualis in difficulter parientibus, aut vomitu nimio, aut in teneſmo diuturno obſervatur, aut caſus aliquis; nam nihil horum præceſſit: & licet ante hos triginta annos in bregmate dextro cranio introrſum cedente ſclopeto percuſſus fuerit, hæc procidentia tamen illi vix adſcribi poterit, cum 22. annorum intervallo nihil adverſi perſenſerit nec in capite neque circa oculum. Vomitui aut alii nixui quoque id tribui nequit, præterquam enim quod nullius horum diligenter examinatus meminit, etiam *Hild. in annotat. ad Obſ. I. Cent. I.* dubitat de nixu parturientium & tubicinum, cum ille ſæpè adſtiterit difficulter parturientibus, nihil tamen horum, obſervavit, neque ego, quamvis ſæpè adfuerim illis, quæ manum enixæ erant partûs genere omnium difficillimo : protuberatiores quidem vidi oculos ſed non ex orbita planè excedentes. *A vomitorio* quidem factum meminit ibidem ſed in peſte affecto & mediante affluxu. *Platerus T. III. L.* 2. *C.* 2. *p.* 592. Cauſam violentam ſed ſummè impellentem admittit, nam ait adeo firmiter cum membranis ſuis & muſculis orbitæ connexi ſunt oculi, ut etiam vix & non niſi magno labore in menſa appoſiti cocti erui, ſectioneque connexus ille diſſolvi queat. A capitis contuſione, caſu, ictu oculi aliquantiſper procidere & à conatu aliquo magno ex. gr. partûs difficili excretione, & oculos nonnihil extrorſum vergere atque ob id majores apparere, non tamen perſeverantem prolapſum ſed ſaltem prominentiam exiſtere.

Paralyſis muſculi ſeptimi quoque creditur prolapſûs cauſa : verum, *ut Plempius rectè monet*, hæc in mulis aliisque beſtiis quam in homine locum potiùs haberet, quæ ſeptimo muſculo præditæ ſunt: paralyſin tamen admittere cæterorum muſculorum videtur hujus prolapſûs cauſam : quam tamen falſam apoplectici & paralytici, etiam oculis ſimili labe affectis, convincunt, quis enim in his unquam prolapſum oculi verum vidit ? licet enim muſculi reſolvantur, niſi cauſa extrudens valida accedat, licet oculi reſoluti ſint, firmiter tamen membranarum beneficio detinentur. Apud noſtrum paralyſis planè locum non habet, quia oculum quaquaverſum movet : utcunque autem oculus non doleat, ſenſûs tamen expertem nullo modo eſſe, docent pruritus & læſio à lucis ſplendore.

Humo-

Humores intra oculorum orbitam largiùs effuſos quidam cauſantur : at *Plater. l. c. in Praxi id fieri poſſe negat, quia nulla cavitas vacua in oculo inveniatur, nec via detur, qua in oculos congeri aut aliunde eò corrivari poſſint*: nam non neceſſe, ut humores in prolapſu ſe oculi pomo ingerant : ſufficit ad extruſionem, ſi in orbita colligantur, nec viæ deſunt. *Et ipſe hujus exemplum habet L. 3. Obſ. p. 766. De infante cui oculus ex ſede ſua ovi gallinacei magnitudine prominebat, quem prolapſum ab humore eſſe curatio docet, nam curabatur Catapl.*

℞. *Farin. fabar. ſcut. j.*
Pulv. ſ. fœnic. ℥ß.
Chamom. p. j.

Coq. in lact. add. paux. mell. & butyr. rec. per menſem continuato citra viſûs læſionem.

Ab humorum in orbitam oculi decubitu oculum prolapſum alii quoque memorant. *Guil. Fabr. Hild. in Annotat. ad Obſ. I. Cent. I. Poſt Variolas, item poſt furunculos immaturè curatos, ut & poſt ineptam Catarrhactæ depoſitionem humores hæc loca petiiſſe ac oculos protruſiſſe ſcribit. Ballon. Epid. & Ephemerid. L. 2. p. 267. Fratri D. de la Barre Medici febris tertiana quarto paroxyſmo adeo fuit vehemens, ut ſurſum translatus humor fuerit : hinc* ἐκπιεσμὸς *ſeu expreſſio & exitus foras unius oculi factus eſt, oculusque deperditus tabuit. Id confirmat quoque Salmuth C. 3. Obſ. 15.* Nobilis *catarrho laborabat admodum gravi ferinaque tuſſi accedente. Procidentia ſequitur oculi dextri : licet verò bulbus oculi remediis reſtitueretur, ſi quando tamen cerebrum humectaretur, vel catarrhus recrudeſceret, procidentia quoque revertebatur, ſed per intervalla ſeni Mechanico ſæpè eveniens procidentia utriusque oculi ferè ad genas uſque, quæ fomento ex roſis curabatur, ut per ſemeſtre intra orbitam maneret, & quia cum inſigni capitis debilitate juncta fuerat, procul dubio ab humoris influxu dependebat apud Schenk. ex Kneulin. l. 1. p. 160. ut & Juvenis, qui ex alto delapſus eſt, cui oculi extra palpebras exilierunt, à Chriſt. à Vega curabatur fomento ex roſ. & balauſt. &c.*

Verum huic Ægro nec à ſubito humoris decubitu prolapſus videtur oculus, quia lentè & per incrementa tarda oculus prominere cœpit, nec ulla hujus humoris irruentis indicia adfuerunt, nec ſenſim congeſtus intra orbitam humor videtur intra muſculorum & pinguedinis ſpatiola, quia humor extravaſatus qualiscunque fuiſſet, ſive ſanguis, ſive ſerum, tanto temporis ſc. 8. annorum ſpatio impune & citra graviſſimam corruptelam ſtagnare nequiviſſet, quia muſculos, membranas, oſſa arroſiſſet : deinde humor in his locis ſtagnans tam diuturno alluvio muſculos eorumque nervos emolliviſſet ac ipſis paralyſin induxiſſet. Inſuper toties & tam valido conatu truſus oculus humorem per foramen nervi optici, quod laxè & ruptibilibus fibris medi-

antibus

antibus nervum circumdat, intra cranium cum graviſſimis ſymptomatibus adegiſſet. Præterea, ſi humor extra vaſa nullibique coërcitus intra orbitam fluctuaret, oculus non verſus naſi elatiorem partem potiùs pulſus conſpiceretur, ſed in medio manſiſſet humor æque in dextra quam in ſiniſtra parte oculum circumfluxurus: denique ipſo attactu ſub palpebris ambabus utcunque tenſis, attamen à protuberante oculo detractis adhuc rugoſis, ut & ſub ipſa annata licet tumida tangitur ſubſtantia quædam alia magis pulpoſa & firmior, quam quæ nudus humor dici poſſit. Itaque à tumore quodam intra orbitam ſenſim enato oculum ita protruſum exiſtimo. Tumor iſte non eſt, nec fuit unquam inflammatio, quia nunquam doluit, nec tamdiu duraſſet: nec eſt ſcirrhus, quia eſt mollis; nec cancer, quia indolens, & à duobus annis creſcere deſiit, quia utcunque à lachrymarum acrimonia annata eroſa fuerit, nunquam tamen in conditionem deteriorem degeneravit, nec à frictione exaſperatus fuit, quod cancroſo omnino accidiſſet, potiùs videtur tumoribus anomalis accenſendus, ſive jam ſit tumor cum folliculo, ſive ganglion quoddam mollius & fungoſius ex parte membranoſa aut nervoſa enatum, ſive ſarcoma: qualiſcunque demum tumor ſit, benignus eſt, cum expers omnium pravorum ſymptomatum exiſtat. An oculorum variculæ, *quarum mentionem Marc. Aurel. Severin. de recond. Abſceſſ. Nat. L. 4. §. 7. p. 189. fecit*, principium hujus tumoris fuerint, certò ſtatuere nequeo, cum virum iſtum prius nunquam viderim, nec ille harum indicia unquam animadverterit, nec illarum veſtigia ſuperſint: niſi quod in albuginea ſuperne venæ turgidiores, & in palpebris & tempore nunc vaſa varicoſa appareant, quod tamen tumoris moli potius tribuo, quæ ſanguinis motum remoratur. Certè ſi varicoſæ diſpoſitioni vaſorum intra oculi orbitam reconditorum tribuendus eſſet prolapſus, vix abeſſet dolor. Varices enim plerumque dolent, ob continuum ſanguinis adpulſum, maxime circa partes membranoſas & nervoſas: & licet κυρσοκήλη nonnunquam doloris expers ſit, ibi tamen varicoſa illa conſtitutio non ita intra tales anguſtias coercetur, ut liberè diſtendi non poſſit: quamvis neque illa quoque ſemper dolore careat. Adeſſent quoque veſtigia varicularum in ſano oculo, *nam Severin. in l. c. ait*, procreatas & ſibi viſas perpetuò in hominibus craſſiore ſanguine redundantibus, citraque inflammationem annatæ à terminis iridis variculas iſtas, ſeu venas extumeſcentes diſtenſione, non vividi & rubelli ſed atri ſanguinis ſe conſpexiſſe. Craſſo quidem & melancholico ſanguine abundare videtur pallidus, crine ſubnigro præditus & victûs ratione craſſa pro more incolarum *Sylvæ Hercyniæ* utens, ubi veſcuntur carne ſuilla, pane avenaceo, ponderoſo, gravi, non bene fermentato, polenta, piſis, caſeo aliisque hujus ſortis. At nullæ tales in oculo conſpiciuntur, cum tamen

ſecundum circulationem ſanguinis æquè ad ſanum oculum craſſus ſanguis ac ad ægrum perpetuò deferatur. Verum licet de variculis nihil certi conſtet, nihilominùs tumor anomalus quidam intra oculos generari potuit, cum intra orbitam, glandulæ, arteriarum capillamenta, nervorum expanſiones & membranæ exiſtant, ac humor nutritius ſuperfluus & pravus tumorum materia adferri, & ſedes, in qua materia recipi & imbibi poſſit, adſint, non ſecus ac ſub cute, in meſenterio & alibi, ubi non rarò tumores anomali luxuriant, ſæpe etiam tumores iſti ſui exordium in parte aliqua nanciſcuntur, cujus nulla cauſa explicari poteſt, nec effari licet, non ſolum, quare hunc afficiat, in hoc vel illo loco ſtabuletur; quamvis alii qui his deſtituuntur, æque pravis ſuccis nutritiis ſcateant, aut pars aliqua fortè proclivior foret, ad tales humores recipiendos, quam oculus in iſto fuit, ſcilicet latet nos exacta humorum conſtitutio & partium imbecille robur in individuis vel maximè.

Poſtquam tumorum iſtorum ſtamina parata ſunt, videmus naturam in his conſervandis, nutriendis & augendis æquè ingenioſam & ſolicitam eſſe, quam in nutricatu & augmento partium naturalium alias mirè occupata eſt: undè vix tumor anomalus erit, quem non arteriæ & venæ adeant, addo quoque nervi, undè, niſi dum hi tumores auferuntur, Folliculus cum vaſis nutrimentum adferentibus radicitus exſtirpetur, recreſcunt brevi ſæpe majores.

Pari procul dubio ratione apud ægrum noſtrum tumor anomalus non procul ab externo angulo minore intra orbitam enaſci in glandula aliqua intra oculum recondita, aut ex fibrilla aliqua membranæ laceræ & à ſucco nutritio vel copioſo & luxuriante vel viſcidiore nutriri & augeri, nemine advertente aut anſam explicare ſciente, cœpit: qui indies quotidie accedente alimento ſufficiente auctus fuit, donec ad molem acceſſit palpabilem. Quia ſenſim crevit tumor, lento gradu quoque nervum opticum & muſculos pomumque oculi extendit ceu corpora ſequacia, laxavit annatam, oculum intra orbitam detinentem, unde non unico impetu oculus prolapſus eſt, ipſeque in hanc uſque horam viſum integrum retinuit, niſi quod oculo nimis verſus naſum truſo parum fallat. Eſt quoque tumor iſte pro more anomalorum indolens & non niſi mole gravis; quamdiu enim iſti folliculo tecti ſunt, & exulcerationis aut inflammationis expertes, nullam moleſtiam pariunt, niſi ferè ſua magnitudine, quandoque pondere, aut ſi qua vias comprimant vitæ aliiſque actionibus neceſſarias. Et licet ardorem & pruritum pridem graviorem ſenſerit, nunc non ſine irritatione utrumque experiatur, tamen illi non propriè ad tumorem ſpectant, ſed ad annatam, quam lachrymæ ſalſuginoſæ longiores arrodunt, aut ex ulcuſculis herpeti miliari ſimilibus in ejus ſuperficie conſpicuis facilè colligi poteſt, non ultra ſuperficiem tendentibus.

Talem

Tumorem talem oculi prolapſi cauſam aliquo modo extitiſſe, unicum, quod equidem ſciam in Obſervationibus exemplum occurrit apud Vict. Trincavell. Aff. Partic. L. V. C. VI. p. 62. De Juvene Veneto, cui dexter oculus adeo prominebat, ut univerſam ferè faciem deformaret, quod contigerat à tumore ſcirrhoſo, qui erat in parte interna, qua membrana annata oculum oſſibus annectit, quique ætate & medicamentis curabatur. Nollem ficus *Hild. & Tulp.* his accenſere, niſi fortè primordia fungorum illorum cancroſorum his tumoribus ſimilia putentur, quæ irritata ab acrioribus in cancros degenerarint. Quid apud noſtrum ſperandum & agendum ſit? ſupereſt dicendum: quia protuberantia iſta ultra octo annos durat, & tumores iſti *medicamentis* abſumi, maximè adultiores, nequeunt, & *Chirurgia* per ſe periculoſa ob vaſa procul dubio tumorem nutrientia inſignia & magna, & ob viſum adhuc integrum, damnoſa, imò incurabilis erit. Quia tamen ſine magna moleſtia procidentiam ſuſtinet, vitæ illam inſidiari nondum eſt credendum. Interea opera danda ne incrementa ſumat aut irritetur, & malignitatem aliquam acquirat, ſi exulceretur forte: itaque ante omnia in cibo vitet acria, valde ſalita, ſuccum craſſum præbentia. Vinum generoſum ſulphuratum nocentiſſimum erit. Radii ſolares, ignis, fumus, venti aquilonares aliique validiores. Labores ruſticos ſubeat tales, qui minùs violenti ſunt, ne laborioſa conando ſanguinem fortius ad oculum adigat. Vitanda quoque ſunt *omnia medicamenta acrimoniâ prædita, maximè verè exedentia,* quia non ſolum pomum oculi attingere poſſent, ſed etiam tumorem mali cauſam proximam exaſperare, & malignum & cancroſum reddere facilè poſſent. Tutiora erunt illa, quæ citra incraſſandi vim humorum affluxum reprimunt, ideo *ſacculi* parari poſſunt *ex muſc. prunor. ſylv. roſ. r. equiſet. fol. quern. &c.* cooperiatur oculus *capſulâ plumbeâ*, quæ premit & refrigerat, ac incrementum prohibet. Si dolor adveniat, parari poſſet *Catapl. ex pomis in lact. coct. cum croco. Cataplaſmata* minùs commoda forent viro laboribus dedito & nunquam quieto. Si forſan affluxus fieret ad oculos, *Veſicatoria & Hydragoga* neceſſaria forent. *Scarificationes triduo ante novilunium alternis menſibus* conducerent.

Scripſi d. 23. Sept. 1670.

Bartholom. Moſman me Schrambergæ rurſus convenit d. 10. April. 1680. Ei oculus dexter admodum protuberat: longitudo ejus eſt unc. v. latitudo ab uno ad alterum angulum plus quam unc. iiij. altitudo extra orbitam unc. iij. Protuberantiæ hujus pars tegitur palpebrâ ſuperiore valdè diſtentà, quæ facilè manu removeri poteſt, ſub illa recondi-

conditur oculi pomi pars, albugineum colorem retinens, per quam inſignis magnitudinis vaſa ſanguinea conſpiciuntur. Pomum oculi non amplius pulvinari carneo medio incumbit, ut primùm fiebat, cum hanc protuberantiam vidi, ajebant ſenſim oculum ſurſum truſum fuiſſe ab excreſcentia illa carnea, ipſumque pomum multo majus eſt quam cum prima vice me convenerat. Inferior palpebra plurimùm a pomo receſſit, ut ejus inferior pars nuda promineat, in ejus medio conſpicitur macula livida tranſparens, duriuſcula, attactum perferens, amplitudine unguis parvi digiti, non rotunda ſed inæqualiter angulo-ſa: videtur portio corneæ aliquomodo pellucidæ; reliqua portio ſimilis panno ſericeo rubro, quæ perfricta ſanguinem tenuem facilè ſtillat; convexa eſt & dura. Sub palpebra inferiore continetur tumor mollis, qui ad mediam ferè genam deſcendit, quem pulvinar vocavi. Inferior palpebra à protuberantia non poteſt removeri, tumorem tamen mollem ſine dolore attollere & ſub illo limbum orbitæ inferiorem attingere valui, & manifeſtè comperi tumorem mollem radicem ſuam intra orbitam habere. Glandulam lachrymalem invenire nequii, licet oculum ad latus truſerim. Nullum dolorem neque in oculo neque in capite patitur: quando oculum frigido aeri exponit, facilè veluti lachrymas fundit cum pruritu quodam. A duobus annis demum viſum in hoc oculo amiſit, in altero optimè videt. Protuberantiam hanc tegit *fol. lapathi acuti,* quod calorem extrahere dicit, illamque faſciâ dextrè coercet, ne amplius protrudatur, quod fore credit, niſi hac ratione impediretur.. Nunc eſt *Senex 76. annor.* robuſtus, qui ſine difficultate aut dyſpnœa quadam altos montes conſcendit, arat, fodit aliasque operas ruſticas perficit, duriter victitat, noctu ſolum tribus horis dormit, non ob dolorem quendam ab oculo excitatum, ſed ob curas domeſticas, quas imprimis attulerunt milites ab aliquot annis hic quoque hybernantes. Protuberantia hæc jam à 16. annis incrementa ſumpſit, originem adſcribit militum crudelitati, qui miſerè pridem ipſius caput contuderunt.

Die 25. April. 1682. ipſum iterum vidi Schrambergæ: Tumor oculi propendet, ut vix unc. j. diſtet à labio ſuperiori: à ſupercilio, quod prominet ad labium, longum deprehendi unc. viij. latum unc. vij. ab uno angulo ad alterum, altum unc. v. Iris non amplius videtur nec pupilla, ibi cornea protuberat. Palpebra ſuperior detegi poteſt, inferior non: pomum oculi excoriatum eſt: palpebræ habent vaſa varicoſa; hæc primum in ſuperiore, poſtea in inferiore aperta fuerunt, & hactenus aliquoties vas ſanguineum reſeratum in oculo profudit cum impetu ſanguinem, ut mortem timuerint, octies id fiebat *Menſ. Febr. & Mart.* aliquando ad ℔iiij. inde incidit in leipothymiam, alias ad unc. viij. ſanguinis profundebat cum levamine. Ante eruptionem

nem caput tumuit, poſtea detumuit. Cæterum tumor eſt indolens & mollis. Obambulat, operas quaſdam peragit: à carne ſuilla & lacte tumor incaleſcit & dolet: placentæ non nocent: ſæpe per dies 2. vel 3. parum comedit: vinum pauca quantitate non nocet, at ſi 3. cyathos ebibat, dolet.

Menſ. Auguſt. 1684. viribus ſenſim deficientibus mortuus eſt, cujus tumor oculi eam tandem excrevit in molem, ut caput exæquarit, incubuerit humero & magnam oris partem tegerit, hanc ob cauſam dum extrema inunctio dabatur, ab ore removendus erat: utcunque varii generis ichores continuè exſtillarint, non tamen fœtuit: ſæpe arteriola rumpebatur, unde dolor remiſit aliquandiu; ſanguine ſtagnante diutius dolor rediit: qualibet vice autem multum ſanguinis profudit: ob tot hæmorrhagias hydropicus tandem factus, obiit placidè mente ad ultimum halitum integra.

OBSERVATIO CLXXV.

Viſum conſervandi modi apud Literatos.

Nobilis, Clariſſime, Excellentiſſime, Experientiſſimeque Domine Doctor, Domine longè Colendiſſime!

N*Nobiliſſima, Celebrataque Fama*, qua *Exc. Veſtra* paſſim omnium ore circumfertur & ſimul ſuavis amicitia, quâ pluſculis abhinc annis partim tempore *Rev. D. Cognati mei, Abbatis Georgii piæ memoriæ*, partim etiam *moderni D. Abbatis*, cui *Exc. Veſtra fonticulos* aperuit ad educendas noxias defluxiones, facit, ut ejuſdem benevolentiſſimas juxta ac doctiſſimas fores mihi pulſandas ducam, in negotio quopiam, quod & in ſingularem *Exc. Veſtræ* honorem, & in multorum utilitatem ceſſurum ſpero. Eſt autem res ejusmodi.

Habeo ſub manu lucubrationem, in qua cum de pluribus aliis rebus, tum etiam de ratione ac methodo ſtudendi nonnulla pertractare animus eſt. Quia verò *multi Viri, qua Religioſi, qua Seculares*, qui literarum ſtudiis addicti ſunt, conqueruntur de Caligine Oculorum ſenſim ac furtivè ſubrepente, ita ut hoc uno ex capite nobiliſſimos ſæpe labores literarios interrumpere vel omittere cogantur; operæ pretium omninò eſſet, ſi perceptiones quædam, ſive etiam antidota, doctioribus muſarum alumnis proponerentur, quibus adjuti faciliùs feliciùsque decurrerent hunc ſtudiorum campum, curſumque ſemel cœptum in longam ætatem continuarent. Hinc eſt, ut *Exc. Veſtram* enixè rogem, dignetur, ſubceſivis horulis aliquid hanc in rem ſubnotare, ac præci-

puè illa, quæ oculos magis debilitant & caligine obruunt, itemque illa, quæ vegetam eorundem aciem fovent & conſervant, in chartam conſignata mihi transmittere. Nec dubito, quin facilem ac pronam *Exc. Veſtræ* humanitatem ſim experturus. Si enim longiſſimos pariter & longè eruditiſſimos de re medica diſcurſus transmiſit *Uratislaviam, Sileſiæ Metropolim,* quos *in Collegio Curioſorum Naturæ, ſive in Ephemeridibus Medicis* non ſine ſingulari delectatione perlegi, ſpem, fiduciamque facilem concipio, fore, ut *Exc. Veſtra* tantillam mihi operam non deneget. Ego ſanè, quod decet hominem Religioſum, gratiſſimo animo agnoſcam beneficium & orbi literato palàm teſtabor, me *à Famoſiſſimo Experientiſſimoque D. D. Wepfero* has *pro Libro meo* ſymbolas exoraſſe & impetraſſe: ac præterea ero &c.

Villingæ in Monaſterio S. Georgii d. 26. Maj. 1679.

Nob. Clar. Excell. & Experientiſſ. Dominationis Veſtræ

Servus ad nutum paratiſſimus
P. Georgius Seiſter, Prior Monaſt.

Reſponſum.

OMnia neceſſaria ad viſus conſervationem & præſervationem ſcribere ſi vellem, volumen condere cogerer. Sufficiet tres præcipuos affectus *Literatis* familiares nominaſſe ac præſervandi rationem tradidiſſe.

1. Luſcoſitas, quæ ſtatim in principio & dum aliquis animum ad literas applicat, cavenda eſt: nam poſtea eſt irremiabilis affectus, quamvis non ſit peſſimæ notæ, cum plerumque viſum in decrepitam ætatem conſervet. Multis tamen modis incommoda eſt, cum nonniſi oculis propius admota videant, & ſi ad diſſita videre velint, oculos munire coguntur perſpicillis. Evitatur ſi adſuefiant *Studioſi* erecto capite legere & ſcribere, ſtatim in principio.

2. Ophthalmia ſeu oculorum inflammatio: quæ diu durans aut crebrò repetens viſum mirè obfuſcat, imò ſubindè excitatis puſtulis & ruptis cicatrices poſt ſe relinquit in cornea, quæ ſi pupillam operiunt, viſum ſummopere impedit, imo craſſior & amplior abolet.

Evitatur Diætâ, fugâ acrium ſalit. aromat. conditor. vini generoſioris potu. Declinatione aeris impenſè frigidi aut fervidi. Fumo &c.

Curatur *purgantib. pil. cephalic. El. lenit. ſyr. roſ. ſ. ſ. V. S. Vere & Autumno. Fonticulis. Veſicatoriis poſt aures. Linimento ophthalm. Crat. aq. ophthalm.* ℞. *Aq.*

℞. *Aq. roſ. alb. euphraſ.* ãã. ℥iß.
Sief. alb. Rh. ſ. o. ℈ß. *Mſc. aut add.*
Ol. alb. gr. j. vel ij.

Foris malv. equiſ. ſem. fœnugr. in aq. & lacte coct. pom. putrid. in lacte cocta.

3. Caligo ſeu obtenebratio vel obſtructio nervi optici, gutta ſerena, vel impleta pupilla ſeu obſtructa, ſuffuſio, cataracta.

Evitatur *Purgatione, V. S. Fonticul. Setaceis.* Lucubrationum & ſtudiorum intermiſſione. Præſens curatur *frequenti purgatione, V. S. parcâ : Trag. cephalic.*

Plura vid. in Vop. Fortunat. Plemp. Ophthalmograph. Lovan. 1659. *Edit.* 3.

OBSERVATIO CLXXVI.

Oculos Remedium clarificans.

Nobilis, Clariſſime, Experientiſſime Domine, Amice Colendiſſime!

TAmetſi, *poſt obitum mei Reverendiſſimi D. Anteceſſoris*, Viri ſanè pietate & eruditione eximii, in ejus locum gradumque indignus ego ſuffectus ſum, nihilominùs à me tantum abeſt, ut veteri neceſſitudini meorum Amicorum renuntiem, ut potius in eo ſim totus, ut & veteres amicitias ſervem illæſas, & mihi conciliem novas, præſertim, ubi me ad id ſpectata virtus, & doctrina invitat. Cum igitur jam antehac in *Clariſſimæ Dominationis Veſtræ* notitiam, alloquium & commercium quoddam epiſtolare pervenerim, viſum eſt mihi hac occaſione meum affectum, conſtantem certè & nunquam intermoriturum teſtari, ſimulque bonum omne, qua animæ qua corporis, qua temporaneum, qua æternum, ex intimo animi ſenſu comprecari. Atque ut *Nob. Dominationi Veſtræ*, *velut oraculo Medicorum* dem occaſionem reſcribendi, *propono quæſtionem Phyſico-Medico-Theologicam. Quidam Exc. Doctor Medicinæ*, ut me legiſſe vivaciſſimè recordor, pro comparanda ſingulari claritate oculorum *ſequens remedium* præſcripſit. *Sub initium Julii, ante ſolis ortum, fac per innoxiam puellam ſtrophio colligi rorem deciduum, potiſſimum ex tritico ; ros ille exprimatur in lagenam, lagena reponatur in cellarium clauſa, ex qua deinde rorem purificandis oculis*

culis, continuis aliquot diebus, adhibe, & miram oculorum ſerenitatem experieris.

Hic tria occurrunt quæſitu digna. *Primum eſt Phyſico-Medicum: an ſc. revera vis purificandi oculos inſit rori matutino? ſecundum & tertium eſt Theologicum: an nulla ſit ſuperſtitio, quod ros debeat colligi per puellam? item, quod debeat fieri per puellam innoxiam, hoc eſt, ut ego interpretor, nullis adhuc luxuriæ fœcibus inquinatam? cur non idem perinde præſtet homo quilibet, aut certè puer itidem innoxius?* Si *Clariſſima Dominatio Veſtra* poterit hic mihi cauſam, ſi non certam, ſaltem veroſimilem aſſignare, credam ego, rem carere ſuperſtitione, ſecus minimè. Quanquam fortè *Auctor, in quo myſterium hoc legi*, requirit puellam innoxiam non velut conditionem neceſſariam, ſed tantum exempli loco, ſi ſic, res ſalva eſſet. Et dum hæc depropero, confirmor in hac opinione, quod communiter ſoleat ejusmodi negotium roris colligendi committi puellis & ancillis. Sed & è diverſo rurſus creſcit dubium, quod *Author* tam ſignatè nominet puellâm innoxiam, ut videatur perſonas alterius conditionis ſatis clarè excludere. Sed *Nob. Dominatio Veſtra velut præſtans Oedipus* hanc ſphingem ſolvat. *Interim &c.*

Villingæ, d. 24. *Jan.* 1686.

Nob. & Clar. Dominationis Veſtræ
Amicus addictiſſimus
Georgius Abbas

Reſponſum d. 2. *Febr.* 1686.

ROs *Majalis* præditus eſt ſale vol. & fixo, partium tenuium, ſubtilis, diſcutiens & mundans: unde corneæ pelluciditatem conſervat, non autem ad interiora oculorum ſc. ad humores tres pertingit, aut coagulatum diſſolvit, quia obſtat denſitas corneæ & craſſities. *Chymici* mirè ejus vires deprædicant, conficiunt enim inde *ſpiritus pro auro potabili & Tinctura Corallorum.* Colligitur *Menſe Majo* & in veſtris regionibus *Circa principium Junii ante ſolis ortum*, quia poſt exortum ſolis volatile auffugit & radiis ſolaribus ſubtilior portio abripitur: craſſior remanet, quæ quandoque acerrima fit, melque roſcidum producitur jumentis & pecudibus ſæpe lethiferum. Colligitur non ſolum de tritico, ſed etiam de zea, ſecali: optimè à plantis ophthalmicis ſcilicet *Fœniculo, Euphraſia.* Puella intemerata non ſine conſilio ad collectionem ſeligitur: præſupponuntur tales nec menſtruatæ nec lue aliqua infectæ, quod utrinque penes adultiores & malorum morum timendum

mendum eſt. Aliàs *apud Chymicos*, qui *rorem Majalem* magnifaciunt, non attendi obſervarim, Puer ne an puella ad hujus collectionem ſeligatur, ſi modo ſtato tempore *verus & purus Ros* colligatur.

OBSERVATIO CLXXVII.

Ulcera tunicæ corneæ cum Ophthalmia & Hemicrania.

DOm. *Henricus H.* 42. annor. ſtaturæ juſtæ: pallidus, ſubflavus, morbis calidis obnoxius, inordinatè vivens, quandoque poculis indulgens: *Vere* 1673. doluit ſubinde caput in fronte & occipite dextro. *Die* 21. *April.* 1673. Fori judiciarii Aſſeſſor creatus largiùs bibit; dies noctesque potando tranſegit. *Tabaci pulv. & fumum* hauſit, unde dexter oculus inflammatus fuit. Ante hanc inflammationem ſubindè oculorum amborum ἐπιφορὰν paſſus eſt: hujus cauſâ Cilia evellere permiſit, ac ſi radices illorum p. n. cutim perforantes dolorem & inflammationem quandam accerſiſſent. Poſt electionem hanc evulſionem iterandam curavit, unde inflammatio in dextro oculo incrementa ſumſit. Hinc uſus eſt *variis ophthalmicis ung. Collyriis &c. hinc inde conquiſitis.* Poſt plures ſeptimanas demum methodicè tractari cœpit: ſcil. uſus eſt *Pil. purg. vin. medic. veſicatoriis, topicis variis ad inflammationem & ulcera oculi mitiganda præſcriptis.* Factum eſt, ut poſtea ophthalmiæ ulcera accederent.

Die 7. *Jul. h. a.* Ipſum oculum dextrum contemplatus ſum: annata purpurâ rubicundior: iris cum pupilla turbida, ſordida, obtecta muco albo craſſo, turbido. Lachrymæ largiter manabant, cum muco quodam pellucido. *Poſt uſum aq.*

℞. *Aq. Euphraſ.*
Roſ. alb.
Solan. āā. ℥ij.
Ol. Rom. gr. j. Infuſ. hor. 12. *Col. per chart.*

Hujus ℞. ℥j.
Sief. alb. Rh. gr. vj. Mſc.

Ab hac ulcus deterſum fuit ſed non perfectè. Plenius poſteà detergebatur *Aq. dictis inf.* ♀ *gr. j. Ol. Rom. gr. ij.*

Oculo impoſuimus *mucilag. cort. til. it. liniment. ex butyr. aq. roſ. lot. add. mucilag. ſ. cydon. cort. til. lap. calam.* ♃*n. uſt. min. &c.* Non

Qqqqq neglecta

neglecta *veſicator. purg. it. pulv. præcipit. cum aq. & ſyr. refrig.* Vini quoque uſum interdiximus.

Totò tempore ophthalmiæ & ulcerum in corneâ moleſtiſſima hemicrania aderat in dextro latere, quæ plerumque veſperi exacerbatur, adeo ut ſæpe inſomnes noctes duceret. Dolor ſæviit in occipite, circa ſupercilium, in tempore & maxilla ſuperiore: quandoque ad dentes pertingebat. In ſupercilio & maxilla ſæpe ab attactu dolor augebatur, quin etiam hæc loca à ſero tumebant, imo fere totum latus. Hemicrania hæc quandoque mitior, quandoque citra cauſam externam ſubitò iterum ſævior evadit, quod quamprimum evenit, oculus inflammatior videtur.

Die 11. *Auguſt. h. a. cum Clar. D. D. Hardero & D. D. Screta* oculum denuò inſpexi: vidimus in parte inferiore iridis verſus angulum minorem ulcus lentis capax, & aliud ſupernè in iride verſus angulum majorem, quæ ambo junguntur per ulcus incurvum anguſtum & tortuoſum. In ulceris inferioris cavitate conſpeximus venulas capillares, ſimileſque in iride integra. Tota cornea, etiam ubi pupilla, eſt craſſior, opaca, turbida, glauca. Annata eſt inflammata, vaſis ſanguiferis plenis turgidiſſima; minus tamen, quàm nuper, cum album emicet hinc inde ex rubro. Palpebræ ambæ tument à ſero. Si oculum aperiat aut diducat, lachrymæ largiter emanant. Hodie nullæ ſordes detracto *linimento* vel in angulis vel ciliis viſæ, quæ aliàs copioſæ manè reperiebantur. Hac nocte quoque Hemicrania mitior fuerat.

Ex his colligimus, Illum I. abundare ſero, quod in ſe contineat ſal ſalſuginoſum & acidum ſimile ſpir. nitr. vel ſal. quod confirmant temperamentum cal. & ſiccum, cholericum, & compotationes ſæpe in multam noctem protractæ. Acceſſit ei lentor quidam ob concoctiones interturbatas. II. Ob abundantiam hujus ſeri, portionem ejus effuſam fuiſſe ad oculum dextrum, & fortè etiam ad portiones duræ matris ſeu in occipite ſive circa radicem pomi. III. Hanc effuſionem hujus ſeri in dura matre effeciſſe dolorem ſeu hemicraniam, in oculi pomo inflammationem, in cornea puſtulas & poſt illas ruptas ulcera: ſive effuſio hæc facta ſit ob ſanguinis motum impeditum ab obſtructione aut à compreſſione, ſive ob lymphæ motum retardatum aut impeditum in vaſis excretoriis vicinis: nam hoc ſuadere videntur craſſities corneæ, puſtulæ, glaucoma, pupillæ & iridis &c. IV. In præſenti ægri ſtatu adhuc eſſe hemicraniam, ophthalmiam & ulcera in cornea. Conſequenter oculum adhuc pati à ſero acri tum in vaſis ſanguiferis quam lymphaticis ſtagnante & extravaſato. An verò dura mater immediatè aliquid patiatur ab hoc ſero in occipite, an per conſenſum ejus portione circa radicem oculi læſa? quamvis dubium ſit, tamen non curandi metho-

methodum intervertere, cum una eademque opera ſerum non ſolum in toto mitigandum, ſed etiam ab oculo & dura matre avellendum ſit. V. Indicationes igitur eſſe, inflammationem ſopiendam: ulcus ulteriùs detergendum, ſimulque ejus ſarcoſin juvandam. Interea ſerum ſemper mitigandum & ab oculo & dura matre avellendum eſſe.

Suaſimus itaque 1. *Fungum ſambucin. aq. roſ. croc. tinct. madid.* 2. *Aq. ophthalm. ex infuſ. croc. metall.* 3. Sumat *doſin ex ♃ diaph. cinnab. nativ. & opio noctu.* 4. *M. & V. pergat pulv. præcipitante.* 5. *Subinde purgetur.* 6. *Veſicatoria* non negligat. 7. A vino abſtineat.

Ab aq. cui ☿-permixtus ulcus planè mundatum fuit: *aq. croc. metall.* conſolidatum: rubedo pulſa imprimis *linim. ex butyr. lot. cum lap. calam. tut. ſacch. ♄n. camphor. Veſicatoria* interea ſæpius repetita fuerunt, *It. pulv. int. præcipit.*

D. 25. *Sept.* 1673. Ne veſtigium quidem ulcerum apparuit: at cornea anteriùs magis elata & quaſi faſtigiata erat: in iride ſtriæ nigerrimæ verſus angulum internum viſæ, ac ſi uvea inverſa transluceret. Bibit jam ab aliquot diebus vinum. Partes circa oculum ſc. in ſupercilio ac maxilla ſuperiore parum adhuc dolent. Oculum liberiùs aperire & claudere valet.

OBSERVATIO CLXXVIII.

Viſûs imminutio cum Hydropis principio.

G*Eneroſa Domina Suſanna de H. ex Familia de R.* Vidua 58. annor. Obœſiſſima, benè colorata: imminentes leipothymias & anxietates pridem perpeſſas, ſubinde adhuc experitur, ſed non amplius tam vehementes, ut pridem, & non niſi comeſtis cibis coctu difficilibus & crudis, ſcil. carne ovilla, fructibus crudis & acetariis, item à mœrore, terrore, ira; nec illarum cauſâ decumbere cogitur. Appetit in prandio bene, in cœna minus, nec ſi appeteret, auderet multùm comedere propter anguſtiam & metum anxietatis. Si multùm in prandio & cruda comedat, inflatur cum anguſtia, aggravatione & reſpirationis impedimento: non multùm eructat, nec multos flatus emittit, alvus aperta eſt, quandoque fœces indurantur, ut cum moleſtia excernendæ ſint. In acclivium aſcenſu reſpiratio valde difficilis eſt, ut vix tres vel quatuor gradus ſcalæ aſcendere ſine mora poſſit. Pulſus eſt æqualis, immerſus, paulò frequentior: collum habet breve: dolet ſæpe in occipite atque aures tinniunt cum tenſione temporum, imprimis ſi comederit cibos crudos & coctu difficiles: ſi horâ 10. noct. lectum

lectum petit, circa 12. evigilat, poſtea non amplius rectè indormiſcere valet. Nullum mucum è naribus emittit. Viſum imminui, imprimis in oculo ſiniſtro percipit, nihilominus legere poteſt in libro majoribus literis expreſſo, etiam ad diſtans agnoſcit objecta: inſpectis oculis pupilla ſiniſtra glauca & turbida magis apparet, quàm dextra: ambæ anguſtæ ſunt & poſt perfrictionem ſtatim rurſus contrahuntur: dolet circa radices oculorum in fronte. Siniſter pes valdè tumet, non tamen digitorum veſtigia manent in tibia: à zona ad imos pedes ſæpe calorem p. n. percipit, ut diu ſedere nequeat. Subindè tibiæ valde fervent, ut illas extra lectum exſerere cogatur. Ophthalmiam diu non paſſa eſt, unde *adhibitum liniment. contra ophthalmiam* tolerare nequit. Viſum ab ophthalmia imminutum credit, ut & à multis lachrymis. Omphalocele nunc pugno virili major eſt. Quandoque per aliquot dies mingit parum, unde magis angitur, poſtea largiſſime, ut plures matulas impleat. *Not.* Videt uno die melius, quàm altero, præcipue ob cauſas externas ſcil. cibum aut aërem frigidum &c.

Die 9. *Auguſt.* Urina craſſa glauca erat à cibis eſurialibus, dicebat ſe minùs benè hodie habere, anguſtias ſe pati & obſcurius ſe videre; viſûs iſta debilitas incepit *Anno* 1689. *circa Feſtum Pentecoſtes* ob incendium in ædibus ortum, unde valde terrebatur, multasque lachrymas fudit, ſiniſter quidem jam ab aliquot annis debilior erat; verùm ab illo tempore viſus lædi cœpit quoque in oculo dextro. Objecta quidem videt & lineamenta diſcernit cum coloribus, ſed velut per nebulam aut linteum rarum: ſentit quoque oculorum pomum & palpebras gravari, unde illas & frontem perfricat. *Not.* Sibi in victu temperare nequit: indulget frigidis aliisque ſibi ſapidis, ſc. lardo &c.

D. 10. *Aug. Setaceum* paravimus manu ſuperne & inferne cutim à muſculis avellendo & per illam primùm adigendo *lancettam*, hinc *ſtylum*, cui *funiculus ſericeus* annexus erat, trajiciendo: parum cruoris effundebatur. In utroque brachio habet *Fonticulos.*

Suaſi 1. *Pulv. cephalic.*

℞. *C. C. ph. ppr.* ʒiß. *Ung. alc.* ʒß.
Oc. cancr. ʒij. *Diaph.* ♃. ʒj.
Cinnab. Ung. ʒß. *lign. al.* ℈j.
Rad. Valer. ſylv. ʒij. *Sem. fœnic.* ʒj.
Ol. d. fœnic. ſuccin. āā. *gt. ij. ſacch.* ℥ij. *Mſc. F. P.*
Doſ. mane ʒß. *in lecto cum aq. ex fœnic. rec. deſt.*

2. *Trageam.*

℞. *Cinam.*

℞. *Cinam. ac.* ℨiß. *Rad. galang. ari pp. bacc. laur.* āā. ℨß.
Ocul. ♋. *ppr.* ℨij. *Cort. ſicc. cond. aur.* ℨj. *Citr.* ℨij.
Limat. ſaſſafr. ℨß. *Sem. fœnic.* ℨiß. *Sant. r.* ℨj.
Sacch. ℔ß. *ol. N. M. expr.* ℈j. *Mſc. F. Ps.*
Doſ. ℨj. *poſt prandium & cœnam.*

3. *Pil. cephal. ante Novilun. No. ix. vel x. Mane & Veſperi.*

4. *Vin. medicat.*

℞. *Rad. Helen. Valer. ſylv.* āā. ℥ß.
Herb. hyſſop. betonic. pimpin.
card. ben. chamædr. Meliſſ. āā. *P. j.*
Summit. euphrag. Mj. Sem. fœnic. ℨiij.
Bacc. Laur. ℥j. *Caryoph. Mac.* ana. ℨß. ⊖ *Euphrag.* ℨij.
Inc. & cont. lig. in nod. affund. aq. fervid. Menſ. ß. *add. vin. alb. Menſ. ij.*

5. Commendavi accuratam diætam: vitet coctu difficilia, ſuccum crudum & viſcidum præbentia, flatulenta & caput replentia.

Generoſa Domina abundat multis crudis humoribus in ventriculo, inteſtinis, totâque maſſâ ſanguineâ propter obœſitatem nimiam, exercitiorum intermiſſionem, vel abuſum nimium & frequentem ciborum crudorum & ſuccum crudum præbentium, unde inflatio, diſtenſio, dyſpnœa, pedis ſin. tumor. Omphalocele nunc pugno major quoque ſuum ſymbolum confert. Ad oculos portio devoluta ob lachrymationes crebras &c.

D. J. Ludovic. Wagenman d. 26. Aug. ſcribit: Pil. cephal. ante novilunium ter alvum moverunt: *ſetaceum* plurimum ichoris trahit, unde cephalalgia, anxietas & præcordiorum oppreſſio ferè ceſſarunt. Viſus tamen magis magisque hebeſcit, nec legere poteſt majore caractere expreſſa: timet cœcitatem. *Collyrium* ophthalmiam peperit, per 4. dies omiſit. *Add. aq. roſ. cum ſacch.* ♄*ni.*

Die 22. Aug. Magna defluxio ad oculum ſiniſtrum facta, ut hunc aliàs debiliorem aperire nequierit ob palpebram prætumidam. Oculus valde rubebat cum dolore. Evanuerunt rurſus. Viſus hebetior manſit. *Vinum medicat.* averſatur.

Vir Ampliſſime, Domine Patrone ac Collega venerande!

Literas, in quibus *ſub finem Aprilis* de oculorum defectu *Illuſtriſſ. D. Baroniſſæ de H. ad Tuam Excell.* ſcripſeram, perditas eſſe dicunt, hinc ut alias exararem petierunt. *Laudata Dna Baroniſſa optimè Tibi*

nota ab aſthmate, ab ophthalmia modo ſicca, modo humida, à viſus debilitate abſque cauſa manifeſta *per medicamenta à me præſcripta* juvante Deo aliquoties hactenus liberata fuit. Nunc oculorum defectus maximè Ipſam angit : non unguis, non ſuffuſio, non catarrhacta deprehenditur, ſed cum viſu valde debili obſcuriores juſto, non ſereni ut naturaliter apparent, dantur tamen induciæ per 1. 2. 3. dies, quo tempore ipſa probè videt, oculis aparentibus ſerenis : aliquando accedit dolor, rubor & illachrymatio, quæ *Veſicatoriis applicitis* ceſſant, ſubinde tamen redeunt. Præternaturalia quæ junguntur, ſunt pedum tumor & inflatio abdominis cum præcordiorum compreſſione. *Deſiderat Tuæ Exc. Conſilium. Vale Patrone certe & fave*

Tuæ Excellentiæ

Tübingæ, d. 16. Junii 1690.

Addictiſſimo
Camerario, D.

Reſpondi d. 28. Junii 1690.

Genoroſæ Dnæ de H. Hydrops imminere videtur vel certè minantur pedum œdema, abdominis inflatio & aſthma : ſtagnationem lymphæ vereor, obœſa enim eſt & à longo tempore corporis exercitia intermiſit, interea lautè vixit. Huic ante omnia occurrendum erit ; minus reſpectu illius viſûs imbecillitas facienda, non tamen negligenda eſt, quia per intervalla probè videt per dies tres & plures, oculique ſereni apparent, hanc ob cauſam nec ſuffuſio nec catarrhacta adeſt, nec gutta ſerena, quod pridem vel maximè timui. Eſt difficillima *ad medicamenta* ſumenda, nihilominùs utrique malo *internis* ſuccurrendum eſt, non ſufficient *Topica,* Stagnationi lymphæ convenient *aperitiva ſeu diaphoretica & diuretica interpolatis laxantibus, ophthalmicis* ſeu oculorum morbis aliàs quoque utilibus, *interpoſitis.* Suaſi *Pilul.*

℞. *Therebinth. chiæ* ʒij.
Gumm. ammoniac. ʒj.
Oc. ♋. *pp.*
Diaphor. ♂*tial.* ana. ℥ij.
C. C. ph. pp. ʒiß.
⊖ *volat. lumbric. vel C. C.* ʒß.
Extract. trifol. fibr. ʒiß.
Cum pulv. glycyrrh. q. ſ. Mſc. F. pil. ex ʒj. *No.* 40.
Doſ. M. & V. No. vj. ad x.

Superbibat juſcul. alterat. rad petroſel. naſturt. hort. chærefol. Purgetur

infuſ.

infuſ. ſenn. ℨiij. *Rhabarb. agaric ana.* ℨiß. ⊖ ☿ ℈j. *Fl. borrag. bugloſſ. ſem. fœnicul. ſol. in colat.* ℥iij. *vel* iiii. *Mann. el.* ℥iß. *Mſc. Topica* porrò ſint *veſicatoria; liniment. ophthalm. ex lap. calam. tut. ſacch.* ♄*n. camphor.* &c. oculis *noctu* inungendum : *mane* abluat oculos ▽ *fœnicul. roſar. alb. calide.* Victûs ratio his ſcopis congrua præſcribatur: motus corporis imperandus erit. Poſt paſtum ſumere poſſet *de pulv. carminat. ex limat. ſaſſafr. cort.* ⊙*ant.* &c,

Die 2. *Jun.* 1691. Vere correptam febri continua fuiſſe ſcripſit *D. D. Camerarius*, unde oculorum defectus ceſſavit.

OBSERVATIO CLXXIX.

Viſus impeditus.

D*ilecta mea Uxor Anno* 1672. poſt partum felicem, ætatis ſuæ 20. annor. *Menſ. Septembr.* invadebatur conſtipatione alvi ad quintum diem, quæ ab obſtetrice ut leve puerperis accidens habita, ingraveſcente ſub mediam noctem conſtipatione, Colica oriebatur cum dolore magno: *Die 6. Clyſter à D. D. N. N. Phyſico loci* ordinatus dolores quidem mitigavit: ſed *die* 7. Materia peccans per totum corpus diffuſa pareſin produxit in omnibus membris, ut pedibus ſtare & obambulare non valuerit. Inflammatio palpebræ primò ſiniſtræ, poſtea dextræ hanc ſubſequebatur, ut oculos per 3. ſeptimanas nec claudere, nec dormire poſſet. Interea oriebantur furunculi in metapedio ſiniſtro, in axilla dextra, ſupra oculum ſiniſtrum profundè hærentes, citò maturantes, & pus album craſſiuſculum fundentes. *Supra laudatus D. D. ſpe* reconvaleſcentiæ ductus ad removendam oculorum inflammationem æque ac palpebratum inverſarum exulcerationem, *Mixturam neſcio qualem petiis infuſam* adplicuit ſæpius in die, cum ſolamine hoc, ut oculos reſtitueret, & intra ſex ſeptimanas iterum claudere & dormire valeret. Verùm ſequebatur viſus amiſſio. Spe ſuâ antea tam ſubitò factâ deceptus *Medicus* ægram deſeruit, quo *excepto collyrio ex margar. pp.* Deo & Naturæ omnia commiſimus *uſque ad annum* 1673. *tempore Paſchali, ubi Oculiſta quidam vocatus de operatione inſtrumentorum externa* penitùs dubitabat, & *conferente unâ. D.D. Camerario M. D. Tubing. præmiſſis univerſalibus ſetaceum* ducebat, ſed cum pauco fructu. Sepoſitis his *cum ſupra nominato collyrio* uſa fuit *pilulis arabicis per trimeſtre* cum capitis levamine.

Iterum gravidæ, & ab omnibus viſum recuperari creditæ ægræ, *nulla*

nulla medicamenta interna dabantur. Peperit *ſub finem Febr.* 1674. feliciter, at in oculis nulla mutatio conſpiciebatur, ſed priſtina eorum facies. Lactat infantem: menſes ritè fluunt. Caput dolet poſt paſtum, imprimis poſt prandium.

Nunc de præſenti & inveterato oculorum morbo loquendum. In utriusque oculi uvea maculæ, imprimis in pupillis rubræ, in iride aliquantum imminutæ; in pupillis verò in punctula pallida, alba mutatæ, profundè in oculis conſiſtere putantur. Uno die plus lucis habet, quàm altero, & obliquè magis, quàm directè. In brachio ſiniſtro, ſi illum ſubitò moveat, ſentit ardorem ceu prunæ ardentis. Oculos quaquaverſum movet pro lubitu, ut nemo, niſi accuratiſſimè illos inſpiciens, crederet illam non videre. Maculas uveæ ſeu iridis parum nocere, certitudinem habemus ab exemplis in urbe noſtra perceptis. Macula verò in pupilla noluit cedere *internis*: *externa* ſunt fruſtranea, quia putat illam intus eſſe.

Interea, cum *Nob. Exc. Veſtræ Fama* etiam ad nos pervenit & deſiderium viſum recuperandi *Uxori* ſpem produxit, ſummopere *auxilium Exc. Veſtræ* imploramus, ut *huic Nuntio honoratiſſimo meo Socero Conſilium aliquod* impertiri, nosque omnes dignari velles, cœlitus *pro Exc. Veſtra* fauſta quæque adprecaturi &c.

Nobil. Excell. Veſtræ

Reutling. d. 20. Aug. 1674.

Addictiſſimus Servus
M. Joh. Schorr, Schol. Patr. Præcept.

Reſolutio.

Viſus impeditus *apud iſtam Matronam* potius eſt, quam abolitus, quia non directè quidem videt, at oblique & ad latera, uno quidem die plus lucis quàm altero percipit, attamen non omnis viſus extinctus videtur, quia ad latera videt. Quodnam verò obſtaculum ſit, divinari difficulter poteſt, quod fortè unico intuitu certius videtur. In vitreo & cryſtallino vitium non eſſe videtur, quamvis præceſſerit inflammatio inſignis non ſolum palpebrarum, ſed etiam ipſius pomi oculorum, ob quam ambo humores pelluciditatem ſuam amittunt: ut videre eſt in elixis oculis piſcium: imo ſimile comperi in oculis humanis & vitulinis coctis: ſed tunc non punctulum adeſſet, ſed tota pupilla glauca, unde vocatur hoc vitium etiam Glaucoma: trans & cis pupillam ſitus eſt humor aqueus, in quo quandoque coagulatur humor quidam craſſus, opacus, nunc albus, nunc ſubflavus, nunc cineritius, qui ſi totam pupillam obturet, viſum abolet, ac affectus Suf-

fuſio ſeu Catarrhacta vocatur, German. der graue Staaren, quandoque in aqueo hoc humore etiam fluctuat pus, tunc ὑπόπυον dicitur: verum vitium eſt continuum non in maculas diremptum. Etſi verò appareat inſtar maculæ, ab hac tamen non eſt, nec fixa manet, ſed frixis oculis manifeſtè videtur moveri, & certò pupilla à frictione dilatata amplior evadit: nec portio ejus in pupilla & iride apparet, ſed omnis totam pupillam occupat, nec prius rubeſcit, poſtea albeſcit, ſed in principio ſtatim eſt turbida, inæqualis, donec conſiſtentia magis firmata albeſcat. Igitur vitium erit in membranis: non eſt in pupilla, quæ non eſt membrana, nec ſubſtantia quædam, ſed foramen rotundum per quod ſpecies viſibiles ad cryſtallinum ac vitreum & nervi optici expanſionem tranſeunt: ſi omninò in uvea, ubi iridem conſtituit, macula eſſet, nullum adeſſet viſus vitium, quia ſpecies non impediret. Obſtaculum igitur erit in Cornea, quæ pellucida neceſſariò eſt anterius ab extremo iridis ad centrum uſque pupillæ, ceu tota illa peripheria per quam iris & pupilla transparet. Et omnino credibile eſt vitium in cornea eſſe, nam non ſolum palpebræ, ſed etiam pomum oculi inflammata erant, & quidem per dies plures, idque fiebat ab humore acerrimo, quo abundare illam probat colica bilioſa, ſubſequens pareſis, furunculi, capitis dolor & ardor, ceu à pruna ardente, qui brachium infeſtat, quando celeriter movetur. Unde fieri nequit, quin ſubſequerentur phlyctenæ ſeu puſtulæ ſero acerrimo turgidæ, quod corneæ inflammationi diuturnæ ſolemne eſt: quibus ruptis ulcuſcula relinquuntur, quæ conſolidata cicatricem nanciſcuntur albam prorſus, quandoque vaſis ſanguiferis capillaribus præditam: quæ quoniam opaca eſt, & corneam ſuâ pelluciditate privat, viſum quoque intercipit: adeo ut credam, viſus impedimentum nihil aliud eſſe, quàm cicatricem, quàm nubeculam, Albuginem aut Maculam vocant.

Gutta ſerena ſeu obſtructio nervi optici non adeſt, quia in illa oculus ſerenus & ab omni labe immunis videtur, niſi quod pupilla debito amplior ſit: interea prorſus viſu orbati immedicabili damno plerumque manent, nec vel obliquè vel directè quicquam vident, ſed in perpetuis tenebris verſantur.

Ad Nubeculam aufferendam & Corneæ pelluciditatem reparandam *varia* laudantur *medicamenta*. In pueris aliisque minus adultis ſæpe brevi recuperatur: at in adultis aut ſi craſſa admodum ſit, id vel nunquam vel certè lentiſſimè præſtatur. Laudatur *pinguedo piſcium. It. bilis, ſacch. cand.* Ego commodè uſus ſum ☿♎ *gr. j. in aq. euphrag. roſ. alb.* ℥*iij. vel iiij. coct. & per chart. filtr. noctu inſtillat. ad gt. x.*

Die 10. *Octobr.* 1674. *Matrona hæc Reutlingâ huc venit*, In ſiniſtro

ſtro oculo vidi pupillam, ſi non prorſus abolitam certè anguſtiſſimam, atque in loco, ubi pupilla eſſe deberet, punctulum albicans non exactè rotundum, ſed inæquale, anguloſum, non majus globulo acûs. Iris ſplendida: Cornea ante iridem depreſſior, cultelli dorſi diſtantia ab albuginea, extremum iridis limbum circulus rubicundus totum ambit. Eadem ferè facies oculi dextri, niſi quod pupilla pauxillo amplior ſit, non tamen tam magna eſt, ac ſemen lithoſpermi, etiam albicans, cui aliquid nigri permixtum eſt. Idem circulus propè extremum limbum iridis videtur itidem rubicundus: Cornea quoque anterius depreſſior eſt. Iris quoque ſplendida eſt, ac ſi non omnis humor aqueus exhauſtus ac cornea anterius pellucida eſſet.

In hoc miſerando oculorum affectu. 1. Cornea pellucida omninò eſt, nam iris ſplendidiſſima per corneam relucet. 2. Humor aqueus conſumptus aliquâ ex parte videtur, quia ambo oculi minores debitò amboque anterius depreſſiores. 3. Pupillæ ambæ prorſus coarctatæ ſunt, an id propter humorem cryſtallinum & vitreum aſſatum quaſi factum fuerit? nam oculi minores debito: in punctulo pupillæ, quod ſupereſt, videtur albugo quædam, quam acquirunt ambo iſti humores, ſi elixentur, maximè cryſtallinus: circulus rubens circa limbum iridis eſt ibi, ubi extremitas conſpicitur, ſeu principium fibrarum ligamenti ciliaris. Uno verbo, ab æſtu ſive interno ſive externo *à medicamentis* illato humores imminuti, unde foramen uveæ ſeu pupilla coarctata, & cryſtallinus ambuſtus fuit, ac pelluciditatem ſuam amiſit, ſiniſter magis, quàm dexter.

Suaſi ipſi *d.* 10. *Octobr.* 1674. *Inſtillationem aq. ſolan. cum pauxillo ſacch. ♄ni crebrò in mortario ♄n. cum piſtill. ♄n. agitato. It. ſucc. Ulmar. Vere ſæpius diu noctuque factum.* Item diætam accuratam: qua imprimis *valde calefacientia* vitet: veſcatur cibis boni ſucci, refrigerantibus, conceſſi vinum aqua dilutum, in quo *cocta euphrag. ſem. fœnic. paſſul.*

Die 20. *Maji* 1675. *ſcribitur: aq. ſolan. cum ſacch. ♄ni* profuiſſet, niſi oculos propter obitum filii unici hecticâ defuncti lachrymis nimium læſiſſet, & niſi *aqua* defeciſſet. Iterum 5. menſe gravida eſt: patitur ſymptomata, quæ ante triennium, ſc. quotidiè ſubitas mutationes luminis & viſûs, continuos & vehementes capitis dolores, tremulum ſubtilem motum in medio oculi ſeu in humore cryſtallino, ceu titillationem, ut veſperi propter oculorum laſſitudinem poſt cœnam ſtatim ſomnolenta lectum petere cogatur, unde oculi reficiuntur. *Ulmus an ſit Populus? an Liber?*

Reſpondi d. 4. *Junii* 1675. Vehementes capitis dolores malum

fovere

fovere atque ob titillationem acres humores, quibus ſcatet, & qui intra cranium detinentur, ad oculum rapi, atque primo malo hac ratione acceſſum factum iri guttæ ſerenæ.

Suaſi ut uteretur *pulvere quodam acrem humorem mitigante.*
Ex antim. diaph ʒij. *Cinnab. nativ.* ʒß.
Pulv. Marchion. ʒij. *Mſc. cui adde domi*
C. C. ph. pp. ℥ß. *Sacch. perlat.* ℥ij. *Mſc.*
Ubique reperiet *ſacch.* ♄*ni*, quod *aq. ſolan.* admiſceat.

Arbor Ulmus procera eſt, quam miror non reperiri apud illos. Provenit *in Italia & Gallia,* cui vites alligant.

Pergat *aq. ſolan.* & *ſacch.* ♄*ni.* Fortè non inutile fuiſſet, ſi *Venæſectionem in manu dextra* inſtituiſſet: vitet *purgantia.*

OBSERVATIO CLXXX.

Gutta ſerena.

D. *Joh. Conradi N. N.* Uxor 31. annor. ſtaturæ paulò brevioris, albicans: poculis valdè dedita, adeo ut quotidie ferè poſt meridiem ebria ſit: venerea, iracunda. *Die 23. Febr.* 1678. dum nebat, nebula oculo dextro obverſabatur, illam abſtergere conabatur, & oculum perfricabat, mox magis magisque obtenebratus fuit oculus dexter. *Die 26. Febr.* jam viſus in hoc oculo propè periit. *Die* 1. *Martii* nihil amplius vidit. *Vena ſecabatur in brachio dextro. Die* 2. *Mart. Salvatella manus ſiniſtr.* Tum quoque ſiniſter obtenebrari cœpit. *Veſicatoria* poſt aures applicita. *Die* 3. *Mart.* magis magisque obſcurabatur. *Die* 5. *Mart.* viſus in utroque oculo periit. *D. 6. Mart. illam conveni* ſcil. 11. die ab incipiente cœcitate: ambo oculi clariſſimi, pupilla nigra ampliſſima, iridis verò peripheria anguſtiſſima. Caput non valde doluit à principio hucuſque. Primùm tamen tenſionem à media fronte ad tempus & ad aurem dextram & ſuturam coronariam cum lancinatione quadam brevis durationis, poſtea incipiente cœcitate ſiniſtri quoque oculi ſimilem tenſionem his terminis circumſcriptam percepit cum brevi quadam lancinatione, nec tam vehementi, ut quandoque in hemicrania evenire ſolet. Reliquis ſenſibus valet. Geſtat *Amuletum contra viſus vitia:* bibit vinum, cui infuſæ ſunt *Rad. Valer. ſylv. cichor.* *Die 6. Mart. pilul. cephalic. gr. xxij.* ſumſit, *purgarunt duodecies.*

Die 7. *Mart. Setaceum* per cervicis cutim traduxi. Hodie ſubinde ceu fulgur oculis obverſabatur: aliquando putat vannum prunis ardentibus plenum ſuccuti & ventilari quaſi aut volabro projici. *Die* 8. *Mart.* conquerebatur de dolore circa radicem pomi oculi, & dentium ex dextra in ſiniſtram genam translato. Uti cœpit *Trag. ex rad. Valerian. ſem. fœnic. antim. diaph. &c. ordinata.* Bibit *decoct. ſaſſafr. paſſul. Corinth.* Tempora illinit *ung. alabaſtr. acuato Ol. N. M. expreſſ. Die* 18. *Mart. Utrique carpo veſicatoria* applicui & noctu dedi *pilul. cephal. Veſicatoria* aliquoties reiterata etiam poſt olecrana, & ſub tendine deltoidis applicita fuerunt. *Die* 23. *Mart.* applicitus fuit *pulv. ovillus* ſine juvamine. *Die* 25. *Mart. inuſta fuit moxa* ſincipiti ſiniſtro. Poſtea porrectum *veſicatorium. Die* 27. *Mart.* circa medium noctis vidit lucem per rimam. *Die* 30. *Mart.* diſtinctius averſa luce vidit ſtaturas ſtantium & ambulantium: neminem tamen agnovit.

Die 11. *April.* 1678. Diſtinctius vidit: me per aliquot dies abſentem & nunc demum reducem agnovit: colores diſtinguere & figuras agnoſcere ac etiam per plateam ambulantes videre potuit: pupilla anguſta rurſus & prope figurâ & amplitudine naturali prædita. In dorſo nuper *veſicatoria* applicita fuerunt. Doluit admodum *Setaceum*, itaque *funiculum* extraxit, foramen dextrum forfice dilatavi, *Piſum* indidi, juſſi ut *ceu fonticulum* aliquandiu apertum ſervaret. Hactenus *iterato purgabatur.* Perrexit *Trageâ.* Jam à diebus ſex omiſit *decoct. Saſſafr. Die* 13. *April.* legere potuit vocabulum, Brod *germanicè*, in tabula nigra exaratum. Prætereuntes ædes ipſius vidit. Subinde caput dolet: *utrique foramini ſetacei* indidit *piſum.* Pupilla anguſta manet, irisque amplior evadit. *Die* 22. *April.* Ipſamet literas pinxit optimè, ac combinavit, ut legi potuerit ſcriptum, idque lineâ rectâ, non incurvè, aut deflectens à linea. Menſtruata erat. Caput doluit. *Die* 23. *Fonticulum* inuſſi brachio ſiniſtro.

Die 4. *Jun.* 1678. Diſtinctè vidit, in publicum prodiit: pupillæ anguſtæ. Ob iracundiam nuper facies obtenebrabatur, ſuâ ſponte tamen rurſus clarior fiebat.

Die 12. *Aug.* Diſtinctè vidit, pupillæ anguſtæ, ait ſubinde ſe circa radices oculorum aut intra cranium quandam quaſi contorſionem dolorificam percipere, ſubſequente cephalalgia & aliqua viſus hebetudine, quæ tamen non diu durabat.

Die 26. *Sept.* Benè vidit in oculo ſiniſtro, minus in dextro.

conque-

conqueritur adhuc de conſtrictione quadam & pulſatione intra frontem. Sibi non temperat à vino. Pergit *purg. pil. ceph. & V. S. Alter fonticulus* excitandus erit.

Die 11. *Nov.* 1678. Oculus dexter minus validus ſiniſtro: ſubinde caput ibi dolet: pupilla amplior, verum ſi lucida intueatur, ſtatim rurſus anguſtatur: aliquando tumultus miros in capite verſus frontem experitur, ac ſi aliquid intus exploderetur cum dolore nunc tenſivo, nunc gravativo, nunc pungitivo, nunc momentaneo, nunc pertinaciore: ſentit ſubinde frigus quoddam; A potu ſibi non temperat.

Menſ. Febr. 1679. adhuc vidit. Interea rurſus poculis indulſit.

Die 20. *Febr.* tuſſire cœpit & purulenta ejecit. Phthiſis imminet, qua *prior Maritus* obiit. Non deſinit errores in potu committere. Suaſi *antiphthiſica diaph. ♃. cum conſ. decoct. pect. diacod.*

Ad d. 29. *April.* bibendo perrexit: veſperi ebria erat, tumultuoſa & rixoſa, ut ſolet aliàs benè pota. Sputum verè purulentum: non valdè emaciatur. Videt benè, ſcribit, legit, mirum à tuſſi vehementi viſum non obtenebrari.

Viſum Phthiſica retinuit: nuper ſævam hemicraniam in ſiniſtro latere paſſa eſt, unde *Not.* in dextro oculo minus vidit. Non tamen ita viſus periit, ut non objecta colorata ſed minus diſtinctè videret: in ſiniſtro viſus perſtitit: ambæ palpebræ æqualis magnitudinis ſeu amplitudinis manſerunt.

Die 14. *Jul.* Phthiſica poſt diuturnam diarrhœam, *faſtidium omnium medicamentorum,* errores in victu, lites continuas, mortua eſt.

OBSERVATIO CLXXXI.

Gutta ſerena.

Maria Magdalena Voglerin, Engenſis, Dom. Gottlieb Vogels/ *Ebingenſis Secretarii Stülingenſis Uxor.* 28. annorum, ſtaturæ longæ, gracilis, benè colorata. *Anno* 1684. *Menſ. Mart.* ab equo calcitrone & ſternace iteratis vicibus vehementer ſuccutiebatur, ut vix excuſſionem ex ephippio evitare potuerit. Inde caput partim à motu, partim ex timore caſûs valde turbatum fuit. Viſus obſcurabatur, vertiginem quandam patiebatur: non raró, ubi locorum eſſet, ignorabat, quando rem planam ex. gr. menſam intuebatur, putavit unum extremum altum, alterum humile eſſe, in ſomno terrebatur ſæpius; doluit

luit vehementer ſub mamma ſiniſtra. Poſtea caput dolere cœpit in vertice & nucha, hæ partes ceu ab aſſere premi videbantur, ac in vertice ſimul ſenſus magni frigoris aderat. Cum cephalalgia ſomnolentia quædam jungebatur. Dolor per ſemeſtre nunc magis nunc minus ſæviit. *Circa principium Maji* 1684. paſſa eſt diarrhœam cum torminibus. Propter cephalalgiam uſa eſt *pil. purg. pulv. ceph. veſicatoriis*, æſtate *Acidulis*, nunquam tamen penitus remiſit. *Menſ. Febr.* 1685, concepit: ſtatim à conceptione cephalalgia evanuit. Primis tribus graviditatis menſibus manè malè in ventriculo ſe habuit, & aquoſa evomuit. In oculis tamen & capite nihil adverſi ſenſit. *Die* 1. *Dec.* 1685. peperit puellam. Fœtu & ſecundinis excluſis ſupervenit uteri hæmorrhagia larga, unde in leipothymiam 4. horis durantem incidit, poſtea lochia tribus ſeptimanis benè nihilominus & ritè manarunt, ac illis ceſſantibus fluor albus ad ſeptem ſeptimanas, tunc redierunt lochia larga. In puerperio paſſa quoque eſt Eſſere, Diarrhœam, ſitim, mammæ dextræ ſuppurationem. Hinc *ad Menſ. Febr.* nono quoque die menſes ſed parcè animadvertit, licet lactaret infantem.

Die 10. *Febr.* 1686. Doluit in fronte ſupra ſupercilium dextrum manè uſque ad meridiem, dolor erat punctorius maximè mane, quando ſurgebat, aut ſi oculos movit: exacerbatur à ſternutatione. *Die* 11. *Febr.* Dolor manè mitior, poſtea veſperi ſævior, hinc *ad* 15. *Febr.* diu noctuque afflixit. *Die* 16. *Febr.* dolor penitus remiſit. *Circa* 14. *&* 15. *Febr.* viſus planè in oculo dextro periit. *Cataplaſma* oculo *impoſit.* ex *album. ov. cum aq. roſ. conquaſſat. & croc.* Nuchæ applicita fuit *caro vitulina.* Dolore in fronte ſublato ſenſit tamen punctionem in tempore dextro. *Die* 19. *Febr.* 1686. *Scaphuſium venit:* oculo ſiniſtro clauſo nihil penitus vidit, nec veſtigium lucis in oculo dextro: pupilla valde dilatabatur, nigerrima erat. *Veſperi* applicui *empl. veſicat. poſt olecrana*: veſicas magnas utrinque excitavit. *Die* 20. *Febr.* Veſperi vidit rurſus manum, poſtea digitos, caput &c. *Die* 21. adhuc melius vidit objecta in umbroſo loco ſita, non autem nimium à ſole illuſtrata. *Die* 22. *Febr.* ſumſit *mane pil. Hydrot. D. D. Scretæ cum ☿ dulc.* purgavit bis, viſus in eodem ſtatu manet; ſub utroque deltoide impoſui *emplaſtr. veſicat.*

Antequam hinc diſceſſit *Matrona hæc*, vidit ſatis diſtinctè: *die* 22. *Mart.* manſit affectus in eodem ſtatu: impoſuit *empl. veſicat. poſt olecrana:* nihil effecit. *à pil. purgant.* die 1. purgabatur 15. vicibus, ſeq. die adhuc 5. ſine majori levamine. Videt omnia, ſed ceu per nebulam

bulam nigram : jam à die *6.* oculo ſiniſtro obverſatur quoque nebula, quæ ſi manu oculum breviter demulcet, ſecedit : id evenit ſæpius per diem. Pergit *Trag.* quam ſuaſi *ex rad. valerian. ſem. fœnic. &c.* petiit *empl. veſicat.*

Die 2. Apr. ſcribit : hactenus viſus manet in eodem : *veſicatoria & pulv. ſem. fœnic.* nihil ulterius præſtant : ſubinde nebula bono oculo obverſatur : veretur deteriora. *An fortiora remedia adhibenda ſint? Die* 10. *April.* omiſit *pilulas,* quia gravidam ſe putavit, adhibuit *veſicat.* uſa *pulv. aniſ. Die* 8. *&* 9. *Apr.* menſes largiter redierunt. Ambo oculi à biduo manant & rubent. Nunc oculus affectus ſimilis ſano eſt, quoad magnitudinem, colorem & conſtitutionem pupillæ. Objecta diſtinctè eorumque colorem ad diſtans, ſed ceu per nebulam videt. Noctu in tenebris ſcintillæ oculis obverſantur. *An V. S. & Scarificatio conveniat? Die* 12. *Apr.* Ambo oculi mane poſt ſomnum rubent, pruriunt. Chorda ab humero ad olecranum extenditur, quæ ab attactu dolet : *An a V. S. & ſcarificatione intermiſſa vel à defluxione veniat?* neſcit.

Die 14. *April. Ipſam conveni Stülingæ :* ambæ oculorum pupillæ ſimiles, nigræ & parvæ erant, poma non rubebant, vidit omnia diſtinctè utroque oculo, etiam *in Tabula Geographica* literas, & in horologio parvo numeros diſtantiâ trium paſſuum, licet caracteres parvi eſſent, vidit & legere potuit : etiam ex libris impreſſis legere valet: agnoſcit quoque rurſus colores : ait tamen in oculo dextro ſe ceu per nebulam nigram, in ſiniſtro ceu per nebulam lucidiorem videre. Mane oculi conglutinantur & interdiu aquam ex oculis imprimis veſperi manare : quamvis circa meridiem nullam videre potuerim, nihilo minus pluſquam ſolent, maduerant, ac ſi oſcula glandularum ocularium patentiora & hiantiora eſſent, ac cauſa viſionis vitiatæ ſic eliminaretur. Caput nec quicquam amplius dolet. Hodie adhuc menſes largè manarunt. Tumor nunc concolor in brachio ſiniſtro erat, inflatio quædam ſeu impletio muſculi brachiæi attracta *à veſicatoriis :* primùm in illo obſervabatur ſtria rubra, doluit valde per diem unum atque alterum, ſed nunc dolor & rubor evanuerunt, & tumor imminuitur, dolèt parum adhuc à fortiore attactu. Appetit, ſitit ſubinde valde, fortè ob fluxum menſium largiorem. Pruriunt tibiæ, & femora, à perfrictione emergunt puſtulæ. Infantem ablactavit.

Suaſi 1. *ut purgaretur ſemel in ſeptimana pil. ceph.* 2. *Ut ſingulo mane & veſperi* ſumeret ʒj. *pulv. ex rad. valerian. ſylv. pœon. ſem. fœnic. cubeb. ſuccin. C. C. ph. pp. ol. Nuc. M. expr.* 3. *Vena ſecaretur 26. April,*

April. 4. *Scarificetur alternis menſibus ante vel poſt novilunium.* 5. *Fonticulus* inureretur propediem. Commendavi accuratam diætam.

Die 12. *Apr. me convenit Maritus*, ac narravit uxorem in dies melius habere, caput nec dolere nec gravatum eſſe: illam diſtinctius indies & clarius videre, oculos tamen adhuc manè madere, etiam defluxiones ad utramque aurem fieri, ac ſi viſûs obſtaculum circa nervos opticos hærens penitus reſolveretur, & alibi exitum quæreret; quin etiam dolorem & tumorem brachii penitus evanuiſſe.

Die 27. *Junii ipſam conveni:* oculo dextro rurſus omnia diſtinctè videt, colores dignoſcit, etiam è longinquo, nebula tamen oculo obverſatur, quandoque etiam ſiniſtro. Caput nec vel minimum dolet. Malum mortuum tibiam utramque defœdat. Queritur de ventriculi debilitate ejusque dolore, maximè noctu & ſummo mane ſine vomitu. Inſomnia patitur terrifica atque inde expergeſcit & artubus tremit, vixque pedibus inſiſtere poteſt.

Miſi *Pulv. ſtomach. empl. de lithargyr. empl. veſicat.*

Rurſus gravida optimè ſe habuit Menſe Nov. *1686.*

OBSERVATIO CLXXXII.

Gutta ſerena.

R*Everend. D. Johann Olpius, Sexagenarius, Præco Verbi Divini Langenſalzæ*, ſtaturæ brevis, obœſus, Vir temperatiſſimus & Zelotes ebrietatem ſummè averſans, imo pro cathedrâ deteſtans & condemnans. Multa paſſus eſt ab hæmorrhoidibus; uno die non raro quinquies concionatus eſt. Obſervavit jam anno 1685. denſam nebulam oculis obverſare, ita tamen ut legere & alia objecta diſtinctè videre poſſet: tunc quoque ſimul caput obtuſum & vertiginoſum erat. Hoc viſûs vitium indies incrementa ſumſit. *Circa principium anni* 1687. ſubinde viſus ita obfuſcabatur, ut nec legere nec alia diſtinctè videre potuerit, etiam adhibitis perſpicillis per aliquot horas: poſtea rurſus viſum recuperavit, adeo ut in uno die viſus & obtenebratio ejus aliquoties alternarent. *Medicorum Primariorum conſilio & multivariis remediis* ſine ſucceſſu uſus eſt. *Die* 27. *Sept.* 1687. *ſcribit ipſius Filius Dom. Joh. Samuel Olpius Rector in Langenſalza Thuringiæ, R. D. Patrem* jam ab aliquot ſeptimanis non poſſe amplius legere aut agnoſcere, viſum tam obtenebratum eſſe, ac ſi continua nox jam adeſſet: hanc ob cauſam, quia ſermones pro concione dicendos concinnare nequit,

Vicarium

Vicarium conduxiſſe, non poſſe ſine duce per plateam incedere. Id mirandum eſt, quod ſi domi commoratur, mediocriter ratione viſûs ſe habeat, ſi verò in publicum prodeat aereque liberiore fruatur, oculos aqua impleri ac illum viſu privari. In oculis nihil obſervatur, niſi quod præſente cœcitate muco obducantur, qui tamen brevi recedit: ab abſtergendo evaneſcat, an alio modo ſe occultet? ex literis conjici nequit: dolent illi & quaſi tendi videntur: quando palpebræ premuntur, ſtridorem edunt inſtar axium januæ vinculorum non benè inunctarum, ſed ſiccatarum: ſie girren. Pridem multum ab affectu hypochondriaco affligebatur, nunc nec quicquam: quamvis *Medici* vitium hoc iſti affectui adſcribant. Appetit benè, dormitque & cætera ſanus eſt. *Fonticulus* ſiniſtri brachii manat egregiè.

Analyſis.

PRæcipuum momentum curationis in eo verſatur, ut cauſa illius vera agnoſcatur: quoniam affectus non eſt continuus, ſed ſæpe intermiſit, non eſt albugo, ſeu cicatrix alba pupillam obtegens: quia in oculo vel potius in pupilla nulla rotunda macula ſive alba, ſive gryſea, ſive flava apparet, *ut in R. D. P. Dominico Suri,* non erit Suffuſio aut catarrhacta, ſed potius Gutta ſerena, in qua pupilla nigra ſed amplior apparet. Guttæ ſerenæ cauſa non poteſt eſſe tumor aliquis nervos opticos premens, quia non continua eſt, ſed per vices in uno die quaſi alternavit, & poſt aliquot horas viſus integre rediit, & nunc domi melius habet, quam ſi in publicum prodeat aerique ſe credat. Humorem aliquem eſſe nervum opticum prementem & obſtruentem, innuunt prægreſſus capitis ſtupor & vertigo, aqua oculorum ſpatium intra palpebras opplens, tenſio pomi oculi & ſtridor, qui palpebris compreſſis tangitur, ſimilis illi, qui auditur, ſi axes vinculorum januæ non inunctæ fuerint. Mucum non credam intra corneam aut uveam detineri, quia non invenitur, niſi ſe aeri exponat, deinde penitus auſferri poteſt: quod impoſſibile, niſi acus intra oculum detrudatur & dextra artificis manu avellatur, & deorſum adigatur: ut fieri ſolet, in ſuffuſionis *curatione chirurgica.* Humor ipſe ſerum ſanguinis aut lympha eſt, quia nullus alius humor ad has cavernas præter ſanguinem affertur. Hypochondria hic non multum accuſari poſſunt, cum benè appetat & dormiat, cæteraque benè ſe habeat: ut taceam, illum hac vice nihil de affectu hypochondriaco animadvertere, & ſi omnino ſymptomata hypochondriaca ipſum affligerent, nihil minus tamen è ventriculo aliiſque partibus vicinis formâ vaporis & fumi ad nervos opticos aſcendere nullo modo poſſet, ut pridem *Anatomes mediocriter peritis* innotuit. Si omnino aliquid vitioſi in hypochondriis lateret,

ret, non niſi ſanguini & ſero mixtum huc deferri poſſet, & non niſi mediante ſero extravaſato aut ſtagnante effectum hunc produceret.

Veriſimilius eſt, ſerum ex ipſa maſſa ſanguinea citra inutiles ambages circa principium & progreſſum nervorum opticorum exundaſſe, ac objectis viſibilibus aditum ad cerebrum occludere, unde tenebræ exoriuntur. Anſam exundationi dediſſe videntur, ætas, ſtudia aſſidua, & fortè lucubrationes frequentes: alias cauſas *ex literis* conjicere non licet. Si affectus in Catarrhactam degeneraret, ut non ſemel obſervatum fuit, non niſi illius *artificioſa depoſitione per acum* curari poſſet: ſin autem maneret Gutta ſerena, *ſolis revellentibus & genus nervoſum roborantibus* curari poteſt, recens & non jam profundas radices agens. *Topica ſeu externa* nil prorſus juvant, plus nocent. *Ex Revellentibus primaria* ſunt *veſicatoria*, quæ brachio utrique ſimul imponenda, nunc circa carpos, nunc magis verſus flexuram cubiti, nunc poſt olecrana, nunc utrique muſculo deltoidi. *Setacea bis optimè contuliſſe obſervavimus.* Ut potentiùs cauſa avellatur, *alius* quoque *Fonticulus* excitetur: *bis in menſe ſc. ante novi- & plenilunium duabus horis poſt parcam cœnam* ſumat *Pil. xi. vel xij.*

℞. *Extr. pil. cochiar.* ʒiß.
Troch. alband. gr. iiij. Extr. caſtor. gr. iij.
Ol. fœnic. q. ſ. Mſc. F. Pil. No. 48. *deaur.*

Singulo mane ſumat ʒj. *hujus pulv. cum aq. fœnic. cochl. iij.*
℞. *Rad. Valerian. ſylv.* ℥ß. *Sem. fœnic.* ʒiij. *ſ. rut.* ʒj.
C. C. ph. ppr. ʒij. *Ung. alc. pp.* ʒj.
Ol. N. M. expr. gr. vij. Sacch. alb. ℥iij. *Mſc. F. Ps.*

Manè maſticet *fruſtulum Galangæ.* Veſcatur cibis boni ſucci & facilis coctionis. Vitet omnia ſuccum viſcidum, crudum, aqueum ſanguini præbentia ſc. piſces, carnem ſuillam, paſtas farinaceas &c. bibat vinum tenue, maturum, aut cereviſiam defœcatam. Animum ad meliorem ſpem erigat: excutiat mœrorem, ſibi à ſomno pomeridiano caveat; *Venæſectiones & Scarificationes* ſint parcæ.

OBSERVATIO CLXXXIII.

Parotis.

R. *D. P. N. N. Friburgo-Briſg. Conventualis St. Bl. Præpoſitus G...* ſtaturâ oblongus, habitu corporis mediocriter carnoſus, nephritidi obnoxius, verrucam habet in latere dextro naſi medii, quâ

quâ ſublatâ ulcus remanſit dimidii bazii amplitudine : & ſexagenario major. *Menſe Majo* 1675. paſſus eſt bronchum non uſque adeo validum, hujus cauſâ præter ullam neceſſitatem imprudenter *Veſicatorium* nuchæ impoſitum fuit *d.* 27. *Maji.* *Fonticulus* excitabatur *d.* 31. *Maji* in brachio ſiniſtro idque ad finem deltoides ſeu extremitati tendinis illius , unde vehemens dolor excitatus fuit , ſimulque eryſipelas colli, quod aliàs ipſi familiare erat, provocabatur præcedente horrore, qui quamprimum decubuit, ceſſavit. *Die* 1. *&* 2. *Jun.* collo dolente nihilominus ſurrexit, verum ſemper rediit horror, ut lectum ſubinde repetere cogeretur, *Die* 3. *Junii* Sacris intererat diu, obambulavit, verùm inde dolor incrementa ſumpſit, ac collum ſub aure ſiniſtra intumeſcere cæpit, poſtea ſumpſit *ſudorifer.* cum levamine. At tumor dolorificus incrementa ſumpſit, acceſſerunt hemicrania lateris ſiniſtri, inappetentia, ſitis, læſio à vino, vigiliæ, virium proſtratio, & quamprimum extra lectum morabatur, horrores febriles aderant ſubſequente æſtu, qui tamen tepore lecti protinus ceſſarunt. *Varia* fuerunt applicata *ſcil. ſtupæ ex lino, emplaſtr. cataplaſm.* ſine ullo levamine doloris aut imminutione tumoris. *D. Simon* ſpem facit, ſi primum adfuiſſet, *D. Ægrum* jam fuiſſe reſtitutum. *Ita ſcribebatur d.* 16. *Jun.* 1675.

Reſpondi d. 18. *Jun.* 1675. *Roſchachi* : Parotis iſta aut eſt inflammatio vel ſimplex vel ſymptoma febris continuæ, aut eſt tumor cancroſus glandulæ poſt aures. Inflammationem eamque ſymptomaticam arguunt horrores & rigores alternantes; læſio à vino, virium proſtratio, appetitus dejectus, vigiliæ continuæ, dolor vehemens. Cancri ſuſpicionem movet verruca cancroſa juxta naſum, tardior ſuppuratio etiam poſt 14. diem nondum apparens. *Probè inquirendum, cujus generis ſit, imprimis num cancroſa ?* quod ex tumore concolore, venis nigris prædito, duro, inæquali, facilè patebit: & licet fortè nunc rubra ſit & celeriter incrementa ſumpſerit, *probè attendendum, an hoc ſua ſponte, an verò ab emollientibus factum fuerit ?* quæ aliàs cancroſos tumores brevi tempore in magnam molem attollere valent : ſuſpecta eſt ſubſidentia. Quia *D. Simon* ſpem fecit, ſi primùm adfuiſſet, quod brevi reſtituiſſet ipſum, quia quoque ſperat ſuperaturum , fortè apoſtema erit. Si cancer eſſet, mederi nemo hominum poſſet. Si abſceſſus licet ſummè dolorificus & cum febre junctus eſſet, quamvis quoque tardius ad ſuppurationem perveniret, meliora ſperarem. Abſceſſûs maturationem juvat egregiè & brevi *Cataplaſma ex farin. tritic. ſem. lin. nulc. nuc. jugland. contuſ. & coct. cum ſucc. chelidon. maj. illin. ol. lilior. alb.* Internè dentur *Alexipharm. ex ♁ diaphor. bezoard. mineral. Diaſcord.*

Diaſcord. Fracaſt. pulv. rubr. Pannon. &c. Vinum neutiquam concedendum.

Die 22. *Jun.* 1675. *Ipſum conveni G.* Tumor ſub aure ſiniſtra longus erat palm. 2. latus palm. 1. altus ultra palm. dimid. rubebat, dolebat valde ſimulque caput dimidium in conſenſum rapuit. Auris ipſa non dolebat, nec auditum lædebat, nec deglutitionem impediebat, nocte prægreſſa dormiebat *poſt ſumtas pilul. opiat.* appetitus mediocris.

Die 23. *Jun.* Mane tumor altior, ſub digitis fluctuavit pus, ac pulſabat & urebat: impoſui mane *Corroſivum*, & inſuper *Cataplaſma:* urina naturalis cum multo ſabulo. *Corroſivum à 7. matut. ad hor* 10. *matut.* nihil vel parum effecit, abraſâ cuticulâ *aliud* impoſui, reliqui *ad horam 6. veſpert.* produxit eſcharam: quamvis *Lancettam* ſatis profundè intruſerim, nullum ſubſequebatur pus, ſed ſolummodo ſanguis ichoroſus: vulneri inditum *digeſtiv.* tectum *empl. diachyl. c. gumm.* impoſitum *Catapl. conſuetum*, mitior inde erat dolor, quamvis nullum pus exierit. Poſt cœnam religato vulnere pus album coctum emanare cœpit, deprehendi ſtylo vulnus non ſatis profundum fuiſſe.

Die 24. *Jun.* Inquiete dormivit ob multa phantaſmata, mane pulſus erat naturalis, urina pallida cum ſedimento ſabuloſo: remoto *Catapl.* & eductâ *turundâ* multum puris cocti guttatim emanavit cum levamine, ſolito more deligatus fuit. Ulcus naſi pus habuit hodie aquoſius cruore permixtum. Poſt meridiem Parotide religata non multum puris effluxit, ac ſi oſculum pure craſſo obſtructum eſſet, indita fuit *turunda ex rad. gentian.* & ſolito more deligata. Quoniam ad ſeram veſperam extra lectum manſit, tandem horrore correptus fuit ſubſequente æſtu, & apparente calore mordaci in cute & cephalalgia. *Ob turundam tumidam* pus detinebatur, itaque poſt cænam *ſolo catapl.* tumorem deligavi.

Die 25. *Jun.* Noctu bene dormivit, ſuâ ſponte ſudavit: quia *nullam turundam* indidi, pus copioſe emanavit, tumor ſubſidit, dolor multum remiſit. *Mane* ſumpto ♃ *diaph.* rurſus ſudavit, ſitiit, poſt ſumptum juſculum bibit *emulſion. amygd. d.* ſudavit largiter ad veſperam uſque cum euphoria: urina clarior evaſit, ſubſiderunt lapilli minuti. Cœnavit mediocriter, multum puris fluidi effluxit citra compreſſionem: dolor & tumor remiſerunt multum, cutis foris corrugari incepit. Nullus calor p. n. nec tactu nec pulſu apparuit, vinum iterum ſapuit, quod tamen dilutum bibit.

Die

Die 26. *Jun.* Tota nocte & mane ſuâ ſponte largiter ſudavit, pulſus optimus, urina pallida, minus ſedimenti farinacei habebat quam prægreſſis diebus, dolor capitis dimidii penitus remiſit, collum pro lubitu verſare valet: tumor parotidis multum ſubſidit, attactum facilè pertulit, pus tota nocte effluxit, deligatus fuit more ſolito. Ulcus in naſi parte dextra pus bonum fundit, renaſcitur cutis.

Abiturus ſuaſi, ut Parotidis ſuppuratæ ulcus apertum ſervaretur *turundâ digeſtiv. anodyn. illitâ*, operiretur & firmaretur *empl. diachyl. c. gummi,* reliquiæ tumoris duri tegerentur *catapl. ex farin. zeæ & ſem. lin. cum ſucc. chelidon. coct. add. pauxill. ol. lilior. alb.* Naſi in dextro latere ulcus poſt verrucam exeſam relictum tegeretur *empl. ſicc. ex ♄n. min. ceruſſ. lap. calamin. tut. &c.* Reliquiæ in maſſa ſanguinea depurarentur ♁ *diaphor. quarto quoque die* aſſumpto; nam ante apertionem abſceſſûs febricitabat, adeo ut etiam aliquoties lingua mane arida eſſet, & in urina, antequam pus copioſe effluxit, ſubſidit ſedimentum quaſi farinaceum & purulentum. Abſceſſu imminuto & viribus ita reparatis, ut toto die obambulare poſſit, *per dies* 21. *vel* 28. *mane ſolum* bibat *ſer. lact. caprin. alterat. fol. & flor. borrag. bugloſſ. fumar. heder. ▽. nummular.|ſem. fœnic. aniſ. paſſul. maj.* bibat ℥*vij. circiter. Semel in ſeptimana* aſſumat *mane* ʒ*j. pulv. nephrocatarct.* quia ſedimentum ſabuloſum, & heri in fundo lapilli flavi apparuerunt. In victu vitet omnia valde ſalita, aromatibus condita, omnia viſcida quæ calculo materiam præbent, caſeum ſcil. paſtas farinaceas, lactucam; endiviam verò comedere licet.

NB. Conquerebatur ſibi ab hoc morbo viſum valde debilitatum fuiſſe, ut & caput, nam hemicrania ad ſuturam ſagittalem vehemens aderat, donec tumor multum pure copioſo levatus ſubſidit.

R. D. P. præter ulcus, quod *corroſivo* feceram, aliud magis poſteriora verſus ad latus muſculi maſtoidei ſuâ ſponte factum fuit, ex quo plus puris quam ex priori effluxit; cum aliquando ſubſiſteret, preſſâ cuti capitis à ſuturâ ſagittali ad parotidem uſque maximâ copiâ pus fluidum & grumoſum effluxit, ut clamaret *ancilla* cerebrum emanare, ab illo tempore omnis dolor evanuit. Ab aliquot diebus primùm parum puris, poſtea mera aqua ſatis copioſe effluit. *Die* 23. *Jul.* 1675. vidi aquam hanc ſubflavam & viſcidam ac glutinoſam eſſe, Tumor penitus ſubſidit, nec vel minimum ab attactu fortiore dolorem patitur. Indit *D. Simon* ☿▽ *cum digeſtiv. mixt.* unde pus laudabilius apparere incipit. Cætera optimè habet. Niſi ☿*rio huic* ceſſerit puris pravitas, injiciet *de hoc liquore:* ℞. *Sarſæparill.* ℔ß. *coq. in aquæ*

aquæ fontan. Menſ. ij. ad ſextæ partis remanent. exprimet fortiter, add. liq. ☿. *ſublim.* ℥ß. (videtur nimium) *mell. parum:* ait *egregium remedium* in hujusmodi fiſtulis, at mordere. Dum nuper ſinum ſtylo exploravit, reperit ℥iß. profundiorem, in ſtyli intruſione doluit ad verticem uſque.

Injectionibus tandem adhibitis ſub finem Menſis Septembr. 1675. penitus convaluit: at viſum ab hoc morbo valde debilitatum conquerebatur.

OBSERVATIO CLXXXIV.

Parotis Cancroſa ſeu Scrophulæ Cancroſæ poſt Aurem dextram.

B*Ernhardinum W.* 47. annor. gracilem, capillis nigris prædĭtum, *Vinitorem noſtratem d.* 15. *Maji* 1674. *inviſi Feurthalii:* is ante 12. & quod excurrit ſeptimanas ſibimet ſecuri inter ſcindendum ligna in dorſo pedis ſiniſtri vulnus inflixit, vix adhuc curato hoc obortus eſt tumor rotundus poſt aurem dextram ſub cute mobilis: *Chirurgus Heinricus N.* putans eſſe eryſipelas (das Gewülck/) ſuaſit *perfumationes cum pulv. contra fluxum*, inde plures & majores ſcrophulæ emerſerunt, *applicito cataplaſm.* magis creverunt, quædam ad inſignem magnitudinem pervenerunt: in molliorem *ſcalpello* incidit, emanavit ſanguis; indies magis magisque creverunt. *Die* 15. *Maji cum D. D. Hollendero* tumorem diligenter examinavi, tota moles duos pugnos viriles æquat ſi non ſuperat, eſt conglomeratus ex multis ſcrophulis, quarum quædam ova anſerina ſuperant, cutis atroliveſcens eſt, in quatuor locis exulceratus eſt, ulcera quædam profunda, intus omnis ſenſûs expertes ſunt. *Chirurgus* ſine dolore *ferro candenti* non tactâ cuti aduſſit abſque ullo ſenſu. Antehac ſenſit dolores punctorios momentaneos, nunc ſolum de illius tenſione conqueritur, ſi fortius attingantur ſtylo, facile ſanguinem fundunt. Loquelam inferiores & laryngi viciniores (nam eo uſque jam protenduntur) vitiant, & loquitur, ac ſi per nares loqueretur, quin etiam deglutitionem impediunt, ut nihil niſi liquida deglutire poſſit, quamvis eſuriat & lubenter deglutiret, ſi modo præ dolore poſſit: emaciatur. Suaſi ut aliquot ulcera *Butyr.* ♁*ii* tangeret, quibusdam inſpergeret *pulv. & rad. ari,* tegat *empl. de ceruſſ.* bibat *decoct. ſcrophular. vincetox. ari &c.*

Tubera illita *Butyr.* ♁*ii* exciderunt mole incredibili, adeò utulcus

cus ferè à nucha ad laryngem latum eſſet, ac ſurſum ad aurem, deorſum ferè ad humerum pertingeret ſcil. ſpithamam altum, & ultra ſpithamam latum, profundum quoque: mundificationis cauſâ *Chirurgus* indidit *Lixiv. cum mell. ex pulv. Adankii*, poſtea *digeſtiv. anodyn. Hildan.* cui admiſcuit *ol. Laurin. & Alum. uſt.* In fundo ulceris nulla laudabilis caro videtur, quamvis appareat pus ſatis bonum, non viſcidum nec aqueum. Primùm valde doluit caput & brachium, ægreque deglutiebat & loquebatur.

His aliquandiu *ad principium Junii* perrexit, diu intermiſſo *butyr. ℥ii*, cum novæ ſcrophulæ repullularent, denuo illo illas illinivit, imo idem *digeſtivo* permiſcuit. Quamvis tam profundum eſſet ulcus, nunquam tamen ſanguinem impenſe profudit. Utitur diligenter *decoct. ari &c.*

Die 18. *Junii* 1674. *ipſum cum D. D. Screta inviſi*, bene deglutire potuit, loquebatur expedite, caput & humerus non amplius dolebant, ajebat ſe dormire, cibum ſapere, ſe non ſitire. Calamitatem omnium adſcribit *ſuffimigio*, quod nimium ſalivam movit.

Die 12. *Sept.* 1674. adhuc miſerrimè vixit.

OBSERVATIO CLXXXV.

Cancer Auris dextræ.

M*Ichael M. natus Anno* 1611. *Menſ. Mart.* Vir robuſtus & quadratus pridem: multa à juventute paſſus eſt, dum aurigam egit, imprimis *durante bello Germanico per* 30. *annos*, nunquam tamen famem expertus eſt, nec unquam à militibus vulneratus aut percuſſus fuit. Nullum morbum paſſus eſt, ob quem decumbere coactus fuerit, poſtquam uxorem duxit, cum qua jam 36. annis in matrimonio vixit. *Ante* 20. *annos* tuberculum auriculæ dextræ adnatum fuit, vix capitello acûs majus, quod ſuppuratum fuit, ruptum pus album fudit, tegebatur cruſtâ, quam ſæpius avulſit, ſubſequente pure albo, poſtea tuberculum ſenſim crevit: *Ante* 15. *annos* ſerpere cœpit, impoſitus fuit *pulv. Arladen dictus*, qui componitur *ex arſenico &c. Vid. Dn. Völteri* Hebammen-Buch. idque eo fine, ut bonum fundamentum jacere poſſet, poſtea *conſolidantia* adhibuit, unde ulcus claudebatur, brevi tamen recrudeſcebat ac ulterius ſerpebat, tandem depaſcebat totam aurem dextram, vicinam cutim & carnem ſubjectam longè lateque: nihilominus aurigariam continuabat, & ante biennium

ennium adhuc rhedâ peregrè *Monachium* etiam tempore autumnali *Canſtadio* vehebatur: ante biennium alia itinera inſtituebat. Ante 18. annos *Fonticulum* inurendum curavit, qui à ſemeſtri ſubſtitit. Eryſipelas tibiis infeſtum fuit, quod jam diu ipſum non amplius invaſit. Ulcus *ſolo empl. de ſperm. ranar.* tegebat. *Ante* 8. *annos* tumor prominuit ovi anſerini magnitudine, concludebatur tunc *de abſciſſione tumoris* quod factum fuiſſet, niſi *ab alio Chirurgo ſectio* impedita fuiſſet, nam tumor apprehendi poterat.

Die 9. *Nov.* 1680. Ulcus vidi à nucha ad angulum minorem oculi, quem prope attigit, longum eſt palmos duos, latum palmum & 3. digitos, auris nullum veſtigium ſupereſt, ductus auditorius apertus eſt, de muſculo temporis non exigua moles ablata erat, muſculi maſtoidei caput quoque exeſum eſt, unde nunc præcipue de hujus dolore ad collum uſque queritur, ſupernè & infernè nova cutis renaſcitur, ubi nulla nova cutis apparet, labia inverſa ſunt, pus nunc bonum & coctum fundit, nunc aqueum, nunquam hucuſque fœtuit, ſubinde ſanguinem ſtillat. Palpebra ſuperior oculi dextri tumet œdemate, ac totum oculum operit, illam ſuâ ſponte attollere nequit, ſi illam digitis attollat, accurate videt: quamvis auris ſublata ſit, & ex ductu pus ſtillet, audit tamen: dentes in maxilla inferiore & ſuperiore in angulo præcipue dolent: os incurvum eſt: propter odontalgiam maſticare nequit. Os aperire ſatis adhuc valet, deglutire ſine impedimento poteſt, appetit parum, comedit ſolummodo liquida, ſcil. juſcul. gelatin. ova ſorbil. &c. non ſitit: alvinæ fœces indurantur. Pulſus nondum uſque adeo debilis eſt, reſpirat ſatis bene. Totum dimidium caput dextrum dolet uſque ad aurem; ob hemicraniam iſtam dormire nequit. Antea obœſus fuit, nunc macilentior eſt, obambulat ſed languide, diu ſtare nequit, pallidus eſt. Tegitur *empl. ex butyr. ol. lin. cera* ãã. *p. æq. in quibus Cort. viridis ſambuc. coct. col. permiſc. Minium q. ſ.*

Reſolutio.

Ulcus hoc cancroſum non eſt ex ſummè corroſivorum numero, quia alicubi cutis renaſcitur, ſive id fiat ob ſenium, in quo ſanguis minus fervet, ſive quod edulcoretur, *ab empl. miniato*, ſive quia glandulosa undiquaque conſumpta jam ſunt. Corroſivum tamen inſigniter eſt, quia longè lateque multum cutis, totam aurem, glandulas ſubjectas & carnem conſumpſit, & licet quandoque pus bonum ſtillet, non raro tamen quoque multum ichoris aquei emanat, quandoque etiam cruentatur, alicubi quoque labia invertuntur: fœtorem hactenus coercuit

cuit *empl. miniat.* Corroſionis profundioris ſignum eſt hemicrania totius lateris d. odontalgia, palpebræ d. tumor. Mirum, auditum permanere, licet ichor cruentus ex ductu emanet, quod fit, quia tympanum integrum eſt & cochlea aperta.

Curari nequit radicitus, quia *nec ferrum nec ignis* amplius locum habent, *palliativè* aliquid tamen arripiendum: pergat *empl. miniat.* ubi arrodit muſculi maſtoidei caput, imponatur *pulv.* ♄*n. cum filament. ſicc.* reficiatur victu analeptico, veſcatur juſcul. pultib. ovis ſorbil. gelatin. carn. vitulin. bibat vinum, quia ſenex.

Die 28. *Jun.* 1682. adhuc vixit: cancer non ulterius ſerpit, appetit, comedit, & pro ratione ætatis ſatis vegetus eſt.

OBSERVATIO CLXXXVI.

Tinnitus Aurium.

ANte 5. annos, ſub principium Philoſophiæ meæ, ſenſi in dextra aure ſtrepitum cujusdam rivuli, qui tamen perpetuò non adeſt, ſed ceſſat quandoque per duos dies, & tunc per 15. dies fortaſſe perdurat, quandoque me deſerit à 4. 5. 8. imo ad 15. dies & ulterius, quo tempore nil de hoc ſtrepitu verè ſentio, nihilominus veſperi totum caput repletum eſt, ac ſi ventis, ſe invicem per undas trudentibus, infarctum eſſet: quod tamen non obſervo, auribus tinnientibus, & è contrario, illa læſio ordinariò plus ſtrepitûs mane quam veſperi adfert, non obſervatâ etiam conſtantiâ in hoc. Ante biennium in 4. vel 5. ſubſecutas menſes hac liberatus fui, poſtea iterum ſuam veterem cœpit cantilenam, in qua nec lunæ phaſes, nec mutationem tempeſtatis, in ſerenum, frigidum vel calidum obſervat: attamen, quantum obſervare potui, ſpatio integri menſis videretur, quod non ceſſet penitus, cum ordinario tamdiu non tinniebat auris. Neſcio an originem ſuam trahat ſalv. hon. à conſtipatione alvi, aut quadam difficultate actionum naturalium, quibus maximè ſubjectus ſum, ſed quod veritatem hujus invertit, eſt, quod quandoque illam læſionem non ſentiam, conſtipatione affectus, & contra ſæpius iterum ab hac penitus liber. Hæc auditus debilitas ante annum à dextra in ſiniſtram delata erat aurem, ſolummodo per 2. vel 3. dies durabat. Jam ad illam auferendam, *ex diverſis datis conſiliis,* circiter 4. *vicibus ſcarificatione, ol. amygd. dulc. vapore panis calidi recenter è fumo tracti, tum nuce moſchata, ſem. fœniculi & baccis juniperi invicem mixti,* ſed abſque ullo levamine, uſus fui *balneo aquæ tepidæ per* 15. *dies fact. ex decoctione herb. lactucæ, malvæ, germ.* Käßleinkraut/ *aliisque unico ſudorifero.* 21. *Octobr.* 1691.

Reſolutio.

R. D. P. eſt Nepos ex Sorore Nob. D. de Pflieger aliquot annis vigeſimum ſuperans. Vivit Bruntruti ex S. J. miſit literas d. 10. *Jan.* 1692. *ſcripſi d.* 15. *Jan.* 1692.

AFfectus eſt Tinnitus aurium : ejus cauſa proxima eſt effluxus aeris ex concha per meatum auditorium impeditus, unde pro varia aeris fractione diverſi ſoni excitantur, nunc clari, nunc obtuſi, nunc intenſi, nunc remiſſi, unde varia nomina ipſis imponuntur, ſcil. ſibili, tinnitus, fragoris, murmuris, fluctuationis &c. Aerem hunc congenitum vocant, ſeu nobiſcum in primordio generationis in concham reconditur, ceu neceſſarium medium ad ſonos in auribus perficiendos: mallem tamen ſtatuere, eſſe aerem communem, in quo vivimus, quique in qualibet inſpiratione aures ſubit utrinque per ductum, quorum oſcula in palato patent, per hos ductus quidam *fumum tabaci* ex auribus emittere valent. Tinnitum autem oriri propter impeditum aeris effluxum, aut liberum ejus motum, prout quilibet facile experietur, ſi auri admoveat vitrum aut cyathum, aut meatum auris digito obturet.

Impedimentum aeris effluxum remorans & vitioſam ejus fractionem pariens, deprehendi, fuiſſe nunc cerumen peccans, nunc copia, nunc craſſitie, lentore, tenacitate; nunc occupans totum prope ductum aut meatum auditorium, nunc ſolum foramen circa tympanum, ubi inſeritur ductus à palato ad aurem aſcendens, ab aliquibus aqualiculus vocatus. Aliquando impedimentum eſt humor ſero lactis ſimilis, aut pus, aut materia quædam caſeoſa, aliquando viſcida, pituitoſa, aliquoties deprehendi, hoc ſolummodo fuiſſe cerumen granulatum & planè ſiccum. *Ad congruum remedium* adaptandum, cauſamque dextrè auſferendam cujuslibet impedimenti conditio indolesque accuratè dignoſcenda eſt. Cerumen copioſum, craſſum, viſcidum, nunc ſubnigrum, nunc flavum, facilè in oculos incurrit & auriſcalpiis educi valet : conſpiciuntur quoque abſque labore humor ſeroſus, aut purulentus, aut pituitoſus. Cerumen granulatum eſſe conjicere inde licet, ſi meatus auditorius ad tympanum fere ſit ſiccus, mundus, nihilque educi poſſit, quam pauculi furfures aut minuta granula flava, ſicca & friabilia.

Apud R. D. P. quale ſit impedimentum, unde proveniat & ubi moretur, ex hiſtoria Tinnitûs transmiſſâ accuratè & indubiè ſtatuere nequeo, quia ceruminis deſcriptio penitus omiſſa fuit : quantum conjecturâ aſſequi valeo, exiſtimo impedimentum non admodum copioſum & inſuper fluidum eſſe, quia Tinnitus recedit & redit, non continuus eſt : pridem ſcil. ante biennium inducias conceſſit per menſes 4. & 5.

nuper

nuper in aure ſiniſtra duravit ſolummodo tribus diebus. Licet quandoque veſperi caput quaſi vento repletum putet, non tamen à cerebro in concham ex foramine ovali inſtillari credo, quia tinnitus non obſervat lunæ phaſes, nam ſi inde illaberetur, major, frequentior, & pertinacior eſſet in plenilunio: tempeſtas frigida & humida, & alvi conſtipatio illum accelerarent, & diuturniorem efficerent, imo malo hoc per annos jam affligente pridem obauditio acceſſiſſet. Veriſimilius ſtatuere valeo, obſtaculum hoc ex membrana meatum auditorium ſuccingente ex plurimis glandulis prædita prope tympanum & ingreſſum aqualiculi, ſeu ductus ex palato aſcendentis prodire, nam naturaliter ex his glandulis humor exſudat cerumen conſtituens, ſi copioſius id fiat, & ob capitis calorem intenſiorem inſpiſſatur, hoc ſymptoma emergit, quod frequenter Literatis evenit, qui legendo, ſcribendo, meditando caput valde inundant, eoque multum antrorſum inclinato decubitum humoris ad hæc loca promovent, unde etiam præ multis odontalgiæ obnoxii ſunt. *Curatio* hujus mali cautiſſimè eſt inſtituenda, ne, dum tinnitum abigere conamur, æternam ſurditatem pariamus, quod non paucis *ab Empiricis* hujus præclari organi ignariſſimis factum novi adhuc ſuperſtitibus.

R. D. P. ſuadeo I. Mundationem meatûs auditorii auriſcalpio vulgari, ut potiores ſordes auferantur, ſemel vel bis in ſeptimana, dein accuratiorem *quotidie mane & veſperi turundâ hac ratione:* paretur *turunda ex linteo raro tenero convoluto longitudine digiti & craſſitie prope pennæ ſcriptoriæ:* ut firma maneat, obvolvatur *filo, hujus apex* ſi cerumen ſit fluidum, imbuatur *hoc liquore*

℞. *Sp. vin. aut ſp. ceraſ.* ℥iij.
Fellis bubul. aut ovill. ʒij. *Mſc.*

Apex turundæ rurſus fortiter exprimatur, ne quid humoris in meatu auditorio reſtaret: ſi vero cerumen ſit granulatum, *apex turundæ* humectetur *ſucco ſempervivi major. aut aqua ex pedunculis ceraſor. deſtillata*, & rurſus exprimatur. *R. D. P. Ipſemet turundam* in meatum blandè trudat, ipſamque in meatu verſet, extractam mundet, & denuo *liquore imbutum parum & expreſſum* intrudat, quod *ter quaterve* repeti poterit. Solent quidam *turundas aliis liquoribus imbuere, quandoque acribus ſcil. urina leporis, puerorum, ſucco ceparum:* verùm hæc tuta non ſunt, cum meatus iſte exquiſitiſſimo ſenſu præditus ſit. II. *Singulis noctibus* præſente tinnitu obturet *goſſypio moſchum aut balſamum apoplecticum redolente: mane* rurſus eximat & toto die ductum liberè apertum relin-

quat. III. *Singulo mane unum alterumve granum maſtiches* maſticet, ſalivamque exſpuat. Corpus in flore ætatis *multis purgationibus* defatigare nollem: *infuſionem liquorum aut oleorum* in meatum ceu peſtem fugiat. *Vapor pane fervido* auri admoto magis ruſticis, quam teneris Literatis convenit. *Cucurbitarum affixionem alternis menſibus triduo ante vel poſt Novilunium* non improbo. Quid verò *balnea* hic faciant, non video. *Pariſiis* talia ſuadent, quibus maſſa ſanguinea particulis retorridis & atrabilariis ſcatet. Lucubrationes penitùs intermittat. Cœna ſit parcior. Animum ſubindè grato alloquio & ſtudiis jucundioribus excitet.

Ulteriorem Relationem miſit Nob. D. de Pflieger d. 24. Februar. 1693.

EX ſingulari confidentia in Te, & inſtinctu naturali ſanitatis meæ impulſus, Tibi ſecundam mitto informationem ſtatûs auris morboſæ, quæ ordine ſic fluit. Jam ante 6. annos illa tinnire cœpit aut obturari, ut apud illos reſonatio quædam exiſtit, qui caput aquæ immerſerunt, ſtante tunc aqua in ductu auditorio: primis 4. annis Tinnitus non ſemper aderat: continuè duravit ſubindè diebus 2. 3. 4. 8. &c. aliquando remiſit 8. vel 15. diebus. Ullas lunæ phaſes non obſervavit, nec mutationes tempeſtatis. Nunc ab anno dimidio tinniit, duabus tertiis; nec unquam momentum ceſſavit *ſcil. poſt Feſt. S. Joh. Baptiſt.* 1692. unde illa mihi ferè obturata & quaſi inutilis videtur. Tinnitum magis ſentio mane quam veſperi; excepto tempore illo, quo tinnitus abeſt in die, ſub veſperam caput oppletum videtur, ac ſi ambas aures digitis obturaſſem. Inde non doluit unquam in auribus, at in dentibus quandoque odontalgia: remiſit *ex ſcarificatione alternis menſibus* uſâ. Cerumen ratione quantitatis & qualitatis ſanorum ſimillimum eſt. Tinnitus poſtea aliquot menſibus remiſit, verum nunquam tamdiu duravit, quam hac vice. *Remedia*, quibus uſus eram, fuerunt: *Goſſipium imbutum ol. amygd. d. & amar. ol. aniſ. &c. Vapor panis recenter ex fumo extracti*, cuique paſta mixta erat *bacc. junip. ſem. fœnic. Nuc. Moſch. Balneum aquæ tepidæ per d.* 15. *per hor. j. in qua coct. herb. lactuc. malv.* Aures mundificavi, *juxta Conſilium D. D. Wepfer, turundâ, liquore mixto ex ſp. vin. & fel. bubul. imbutâ*, etiam maſticavi *grana maſtiches*, ſed hæc omnia abſque magno levamine. Neſcio, an alvi conſtipatio, cui valdè obnoxius ſum, ſit radix hujus mali: verùm Tinnitum percepi alvo liberâ, non autem, quando actu conſtipatus eram. Licet tinnitus hic extiterit in aure dextra, ante tres annos

tamen

tamen corripuit & ſiniſtram ſpatio 2. vel 3. dierum, ubi dextra tunc libera erat. Simile quid evenit præterito vere, quo tempore correptus fui febri, ut decubuerim per 8. vel 9. dies: durante febre & aliquandiu poſt evanuit vis tinnitus *uſque ad Feſt. S. Joh. poſt Paſcha*; *poſt illud feſtum S. Joh. Bapt.* rediit & hucuſque durat, hæc dum ſcribo; quantum potuero dicere, habes ſtatum ſanitatis meæ. *Cæterum &c.*

Bruntrut. d. 18. *Febr.* 1693.

Reſponſum miſi d. 2. *Mart.* 1693.

NOn repetam, quæ de cauſa proxima ſoni p. n. intra aurem præcipuè dextram *in primo Conſilio* memoravi, ſcil. fractionem aëris congeniti in auribus propter impedimentum motus ejus aliquod fieri. Potius id inquirendum & indagandum nunc erit, ubi locorum exiſtat. In auris ductu non eſſe ex multis conſtat. 1. Argumentum eſt, quia in cerumine nullum eſt vitium, nam nec qualitate nec quantitate peccat. 2. Quia jam ante ſex annos incepit, & cum primùm obſervabatur, duravit ad ſummum per 8. dies, remiſit rurſus per 15. dies, nunc ab anno cum dimidio diutiùs perdurat. 3. Non juvarunt *purgationes diligentes aurium turunda eſſ. fellis imbuta*, quæ aliàs ex meatu auditorio cis tympanum & aquæ ductum impedimentum ſuſtuliſſet: conjuncta maſticatione *maſtiches*, *ol. amygd. am. aniſ.* quibus *goſſipium* imbuebatur *pro turundis*, emendat quidem cerumen, at viſcoſitate obeſſe potuiſſet. Videtur ob has cauſas trans tympanum in concha, imo in foramine ovali intra cochleam vel labyrinthum eſſe, quorſum ægrius *topicorum virtus* pertingit, quod confirmant imprimis pertinacia mali & longior duratio.

Impedimentum illud eſt humor aqueus, quia magis vel citius fit, ſi non conſtipatus eſt, & fortè magis lubrica, quàm aliàs ordinariè eſſe ſolebat, quia in febrili inſultu illam non ſenſit, magis eſt mane poſt ſomnum quam veſperi. Utcunque copioſa eſſe videtur, quia obſervavit tumultum intra aures ſimilem illi eſſe, quem patiuntur illi, qui caput aquæ immerſerunt, aqua in ductu reſtitante, quia tunc quoque ſenſum aliquem repletionis in auribus percepit. Non tamen valde copioſa, quia non ad lunæ phaſes, nec mutata tempeſtate, calidum, humidum, frigidum attendit.

Cauſa ad hæc intima pervenit, non per ductum auditorium, nec per aqualiculum, ſed per arteriarum capillamenta, quibus aures abundant, & per ſolas illas ad hæc intima aurium infundi poteſt. Non eſt flatus aliquis auribus incluſus, nec vapor, quia malum pertinacius, ſed lympha & ſerum crudius cum ſanguine allatum, per arterias.

 Indi-

Indicatio, ſerum evacuandum, revellendum, conſumendum.

1. *Pil. cephal. in autumno, hyeme, & vere ante pleni- & novilunium* ſumendis *horâ ſomni.* 2. *Veſicatoria poſt novi- & plenilunium.* 3. *Fonticuli.* 4. *Scarificationes* non negligendæ. 5. *Tragea.*

℞. *Cinam. ac.* ʒij. *Maciſ. cubeb.* ãã. ʒß.
Ung. alc. ʒj. *C. C.* ʒij. *Matr. perl.* ʒß. *Oc.* ♋. ʒiß.
Summit. roriſm. ʒj. *ol. N. M. expr. gr.* iiij.
Ol. d. rorism. gt. ij. ſacch. ℥iiij. *Mſc. F. Ps.*

Doſis ʒj. *dieb. abſtinentiæ poſt prandium & cœnam, diebus carnis horâ ante cœnam cum pane toſt. & vin. macerat.*

Topica ſint 1. *Mundatio turundâ Eſſ. fell. imbuta.* 2. *Maſticatio maſtiches.* 3. *Turunda Moſch. vel Balſ. apopl.* auribus *noctu imbuta*: *omittat ol. amygd.* 4. *Vapor lact. & aq. in quibus fol. alth. coct. per infundibulum admiſſus.* 5. *Errhina.*

℞. *Rad. irid. Flor.* ʒij. *flor. lil. convall.* ℈j.
Sacch. ℥iß. *Mſc. F. Ps. add. ol. ſuccin. gt. j. D.*

Die 22. *Sept.* 1693. *me convenit*: ſtaturæ eſt mediocris, benè coloratus, capillis nigris criſpis inſtar æthiopis præditus. Obaudit potiſſimum in aure dextra: ſi in converſatione placida ſit, ſatis diſtinctè audit, ſi verò in congregatione multorum ſit, & ſermones inter plures cum contentione aliqua ſecentur cum tumultu aliquo, confuſè audit, & maximam partem non intelligit. Obauditio habet ſua incrementa & decrementa: *à Paſchate ſeu Æquinoctio verno ultra ſolſtitium æſtivum ſeu ad Feſt. S. Joh. Bapt.* indies meliùs & diſtinctiùs audit, decreſcente die quotidie auditus confuſus & minus voces articulatè percipit, nunquam tamen penitùs aboletur, & dum mecum erat, audivit ſatis diſtinctè, nihilominus dicebat, ſe in mutuo colloquio momentum percipere inter loquendum, ſi obſervet faciem meam, ex motu enim labiorum ſe animadvertere quid præfarer. Commendavi rurſus *admiſſionem vaporis alth. ſemperviv. & in lact. decoct. M. & V. ſubinde* hauriat *de pulv. ſternutat. ex tabac. lign. al. ſantal. citr. flor. lil. convall. &c.*

Conſtipationi admodum obnoxius eſt, fortè in violenta fœcum induratarum excluſione ſpiritu retento affluxui humoris intra aures anſam dedit, qui ibi à calore cerebri nimio inſpiſſati obſtructionem aliquam pepererunt.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXXVII.

Auditus difficultas cum Tinnitu.

FOemina *Nobilis N.* maritata, jam à duobus annis tinnitum aurium paſſa eſt, modò majorem, modò minorem, dein narium, at inconſtantem, cum ſono variabili: quandoque enim arbitratur ſe campanas audire, aliquando ſtridorem portarum, aliquando ſuſurros demiſſè loquentium, aliquando aquarum dilabentium ſtrepitum, adeo ut fermè nunquam ſonus ſit ſimilis, cum diminutione auditûs; ſubmiſſè enim loquentes vel non omninò, vel difficulter intelligit. Timet ne fortè obſurdeſcat. *Multis* uſa eſt *medicamentis*, *topicis*, *fomentationibus*, *inſtillationibus*, *ſuffitibus*, nihil tamen profecit. Credebatur profectus oriundus *ex pilulis Aquæpendentis*, *Francofurtenſes vocant*, ſed malum nihil reſipuit. Nonnulli *ſcarificationes* ſuaſerunt, *ſanguinis miſſiones iteratas*, *cauteria, aliaque ejusmodi*, ſed cum ſint difficilia factu, & parùm & fortè nihil juvantia, hactenus omiſit.

Reſolutio.

AD cauſam proximam hujus affectus intelligendam plenior tum temperamenti, tum perpeſſorum morborum, tum deniquè cauſarum antecedentium ſeu occaſionum recenſio neceſſaria fuiſſet: Audivi tinnitum hunc cum auditus difficultate jam à pluribus annis & ferè ab incunabulis duraſſe. Utut autem ſit, tinnitus varios ſonos imitans ferè continuè *Nob. Dominæ* moleſtus eſt cum difficultate auditus. *Apud Medicos* receptum eſt auditus organa pervia eſſe debere, non ſolum ut ſonus per canalem amplum ad tympanum, hinc per foramen ovale ad extremum cochleæ (ubi nervus acuſticus implantatur) & per labyrinthi mæandros ſine offenſa excurrere poſſit, ſed & ut aeri auribus implantato liber exitus pateret, obſtructis enim vel obturatis canalibus & viis notum eſt magnos tumultus excitari intra aures, quod quilibet facilè experiri in ſemet ipſo poteſt, ſi manus volam auribus admoveat & eas forinſecus tegat, aut ſi canalem aut meatum auditorium digito obturet. Si verò penitius & profundius occludatur maxime intra cochleam, auditus planè perit. Aliquoties vidi cereomate inſtar picis nigro, viſcidiſſimo ac denſo externum meatum ad membranam illam, quæ tympanum vocatur occupatum penitus fuiſſe, quod auditum penitus ſurripuit in quibusdam cum tinnitu, ſibilo, ſuſurro &c. in quibusdam abſque hoc ſonorum vitio, quorum ſi ultimi quamvis auribus manum admoverint, aut digito meatum arctiſſime clauſerint, nullus tamen tumultus præter ſolitum advenerat, quia ab hoc obſta-

obſtaculo aer auribus implantatus non ulterius moveri, turbari aut impediri poterat, præter illud quod ab inſita & domeſtica cauſa antea ille patiebatur. Inſuper ad auditum requiritur imprimis totius auris internæ ſc. tympani ſeu cavitatis illius poſt membranam tympanum dictam, labyrinthi & cochleæ ſiccitas, aeris implantati puritas, ſpirituumque animalium per nervum auditorium influentium ſubtilitas legitima; quod niſi ſit, fieri vix poteſt ut non vitietur auditus, non ſecus ac organa muſica uda & humectata nimiùm, ſonos obſcuros, obtuſos & pravos edunt. At ex his vitium obtingere non rarò ſolet, dum nervorum ductus ſerum à capite humido ſequitur, & loca hæc inquinat, ſive jam ſuâ ſponte huc declinaverit, ſive occaſione aliqua externa, ut capitis alliſione, caſu, crebra & intempeſtiva capitis lotione &c. huc prolectum fuerit. Serum his anguſtiis incluſum, ſi ſpiritus animales nimium obtundat, nervos & membranas flaccidiores reddat, aut à calore in vapores reſolutum aerem implantatum inquinet, vel auditum imminuit vel pravos tinnitus nunc graviores nunc mitiores efficit, qui deteriores evadent, ſi inſuper meatus exteriores aut etiam cochleæ foramen ovale anguſtius exiſtat. Criſes imminentes mirè ſpiritus & aërem turbant. Quid ex his *apud Generoſam Dominam* locum habeat, *Tu ceu præſens Medicus* ſagaci inquiſitione melius indagare & divinare poteris. Verum eſt, frigidum, viſcidum, craſſum humorem auditum aboliturum, quod etiam crediderim, ſi ſcil. totam cochleam maxime ubi nervus acuſticus terminatur, & labyrinthum occupet; ſi verò in extremo meatus auditorii & foramine ovali perſiſtat, non video, qui non quoque humor viſcidus lentus hanc ſonorum & ſtridorum varietatem excitare valeat, qui quidem licet frigidus non ſemper ſit, cum amariſſimus plerumque exiſtat, ſi verò à ſubtilitate tamen & fluiditate cereomatis naturalis multum deflexerit, id præſtare poteſt, cum aliquoties remoto tali viſcido nigroque humore protinus auditum inſolitum repararim. Itaque ad lumen ſolis meatus utriusque auris diligenter quotidie ſi licet intuendus arbitror, quod ſi tale quidpiam occurrat, illud blande dextra manu *auriſcalpio eburneo* extrahendum eſt; ſi verò nihil viſui occurrat, cauſa profundius circa foramen ovale ſcil. hærebit: quia enim auditus non planè abolitus eſt, non totam cochleam & totum labyrinthum occupatum, nec nervum acuſticum penitus ineptum eſſe neceſſum eſt, eoque minus, quia ſibilorum differentias quoque adhuc diſcernere ſuisque nominibus inſignire valet. Cauſam proximam ibi latentem dicerem aliqualem obſtructionem impedientem aëris implantati & ſonorum liberum motum & progreſſum, ut & inquinationem aeris implantati: utrumque vitium efficere puto liquorem ſeroſum, qui vel ex arteriarum capillamentis extremis exſtillat, vel nervorum ductum ex interiore cranii cavernâ ſequitur. Alium humorem

humorem huc exonerari *in Generoſa Domina* non poſſe firmiter credo, & demonſtrarem, ſi neceſſum arbitrarer, nam vix alius humor has anguſtias ſubintrare citra gravius damnum per longam annorum ſeriem poſſet, & ſanguis vel copia vel loco peccans & extravaſatus longè alia ſymptomata efficeret. Verum ſerum hoc acrimoniæ, caloris, ſalſuginisve particeps non negarim, ſi imprimis illa temperamenti calidioris foret. Hic humor ob moram partim lentorem contrahit, ut in ſero ſanguinis coƈto videtur, partim in halitus reſolutus aërem implantatum turbat, unde hic tumultus iſti exoriuntur.

Sed miſſâ Theoriâ prolixiore, ad Praxin pergamus: ſi à primis unguiculis, ſique ab occaſione valida, ſi quoque in profundioribus locis cauſa hæreat, ægrius auferri poterit. Quia tamen juvencula eſt, non debet negligi, nec animus planè deponendus.

Indicationes ſunto: Serum à capite magno ſtudio revellendum, influxum abſorbendum, & organa auditus roboranda. Quomodo his ſatisfaciendum ſit, *methodo exſecutiva potius quam vulgata in Conſiliis dandis conſueta* explicabo: ſcil. ea quæ mihi in hoc affeƈtu familiaris eſt, quam pro lubitu & rei exigentia mutare poteris. 1. *Purgarem* ipſam *bis in menſe ſcil. triduo ante novilunium & plenilunium*, niſi vel menſes vel graviditas obſtaret, *his pilulis*,

℞. *Extraƈt. cochiar.* ℥j.
caſtor.
Magiſt. Gialapp. āā. ℈ß.
Ol. d. ſuccin. gutt. ij.
Spir. ceraſ. nigr. q. ſ.
Mſc. F. pil. No. 45. *Doſ.* ℈j. *poſt parcam cœnam.*

F. F. minus efficaces ſunt & diu continuatæ hepati obſunt. 2. *Fonticulum* ſuaderem, qui parari poteſt, ut indolens ſit, ſcindendo, urendo vel erodendo in loco legitimo. 3. *Scarificatione alternis menſibus* uterer *triduo ante vel poſt novilunium.* 4. *Venæſeƈtiones* ſufficiunt in Plethoricis *Vere & Autumno*, crebræ & largæ nocent, cerebrum debilitant, apoplexiam accerſunt *ſecundum Avicen.* 5. Maſticet *mane maſtich. aut trochiſcos alios apophlegmatizantes*, per aqualiculum enim ab auribus ſerum proliciunt. 6. *Topica plura* recenſentur *ab Authoribus: inſtillata* ſæpe profundius ſe cavernis inſinuant, quam ut elici poſſint rurſus, *ſive* ſint *ol. ſive liq. vapores & fumi violentiores. Ego ol. tali vel ſimili* feliciter utor

℞. Cepar. minutim conciſar. ℥ß.
Milleped. vivor. No. xxx.
Fell. taurin. ʒij.
Ol. amygd. amar. ℥iß.

Ind. vaſ. vitr. & bene clauſa ſtent in digeſtione per dies 2. poſtea factâ ebullit. forti colet. ol. ſeparetur & ſervetur ad uſum.

℞. Ol. hujus ℈ij.
d. rut. majoran.
roriſmar. ãã. gtt. iij. Mſc.

Hujus ol. guttulis duabus imbue *bombacem* iterumque exprime, *bombace* utraque auris cubitum ituræ obſtruatur, mane eximatur ac aures blandè mundentur. 7. Si peregrè abeat, aures probè contra ventos & frigus muniat. 8. Ad roborationem capitis valeret quoque *vel Tragea vel pulv. March. conſerv. ex cephalicis.* 9. Diæta accurata inſtituatur, ubi imprimis fugiendi cibi mali ſucci, flatulenti & vaporoſi, quos harum rerum peritiſſimus optimè ordinabis. Illud addo, parcam ſemper cœnam debere eſſe, & in illa fugienda omnia in butyro frixa.

OBSERVATIO CLXXXVIII.

Auditus gravis cum Tinnitu.

DOm. *Joh. Jac. N. N.* 34. circiter annor. ſtaturâ brevis, verum muſculoſus & robuſtus, pectus latum habens, nunquam ad hanc ætatem à puero ægrotavit, neque unquam capite doluit, niſi quandoque ex ebrietate, nam toto ſequenti die ab illa ad veſperam dolore capitis affligitur cum vomitu inani, quo ſolum mucum ejicit, ſi vero excandeſcat, ſive ſobrius ſive ebrius ſit, cum muco quoque bilem egerit. A puero noctu conclavi ſemper, in quo decubuit, ſalubri uſus eſt. Iter fecit quovis cœlo citra detrimentum ſanitatis, imo in itinere ſemper melius valuit, ac tunc levamen βαρυηκοΐας ſenſit. Peregrinatus eſt *per Germaniam & Galliam, atque etiam in mari Mediterraneo.* In cibis nullum ſelectum obſervavit. In pueritia indulſit fructibus horæis, ab illis jam à 15. annis abſtinuit, ſi veſcatur oleribus, maximè braſſicâ muriâ conditâ aut fructibus horæis recentibus coctis ſtatim alvus laxatur, ſi verò prius exſiccata coquantur & comedat, illos retinet, ſi veſcatur prunis Damaſc. recent. ſtatim caput dolore afficitur, ſi in cœna frixis fruatur, gravatur inde ſtomachus, ſapit caro præ piſcibus, quos faſtidit. Delectabatur juſculis: item carn.

gallin.

gallin. elix. Faſtidit caſeum & cepas. Cœna ſemper largior prandio. Potus ordinarius eſt vinum rubrum ad menſ. dimid. à vino albo abhorret. Bis in die comedit, extra paſtus conſueti tempora nec edit nec bibit; temperatè vivit, ſibi ab ebrietate cavet. Benè dormit noctu, prorogat ſomnum, non nunquam ad 9. horas, à ſomno pomeridiano abſtinet. Exercet ſe mediocriter & ab exercitiis bene habet. Alvus quotidie aperta eſt: bis, plerumque junior, crebram hæmorrhagiam narium experiebatur, ex quo Βαρυηκοΐα incepit, hæc ſubſtitit. A 3. annis hæmorrhoidibus cœcis, ſi diutius obambulet excruciatur, tument, urunt, & pruriunt, ter ſolum manarunt. A 6. annis Vere & Autumno *V. S.* utebatur, qualibet vice ad ℔j. ſanguis eſt pulcherrimus. *Alternis menſibus vel* 3. *quoque menſe ſcarificationem* adhibet. Vivit jam à 10. annis in matrimonio. Nunquam ſudat, & ſi ſe largiùs potu invitet, madore quodam quandoque perfunditur, ita tamen ut induſia non humectentur, niſi equitet fortius. Mictio non eſt frequens, urina naturalis eſt. In ira vehemens eſt, ſed ab ipſa ſibi temperat. Hilaris animo, mœſtior ob Βαρυηκοΐαν.

Anno 1657. Æſtate primum animadvertit, ſe gravius audire cum tinnitu aliquo, cum antea acutiſſime audiret, hujus cauſâ uſus *maſticatorio* cum fructu, profligato tinnitu, adeo ut *dictantis Præceptoris Dni Doct. Fr. Luc. Scretæ* verba diſtinctè audiret. Æſtate crebro frigida lavabat & caput flumini immerſit, inde tamen auditum non imminutum ſenſit. Nunquam caput ita percuſſum fuit, ut inde damnum ſenſerit, ſine vitta dum junior erat, decubuit & conſuevit detecto capite eſſe. Nullos furfures in capite habet, nec multum ſudat in capite, & quamvis capillitium prolixum habeat, nunquam tamen ejus lotione utitur.

Anno 1658. *Marpurgum* profectus eſt, primum per ſemeſtre vinum bibit, poſtquam verò cereviſiam bibere incepit, animadvertit rurſus imminui cum tinnitu, vel ut loquitur ſtrepitu, hujus cauſa *bombacem aq. Anhalt.* imbuit ac aurem obturavit, ita tamen ut præcaveret aquæ influxum intra aures, item foras circa ductum illinivit *ſpirit. fulig. vel ſimilem.* Inde auditûs vitium per unum annum evanuit. Bis terve quoque *pediluvio* utebatur.

Anno 1659. *Autumno Tübingæ* tertio adventûs die vitium rediit. Conſulebat *D. D. Haffenrefferum*, qui *nulla remedia* ſuaſit, ac malum ſuâ ſponte ceſſaturum dixit. *Not. Marpurgo* diſcedens cœlo nebuloſo *aliquot Germaniæ loca* peragravit, at demum *autumno Tübingam* pervenit. *Tübingæ* nunquam ceſſavit, at mitis erat adhuc difficultas iſta

cum tinnitu, quamvis incrementa jam ſumpſerit, nulla alia aderant ſymptomata. Nec vel exercitiis violentioribus exacerbabatur.

Anno 1660. *Menſ. Apr. Galliam* adiit cœlo ſereno, *Gratianopoli* ſeptem menſibus vixit. Bibit vinum merum, quod generoſum erat, vix aliquot guttulis aquæ id temperavit, inde ſenſit auditum acui. *Dias* profectus hinc, ibi 2. Menſibus morabatur, nec mutabatur affectus, in eodem ſtatu perdurabat. Dum *in Gallia* vixit, nullam mutationem animadvertit. *Æſtate* 1661. domum rediit. *Uſque ad annum* 1662. *nullis* uſus eſt *medicamentis* ſcil. uſque dum nuptiæ præterierant, quas celebravit in Septembr. Poſt nuptias doluit auris dextra admodum, dolor erat pungitivus. Adhibuit *aq. Anhaltin.* ſine fructu, & *bombac. moſchat.* ſine detrimento, at quoque ſine emolumento. Continuavit *bombacem moſchat. ad ann.* 1669. *nullisque aliis remediis* uſus eſt toto hoc intervallo, niſi *pilul. Francofurtenſib. V. S.* & *ſcarificatione. Thermis Helv.* 1666. utebatur ibique primum iterum *ſcarificationem* repetiit, ſemper in eodem perſtitit affectus.

Anno 1669. Iterum *Thermas* adiit, ibi *ſpongiam aq. fervid. imbutam* & *fortiter expreſſam* auribus applicuit cum commodo, ut ſperaret integrum auditum. 1670. *Menſe Octobr.* poſt cœnam dum legebat, ſtrepitus ingens in aure dextra ſubitò obortus eſt ſine ulla cauſa externa, hinc lectum petiit, ſequente die in aure continuavit ſtrepitus auris ſtridendo & pulſando, doluitque admodum cervix, dolor cervicis *fomentis* abactus fuit, at *fomentum* auribus admotum non multum juvit. *Hyeme ſequente* rediit dolor cervicis, ſed non tam vehemens, cujus cauſa uſus *fumo contra fluxus* & *ſp. arthrit.* 1671. *Vere* dolor punctorius auris dextræ rediit, auris obſtructa erat, beneficio digiti auricularis aperiebatur, emanavit aq. flava copioſe, adeo ut ad pectus uſque noctu defluxerit, duravit per dies octo. Per canulam æneam *Vaporem ſpiritus cujusdam acuſtici* intra aurem admiſit ſine ullo effectu. Poſt effluxum ſeri flavi & vaporis admiſſionem alteram quoque aurem βαρυηκοΐα cum tinnitu invaſit. *Æſtate Acidulas* bibit ſine ullo ſucceſſu, quamvis egregiè per omnes vias evacuarint, nullumque inde beneficium obtinuit, quam mitigationem doloris hæmorrhoidum cœcarum, qui tamen domum reduci rediit. *Menſe Octobr. Fonticulus* excitatus fuit. *Hyeme* pluvia ſubſequente βαρυηκοΐα ſiniſtri auris cum tinnitu incrementa ſumpſit, ab illo tempore ad hunc diem quo ipſum examinavimus: *ſcil. ad d.* 19. *Jul.* 1672. potius malum augebatur, quam imminuebatur.

Audi-

Auditûs vitium tale eſt : cominus audit ſonos mediocres etiam articulatos, ut audiat colloquentes, at procul diſtantes non intelligit, ſi prope cathedram ſedeat, voxque recta rurſus illum procedat, etiam concionantem intelligit, maximè ſi manum auri admoveat, ac ſonum quaſi intercipiat, in ſiniſtra aure accuratius multò audit quàm in dextra, leviculos ſonos non percipit, niſi proximè aurem edantur. Tempore pluvio aut ſi exceſſum committat potu, & poſt paſtum obtuſius audit, mane verò acutius. Tinnitus in aure dextra eſt ſibilus quidam acutior & tenerior, in ſiniſtra eſt obtuſior & murmur quoddam, quod etiam intendere & remittere poteſt, prout ſpiritum vel retinet vel emittit. Ante aliquot annos coryza ipſi quoque Vere & Autumno evenerat, à triennio ſemper nares ſiccas habet. Cervicis dolor nondum penitus exſtirpatus eſt, quando contentius ambulat, pulſationem in occipite patitur, quando caput concutit, ſentit cujusdam corpuſculi commotionem, non ceu liquidi, ſed ceu globuli ænei tinnientis ſeu tintinnabuli ænei globoſi.

Cereoma dextræ auris *ab anno* 1661. *ad hunc uſque diem* paucum eſt, album, fluidum, nihilominusque tenax. Tertio quoque die meatum mundare cogitur, ſi negligat, pruritum quendam patitur, à duobus annis cereoma ſiniſtræ auris quoque imminutum fuit, illudque eſt album, fluidum & tenax, atque ultra triduum retentum, pruritum excitaret : cereoma vidi & extraxi pellucidum, fluidum, ſpumeum, amariſſimum & viſcidum tenax. Mane quando evigilat, animadvertit ſibi plurimum ſalivæ dormienti ex ore effluxiſſe, nam gena madet, & pulvinar humectatum reperit.

Reſolutio.

AFfectus ſymptoma eſt ſcil. Auditus imminutus, nam procul loquentes aut concionantes, vel etiam propiores, niſi clara & intenſa voce ſermonem proferant, non diſtinctè, aut remotiores planè non audit. Inſuper depravatus eſt, nam aures continuè tinniunt, ſtrident, aut ſuſurrum quendam ſe audire opinatur.

Loca affecta non ſunt 1. meatus auditorius externus, qui quantum oculis uſurpare licet, apertus eſt, nec ſonorum ingreſſum remorari videtur, cum nullum obſtaculum ad tympanum uſque occurrat. Nec 2. nervus acuſticus ante inſertionem, aut in ipſa inſertione in os petroſum, quia nullum vel minimum ſymptoma intra cranium experitur, audit vocem, ſi cominus compellatur, & Βαρυηκοία cum tinnitu conjuncta eſt, quæ locum non habent nervo affecto, nam nervi nulla cavitate præditi ſunt, ut in illa peregrina aëris fractio aut flatuum vel vaporum aliqua exagitatio, tinnitum factura, excitari ullo ingenio

genio valeret. Sed 3. eſt concha poſt tympanum, aut cochlea aut labyrinthus aut plures & omnes hæ cavitates, nam ſpatium aliquod affectum eſſe, tinnitus evincit, qui non accidere poteſt, niſi moveatur vel vapor vel aer in cavo aliquo ſpatio, & agitetur, inſuper propterea quoque unam vel alteram vel plures ex his cavitatibus ſedem eſſe unde conſtabit, quia non niſi in locis ubi ſoni percipiuntur, tinnitus & βαρυηκοΐα contingunt, quod cavitatibus his adſcribitur, utpote in qua nervus acuſticus expanditur.

Morbus à quo ſymptoma hoc auditionis imminutæ & ſimul depravatæ pendet, eſt humiditas p. n. nimia, & obſtructio aliqua aeris, qui neceſſariò hæc ſpatia occupat, liberum motum impediens, cui accedunt fortè peregrini flatus, nam cereoma extractum album viſcidum minutiſſimis bullis abundat. Ad acutum enim auditum requiritur moderata ſiccitas & aër quietus ac purus, ut ſonos ſinceros auditûs inſtrumenta recipere poſſint, prout ſcil à ſonoris ad aures pertingunt. Humorem p. n. in auribus coacervari præter βαρυηκοΐαν & tinnitum probat cereoma utriusque auris, quod colore & conſiſtentia à naturali abſcedit, inſuper copioſus eſt, nam niſi tertio quoque die expurgetur, pruritum excitat, ac tum plus auriſcalpio extrahitur, quam alias tam brevi intervallo elicitur, & *Vere* 1671. dolor acutus afflixit obſtructo meatu auditorio externo, quo reſerato tam copioſe emanavit, adeo ut noctu aqua flava ad pectus uſque defluxerit. Forte etiam aliquid coagulati trans tympanum in humore natat, quia agitato capite percipit motum corpuſculi rotundi reſonantis inſtar globuli æneï in tintinnabuli formam redacti.

Humor autem, qui auditûs organa nimium humectat & oppilat, eſt ſerum, quia nullus alius humor citra abſceſſum aut vaſorum ſanguiferorum rupturam aut eroſionem intra has cavernas colligi poteſt, & talem eſſe, cereoma probat, quod lentorem acquirit coctione, & amaritiem ab inexplicabili vel nondum definita loci proprietate. Serum hoc non in cavernas has influit ex cerebri ventriculis aut anfractibus, aut è ſpatio intra duas meninges, quia nulla indicia adſunt ſeri intra hæc loca ſtagnantis, nam omnes actiones inculpatè obit, dein ſerum hoc potius vel ad oſtium magnum vel ad infundibulum delaberetur, denique oſculum oſſis petroſi ita à nervo occupatur, ut ne guttulam quidem admittat. Licet autem intra aures naturaliter cereoma ſegregetur, & fortè etiam aquoſus humor per aqualiculum in fauces amandandus, nullæ tamen glandulæ conglomeratæ intûs repertæ hactenus fuerunt, quæ aliàs humorum excretioni inſerviunt, & quamvis vix unquam aliqua liquoris excretio citra illas fiat, vix tamen auſim dicere, humorem hunc ex parotidibus transmitti, cum nullæ viæ ad-

hucdum

hucdum demonſtratæ fuerint. *Memini quidem inflammata & ſuppurata, nec dum aperta Parotide plurimum ichoris ex auris meatu effluxiſſe, & à Parotide Cancroſa auditum penitus abolitum fuiſſe.* De vaſis lymphaticis intra aures nihil conſtat; & ſi illa irrorarent organa iſta p. n. vel eroſa vel rupta fuiſſent, proindeque continuò aqua emanaret limpidior & copioſior quam in cereomate iſto videtur. Ergo ſerum exſtillat ex arteriarum capillamentis, non ſecus ac merum alibi, retento ſanguine, & in ipſiſſimis glandulis conglomeratis, excidere valet. Seri hujus multum in concha, maximè ſi aqualiculus obſtructus ſit, & in cavernis, quæ proceſſibus maſtoideis inſculptæ, coacervari poteſt, quod exundans largè & per plures dies, ſemper novo ſuccedente, maximè tempore ſomni in latus affectum decubuo, effluere poteſt. Ipſum ſero & lympha abundare conſtat, quia nunquam ſudat, multum dormit, ex olerum & fructuum recentium etiam coctorum eſu protinus diarrhœa corripitur. Ad hæc autem loca potiùs effunditur, quam aliorſum, quia fortè auris à cauſa aliqua cujus non recordatur, debilitata fuit, quamvis nuper quoque & hactenus aliquoties hujusmodi ſeroſa deſpumatio ad cervicem facta fuerit.

Quamvis hoc ſymptoma inadvertenter & quaſi per cuniculos *Dominum Ægrum* invaſerit, & auditûs vitia intra cavernas oſſeas profundè recondita ſint, ad quæ *virtus medicamentorum* ægrè, ſæpe etiam cum majore noxa penetrat, non tamen deſperandum opinor, quia in vegeta ætate conſtitutus eſt, robuſtus, nunquam ægrotavit, temperanter vivit & *ad quævis præcepta Medica* obediturus eſt. Quod ſi ad votum non omnia ſucceſſerint, cavebitur tamen, ne plane obſurdeſcat.

Indicationes & ſcopos *in curando* hos fiximus. 1. Serum redundans in toto imminuendum. 2. Ejus novum proventum declinandum, atque affluxum ad aures nunquam promovendum, ſed potius aliorſum revellendum. 3. Humorem intra aures collectum evacuandum, abſorbendum, diſcutiendum, ad vicina derivandum, & omnino auribus ſiccitatem debitam ejusque actionibus congruam reparandam.

His credimus ſatisfieri *remediis ex Chirurgia, Pharmacia, & Diæta* petitis.

Ex Chirurgia ſuademus.

Venæſectionem, ſed moderatam, Vere & Autumno, præmiſſo purgante; nam ſanguine abundat eoque ferventiore & ſeroſiore, adeo ut hac ſemper portio ſeri quoque ſubtrahatur.

Scarificationem, quam *alternis menſibus triduo ante & poſt novilunium*

lunium admittat, non crebrius, ne frequentioribus ſanguinis profuſionibus maſſa ſanguinea perfrigeretur, plusque ſeri cumulet, nam obſervatum *à nimis crebra ſcarificatione* auditum graviorem redditum & vertiginem attractam fuiſſe.

Veſicatoria, quæ cervici, dorſo, carpis & poſt olecranum humero applicita recentem ſurditatem feliciter ſuſtulerunt in aliis, & obauditionem etiam inveteratam mitigarunt vel ſuſtulerunt: applicari poſſent *ſemel in menſe*, quando per negotia licebit, imo illorum applicatio maturanda, quoties *Dn. Æger* animadvertet, novum affluxum ad aures contigiſſe.

Fonticulos plerique approbavimus; ſi unus non ſuffecerit, alter adhuc excitari poſſet, ex meo quidem judicio commodius in altero brachio, quam in pede, quia vitam politicam vivit, nec dum ad hypocauſta aut cellam monachicam damnari ſe patitur, quin potius frequenter prædia ſua adit &c.

Setaceum nimis moleſtum remedii genus eſt: fortè *veſicatoriis* idem, quod ab ipſo exſpectabitur, præſtari poterit.

Frictiones matutinas ex uſu fore conſenſimus.

Ex Pharmacia proderunt

Purgantia, in quibus tamen ipſum non nimium eſſe oportebit, ne ſtomachi fermentum ab ipſis defaſtetur, & maſſa ſanguinea nimis frequenter fundatur, ac quaſi colliquetur ſerique feracior evadat. *Autumno, Hyeme & Vere ſingulis vel alternis menſibus purgari* poterit: *Æſtate* illis nuntium mittat. *Parentur ex Extract. cochiar. aurear. Catholic. aut* ℳ *aloëtic. cum rhab. aut Magiſt. gialapp. doſis à D. Medico Ordinario* definiri poterit, quæ pro virium ratione & promptitudine ad alvi ſolutiones augeri vel minui poterit. Conſuevi in capitis affectibus ab humore aqueo pendentibus *illa duabus horis poſt parcam cœnam* exhibere, ſic etenim *Ægri* felicius *purgantium faſtidia* ſuperabant, & ſatis commodè humores à capite avellebantur, nec à cibo *purgantis vim* retuſam fuiſſe, aut chylum inde detrimentum cepiſſe obſervavi: ſi hora hæc non arrideat, detur *purgans ſummo mane.*

Sudorifera quoque non improbavimus: *An diæta ſudorifera locum habitura ſit?* non definitum fuit. Ut verum fatear, illà nunquam in hoc affectu periculum feci, at novi in pituitoſis affectibus egregie prodeſſe: *an vero multum emolumenti morbis à ſero nitro-♀reo ortis afferat?* dubito,

dubito, nam tantum abeſt, ut Arthriticos juvarit, ut potius paroxyſmos accelerarit eosque diuturniores & pertinaciores effecerit, quamvis illam ſtudioſiſſimè & accuratiſſimè ipſemet adminiſtrarim, ſudore quoque *ſcamno artificioſè* promoto. Fortè *Diætâ ſudoriferâ* ſanguis nimium colliquatur, glandulæ nimium exſiccantur, & major poſtmodum ſeri tenuioris & fluidioris proventus exſpectandus erit. Si omnino ſuſcipienda putabitur, *Guajacum & hujus ſortis alia cephalicis temperatioribus* mitiganda erunt, & citra vim ſudor proliciendus erit. Fortè commodius *Vere ſubindè* dabitur ♃ *diaphoret. manè*, & nunc *Spir. C. C. aliave hujus generis ſummo mane cum congruo vehiculo.* Aut *cubitum iturus ſubindè rob. ſambuc. juniper. &c.* deglutire poterit, qua ratione apud quosdam mane ſudor citra violentiam elicitur.

Diuretica ſerum lixivioſum & nitroſum ad vias legitimas perducere, nemo negabit, proindè *apud Dn. Ægrum* talia non negligenda: danda autem erunt tempeſtivè ſcil. ventriculo vacuo, abſtinendo *à nimium calidis & acribus*, ne ad primam calamitatem aliam deteriorem adducamus, *ſcil. Nephritidem, quod Dn. Heinrico Kellero evenit, cujus renes adeo calculorum jam feraces ſunt, ut plures hactenus a ſiniſtro medicamentorum acuſticorum abuſu excreverit; nam ille quoque Empyricos & veræ Medicinæ ignaros in conſilium adduxit, inter quos non ultimus Embricanus ille impoſtor fuerat.* Tutiora *ex Diureticis* ſunt, quæ parantur *ex decoctis vegetabilium ſcil. rad. petroſel. ononid. &c. herb. capill.* ♀ *aliisque aperitivis, bacc. alkekeng. juniper. cicer. &c.* tale ante paſtum dari poſſet, *acui* ſine damno poterit *ſpir.* ⊖ *dulc. edulcorari ſyr. aperit. Minder.* ⊖*ia fixa* parcè admiſcenda erunt. *Oculi* ♋. ſeorſim tutò exhibentur, etiam alio nomine *ſc. ceu medicamentum præcipitans.* Tempeſtivè *Diuretica* propinabuntur, ſi *Vere, Autumno ac Hyeme*, ſecus ac fieri decet, urina parcior excernatur.

Alterantia in uſum ducenda varia ſunt, *interna & externa.*

Interna cephalica ⊖*e* volatili ♃*reo & aromatico prædita, nimium acres humores præcipitantia, ſuperfluos abſorbentia.* Quia *Dn. Æger* juvenis eſt, & ſanguinem fervidiorem habet (nam vini potu nimio læditur, mane etiam bilioſa vomit, & per aliquot dies graviter crapulam luit) omnino *temperatiora* ſeligenda erunt. Parari poſſet *decoctum*

℞. *Rad. caryophyllat. pœon.*
irid. Flor. āā. ℥ij.
Herb. majoran. betonic.

caryophyllat. mont. roriſmar.
Fl. paralys. āā. *P. j.*
Nuc. Moſch. Mac. āā. ʒß.
Inciſ. & contuſ. coq. in vaſ. clauſo vitr. cum aq. font. ℔ij.
vin. rubr. ℔j. *col. add. ſyr. de betonic.* ℥ij. *aq. cinam. bugl.*
℥ß. *Mſc.*

Doſ. mane & veſperi hor. 5. ℥iij. *vel* ℥iiij. *calidè, poſt hauſtum* obambulet. *Tale decoct.* præmitti poſſet *per d.* 6. *purgantibus, Italorum more.* Si à vino lædatur, *ſpecies in ſola aqua* coqui poſſent. *Pilulæ ex Extract. Guajac. fol. quernor. junior. lign. aloës &c. & pauxill. therebint. diu continuatæ* ſerum quoque abſorbent. Vel paretur *Tragea.*

℞. *N. M. & Mac. ſucc. citr. macerat.* āā. ʒj.
Cubeb. ʒß. *Ungul. alc. ppr.*
C. C. ph. ppr. Ebor. ph. pp. āā. ʒiß.
Unicorn. foſſil. ʒß. *Ocul.* ♋. *ppr.* ℈iiij.
Cinam. ac. Rad. pœon. āā. ʒij.
Sacch. roſ. tab. ℥j. *Tab. man. Chr. perl.* ℥ij.
Mſc. F. pulv.

Hujus mane horâ 7. *& veſperi horâ* 5. ſumat ʒj. *cum pane toſto & vino madido totâ hac hyeme. Tabulas & rotulas, cephalicas,* quæ maximam partem *ſaccharum* ſunt, fortè non magnifaciendæ, niſi illas *oleis deſtillat.* irrorare velimus *ſcil. ol. majoran. roriſmar. mac. ſuccin. &c.* His *Conſerv. & electuar.* annumeranda. *Tragemata* poſt paſtum *Veteres* in capitis affectibus mirè commendarunt, ut crebro *apud Cratonem* occurrunt, nec *apud Dn. Ægrum* improbanda videntur, imprimis quia aliàs alvi lubricæ eſt, & ventriculus debilior creditur. Parari poſſet tale

℞. *Pulv. ſtomach. Birkm.* ℥iß.
C. C. uſt. ppt. Ebor. uſt. ppt. āā. ʒj.
Ol. N. M. expr. gr. vij.
Sacch. roſat. tabul. ℥ij. *Mſc. F. Ps.*

Detur *poſt paſtum,* imprimis tunc, quando ipſe ventriculum debiliorem ſenſerit, *non quotidie,* ne ipſum *multitudine medicaminum* terreamus. *Aquas deſtillat. ſpiritus cephalic.* vel infrugiferos vel nocuos putamus, ſcil. illos qui alterationis cauſâ tantum exhibendi.

Externa & Topica varii generis ſunt, *ſcil. manifeſte evacuantia, vel occultè & inſenſibiliter diſcutientia.*

Eva-

Evacuantia ſunt *Errhina,* ex his præferenda erunt, *Fol. Hellebor. nigr. ſed cautiſſimè,* cum ſternutationem nimiam excitaſſe aliis noverimus. *Succ. Betæ* mirè internas nares admorſiſſe memini; ſi adhibendus ſit, caſtigetur *aq. majoran. mell. roſac. &c. Apophlegmatiſmi rationem* implebunt optimè *Maſticatoria*, quæ ſint *vel ſola maſtiche, vel maſtiche cum pyrethro, ſem. nigell. & ſimilibus in trochiſcos formata, non cum cera ſed cum gumm. tragac. & ſacchar. Hos* maſticet *mane per horæ quadrantem vel diutius.*

Diſcutientia ſint *Cucuphæ ex rad. & herb. cephalic. add. clematit. Daphn. Lyſimach. purp. ſpicata, C. C. uſt. maſtich. ſuccin. ladan. ſtorac. Item adſtringent. fl. roſar. r. rad. biſtort. Sacculi* auribus admoveantur *ex herb. & flor. beton. aliisque cephalic. ſicc. noctu. Fomenta ex ſaccul. cephal. pane calido cephalicis infarcto & ſimilibus,* prudenter & non niſi capite bene depleto applicantur tutò.

Auribus indenda ſunt *Bombax moſchata ſeu goſſipium ambram & moſchum redolens, vel imbutum ol. d. rut. majoran. ſuccin. carv. chærefol. vel ol. amygd. cæpat. vel ſolo vel cum ol. deſt. mixto, vel balſam. apopl. vel ol. acuſtic. D. D. Harder, vel aq. Anhaltin. Goſſipio tali* auris noctu obturari poſſet, aut interdiu cœlo pluvio, ventis agitato: in hypocauſto extrahatur, ne auditûs organa omnino torpeſcant, omnibus ſonis excluſis. *Ol. deſtill. vel per infuſion. alterata, aut ſpir. aut liquores* cujuscunque generis eſſent, auribus infundere nunquam author eſſem. Ob pruritum in meatu auditorio non abhorrerem canalem *linteolo ol. roſat. imprægnato & ſtylo impoſito* blandè oblinire.

Evaporationes commendantur *per infundibulum* admiſſæ, verùm vix niſi *à præſente Medico* cum valetudinis commodo fierent, & facilè error committeretur *à Dn. Ægro:* tutius ergo omittentur.

Pediluvia topicorum ſuperpondium ſunt, ſuo modo à capite revellere creduntur. Parari poſſent *ex herb. cephalic.* maximè ſi caput aggravatum ſentiat.

Diæta ſupereſt.

Caput contra aërem frigidum bene muniat, non tamen fidat auſtrino, & hypocauſta æſtuantia non minus fugiat: pedes à frigore cuſtodiat. Diu in ſtabulis verſari noxium, exhalatio enim fimi equini nitroſiſſima nimium, quàm prodeſt, ſeroſos humores fermentat & fundit. Cibis veſcatur euchymis & eupeptis: cœna parcior ſit prandio.

 Lucu-

Lucubrationes & ſtudia ſtatim à cibo ſumpto deteſtetur. Somnus pomeridianus & noctu protractior, aut ſtatim à cœna initus, ſemper nocebit, ſeptem dormiiſſe horas ſat eſt. Præſtabit à cœna ad minimum duabus horis, ſeminudato corpore at probè cooperto capite, obambulare. Animi motus ſint moderati.

Deus Optimus Max. Conſilia noſtra proſperet.

Scaphuſii d. 19. Julii 1672.

Joh. Jacob. Wepfer, M. D.
Chriſtophorus Harder, M. D.
Emanuel Hurter, M. D.
Heinricus Screta, M. D.
Joannes Amman, M. D.

OBSERVATIO CLXXXIX.

Obauditio.

D. *Wagenknecht*, *Archigrammateus Neuſteinenſis ſcribit d.* 24. *Febr.* 1684. à puero catarrhis obnoxius fuit, diu in aula vixit, veſcebatur cibis frigefactis & inordinatè bibit, ob negotia Cancellariæ lucubrare multùm cogebatur, varios morbos paſſus eſt, dolores in artubus, tumores, ſævam cephalalgiam: ſubindè in frigida natavit in dorſum decumbens, aures ſæpè aquâ implebantur, indè ſæpè caput vertiginoſum reddebatur, ſequebatur tinnitus aurium, duravit 30. annis continuè ſine auditûs imminutione, unde non magnifecit illum; à 2. annis auditus imminui cœpit, in dextra magis quàm in ſiniſtra. In aure utraque permoleſtum percipit pruritum, quem mitigat cultello acuto, quando aures calidas detinet, cerumen aqueum fit, putatque illum ſponte elapſurum, quod tamen non evenit & non niſi paucum prolicit. *Ante* 14. *dies* ex aure dextra membranam parvam produxit. *Semel in anno V. S. ſingulo quadrante anni ſcarificatione* utitur. Hyeme quadam dum adhuc juvenis ob veſtitum tenuem ſanguis ita frigefactus fuit, ut *Chirurgus quidam Suecicus ſepties venam tundendo* nullum ſanguinem prolicere potuerit: in femore ſcalpendo facile ſanguinem craſſum nigerrimum poſt pruritum prolicuit, unde ſanguinem corruptiſſimum putavit. *Eſt annor.* 55. *ſcripſit Durlachio ipſius Filius.*

Analyſis.

OBauditio hæc procul dubio provenit à ſero intra cavernas aurium ſtagnante inprimis in concha, unde auditus obtunditur, dum ſonus

nus ſeu aëris fractio non integrè pertingit ad nervum auditorium. Cerumen liquidum hujus ſeri indicium eſt, cui tamen egreſſus non conceditur propter tympani obſtaculum, forſan illud laxius quoque eſt, tum ob hoc ſerum, tum ob quandam muſculorum tympanum tendentium paralyſin aut enervationem ab eodem ſero. Illud igitur exſiccandum & revellendum. Hac ratione auri indatur *nocte turunda ex goſſipio contorto imbuta ol. d. ſuccin. carv. rut. aut ol. amygdal. amar. in quo coct. card. ben. rut. cæp. fell. luc. piſc.* aut ſi pruritus valde moleſtus ſit, *lact. mulier. cum ſucc. ſemperviv. maj.* *Mane turunda* eximatur, auris mundetur *turundâ oblongâ ex linteo tenero arcte complicatâ*, non auriſcalpio, multo minus cultellis acutis, quia facile tympanum cum damno irreparabili ſauciare poſſet. Tota die auris libera relinquatur, ne auditus obtorpeſcat. *Cucuphæ* aſſuatur *ſacculus infarctus ſem. carvi, herb. card. ben. beton. flor. ſambuc. chamom. aſperſ. goſſipio* interpaſſetur. *Mane* maſticet *rad. pyrethr. angelic. maſtich.* his alternet. *Purgetur pil. cephal. ante novi- & plenilunium noctu. V. S.* ſufficit *ſemel in anno*, quia ſeneſcit. *Scarificatio alternis menſibus triduo ante vel poſt novilunium.* Si tantopere catharroſus ſit, prodeſſet *Fonticulus.* Aliquando utilia deprehendi *Veſicatoria.* Caveat ſibi à cibis frigidis, glutinoſis. Ebrietas nocet. Cœna ſit parcior prandio. Hauriat *ſubindè mane,* ſi aſſueverit, *fumum fol. tabac. cum cubeb. p. æq. mixt.*

OBSERVATIO CXC.

Obauditio.

D*Omina Maria Anna N. N.* 52. annor. à 30. annis obaudire cœpit in aure ſiniſtra, in illa largiter corpus durum in meatu auditorio cis tympanum, partim globoſum, & leve ſeu glabrum, partim aſperum, inprimis in extremitatibus ſuis inferius firmiter hæret, an ſit oſſiculum & quidem malleus, an aliud concretum lapideum, dubium, quia latius eſt, moveri poteſt citra exacerbationem doloris notabilem vi adhibita. In aure dextra audit fortius prolatas voces, habet hæc cerumen flavius aure ſiniſtrâ: cerumen ſiniſtræ ferè deeſt, ſiccum & mundum cum furfuribus. *Die* 2. *Jun.* dum mecum erat, poſt meridiem tonitru cum magno fragore reſonavit, quod tamen non audivit. *Setaceum* ante aliquot dies in cervice traduximus, propè ſiccum erat 2. *Jun. Die* 4. *Jun.* dedi *pil. ceph. No. xiij. purgarunt bis terve, non plus,* cum aliquo levamine, tum dicebat ſe audiviſſe rurſus ſonum *in vicino templo S. Johann.*

Die 6. Jun. me convenit, *ſetaceum* aliquid puris ſuppeditavit. In aure ſiniſtra ſtylo indito ſtatim corpus durum occurrit, alicubi in ſuperficie æquale, leve & glabrum, alicubi aſperiusculum, ac ſi calculus eſſet, in peripheria inæqualis. Attactum retroceſſit multum, ad latera movere potui. Iteratâ ſtyli intruſione multum retroceſſit, ut ferè non amplius conſpicerem, à motu corporis duri percepit ſenſum punctionis internæ, ſuâ ſponte manibus & brachiis tremit, facilè terretur ex levi caſu corporis durioris, & aliàs indormiſcens. Eſt gracilis, macilenta, benè colorata, temperamenti calidioris & ſiccioris, ſuſpicioſa, quia non omnia audit, quandoque indignatur & iraſcitur, multa tædia devorat. Eſt ſiticuloſa admodum, ſibi tamen à potu temperat. Vivit continuò *in Alſatia*, multoties *à Gallo milite* valde territa fuit: *quamplurimis in- & externis* uſa eſt, ut in morbis chronicis fieri ſolet, *à Medicis & medicaſtris*. Plurimi lienem accuſant, cui illa plurimum cauſæ adſcribit, quia quandoque melancholica fit & triſtatur, accuſatur quoque uterus, ventriculus. It. vapores, flatus, quia cum ſurditate & obauditione jungitur tinnitus & tumultuatio intra caput. Uſa eſt *Acidulis*, laudat *purgantia* & urget, admiſit intra aures *vapores*, indidit auribus *aq. quandam acerrimam.*

Reſolutio.

Surditas in ſiniſtra aure omnimodè provenire videtur ab organorum in illa confuſione, ſi corpus illud durum, quod in ductu tangitur, ſit unum alterumve os vel pertinaciſſima omnium ductuum occluſio. Corpus durum fortè calculus eſt, quia aſperiuſculum eſt, hic enim naſci poſſe, *exemplo eſt Nob. D. B. P.* nam non videtur vel malleus vel incus eſſe, quia latior & craſſior videtur ambobus his oſſibus, loco movere potui ſtylo abſque magno dolore. Non aliud, quod vel à canali vel alio ab oſſe intus ſeceſſerit, nam nullam mentionem fecit abſceſſûs perpeſſi, nec quicquam purulenti aut ichoroſi occurrit, imo aures ſiccæ ſunt, imprimis in ſiniſtr. vix pauxillum ceruminis reperi. Licet huic corpori vim adhibuerim, nullus tamen cruor ſequebatur.

Obauditio in aure dextra adeſt, quia non niſi proximè allocuta audit, tonitru & fragorem non percepit. Eſt ab obſtructione, quia juncta eſt cum valido tinnitu, qui ſequitur, ſi aër internus impediatur, quod facilè experiri licet obturatâ aure digito, vel admoto, & apertâ aure ſtatim tinnitus &c. conſequitur.

Cauſa eſt ſerum extravaſatum allatum per arterias, nullo modo vapor aut flatus allatus ex ventriculo, liene aut utero, ut putat, & *à Medicis* perſuaſa fuit.

Conſilium

Conſilium dedi d. 6. Jun. 1694. 1. Ut *Triduo ante vel poſt novilunium, mane* ſumeret *gr. xv. xviij. vel xx. barum pilul.*

℞. *Extr. coch. Catholic.* ana. ℈iiij.
Mag. gialapp. ℈j. *Extract. caſtor.* ℈ß.
Ol. ſucin. gtt. ij. Mſc. F. Pil. ex ʒj. *No.* 40.

2. *Setaceum* nuper conductum in fluxu conſervare. 3. Si *ſcarificationi* aſſueverit, *alternis aut* 3. *menſe circa noviluninm* continuet.. *Bis in anno V. ſecetur. Veſicatoria ac Fonticuli* non multum præſtabunt, 4. *Vaporem* ad aures admittat.

℞. *Fol. alth. ſemperviv. maj. ſenecion.* ana. *Mij.*
Flor. malv. arb. Mj. ſem. lin. ℥ß. *inc. & contuſ. D.*

Hujus pugil. j. coq. in lact. & aq. ana. ℥iß. *vel ij.* 5. dum vaporem admittit ſumat *de hoc errhin.*

℞. *Tabac.* ʒiij. *flor. lil. convall.* ℈j.
Fol. beton. fl. lavend. ana. ʒij. *Mſc. F. Ps. irror.*
Ol. majoran. ſuccin. ana. *gtt. iij.*

Maſticet *rad. galang. aut Maſtich.* Aures diligenter mundet *turundâ tenui imbutâ ſucc. ſemperviv. aut aq. betonic. add. pauxillo bilis.*

Si ventriculo malè ſit *poſt paſtum* ſumeret ʒj. *Trag.*

℞. *Pulv. ſtom. B.* ℥iß. *rad. galang. cort. aurant. cond.*
Limat. ſaſſafr. ana. ʒß. *ſacch.* ℥iß. *Ol. N. M. expr. gr. viij. Mſc.*

Vitet lactucam. Æſtate bibere licet *Acidulas cum ſyr. acetoſ. citr. aut de rub. Id.*

OBSERVATIO CXCI.

Polypus Narium.

NOb. *Virgo Eliſabetha K.* 23. ann. Plethorica, Hæmorrhagiæ narium obnoxia, cætera ſana & benè colorata. *Ante* 4. *annos* dentibus nucleum ceraſorum effregit, unde dens molaris maxillæ ſuperioris penultimus cariem contraxit, illa credebat nucleum ſe cavernæ ejus inſinuaſſe ac ſurculos ſurſum emiſiſſe. Ab illo tempore ſenſit narem ſiniſtram obturari, ac liberum aëris tranſitum denegari, hæc narium anguſtia progreſſu temporis incrementa ſumpſit, ut noctu non niſi aperto ore reſpirarit. Acceſſit hemicrania ſiniſtri lateris, aurium quandoque dolor & ſubinde etiam dentis.

Menſe

Menſe Maj. 1670. primùm vidi primordia Polypi in nare ſiniſtra, tentavi ipſum *medicamentis topicis ſiccantibus* & *pil. ceph.* conſumere, at fruſtra, nam Polypus crevit & magis deorſum vergebat, ac aërem intercipiebat, imprimis autem tempore hyemali moleſtus erat, æſtivo tempore minor evadebat ac ſurſum retrahebatur. In autumno admodum moleſtus erat, & hemicraniam admodum auxerat, ut ſæpè præ illa nec edere nec dormire poſſet, ſæpeque noctes inſomnes incœnata traduceret. Interea menſes ritè manabant. Hæmorrhagia narium cui aliàs obnoxia diu ſubſtitit. *Die* 3. *Novembr.* 1671. *ad me venit.* Illam intra ædes recepi, Polypus duo capita oſtentabat, unum avellanâ majus ſupernè, alterum minus infernè, omnem aditum aeris intercipiebat, mobilis erat, radices habebat verſus exteriorem naſi partem, non potui deprehendere, illum in interſtitio narium adhærere. *Die* 5. *Nov.* Illum *ferro candente* inurere cœpi *indita cannula linteo aqua madido munita, aduſtionem* continuavi, *quotidie bis ad* 13. *Nov.* & *qualibet vice decies, quandoque pluries,* unde polypus palleſcere & corrugari cœpit: *à d.* 13. *Nov. quotidie* illum *forcipe* apprehendi & blanda manu traxi, à tractione doluit in oculi orbita ſuperiore primum, poſtea in dente molari carioſo & auribus. Juſſi quoque naribus attrahere *aq. alumin. comp. cum mell. roſat.* quam ob acrimoniam ferre nequiit; itaque ejus loco ſubſtitui *aq. plantag. cum mell. roſat.* *Die* 18. & 19. *Novembr.* polypo tracto fragorem intra naſum prope aures & dentem exaudivit, & ego quoque ipſemet. Cum ob tractionem dens carioſus doleret, aliquoties quoque ipſum *ferro* aduſſi. *Die* 20. *Novembr.* Polypum *forcipe* apprehenſum rotavi, verum propter dolorem in aure ſiniſtra excitatum, rotationem & circumvolutionem iſtam ferre non potuit, ichor ſanguineus exſtillavit, noctu multum ſanguinis grumoſi ſcreatu ejecit. *Die* 21. *Nov.* Ante meridiem vix polypum conſpicere potui, tandem radicem *forcipe* apprehendi & articuli longitudine & craſſitie penna gallinacea cum fragore circa aurem percepto ſine vi extraxi. Poſt meridiem polypus melius in conſpectum venit, denuò apprehendi & ſine vi totum, *Deo ſint laudes*, extraxi: biceps erat, minor articulo parvi digiti & ejuſdem longitudinis; nihil ſanguinis ſtillavit inde, polypus tenaciſſimus erat. *Poſt uſtionem* capitis dolor ceſſavit. Polypo extracto ſtatim liberius reſpiravit, ac naſum leviorem dixit. Veſperi aliquandiu hemicraniam in ſiniſtro latere ſenſit, poſt cœnam remiſit.

Die 22. 23. *Nov.* Dentem carioſum in maxilla ſuperiore *aduſſi* aliquoties, liberè per naſum reſpiravit, doluit tamen in externa naſi

parte ad os maxillæ ſuperioris & ſubindè in aure ſiniſtra. Noctu tamen reſpiravit ore aperto. *Die* 24. *Nov.* minus doluit naſus externè, dentes non uſſi, nocte primùm clauſo ore dormire potuit. Nullum vidètur veſtigium polypi. *Die* 25. *Nov. uſtionem* omiſi. *Die* 26. *& 27. Nov. iterum uſſi. Die* 28. *&* 29. *uſtionem* intermiſi: polypi ne minimum conſpicere potui veſtigium. Prodiit in publicum ſine ulla noxa.

Die 1. *Decembr. Abituræ* ſuaſi, ſi hemicraniæ indicia perciperet, ut ſumeret *pil. ceph. duabus horis à cœna parca,* adhiberet *veſicatoria,* vinum probè diluat *decoct. C. C.*, *topica* omittat. Si catharri ruant, ſumat *cubitum itura conſ. roſ. cum bol. & theriac.* ſi nares fortè obſtruantur, *butyrum cui ſacch. immixtum* illinat, & poſtea naribus *calidè* attrahat *mucilag. ſem. cydon. aq. beton. eliçitam.* Acria omnia penitus omittat. Dentem dolentem *urat.*

Die 14. *Jan.* 1672. *ſcribit* tribus ſeptimanis ſe plane aërem naribus haurire potuiſſe, poſtmodum polypum rediiſſe, narem ſiniſtram obturare atque conſpicuum & aptum rurſus *ad uſtionem*, putat ideo non radicitus ſublatum, quia ſanguis non ſequebatur. Suaſi, ut ſineret amplius creſcere & indurari, miſi *aq. ex aq. plantag. equiſet. add. alum. & vitriol. alb. gr. j. flor. balauſt. roſ. r. ſicc. infuſ. & col.* Si magis creverit & induruerit, *uram & extraham Deo volente.*

Die 26. *Febr.* Ab uſu *aq. hujus* tumorem indurari & *ad uſtionem* idoneum reddi, inde quoque imminui, adeo ut aërem ad os per nares trahere valeret. Cum hemicrania nuper afflixiſſet, ſe *pil. cephal.* uſam, unde remiſerit.

OBSERVATIO CXCII.

Naſi Calculus

HOneſta *Matrona Barbara* Zellerin *Vidua*, 70. propè annorum, jam aliquandiu intra narem dextram corpus aliquod animadvertit, illam obſtruens, gravans & imprimis continuum naris illius ſtillicidium pariens, impediens reſpirationem. Plures crediderunt polypum eſſe, illumque jam exulceratum. *Die* 1. *Aprilis* 1680. *cum D. Abrahamo Rickio circa veſperam tumorem examinavi:* primo intuitu apparebat tumor in apice exulceratus, cujus labia erant inæqualia cum ſinu quodam profundo & in ambitu nigra. Dum corpus hoc attingo, durum inſtar oſſis, aut lapidis comperio, ſimulque loco mo-

bile, narium interſtitio utrinque integro, nec incurvo: itaque illud *Volſellâ* arripui ac fruſtulum lapideum avulſi, ſimile topho, qui dentibus adhæret, ſed durius, foris nigrum, ubi vero cum reliquo corpore continuum erat, albicans. Ob hæmorrhagiam narium & inſtantem veſperam nihil amplius tentavimus. Unicum habebat adhuc inciſorem in maxilla ſuperiore dextra, eumque maximam partem corroſum, reliquias iſtas hujus dentis credidimus radicem eſſe, nam illo commoto putavimus corpus tophaceum intra narem dextram commoveri, quod tamen non certò conſtitit.

Die 2. Apr. D. Abraham Rick dentem ſemicorroſum aliquantulum vacillantem evellere voluit, ſed noluit admittere eductionem: itaque iteratò *Volſellâ* corpus hoc durum apprehendi, ac blandè hinc inde verſavi & antrorſum traxi, deduxique ad naris pinnam uſque, citra magnum dolorem aut hæmorrhagiam aliquam, tandem cum aliquo impetu eduxi ſubſequente hæmorrhagia, cui ſtatim occurrit *D. Rickius ſuo pulvere ſanguinem ſiſtente, quem madefecit aqua fontana illoque ceu linimento imbuit fruſtulum fungi, crepitus lupi dicti*, eoque narem obſtruxit, unde protinus ſanguis ſubſtitit. Corpus extractum membranâ obductum erat, tophus lapideus unciâ longior, latus unciam unam, alicubi craſſitie pennæ anſerinæ, alibi craſſior, inæqualis, ubi oſtium naris reſpexit, niger fuit, inpoſtica parte ſubflavus. Credimus in nare concretum ac radicem dentis in narem perviam, ex muco narium, non ſecus ac tophi incuriis circa dentes concreſcere ſolent. Veritatem penitus explorare nequii, quia paulo poſt domum profectus fui. *Pulverem ſanguinem ſiſtentem ita conficit: ℞. Stercoris ſuilli recentis, quantum ſufficit ad implendam cucupham pilei, cucupham funiculo ſtringit & arctè claudit, & in fornace figuli exſiccandam curat: poſtea cucupham cum excremento in pulverem redigit ac ad uſum ſervat: Vir optimus* ſanctè aſſeveravit hunc præ cæteris ſe ſemper efficacem comperiſſe, quod protinus quoque hic evenit.

Die 27. Mart. 1680. Exc. D. D. Matthæus Faber, Phyſic. Heilbron. & Sereniſſ. Ducis Würtemb. Archiater Heilbronnæ oſtendit lapidem longiorem & latiorem ac craſſiorem ex nare fœminæ extractum.

Die 29. April. 1680. ſcribit Exc. D. D. Elias Rudolphus Camerarius reliquias calculoſas cum excreſcentia carnoſa *à D. Abrahamo Riekio Conſule & Chirurgo Tübingenſi præſtantiſſimo* exſtirpatas fuiſſe, illumque comperiſſe calculum hunc naris communionem cum dente maxillæ ſuperioris habuiſſe.

OBSER-

OBSERVATIO CXCIII.

Hæmorrhagia Narium.

ANte annum ſymptoma morboſum valetudinis læſæ *per Dominum Cognatum Exc. Veſtræ, Stutgardiæ tunc degenti*, enarratum, ſpem mihi fecit, *reditu in Patriam per Tübingam Exc. Veſtram* ipſemet ut poſſim de hoc conſulere, ſed inverſo itinere hucuſque fruſtra ſolatium exſpectavi, narratio illius ſymptomatis forſan mente *Exc. Veſtræ* excidit, quæ nunc *per harum latorem Filium meum* ſic ſe habet. Moleſtiſſimâ & periculoſiſſimâ Hæmorrhagiâ narium per longum tempus gravatus ſum, ut impetuoſus & continuus ſanguinis fluxus *nullo remedio* coërceri poſſit, quo debilitato jamjam calore nativo, diſſipatisque ſpiritibus tam vitalibus quam animalibus vitâ deceſſiſſem, niſi lypothymia fortis profluxum ſanguinis repreſſiſſet. Affectus hic potius ſymptomaticus quam criticus eſt, propterea ſummoperè & quam humaniſſimè *ab Exc. Veſtra* expeto *Conſilium fide & rationibus, pro more, elaboratum*, ut tam *ad præſervationem quam curationem mali, quantum poſſibile, neceſſaria & utilia* adhibeantur. Ultimus paroxyſmus per 7. horas durans fiebat 13. *Nov.* 1687. ubi *Conſilio & medicamentis Exc. D. D. Camerarii Tübingenſ.* bono cum fructu uſus fui, quorſum *medicamenta data* intendebant, ex ſeq. liquet. *Ex relatione per D. D. Efferhem, Phyſicum noſtrum, ipſi factâ* neceſſarium duxit, texturam ſanguinis laxiorem & fluidiorem corrigere, ſpiritus ad orgaſmum pronos refrœnare, debiles, diſſipatos & diſperſos colligere, reſtaurare, viſcera ſanguinem generantia & depurantia ad priſtinum munus debitum reducere: ideo *ſeq. medicamenta* ordinata fuêre.

1. ℞. *Spec. Roſ. novell. Diatrion. ſant.*
Diarrhod. Abb. C. C ☉at. ãã. ʒß.
Unicorn. foſſil. ʒij. ſang. Drac. opt. ℈ij.
Sacch. cand. viol. ℥j. Coral. rub. ppt. ℥ß. Fol. ☉ No. vj.

Mſc. F. Tragea hor. 6. ante & 4. poſt meridiem ʒß. ſumend. ſuperbibend. aq. plantag. cochl. iiij.

Item hor. 9. ante meridiem juſculum carnis vel pullorum, alteratum herb. acetoſ. & centumnod.

2. ℞. *Conſerv. rad. cichor. roſ. r. antiq.* ana. *℥iß.*
Nuc. Ind. condit. ʒiß. ſyr. è roſ. ſicc. q. ſ.
Mſc. F. Elect.

3. Durante fluxu ſanguinis *Aq. ſeq. cum pulv.*

℞. *Aq. Hyperic. ſenecion.*
Plantag. ana. ℥iß. *ſyr. è roſ. ſicc.* ℥ß. *Mſc. D.*

℞. *Unic. foſſ. terr. ſigil. lap. hæmatit.*
Spec. diatr. ſant. tab. man. Chr. perl. ana. ʒß. *Mſc. D.*

Aqua cum pulvere nil ſolaminis in paroxyſmo fecerunt, ſed inſecuta lypothymia ſanguinis profluvium ſiſtit.

Vere præterlapſo Potiuncula laxativa cum V. S. eventilatoria & poſtea ſupra laudata Tragea, ex his *Deo ſit laus*, ab hæmorrhagia hucuſque placidè vixi.

Cum autem Hepar debile ſemper multùm ſeroſi & volatilis ſanguinis, facilè in effervescentiam & ebullitionem prolabentis, gignat, & ſpiritus vitales & animales largiter deperditi adhucdum in debito non ſint ſtatu, neque vires reſtauratæ, conſultius exiſtimo, in hoc rerum ſtatu, protracto ad ann. 62. jam ſenio, & in multis laboribus, periculisque pleno & difficili per 37. ann. Miniſterio præſtito, *remediis congruis* ſanguini ebullienti & æſtuanti obicem ponere, materiam peccantem, ſanguinem ad motum talem incitantem, evacuare, imprimis tunc cerebrum atque hepar confortando, in debito tenore, quantum fieri poteſt, conſervare. Circa quæ *judicium exaſciatiſſimum & fidele conſilium ab Excell. Veſtra* exſpecto, (oculi enim plus vident, quam oculus) *num præter ſupra laudata Exc. D. D. Camerarii remedia aliquid inſuper utendum ſit ad imminentem paroxyſmum evitandum*: optimâ ſpe fretus, *Excell. Veſtram* pro laudabili conſuetudine & dexteritate id fideliter communicare non dedignari, quod omni ævo ſummâ cum gratiarum actione laudabo atque deprædicabo. *Cæterum &c.*

Excell. Veſtræ

Reutlingæ d. 22. Aug. 1688

Addictiſſimus
M. Joh. Jacob. Fiſcher,
Paſtor & Decan. Rev. Capituli ibid.

Reſpondi d. 14. *Sept.* 1688.

HÆmorrhagiæ hujus enormis, nullâ unquam prægreſſâ violentiâ, ſc. contuſione &c. ſeu potius cauſa proxima reſerans inſigniter vas quoddam ſanguiferum intra nares, valde obſcura eſt, vel certè *ex literis* apodicticè definiri nequit. Certum eſt ètiam ſaniſſimum ſanguinem admodum fluxilem & prætenuem eſſe, nam per minutiſſima & oculos

los fugientia capillamenta arteriarum quaquaverſum ſanguis motu continuo pellitur, ab æquè minutis capillamentis venarum & vaſorum lymphaticorum ſeu reſorbetur ſeu recipitur, ulteriusque propellitur, donec ad cor redeat. Inſuper tum ſerum ſanguinis, tum illa portio, quæ in grumos concreſcere ſolet, flammam concipit, quod non ſolum inde patet, quia actu calidus eſt, ſed inſuper tales particulas illi ineſſe ad oculum demonſtrari poteſt, nam grumi ſiccati & præ illis ſerum toſtum manifeſtè flammam concipit,denique ſerum & grumos ſanguinis acres & ſalſuginoſas particulas continere guſtu percipitur antequam ſiccetur, ſed amplius ſi ſiccetur, atque deſtillatione dextrâ etiam ex ſaniſſimi hominis ſanguine multum ſalis volatilis & aliquid fixi colligi poteſt.

Fortè tamen maſſa ſanguinea *Rev. Domini* aquoſior debitò eſt, nam officio per 37. annos multa adverſa pertulit, graves labores ſubiit, non ſine periculis, vitam ob aſſidua ſtudia maximam partem ſedentariam duxit, unde inſenſilis tranſpiratio impedita & ſudores ſuppreſſi fuerunt. Imprimis ob largas ſanguinis profuſiones debilitata ſanguinis præcipua virtute ſcil. calore & perditis ejus ſpiritibus, in profecta hac ætate ſanguis aquoſior productus fuit, nam ſanguinem penes quem calor & ſpiritus ſunt, non viſcera chylum in ſanguinem vertunt, ut plures credunt, egoque pridem *publico ſcripto* demonſtrare conatus ſum. An ſanguis verè aquoſus ſit? ulteriorem inquiſitionem meretur, quod facilè innoteſcet *Medico præſenti* ex cachexiæ ſignis: ob ebullitionem aut efferveſcentiam quandam ſanguinem vas aperuiſſe, ſtatuere vel inde nequeo, quia hæmorrhagia hæc derepentè & inopinatò citra prodromos contingit, nulla enim mentio fit æſtus præcedentis, aut cephalalgiæ, aut vertiginis, aut laſſitudinis alicujus. Acrimoniam accuſare quoque non poſſum, quia ignarus ſum temperamenti congeniti, victûs rationis, aliorumque ſignorum ſanguinis acrioris *Rev. Domini.*

Quid ſi propter obſtaculum quoddam in capillamentis arteriarum, ſanguis in capillamenta venarum & vaſorum lymphaticorum tranſitu prohibitus, illa quaſi in aneuriſma diſtenderit, quod tandem ruptum hæmorrhagiæ anſam dederit; nam in hac arteriam reſeratam credo, quia admodum impetuoſa eſt, nec *ab ullo remedio* ſiſti poteſt, ſed à ſola leipothymia ceſſat, ſcil. poſtquam cor quaſi enervatum ſanguinem ulterius propulſare amplius nequit. Aneuriſmati anſam dare potuit multa ſcriptura profundius pronato capite. Ex arteria ſanguinem exſilire conſtabit, ſi ſanguis vaſculo exceptus plus ſeri habebit, quam aliàs ex vena emiſſus. Ætate hac profecta & in anno climacterico magno occurrendum ob periculum hydropis & apoplexiæ, vitæ balſamo tam largiter profuſo, *Purgetur*

 ℞. *Syr.*

℞. *Syr. roſ. ſ. ſ.* ℥iij. *Diaſenn. de cichor. c. rh.* ana. ℥iß.
Extr. diacarth. ʒj. *Aq. Agrim.* ℥iß. *cinam. bugl.* ℥ß.
Doſ. per 3. vel 4. d. mane cochl. iij. vel iiij. ut per vices ſerum educatur. V. S. ter in Anno ſcil. Menſ. Octobr. Febr. & Maj. educendo ad ℥iiij. Utatur *Trag. & elect. D. D. Camerarii. Inſuper gelat.*

℞. *Limat. C. C.* ℥iiij. *infund. in aq. font.* ℔iij. *per noct. mane add.*
Rad. conſol. maj. tormentill. ana. ʒij.
Herb. centumnod. equiſet. Agrimon.
Flor. hyperic. ana. P. j. *ſem. fœnic.* ʒj.
Conſ. roſ. r. ℥ij. *paſſul. maj. exac.* ℥j.
Ichthyocoll. ʒij. *inciſ. & contuſ. coq. ad conſ. dim. lento prunarum calore, col. add. conf. de hyacinth. c.* ʒj. *vel ij. d. mane cochl. ij. ſuperbibat juſculum.*

Reficiatur cibis boni ſucci, facilis coctionis. Vitet iram.

In Paroxyſmo detur *Emulſio cum decoct. Ichthyocol. parata*, omiſſo vino, detur *pulv. corall. ſang. drac. unic. foſſ. cum aq. centumnod.* prodeſt quoque *digitorum ligatura*, *it. liquor ſtyptic. Weber.* Si vires concederent ſtatim *ſecarem venam in pede* : quietus maneat.

OBSERVATIO CXCIV.
Hæmorrhagia Narium.

ILLuſtriſſimus Dominus Joh. Ludovicus Comes de N. ſtaturæ longæ, gracilis & valde macilentus, nephritidi obnoxius ; à multis annis plurimum muci intra nares colligit, eſt ille viſcidiſſimus, craſſus, turbidus, niſi illum ad excretionem promoveat, in cruſtam denſiſſimam concreſcit, quæ poſtea vix ſine hæmorrhagia, cui aliàs obnoxius eſt, avellitur : ſubindè etiam hæmorrhoides fluunt. Veſcitur cibis optimi ſucci, in pauca quantitate, parum bibit & vix ultra Libram vin. aq. coct. diluti. Fœces alvinæ plerumque induratæ, unde ani procidentiam contraxit : ſiticuloſus eſt & ſæpe fauces ſicceſcunt, non tamen extra paſtum bibit. Frequenter utitur *gelat. C. C. it. ol. amygd. dulc. cum ſyr. dialth. pap. err. & pulv. Nephrocath. ſemel in ſeptim.* Ob metum arthritidis, cujus ſubindè reliquias percipit, defluxiones crebras & quandam pedum imbecillitatem, raro exercitiis utitur, loco illorum portatur hinc inde per hypocauſtum : tota hac hyeme nunquam in publicum ivit. Interea caput multum defatigat meditando & dictan-

do

do in rebus difficillimis *Rempublicam* ſpectantibus; unde caput ſæpè valdè gravatur, dolet in occipite, quandoque in illo punctiones ſentit, urinam habet plerumque pallidam, craſſam, turbidam, ſubſidente nunc materia furfuracea, nunc farinacea alba & lapillis albis. Extrema facilè frigent, niſi probe muniantur contra frigus, facilè rurſus incaleſcunt. Intus ſemper ſentit quendam calorem & à calidis aſſumptis valde læditur. Plus plerumque mingit, quàm bibit, aut liquidi comedit. Ætatis ſuæ 56. annor. eſt 1683. Ab aliquot ſeptimanis ab acribus humoribus non ſolum in capite ſed etiam in artubus plus quam antidhac patiebatur, ſimulque venæ manuum valde intumuerunt, manusque ipſæ mane tumebant. A motu ambulatorio aut alio levi exercitio humores inquietiores evaſerunt, imprimis poſt exacerbationem doloris in rene dextro & in hypochondriis, ob quam portationem in ſella mane & veſperi primùm vix tolerare valuit, durante hac portatione magis doluit circa ventriculum, in dorſo verſus ſcapulas, eructavit multum, ob ſiccitatem faucium vix deglutire potuit, & carnes non niſi cum pulpa pomorum idque cum nauſea & aggravatione ſtomachi. Nihilominus continuabatur portatio iſta, & plus ſolito bibit, ſed non ultra Libr. j. vini bene aq. diluti. Tandem inde levamen percepit. Totâ hac hyeme minus à catarrhis & tuſſi vexabatur, quod tribuit *gelat. C. C. & lact. aq. dilut. cum paux. ſacch.* naribus attracto hæmorrhagiam narium evitavit. Non omiſit quoque *Antinephritica.*

Die 9. *Febr.* 1685. Interdiu gravamen quoddam pectoris ſenſit, poſt medium noctis ter ſine ulla cauſa antecedente hæmorrhagiâ narium correptus fuit, quâ ex nare dextra ad unc. iij. effluxit ſanguis conſiſtentiâ bonus, rutilus. *Die* 10. *Febr.* interdiu nihil ſanguinis effluxit, circa 3. noctis rediit ut & mane 11. *Febr.* rurſus unc iij. circiter excretis, ſine debilitate, æſtu, aut alvi conſtipatione. Adſcribit hæmorrhagiam hanc portationi, copioſiori potui; neutiquam continuis occupationibus in rebus graviſſimis *Imperium Romanum* ſpectantibus, nec hypocauſto in quo tota hyeme morabatur. Aggravatio & faſtidium ciborum augebantur. Circa 12. noctis largior hæmorrhagia quàm unquam invaſit. Effluxerunt ultra Libr. iij. ſanguinis floridi quidem ſed tenaciſſimi cum multo ſero. Exhibebatur *Mixtura ex aq. equiſet. burſ. paſtor. lap. hæmat. corall. ſang. dracon. conf. de hyacynth.* ligabantur brachia, carpi, medium corpus, *cucurbitæ ſiccæ & clyſt.* applicabantur, tandem cum inſtar torrentis ſanguis ex utraque nare & ore emanaret, *V. S. in brachio dextr.* unde hæmorrhagia brevi ſubſtitit: ſanguis V. S. emiſſus non ut aliis vicibus muco ſubviridi operiebatur, ſplendidus erat cum ſero mediocri, vix V. S. deligata denuò ſanguis

guis ex vulnere erupit. Pulſus nunquam mutabatur niſi hor. 7. poſt ſuppreſſam hæmorrhagiam, manſit naturalis, poſtea evaſit freq. cel. parvus, renitens tamen.

Die 12. *Febr. Ipſum veſperi conveni:* naſus frigebat, facies pallebat, pulſus frequens, cel. ſed renitens. Cœnavit cum appetitu, bibit *Emulſ. paratam cum juſcul. in quo caro vitul. & ichthyocoll. coct.* ſumpſit *de mixtura ex corall. ſang. dracon. ſyrup. corall. aq. equiſet. burſ. paſt.* Poſt cœnam hor. 9. nullum gravamen, nullam punctionem in capite ſenſit, nec tenſionem in fronte, noctu dormivit.

Die 13. *Febr.* Hæmorrhagia ſubſtitit, craſſum, viſcidum, turbidum mucum ſcreatu excrevit: naſus calidus, pulſus robuſtior, minus frequens. Ante meridiem ſurrexit, unde propè in leipothymiam incidit, facies jam cadaveroſa, extrema frigida, tinniebant aures, verum ſtatim vires recuperavit decubitu in vicinum grabbatum: pranſus eſt bene, poſt prandium aliquot paſſus non ſuffultus inceſſit, & non niſi de vertigine querebatur. Quies optimè conducit: veſperi cor palpitavit, venæ rurſus turgidæ, labia & ungues rubent. Cœnavit bene. Alvum exoneravit cubitum iturus, fœces erant molles in ſpiras contortæ, gryſeæ: noctu bibit *emulſionem* ſumpſitque *de mixtura:* dormivit ſed inquietius, & muci aliquid exſcreare valuit.

Die 14. *Febr.* mane ſine damno emunxit nares, poſt horam cum alvum nixu quodam ſolveret, hæmorrhagia rediit, ſed parciſſima & vix ad unc. dimid. ſanguis ſtatim coagulabatur, dedi *cochl. ij. mixturæ,* non ligavi digitos, ſanguinem inſtillavit *ligno fraxini calefacto:* ſurrexit circa 10. inceſſit ſine fultura, alvum bis rurſus ſine damno ſolvit. In urina pallidâ, turbidâ, lapilli duo lenticulares ſubſiderunt. Pranſus eſt bene, poſt meridiem optimè habuit quietius, cœnavit benè, mirè ſapit & reficit *emulſio.* Poſt cœnam valide tuſſire cœpit, ejecit multum ſputi craſſi, turbidi, lenti, nocte quoque plurimum tuſſire cogebatur, unde ſomnus turbabatur, ſputum erat craſſum, viſcidum, nulla ſecuta hæmorrhagia: poſt medium noctis dormivit.

Die 15. *Febr.* Mane benè habuit, emunxit ſed blandè, nihil cruoris ſequebatur. Urina turbida, pallida cum aliquot lapillis: ſummo mane ſumpſit *liquorem cum corall. r. &c.* Poſt 7. *juſc. cum gelat. C. C. ichthyocoll.* Noctu multùm tuſſiit.

Die 6. *Febr. Butyri ſaccharati beneficio* omnes cruſtas prolicuit ſine ulla cruentatione. Benè habuit, multos lapillos ſulphureos cum ſedimento farinaceo excrevit. Alvus aperta, ſitis & ſiccitas remiſerunt, plus appetit ac dum vinum biberat: minus tuſſiit, dormivit.

Die

Die 17. *Febr.* In urina lapilli erant, fœces molles, gryſeæ, in ſpiras contortæ: habitus totius admodum emaciatus, omnia oſſa tangi poſſunt & cutis etiam in dorſo complicari valet, abdomen retractum: hypochondria mollia, plane febris expers, utcunque ſummè macilentus ſit: poſt meridiem rurſus alvum ſolvit copioſe, fœces primæ maximam partem gryſeæ & fuſcæ in ſpiras contortæ; ultimæ flavæ, pultaceæ, quarum excretione ſe pondere hypochondriorum levatum ſenſit; veſperi rurſus rejecit, fæces paucæ fuſcæ in cylindrum formatæ erant. Urina clara ſubflava cum lapillis bis poſt meridiem excreta fuit. Aliquoties ſolus inceſſit & obambulavit. Circa 9. noctis admodum ſomnolentus fuit. Paulo ante ſomnum ſumpſit *de mixt.* ▽ *cum corall. r.* &c. dormit melius quam toto hoc decubitûs tempore: ſummo mane circa tertiam ſumpſit *Conſerv. roſ. parum.* Expectoratio facillima.

Die 18. *Febr.* mane emunxit nares prius *indito butyro*, mucus & cruſtæ ſine ulla cruentatione promptè ſuccedebant. Fœces alvinæ mane fuſcæ, molles, urina turbida cum ſedimento farinaceo, arenulis flavis rotundis, in mictione ſenſit leviculum dolorem, credit lapillos ſucceſſuros. Hor. 7. ſumpſit *gelat. C. C.* Toto die ſatis commodè habuit; dejecit ſemel primum mucum, poſtea ſcibala rotunda, ſcil. mucum ex glandulis inteſtini recti exſtillatum & ex hæmorrhoidibus, nam in illis ardorem ſenſit. Nocte dormivit, non tuſſiit.

Die 19. *Febr.* mane fœces alvinæ erant globoſæ, molles tamen, copioſe minxit, in urina multum ſabuli ſubſidit cum ſedimento farinaceo. Ex nare ſiniſtra emunxit mucum planè viridem copioſum, craſſum, viſcidum, ex dextra minus viridem, pauciorem minusque craſſum. Pranſus eſt & cœnavit ſatis benè, ſuâ ſponte è lecto ſurrexit, obambulavit, queritur potiſſimum de capitis debilitate, ſi diutius loquatur & diſcurrat de rebus gravioribus, quod intermittere non poteſt. Noctu benè dormivit & melius quam unquam.

Die 20. *Febr.* Mane alvum ſponte ſolvit: fœces coctæ, globoſæ, molles. Urina turbida cum ſedimento arenoſo & farinaceo. Mane obambulavit ſolus. Poſt loquelam fauces ſiccabantur lingua humida manente: pulſus optimus, diſceſſi.

Reſolutio.

HÆmorrhagia *Illuſtriſſimo Domino Comiti* à puero ad provectam usque ætatem admodum frequenter obvenit, ſed nunquam tam larga, & plerumque ſuâ ſponte ſubſtitit, nec vires proſtravit. Ab aliquot annis rarior fuit, & non niſi parva quantitate vixque ultra unc. unic. exſtillavit, ſi anſam dedit violenta cruſtarum eductione parvo di-

gito aut violentiore emunctione. Cum itaque hoc tempore citra cauſam externam violentam prægreſſam tam largam primum ex nare dextra, poſtea per ſiniſtram ſimul, quin etiam ad fauces ingentem ſanguinis profuſionem paſſus ſit eamque ægerrimè auxiliis cedentem, non ſine virium proſtratione, neceſſum ut graves cauſæ ad illam efficiendam concurrerint.

Cauſas. I. Sanguinis abundantiam inſignem in vaſis concluſam, nam habitus corporis admodum macilentus à primis unguiculis fuit, & jam à longo tempore macilentior evaſit, unde qui ſanguini & pinguedini impendendus fuiſſet, in vaſis reſtitit: venæ admodum turgent, etiamſi nec ligentur, nec corpus multum moveat aut incaleſcat. Et licet non multum comedat, nec multum bibat, comedit tamen hujusmodi cibos, qui multum nutriunt & boni ſucci ſunt; inſuper ob defluxiones ad artus & truncum corporis dolorificas ab exercitiis corporis jam à longo tempore abſtinuit, & ſi quà quædam inſtituit, illa levicula erant, quibus vix calor ſuſcitatus fuit, ut taceam vel tantillum illorum beneficio ſanguinis conſumi potuiſſe: denique ſuppreſſæ erant jam diu conſuetæ ſanguinis evacuationes per nares & hæmorrhoides, & ſi fortè contigerunt, non tamen tantæ erant, quæ ejus abundantiam exhaurire valuerint, cui quoque impares erant *V. S. Vere & Autumno inſtitutæ.*

II. Licet fortè plethora quoad vaſa tam enormem hæmorrhagiam efficere ſola nequierit, acceſſit ei ſanguinis acrimonia, quam evincunt *Illuſtriſſimi Domini Comitis* temperamentum calidum & ſiccum connatum, mora tota hac hyeme in hypocauſto, uſus ciborum inflammabilium ſc. juſculorum ſatis pinguium, quibus frequenter *gelatinæ* addebatur, carnes minutim conciſæ; potûs paucitas, nam vix Libr. j. ſuperavit; urinæ copia potulentorum quantitatem ſuperans, unde ſanguis magis aduſtus fuit, ſymptomata ſanguinis acrioris effectus, ſcil. dolores non ſolum ad articulos ſed etiam ad partes intermedias artuum & truncum frequentes, ab illo tempore ex quo arthritidem vagam expertus eſt, indies increbeſcentes, quamvis illarum cauſa nunquam decumbere cogeretur *ab anno* 1659. *hucuſque*, ſpaſmi ſurarum ex levi etiam deambulatione evenientes, ſiccitas faucium & ſitis creberrima etiam matutino tempore, fœcum alvinarum exſiccatio, inappetentia, carnium faſtidium, impetigo ſicca in interclunio. Læſio à vino etiam 3. aquæ parte diluto, protinus cephalalgia & dolores partium augebantur, adeo ut ſibi à potu temperare cogeretur, licet ſitis illius potum exigeret, imo vix epoto cyatho protinus rurſus ſitiit. Non ſolum autem vinum ſed & alia calida ipſum lædebant.

Sanguis copiâ & acrimoniâ peccans intra nares, per oſcula vaſorum impe-

impetuoſe erupit: quia III. acceſſit ſanguinis efferveſcentia quædam, quæ inde manifeſta evaſit, quod *poſt venam ſectam & deligatam* præter morem & jam plurimo ſanguine profuſo denuo ſanguis cum impetu erupit, deinde ſuperficies ſplendidè rubuit, ſecus ac à plurimis annis V. S. conſpiciebatur, denique manus poſt tantam hæmorrhagiam adhuc fervebant. Juvarunt fervorem & acrimoniam compeſcentia ſcil. *V. S. Emulſio amygd.*

IV. Potius ſanguis abundans acris & efferveſcens in naribus exitum quæſivit, quia pridem per hæc vaſa ſe exonerare conſuevit, & *Illuſtriſſimus Dominus* ab aliquot annis ſingulo mane cruſtam *lacte aqua diluto add. ſacch.* emollire & fortiter emungere ſolebat, quandoque cruſtas vi avulſit, unde pars debilitata.

Quoniam à 12. *Febr. ad* 19. *Febr.* hæmorrhagia ſubſtitit & hactenus ſine recidiva nares fortiter emunxit; quia quoque *ab aq. ſtiptic. ex equiſet. burſ. paſt. add. corall. r. ſang. drac. & ſyr. corall. & potu emulſ. cum decoct. ordin. & juſcul. carn. vitul. cum ichthyocol.* ſiccitas faucium, ſitis, ἀνορεξία remiſerunt, & alvus rite aperta eſt viresque redeunt, aliquandiu his pergendum *ſcil. ad* 28. *Februar.* Atque unicè cogitandum erit, quomodo impoſterum maſſa ſanguinea acrior cauſa plurimorum ſymptomatum ſcil. dolorum, ſpaſmi, ſiccitatis faucium, ſitis intempeſtivæ, imo macilentiæ, corrigenda ſit. *Remedium optimum* fore videtur *Lac ea ratione, qua illud Illuſtriſſimus Dominus Comes Franc. Carl. de Fürſtenberg bibit,* ſpero illud toleratum ab ipſo iri, quia vinum jam diu *decocto dilutum* bibit, gulæ imperare novit, & hactenus nec minimum ſymptoma *à potu emulſionis* perpeſſus eſt, imo multa evanuerunt brevi hoc ſpatio ſimulque inde vires recuperat.

Si hæmorrhagia ſponte vel à cauſa externa redeat, 1. ſtatim vinum ſubtrahatur, detur *emulſ. cum juſcul. ichthyocoll. cum decoct. parat.* 2. Detur *ſingul.* 3. *horis cochl. j. vel ij. mixt. ex* ▽ *& corall. r. &c. memoratæ.* 3. Ligentur per intervalla digiti, carpi, fœmora, pedes illorumque digiti alternando. 4. *V. S.* ſi ſanguis valde inquietus ſit. 5. Intra nares fletur vel *cum turunda album. ovi imbuta pulv. ſterc. ſuilli cum pileo combuſti* indatur naribus.

Sublatâ hæmorrhagiâ ſumi poſſent *mane & veſp.* 5. *pil. ex corall. ſang. drac. ſucc. fol. quern. inſpiſſ. parat.* Semper quies ad reparandas vires *præſtantiſſimum remedium* erit.

OBSERVATIO CXCV.

Coryza propè continua.

REv. D. *Joh. Baptiſt. Härith Parochus Neuſtadienſis, nunc Capellanus Stülingenſ. d.* 22. *Jun.* 1678. Staturæ mediocris, gracilis, temperamenti calid. & ſicci : temperanter vivens, pulſum habet naturalem, urinam tenuem. Catarrhoſus, adeo ut coryzæ & defluxionibus capitis valde obnoxius ſit, cum oculorum & naſi ſtillicidio, tunc nec legere nec ſcribere, imo lucem vel lumen quoddam vix adſpicere poteſt, caput vaporibus impletur, ad crepaturam quaſi uſque, ac ſi oculos naſumque protrudere vellet, tali ardore, ac ſi plena igne eſſent omnia, & flammæ ex oculis erumperent. Hoc illi accidit inæqualiter at ſæpius, interdum 1. 2. aut plures dies, imo ſeptimanas perdurat; imprimis oritur, ſi aliquot diebus plus ſolito legit & ſcribit, maxime luce nocturna, aut ſi calore ſolis & ambulatione æſtuatur.

Si invaditur hac coryza, prægreſſa die plus ſitit, nares pruriunt, ac ſi ſem. ſynapi ori inhæreret, vaporque acris feriret nares, quo oculi naresque ſerum fundunt. Durante coryzâ plus ſolito ſitit, ſed ſi bibit, oriuntur in cerebro exhalationes, ac ſi potulenta in lapidem calentem effuſa fuiſſent, quibus magis caput oppletur. Quomodocunque caput ardet & incaleſcit, facies pallidior & decoloratior remanet.

Præterea caput dolet continuò & ſine intermiſſione gravatur, vertigine, oblivione, oculis debilibus infeſtatur, quandoque præterlapſa vix recordatur, imò difficile meminit præſentis diei. Interdum gravari ſentit circa frontem & tempora ad orbitam oculorum uſque, maximè in ſincipite, ubi illi videtur, è longinquo ſtrepitum aquæ vel venti audire. Facilè corpus æſtuatur à calore ſolis vel aliquali actione, ut montium adſcenſione, tunc deterius fit, & in capite pulſat, ac ſi ulcus ibi contineatur, vel in vaſe clauſo ebulliat liquor. In pectore gravitas & dyſpnœa, maximè montium & ſcalarum adſcenſione caput dolet. Tuſſit quandoque, magis brevi perpeſſâ coryzâ. Si elata voce loquitur vel precatur, omnibus momentis in tracheam portio ſeri defluit, ut deglutire vel ſcreare opus habeat. Ventriculus plus eſculenta quam potulenta perfert, quandoque non optimè ſe habet, licet nullius exceſſûs ſit conſcius : frigidis, maximè verò calidis læditur facilè.

Reſolutio.

IN hoc temperamento calido & ſicco, gracili & tenero, videntur in naribus theculæ ſeu favi excretorii ampliores & hiantiores debito

eſſe

eſſe, & ſerum in maſſa ſanguinea tenuius, undè perpetua coryza adeſt, vixque illum penitus derelinquit. Et videtur non in uno loco ſe hoc ſerum exonerare, ſcil intra cranium, unde levi ex cauſa caput aggravatur, ſenſus fluctuationis intra cranium, memoria debilis & cerebrum mentis operibus intentum læditur. In faucibus materiam præbet muco: intra pectus cauſa tuſſis evadit, & aliquam dyſpnœam efficit: à frigore læditur, quia effluvia feroſa detinentur, introrſum pelluntur, à calidis verò ſerum magis funditur.

In hoc affectu ſerum evacuandum per alias vias. *Purgando lenioribus ſc. decoct. ſenn. tamarind. diureticis temperatis ſc. cichoraceis. Fonticulo.* Sudore leviculo *mane rob. ſambuc. diaphoretico ex diaphor.* ♃. *Bol. C. C.* Inſpiſſandum *potu lact. bol. conſerv. roſ. fl. bellid. min. crem. hord.* Fugienda omnia calefacientia, ſiccantia, acria, ſalita &c. ſp. vini, vina generoſa, omnes exceſſus frigoris & caloris.

OBSERVATIO CXCVI.

Narium Obſtructio.

D*Om. Emanuel König, Bibliopola Baſil.* 76. annor. ſtaturæ mediocris, ſatis carnoſus & benè coloratus, à puero faſtidivit carnes. Frequenter quoque tuſſiit à longo tempore, tuſſimque vel ſola imaginatione accerſere poteſt. Imprimis verò hyeme tuſſis permoleſta eſt, & protinus affligit, ſi pedes frigeſiant, unde propemodum tota hyeme domi hærere cogitur. Maximè ipſi moleſta eſt narium occluſio, ob quam non indormiſcere poteſt, & ſi fortè obdormiat, mox tamen ſomnus interrumpitur, *ab exhauſtis aut injectis liquoribus acrioribus* prolicitur nonnunquam mucus tenaciſſimus, & licet tum aliquandiu nares patulæ ſint, mox tamen iterum occluduntur. Nuper *attractis* ⊖ *vol. C. C. effluviis* diu depravatum obtinuit odoratum. Narem dextram vidi ferè occluſam à Sarcomate pinnæ exterioris majore ſed molli, idem ſarcoma occupat quoque internam partem pinnæ ſiniſtræ, neutrum tamen ita comparatum eſt, ut *vel ferro vel igne* aufferri debeat. Quando naribus *liquores acriores* trahit, dolet circa os cribriforme & in occipite. Quando ſiniſtro lateri incumbit, dolet ſub mamma ſiniſtra, atque protinus in anxietatem labitur, quæ leipothymiam minatur. Cæterum ſatis temperanter vivit, non ſitit, nullam vertiginem nec cephalalgiam patitur. Acclivia ſcandens reſpirat facile, *Thermis* commodè uſus eſt ſæpiſſimè. Pulſus eſt æqualis, à paſtu paulo celerior, cor nunquam palpitat.

Reſolutio.

DUo ſunt affectus conſideratu digni, & vel præcipuè *Medicam opem* poſtulantes: narium ſc. anguſtia permoleſta, ſomnum prohibens & metum, licet vanum, gravioris mali incutiens. Dein debilitas decubitum in latus ſiniſtrum conſequens leipothymiam minitans. Narium anguſtia non pendet a polypo, cujus nullum veſtigium neque in naribus neque in faucibus apparet, nec à vero & præternaturali ſarcomate, in conſpectum quidem venit, ut in utraque nare intus ad latera pinnarum ibi, ubi ductus naſales inſeruntur, caro tumidior, ſed non penitus p. n. cum naturaliter his in locis reperiatur, verùm turgidior debito ab humore, qui naturaliter ex hac ſtillare ſolet. Præterea etiam corpora ſpongioſa ſeu potius lamellata cartilaginea, quæ membranâ infinitis vaſculis capillaribus decorata ſunt, & perpetuò fere mucum exſudare ſinunt, turgentiora ſunt, quæ aërem neque ad os cribriforme neque ad fauces ſupra cœlum palati transmeare permittunt. Quibus fortè mucus detentus ob anguſtiam & ab aëre è pulmonibus efflato in lentorem denſatus, accedit atque anguſtiam auget.

Debilitas decubitum in latus ſiniſtrum conſequens & leipothymiam minitans altioris indaginis eſt: quia hanc præcedit dolor ſub mamma ſiniſtra, in ſuſpicionem venire poſſet pericardium aqua plenum, ſi pulſus inæqualis & cordis palpitatio dolorem comitari ſoleret. In cerebro nullum vitium eſt, quod hic cauſari poteſt, nam licet ſenex, caput tamen nec dolet, nec gravatur, nec vertiginem patitur. In cavo pectoris cauſa quoque non latet, quamvis frequenter tuſſiat, nam libere reſpirat. Potius crederem acres humores vel pylorum vel etiam ſtomachum petere, ibique aliquam roſionem efficere, nam ſubinde his locis ſupra modum nervoſis læſis mamma ſiniſtra condolet, & ſi continuetur afflictio, cor in conſenſum rapitur, ut leipothymia conſequatur. Hujusmodi humores ad limbum pylori excurrunt ex ductibus bilariis & pancreatico, ad ſtomachum pertingere poteſt fermentum acrius è fundo ventriculi. Acribus humoribus illum abundare ſuadet faſtidium carnium & delectatio à piſcibus. Ambo loco facilius læduntur, quia frequenter à multis annis uſus eſt *pil. Francofurt.* quæ loca hæc denudant, & acrium humorum ipſæmet authores exiſtunt.

Ad anguſtiam narium auferendam nollem ſuadere *Errhina acriora*, cum inde tum lamellæ tum caro pinnarum interiorum magis intumeſcant, allecto ſcil. amplius humore, prout nimirum in ophthalmia venæ capillares turgidiores *acria* non tolerant. Uterer potius *refrigerantibus & demulcentibus ſcil.*

℞. *Fol.*

℞. *Fol. ſemperviv. maj. Mj. vel ij. Contuſis affund. Aq. nymph. roſar. portul.* ana. ℥ij. *Col. expr. add. Mell. roſ.* ℥ß. *vel* ℥. *Mſc.*

Vel ℞. *Lact. capr. rec.* ℥iij. *ſacch. cand.* ʒij. *Mſc.*

Vel. ℞ *Lact. vaccin.* ℥iij. *add cochl. j. hujus mixturæ.*

℞. *Ol. amygd. d. ſyr. viol. vel dialth.* ā̄ā. ʒij. *Aq. malv. equin.* ℥ß. *Mſc.*

Liquores iſti tepidè vel naribus attrahi vel ſyringâ injici poſſent. Vel interiora narium illinantur *butyr. rec. cui aliquid ſacch. admixtum ſit*, vel *penicillo* quo uſque pertingere licet blanda manu *hoc linimentum* indatur.

℞. *Album. ov. N. j. agitetur fruſtulo aluminis, donec craſſeſcat, add. ung. roſac.* ℥j. *acet. de litharg.* ʒij. *Mſc. diligenter in mortario plumbeo.*

Si *pulverem* exoptet, paretur *talis.*

℞. *Sem. Cydon.* ʒß. *Gumm. tragac. ſel.* ʒj. *Sacch. cand. alb.* ʒij. *Mſc. F. Ps. de quo ſubindè parum hauriatur.*

Propter debilitatem decubitum conſequentem optimè faceret in hoc ſenio, ſi ſibi familiarem redderet *tinct. ambr. & tinct.* ♂. *de priori mane poſſet ſumere gtt. vj. vel viij. cum aq. meliſſ. cui pauxill. de ſyr. flor. tunic. additum fuiſſet : de altera* ſumere poſſet *Veſperi hor.* 5. *gt. xv. cum pauxillo vini.*

Poſt paſtum prodeſſet *quandoque pulv. ſtom. Birckm. ad* ʒj. *cum pane toſt. & vin. madefact.*

Quando catarrhi cum narium obſtructione urgerent, vel maximè prodeſſet *Conſerv. ſuſpenſoria Craton.*

℞. *Conſerv. roſ. r.* ℥ij. *Conſ. majoran.* ℥j. *Ther. Andr.* ʒj. *Bol. Armen. Or.* ℥ß. *Mſc. diligenter. Doſ.* ʒj. *vel ij. tempore ſomni.*

Diætam accuratam obſervet : fruatur cibis euchymis & eupeptis, non tantopere frigidum aërem horreat.

Die 3. *Mart.* 1676. *ſcribit Dom. Æger. Ol. amygd. d. cum lacte* citò nares aperit, verùm cito rurſus ſiccantur : *ab uſu aq. cum ſucco ſempervivi maj.* diutius apertæ manent, poſtea illinit *linimento* : ſi clau-

ſis

ſis naribus lectum petat, indormiſcere nequit, ſi verò apertæ ſint, dormit. *D. D. Bauhin. ſuaſit ſyr. anodyn.* unde bene dormivit, ſuaſit inſuper *pot. laxat.* Morbus durat jam ultra ſemeſtre, unde impatiens fit, lubentius in publicum prodiret. *Pulvis* nares non aperit, *gummi* nimium adhæret. Utitur *Tinct.* ♂. *& ambræ diligenter.*

Reſpondi, ut pergeret *aq. cum ſucc. ſemperviv. It. ung. in aq. viol. coqui poſſent, cui add. ſucc. ſemperviv. rec.*

Die 24. *Mart. ſcribit* ſe per d. 8. uſum fuiſſe *liquore ex ſemperviv. cum aq. fontan. elicito & linim.* Siccitatem non ultra ſemihoram remiſiſſe, & mox rediiſſe: ait ſe propediem in publicum proditurum, *linimento* perrecturum, quod nares aliàs alternatim noctu apertas detinet. Ipſe adhuc conqueritur debilitatem à ventriculo & liene, unde etiam hac nocte dormire nequiit.

Scripſi, ut in publicum prodiret, *linimento* pergeret, contra debilitatem miſi *pulv. antiepilept. ex ♁ diaph. cinnab. nativ. diaph. ♃ al. C. C. ph. pp. oc. ♋. pp. &c.*

OBSERVATIO CXCVII.

Fœtor Narium.

Virgo, ut creditur, ex Regio Stemmate oriunda, 15. annor. teneræ conſtitutionis, facie pallidâ prædita. *Menſ. Januar.* 1682. *petit Conſilium.* A 5. annis fœtore narium afficitur, qui magis magisque creſcit, eoque jam pervenit, ut non ſolum adſtantibus, ſed & *ipſiſſimæ Ægræ* moleſtus & abominabilis fiat. Mucus emunctus ſtriis interdum cruentis mixtus, nonunquam ſanguini grumoſo nigricanti ſimilis valde fœtet. Nares pridem, etiam ante annum adhuc raro, etſi muco infarctæ eſſent, emunxit, unde ob muci detentionem ozænam enatam credunt domeſtici & familiares. Interdum in cute capillata capitis tubercula emergunt, illisque durantibus fœtor aliquantiſper ceſſat, quamprimum evaneſcunt. Fœtor redit moleſtior. Uſa *eſt purgantib. ceph. & antiſcorb. ex naſturt. &c. Pulv. ſtom. it. naſalibus ex ſucc. naſturt. &c. Aq. virid. Hartm. vel potius Plateri: Elæoſacch. pulv. ſternutator.* Ex horum uſu præcipuè aliquantulum remiſit, vel potius imminuebatur, non aufferebatur.

An Menſibus jam dotetur, non ſcriptum fuit: nomine Sereniſſ. Ducis Viduæ Würtembergicæ ſcripſit D. D. Joh. Georg. Gmelin, d. 28. *Dec.* 1681.

Reſo-

Reſolutio.

FOetor iſte narium non videtur vera Ozæna eſſe, vix enim credibile eſt, illum ab ulcere narium originem ducere, nam durat jam ultra 5. annos, in cujus temporis decurſu vix fieri potuiſſet, quin oſſa ſpongioſa narium, illarumque inſterſtitium, imo ſubjectum vomeri os palati carie affecta fuiſſent, cum membranæ, quibus oſſa operiuntur, tenerrimæ ſint, & caries etiam primo levicula longè lateque ſerpat, ſi oſſa admodum poroſa corripiat, imprimis in tenella ætate, adeo, ut caries latere non potuiſſet, ſed manifeſtè in oculos occurriſſet, quam tamen non obſervatam fuiſſe *ex hiſtoria* patet, & ſi quæ viſu aut tactu cognita fuiſſet, vix tacuiſſet. Inſuper vix toleraſſet *Aq. virid. Hartman.* aut ſaltem manifeſtè illam damnoſiſſimam comperiſſet: verùm, an patienter tulerit *hanc aq. ex hiſtoria* non patet, forſan plus de muco emunxerunt acria hæc, quàm naturalis excretio poſcebat: denique ſi ulcus cum oſſis carie conjunctum intra nares abſconditum fœtoris cauſa eſſet, non ſolum mucus emungeretur, ſed quoque ichor ſanioſus ſero lactis turbido ſimilis ſuâ ſponte exſtillaret, quale ulceris pus eſſe ſolet, quod caries maximè circa partes nerveas comitatur. Potiùs mucum intra cavernas labyrintheas narium cumulatum fuiſſe, veriſimile eſt, quia, quod naturaliter ex poris & glandulis harum partium exſtillare ſolet, copioſius effluxit & ob emunctionem neglectam detentus fuit, nam rariſſimè & diu nares non emungere ſolebat, unde non ſolum cavernæ dilatatæ fuerunt, ſed quoque ob moram mucus fœtorem contraxit. Muco copioſe materiam ſuppeditari ex tota maſſa ſanguinea, probabile eſt, quia faciei pallor *Sereniſſimam Virginem* cachecticam prodit. Materiam hanc, quæ ſerum ſanguinis eſt, non ſolum ſulphuream, ſed quoque valdè ſalinam *à D. Medicis* reputari, ſuſpicari licet, quia *foris & intus antiſcorbutica* adhibuerunt, præterea obſervatum fuit, puſtulis in cute capillata emergentibus fœtorem aliquantulum ceſſaſſe, ſcil. ſero hoc ſalino aliorſum derivato, denique ob ſalinam ſuam acrimoniam reſerat ſubindè oſcula vaſorum ſanguiferorum, undè muco ſubindè ſtriæ cruentæ permiſcebantur, imo ſanguis copioſior exſtillans, in grumum quendam atrorubentem induratur.

Indicationes igitur erunt in tota maſſa ſanguinea acrimoniam corrigendam, ſero vitioſo alibi exitum parandum, cumulatum intra cavernas narium mucum eluendum & porulos intra illas aliquantulum coarctandos. Ergo 1. Prodeſſent *antiſcorbutica ex. gr. conſ. cochl. acetoſ. acetoſell. add. diaph. ♃al. pulp. pom. aurant.* 2. Sero alibi exitus parari poſſet *Menagogis,* ſi menſes exitum affectarent, *ſpec. menag. aut diaph. ♂. ante novilun. exhibitis. Fonticulum* fortè detrectabit, aliàs

 utilis

utilis eſſet in tibiæ ſin. parte internâ. *An corpus multis purgantibus defatigandum ſit?* dubito, cum tenella ſit. 3. Elui mucus optimè poterit *lacte diluto aq. roſ. alb. add. pauxill. ſacch.* quod diligenter naribus hauriendum *non ſolum manè, ſed quoque interdiu idque calide.* Id proficuum & ſolum ſufficere comperi *apud Illuſtr. Dn. Com. de Sulz.* Si cruſtæ induratæ nares obſtruant, prius emolliantur *butyr. rec. cui aliquid ſacch. admixtum fuerit.* 4. Poruli roborari poſſent & ſine damno coarctari *liquore collyrio ſimili.*

℞. *Aq. Hed. terr. equiſet. roſ.* āā. ℥j.
C. C. uſt. ʒß. *lap. calam. tut.* ana. ℈ß.
Sacch. ♄ni ℈j. *Moſch. gr. j. Mſc. D.*

Aliquando Monacho amplas cavernas habenti, & fœtidiſſimum mucum cumulanti poſt elotionem indidi turundas imbutas colchotar. ⊕l. *prope edulcor. cum mell. roſ. mixt. cum fructu.*

In victûs ratione diſſuadenda ſalita, & fumo indurata imprimis, ut & abuſus ſaccharatorum.

OBSERVATIO CXCVIII.

Fœtor Narium.

Generoſ D. de H. 20. circiter annorum, *in Collegio Illuſtri* vivens, per aliquot annos in naſo (quem à natura depreſſum in ſuperioribus ac anguſtum habet) ulceroſam alit diſpoſitionem non quidem perpetuam, ut refert, modo enim ſe dolorem ceu excoriatæ partis ſentire, modo cruſtam emungere, modo cruorem, ſæpius malum emittere odorem, aliquando penitus nihil deprehendere dicit. Ab æſtu corporis, ſeu à ſole, ſeu per exercitium, ſeu per exceſſus (debauches) contracto malum odorem & ipſum affectum augeri obſervat. *Generoſiſſ. D. Parens,* ut *Tibi* hæc reſcriberem, & *Tuum peterem Conſilium*, me rogavit: rogo ergò proximè, quid ad mali hujus radicalem extirpationem ſuadeas, & an equeſtria ipſi indulgenda exercitia, tranſcribas, à *Dno Parente* gratitudinem expectaturus realem. *Vale &c.*

Excell. Tuæ

Tübingæ d. 19. Novembr. 1682.

Addictiſſimo
E. R. Camerario, D.

Reſolutio.

An ozæna ſit, dubito, cum jam ab aliquot annis durarit, nihilque exulcerati videatur, deinde quia non continuò fœtor, ſanies aut

cruor animadvertitur. Si enim ulcus adeſſet intra nares, pridem corpora fungoſa, cartilaginoſa, oſſeave carie affeciſſet, tenuiſſima enim membrana multis vaſis capillaribus veſtitur, quæ ab ulcere facilè & brevi tempore exederetur. Quia naſus depreſſus & in poſtica parte conſtrictus mucus intra anfractus haud ægrè detinetur, morâ inſpiſſatur ab aere potius per nares exeunte fervidiore, quam per illas attracto, atque in cruſtam abit, ſæpeque fœtorem contrahit. Copioſius cumulatur poſt exceſſus, & ſi corporis motu ſanguis fluidior reddatur, perpetuo enim madent, maximè in partibus poſticis, ut aliàs & nuper in capite cervino ac equino vidi. Cumulari liquorem citra exulcerationem jam aliquoties vidi, nunc in cruſtam, nunc in mucum tenacem craſſum concretum eumque fœtidum. *Illuſtr. Comes de Sulz.* à 23. ann. & ultra hanc moleſtiam paſſus eſt. *In curatione* præcipuum momentum conſiſtere obſervavi *in diligenti elotione muci*, quam præſtiti potiſſimum *lacte aqua diluto cum pauxillo ſacch.* naribus hauſto. *Illuſtriſſ. D. Comes digitale argenteum* habet ad hanc rem deſtinatum. *Elotio hæc* facienda *mane* poſtquam ſurrexerit, *&* *veſperi* antequam cubitum eat. *Evacuantibus & revellentibus* aliquid præſtatur, ſed non multum, quia continuò ſanguis in vaſa capillaria corporum illorum anfractuoſorum pellitur, & ex illis lympha tranſudat, *à nimio illorum abuſu* potius aliis partibus gravius damnum accerſiri poſſet, prout *Illuſtr. D. Comiti de S.* evenit; nollem tamen illa penitus intermitti, ſed moderatum uſum eſſe: prodeſſent *purgantia ſc. pil. cephal. ſemel in menſe poſt parcam cœnam à ℈j.* ſumptæ, *Hyeme, Vere & Autumno. It. V. S. Fonticuli* moleſti eſſent in hac ætate & equeſtribus exercitiis deſtinato, quæ non intermitenda arbitror, licet ſanguinem fundant, plus commodi diſſipando afferunt. Quia exceſſus nocent, bona cum etiam reliquæ valetudinis venia illos fugiat, ſimulque in victu ſerum augentia vitabit. Ad fœtoris correctionem *Balſam. apoplect.* illiniri pinnis intus poſſet. *Die 28. Nov. 1682.*

OBSERVATIO CXCIX.

Ozæna ſeu potius Cruſtæ narium.

Vir annor. 40. cæteroquin ſanus, affectum gravem in Naribus perſentit, uti credit à variolis in teneris annis contractum, veritus ne incrementum ſumat & tandem in malum immedicabile degeneret, auxilium quærit, & affectus ſic ſe habet.

In naribus habet uti credo ulcus ſeu Ozænam, nam cruſtas quotidie

tidiè è naribus digito educit, quæ aliquando narium principio adhærent, aliquando & majori ex parte intimis narium partibus, quas ſi digito in nares immiſſo expediat, plerumque aut ſaltem ſæpe hæmorrhagia ſequitur; cruſtæ ſunt albicantes, ſæpè & plerumque rubræ & ex rubro nigricantes cum modico pure laudabili & cocto, ex parte quâ naribus adhærent; hæmorrhagia ſæpe de die, ſæpius autem nocte ſequitur, quia *Patiens* quandoque medius inter ſomnum & vigiliam, imo etiam dormiens, aſſuevit cruſtas educere, ſic ſomnolentus parum ſollicitus, an ſanguis rite per nares effluat nec ne, non rite quandoque ſe locat, ut rectè effluere poſſit, ſic abſque dubio extravaſatus & ſtagnans incraſſatur, nam de die per nares & os attractus in magna copia educitur ac exſpuitur, & quò ſæpius cruſtas abſolvit & educit, eò ſæpius hæmorrhagia ſequitur, & quo magis hæmorrhagiam patitur, eo majori in quantitate de die ſanguinem exſpuit aut per nares educit. Cæterum eductis cruſtis levatur & ſibi perſuadet, hunc affectum eſſe *loco Fonticuli*, per quem multa materia excrementitia evacuatur, & naturam hunc per locum aſſueviſſe omnem materiam morbificam evacuare: nihilominus quia capitis gravitatem aliqualem & narium perſentit, veretur, ne ſucceſſive malum increſcat, ſerpat, oſſa corrodat, & immedicabile malum aut apoplexiam cauſet.

Perſentit inſuper *dictus Vir* aliqualem debilitatem circa iſchium dextrum, & veretur, ne ætate accreſcente fiat iſchiadicus, quia *ejus Parentes* illâ valde moleſtati ſunt.

Quærit itaque, quid faciendum? an negotium naturæ ulterius ſit committendum, an verò cura ineunda & qualis? rogat ergo humillime Excell. Veſtr. dignari velit quæ facienda præſcribere, & tandem quærit 1. *An Balneum Piperinum frequentandum, aut aliud.* 2. *An Fonticulus faciendus, & ſi faciendus, qua in parte.* 3. *An Nicotianæ pulvis naribus attrahendus, & an ſolus, an & qualibus oleis humectatus.* 4. *An forſan nares oleo ſaturnino inungendæ: verbo quid faciendum?*

Interim commonefacio, *V. S.* quæ ad tollendas hæmorrhagias *utile* habetur *remedium, hoc in Patiente* intermitti, quia ante 6. circiter annos *vena* illi *ſecta eſt*, à qua non melius ſed pejus habuit, quia palpitatio cordis, timor aliæque paſſiones hypochondriacæ, quibus tunc obnoxius fuit, & ad quas adhuc inclinat, auctæ ſunt. Deinde commonefacio, quod hæmorrhagiæ aliàs etiam ſit valde obnoxius, nuper iter fecit, & vinis variis ac fortioribus ſe recreavit, inde in hæmorrhagiam contumaciſſimam ab hora 8. mat. uſque in hor. 8. veſp. durantem incidit, illa quidem fuit abſque inſigni virium jactura, alias citius *ſanguinem ſiſtentia medicamenta* adhibita fuiſſent, & forſan hac hæmorrhagiâ præſervatus eſt à morbo aliquo imminente, ſic ſi *Balneum*

conſu-

conſuleretur, an non eſſet hæmorrhagiæ imminentis contumaciſſimæ periculum. Hæc ſunt itaque, quæ exponenda mihi neceſſaria videbantur, *Excell. Veſtr.* deſuper conſulat, & quæ facienda imperet, ut ſanitas inde *huic Viro*, ſi poſſibile eſt, reddatur, aut ſaltim majus malum impediatur, quod Deus avertat.

Tugii Helvet. d. 1. *Maji* 1692. Beat. Franc. Bachmannus, M.D.

Reſolutio.

OZæna an ſit affectus nec ne? definire nequeo, quia nulla fit mentio fœtoris, qui ozænæ ſemper comes eſt, atque non ſolum *ab Ægro* ſed quoque ab aſtantibus etiam eminùs percipitur; videtur quidem cruſtæ adhærere pus, ibi ubi cruſta eſt & quidem coctum, verum tamen pus non eſſe videtur, quia etiam narium mucus in naribus detentus ab inſpiſſatione per calorem narium & exſpiratum ex pulmonibus calidioribus aërem talem colorem & conſiſtentiam adipiſcitur, imo per moram in cruſtam mutatur; ſi muco ſanguis permiſcetur, cruſta fit atrorubeſcens. Et planè non veriſimile eſt, ulcus intra nares deliteſcere, quia ſi tale quid in naribus lateret, non tot annis duraſſet, quin naſum, vomerem, lamellas & tubulos cœcos exediſſet, imo etiam palatum, & manifeſte ulcus in conſpectum veniret, nam putat vitium occepiſſe poſt variolas perpeſſas in tenera ætate. Mucus gignitur in naribus ex ſero, quod ex poris membranarum inveſtientium tubulos cœcos & lamellas mirè complicatas continuo exſudat, & ex oculis per ductum naſalem ad latus externum utrinque intus effunditur, ac à calore aëris potiſſimum ex pulmonibus calidis exſpiratur, aliquando etiam ab externo inſpiſſatur, & ſi non ritè emungatur, aut tempeſtive, viſcidior redditur, & tandem in cruſtas abit, quæ pertinaciter lamellis, interſtitio narium & lateribus internis adhæreſcit: ſi mucus in poſtica parte narium diutius moretur, puri ſimilis fit, imprimis intra tubulorum cœcorum interſtitia verſus os cribriforme, & non rarò fœtorem contrahit, *ut apud Illuſtriſſ. quendam Comitem obſervàvi* citra exulcerationem. Hæmorrhagia narium ſequitur violentam avulſionem cruſtarum adhærentium membranæ in parte anteriore ſeu in aditu narium, quod Fretum aeris vocant, & in poſteriore verſus tubulos cœcos, nam hæ membranæ nares intus ſuccingentes innumeris vaſis ſanguiferis capillaribus præditæ ſunt, eoque frequentius fit, ſi crebro vi quadam avellantur, quod *D. Æger* facit interdiu vigilans, & noctu ferè inſcius digitis intruſis, fortè quia cruſtæ ipſi moleſtæ ſunt, & ingreſſum ac egreſſum aëris per nares impediunt per ductum è naribus ad palatum pertingentem. Promptior ſequitur & largior hæmorrhagia, quia *D. Æger* ſanguinem tenuem & flu-

xilem habet, nam eſt hæmorrhagiæ narium valde obnoxius, illamque nuper itinere vinique generoſi potu accerſivit.

Affectus non negligendus, nec naturæ jam afflictæ committendus, ſed imbecilli ſuccurrendum *congruis remediis & obſervatione cautelarum neceſſariarum*, nam omnino tandem ulcera narium timenda forent, quæ exeſâ tenerrimâ membranâ, quâ nares intus ſuccinguntur, oſſa corroderentur non ſine turpitudine faciei & tandem vitæ periculo. Hæmorrhagia frequens ſanguificationem & caput debilitat, & ob nimiam ſanguinis profuſionem cachexia atque omnino apoplexia timenda foret, eoque magis, quia jam caput gravari ſentit.

Prodeſſet ipſi 1. *Potio laxans ex infuſ. ſenn. rhabarb. agar. in aq. potius, quam vin. medicat. pulv. aut pilulæ, infuſ. add. mann.* bibat *per dies* 3. *Vere & Autumno.* 2. *V. S. parca* non noceret *in brachio. Fonticulus* excitetur in brachio ſin. præſtaret hoc, quam ex nare *Fonticulum* facere. 4. Ad attemperandam maſſam ſanguineam bibat *ſerum lact. alterat. rad. ſcorzon. herb. hepat. nob. fragar. pimpinell. ſanguiſorb. acetoſ. add. ſem. fœnicul.* 5. *Pulv. corallor. ſang. dracon. ⊽ jappon. Externe* cruſtas emolliat *butyr. recent. add. ſacchar. naribus* trahat *lac dilutum aq. centumnod. aut tener. folior. quern. tabacum* non convenit propter acrimoniam; paratur aliàs *ex ſacchar. penid. cum rad. irid. Flor.*

Propter incipientem dolorem iſchiadicum prodeſſent *Thermæ*, at propter tenuitatem & acrimoniam ſeri illas ſuadere non auſim : illam aufferunt *ſudores matutini ſpontanei, frictiones panno laneo* à coxa deorſum ad tibiam.

Accuratam diætam obſervet, vitet valdè ſalita, aromatibus condita, valdè ſaccharata, in butyro frixa. Vinum diluat *decoct. rad. biſtortæ.* Spirit. vini & vina generoſa nocent, bibat rubrum potius quàm album nimis ſulphuratum.

NB. Cruſtæ promptius renaſcuntur, 1. quia poſt tot avulſiones membrana aliàs lævis & lubrica cum porulis exaſperatur. 2. Intumeſcit & incaleſcit. 3. Cum ſero aliquid ſanguinis transſudat, unde ſerum citius inſpiſſatur, quod videmus in pueris & puellis, ſi cruſtulas poſt leves excoriationes in variolis aliisque puſtulis avellant, aut illas perfricent ad ſanguinis uſque exſudationem.

NB. In Coryza & *abuſu pulv. tabaci* intumeſcit membrana narium, ut aëri vix tranſitum ad palatum aut ad receptaculum aeris concedat cum odoratûs abolitione.

OBSER-

OBSERVATIO CC.

Ozæna.

REv. D. *Joh. Georgii B. Paſtoris Lindav. Uxor.* 40. annor. ſtaturæ oblongæ, vivit in matrimonio ſterili à 17. ann. Olim carnoſior, nunc macilenta : à 12. circiter annis mucus è naribus cum fœtore prodiit. Ante 7. circiter annos menſtruata morti Soceri adſtans territa, unde fluxus iſte parcior fluxit & ſtatim die ſeq. remiſit, ſtatâ tamen periodo rediit hucuſque ſemper, ante tamen hunc fluxum imminutum jam vitium in naribus paſſa eſt. Eodem tempore uſa eſt *Thermis Badenſibus* jam hoc vitio præſente, *Thermæ* illam non juvarunt. Jam ab aliquo tempore doluit caput tantum ſupra oculos, mane in tempore dextro potiſſimum, putat inde tinnitum deſcendere ad articulum maxillæ inferioris, poſtea prodiit ex auribus humor viſcidus, craſſus, quaſi in duras cruſtas compactus, quod aliquandiu evenit, nunc ad fauces delabitur, ibi agglutinatur illumque quaſi in membranam craſſam inde educere valet, fœtoremque magnum ex faucibus & naribus emittit. Naſus friget, menſes nunc parcius, nunc paulò fortius fluunt, nunquam tamen ultra biduum, ſimulque calorem in toto corpore percipit, quando in lecto dorſo incumbit, videtur aquas ſibi ſuppoſitas eſſe in dorſo, os ſemper ſiccum eſt & lingua alba, ſi quid ad humectandum aſſumit, ſtatim omnia rurſus exareſcunt. Splenem quoque moleſtiam parere ſubnectit. Urina *d.* 26. *Octobr.* 1694. ſubpallida. Non decumbit, obambulat, at templum non ſemper diu tolerare valet.

Die 29. *Oct.* 1694. *quo me per vicinam conſuluit, ſcripſi* me affectum ozænam credere, quia fœtorem per os & nares exſpiret, idque vix ſine carie ſuperiorum oſſium ſpongioſorum prope ethmoides, cum jam ab aliquot annis duret, doleat in fronte ſupra oculos, fauces exareſcant, macilentior fiat, corpus incaleſcat. Menſium fluxum imminutum hujus ulceris non cauſam ſed productum eſſe, malè quoque hic lienem accuſari. Suaſi *Pil.*

℞. *Extr. Guajac.* ℨ*iij. Extr. veron. bellid. min.* āā. ℨ*j.*
Caſtor. ℈ß. *Xyloal.* ℈ß. *C. C. ph. ppr.* ℨ*ij.*
Oc. ♋. *pp.* ℨ*iß. Balſ. copaib.* ℈*j. F. cum mucilag. tragac. Pil. No xxxx. ex* ℨ*j.*
Doſis mane No. vij. veſp. v. mane ſuperbibat juſculum alteratum.

℞. *Herb. agrimon. fl. bellid. min.* āā. *p. j.*
Sem. fœnic. ℨ*j. Paſſul. maj. exac.* ℥ß.
Coq. in juſc. carn. inſulſ. Menſ. ß.

Naribus

Naribus injiciatur blandè *Syringâ ſeq. decoct.*

℞. *Herb. agrimon. fol. ſemperviv. coq. cum lact. & aq. ãã. ℥iiij. col. add. mell. roſat. cochl. j.*

Injiciat *manè* ſupinè recumbens. Quando ſurgit & *toto die crebro ſeq.*

℞. *Herb. betonic. agrimon. veron.*
Flor. roſ. r. ãã. P. j. mell. cochl. j. aq. ferv. Menſ. ß.

Pulveres intermittat. *Purgantia* non proſunt. *Acria* fugiat, ne ulcus fiat ſerpens. In victu vitet ſalita, fumo indurata, valde aromatizata, ſuillam & ovillam carnem, betam, braſſicam & rapas muriâ conditas, paſtas farinaceas, vinum diluat *decoct. Jaſſafr.* aerem frigid. nivoſum vitet. *Fonticulus* excitetur in brachio ſiniſtro.

Vid. Bonett. in Theſauro Medico-Practico L. 2. de Morb. capit. c. 48. *p.* 1031. & 1034.

Die 24. *Decembr.* 1694. *ſcribit R. D. Joh. Georg. B.* & putat *remedia* uxorem non juvare propter hyemem. *Mane Syringâ lac* injecit, poſtea *pilulas* ſumpſit, antequam ſurrexit, rurſus *lac* injectum fuit: *purgans* bibit *dec. lac injectum* multum muci eduxit, ſed ſolum per fauces, mucus erat albus, interea quotidie è naribus emungit materiam mucoſam & fœtentem, ſi ceſſet *ab injectione*, ſtatim intra narem exſiccatur in cruſtam, quâ demtâ, ſi poſtea mucum per fauces elicit, fœtet: hic diverſus videtur ab illo, qui *ſyringatione* elicitur. *Aquam interdiu injiciendam* diligenter continuat, at & illa ſtatim ad fauces penetrat, nihilque educit. *Pilulæ* non purgant, ac tormina pariunt, ſæpe conſtipatur per dies 2. vel 3. quandoque in uno die 5. vel 6. alvus ſolvenda. *An his pergendum? an fonticulus excitandus?* Tinnitus & fragor aurium manent, naſus veſperi ſemper friget. *Pilulæ* deficiunt. Bibit ſemper *lac caprin.* ad calorem mitigandum, *an pergendum?*

Reſponſum miſi d. 29. Dec. 1694.

UXor patitur Ozænam, quia mucus fœtidus emungitur, aut verſus fauces delabitur. Ozæna ſuſpecta eſt, quia malum jam per annos durat: mucus tamen fœtorem contrahere poteſt longâ morâ intra cavernas narium miras, *quas deſcripſit Bartholin. junior.* Non provenit à cerebro, quia per os cribriforme nihil transſudat, ſed ex membranis tubulorum oſſis ſpongioſi tenuis convoluti, unde aures ſemper madent, quia ſupernè moratur dolorem ſupra oculum, & veluti

luti hemicraniam excitat: oſſa nondum carioſa ſunt, licet naſus frigeat. Mucum retrorſum ad fauces ferri non mirum, quia amplum foramen verſus fauces patet, amplius forte factum ob cruſtam fluxum antrorſum impedientem. Mucus ex cavernis proliciendus, cavernæ eluendæ, illarum glandulæ roborandæ.

1. Ante omnia craſſa emollienda *butyr. cum ſacch.* 2. *Tractû lactis intra nares.* 3. Corroborandæ cavernæ *decocto interdiu. Intus* proderunt *Pil.* quæ non purgant, *mitiores.*

℞. *Succ. veron. bellid. min. Agrimon. inſpiſſ.* ãã. ℥ij.
Extr. caſtor. ʒß. *Pulv. antihect. Pot.* ℈iiij.
Cinnab. Ung. ℈ß. *Ol. roriſm. gtt. ij. Mſc. F. Pil. ex* ʒj. *No. xxx.*
Doſ. Mane No. v. cum aq. betonic. non purgant.

Fonticulus excitetur propediem. *Lac caprillum* non nocet. Alvum apertam habeat quotidie.

OBSERVATIO CCI.

Genarum Abſceſſus.

D*Om. Vincentius Frumb, Secretarius Conſilii Secretioris Sereniſſ. Elect. Bavar. & Conſiliarius Reviſionis Monachii.* Vir temperamenti bilioſi, capite præhumido, alioquin corporis & animæ diætæ leges utcunque exactè obſervans, nihilominus ante biennium, 1684. æſtivo tempore in genam ſiniſtram paſſus eſt defluxionem catarrhalem tam copioſam, ut nec *appropriatis æque internis ac externis remediis adhibitis*, diſcuti potuerit, ſed diverſis in locis fuerit, ſeparatis abſceſſibus factis, ſuppurata, ita ut 4. menſium ſpatio opus fuerit omnium ulcerum ad perfectam uſque conſolidationem.

Nunc ferè eodem anni tempore 1686. recidivâ afflictus eſt ſimilis affectûs genam dextram occupantis, intra duos menſes circiter tamen curati. *Merito nunc, qua ratione poſthac à ſimili inſultu præſervari poſſit, Medicos conſulit.* Quibus inter alia præcipue conſiderandum eſt, quod *nec Venæ ſectione nec revulſoriis purgantibus* (*nec binis fonticulis* in brachiis licet copioſe manantibus) tempore licet opportuno adhibitis, præcaveri potuerit jam apparentis tumoris ſuppuratio, ſed potius etiam *poſt Venæ ſectionem & copioſam purgationem* tumor incrementum ſumpſerit deterius, quamvis viſcera habeat ſana.

Quibus ita ſe habentibus puto *ſequentium uſum* poſthac *fore con-*

gruum. *Vere & Autumno*, licet non ſit plethoricus, inſtituatur *V. S.* *ſed parca*, ideo ſolum, ut fermentativus hiſce temporibus maſſæ ſanguineæ orgaſmus inhibeatur, quo minus eodem ſeparati humores conſueto quaſi jam decubitu in dictas partes affectas jam debilitatas cum phlegmonoſo humore præcipitari poſſint. Idem efficient allegato tempore quoque *inſtitutæ epicraticæ purgationes*, præter evacuationem *à binis fonticulis* jam introductam.

Econtrà in hoc individuo reprobari debet *abuſus cucurbitularum ſcarificatarum ſingulis menſibus ad* ℔ß. evocato cruore in corpore tam gracili, talia (utinam non incaute) *præſcribentes Medici*, quæſo mihi reddant ſufficientem, ſine pertinacia tuendi erroris gratiâ, rationem damnarent utique *ſingulis menſibus repetitam Venæſectionem ad* ℔ß. utpote nimis crebram & copioſam? par eſt delictum, quocunque modo nimium ſanguinis detrahatur, præſertim *ſcarificatione*, ubi non niſi flos ſanguinis detrahitur, uti intelligenti patebit.

Hoc anno, ob tardè inſtitutam Venæ ſectionem vernalem, utpote 1686. *Menſe Junio primùm,* forſan ſuperſedere poſſet *Autumnali*, licet ſanguis non fuerit laudabilis, nempe cum ſuperficie gelatinoſa, forſan propter maſſam ſanguineam jam ſuppuratoriâ infectam fermentatione. *Hæc de remediis ex Chirurgia.*

Pharmaciam quod ſpectat, notandum, licet phlegmone genæ utriuſque in principio promiſerit internam in ore ſuppurationem, ſecuta tamen non eſt ſine accedente quoque potiori ad extra. Præterea notabilis erat in abſceſſu genæ dextræ extractus globus, compactæ materiæ fœtidæ, bucellæ inſtar ex charta tornatim convolutæ, evidenti argumento, *reſolventia* imparia fuiſſe, conglomeratæ huic maſſæ fundendæ vique atomos inſenſibiliter diſparentes reſolvendos.

Cæterùm *tempore vernali poſt præviam Venæ ſectionem, purgationem, præcipuè temperatis cholagogis & hydragogis inſtitutam* denuò magis depurari poſſet maſſa ſanguinea *vino medicato laxativo* alioquin proficuo. *In autumno verò decocto aliquo ex lignis temperato* cum ſudore *ad octiduum ſaltem.* Intermediis temporibus, puta hyemalis & æſtivi ſolſtitii tempore, ad maſſam ſanguineam rectificandam proderit *uſus pulveris viperini.* Item capitis corroborandi gratiâ, ne tam facilè ob nimiam humiditatem affluxum recipiat, *opiata, ſeu electuarium ex cephalicis paratum ad noctem ante ſomnum.*

Defluxionem urgentem inhiberet *exigua doſis pilularum de cynogloſſa*

gloſſa, quas ſi vereatur ſuperſtitioſè *propter ingrediens opium*, aliæ catharrhales ſubſtitui poterunt, vel uſus *potus Caffeé*, quandoque ad ſubſidium debilis ſtomachi, alternando ſorbillatione *Succolatæ Hiſpanicæ*.

Quoad diætam videtur aëris inclementiam patiens, (cum inde ſciat certam offenſam) ſtudioſe declinare ſuapte. Alvum habet liberam, congruis etiam utitur alimentis æque in qualitate ac quantitate, nec animi laborat morbis. Somnum & vigilias ritè obſervat. Forſan obeſt exactæ ſanitati vita ſedentaria *Literatis* conſueta. Circa ſpeciem potûs ſubſiſto, *an non Rhenanum Necarico vino præferendum?* credo enim vulgaria vina, quæ *Monachii* venduntur, eſſe *Necarica* nominalia, realiter *ex Franconia*, de quibus manet *Adagium* Francken-Wein/ Krancken-Wein. *Hæc requiſitus conſcripſi, ſalvo aliorum judicio.*

Menſe Auguſti 1686.

T. T. S.

Reſolutio.

Hiſtoria miſſa fuit die 22. Mart. 1687. Heiligenbergâ.

GEnæ utriusque abſceſſum diverſis temporibus factum diffiteri nequit, productum fuiſſe ab inſigni ſtagnatione ſanguinis tum intra vaſa capillaria, tum in carne laxa genarum extra vaſa, qui nullo ingenio prohiberi, quin ambo ad ſuppurationem tenderit. Quæ verò occaſio hujus ſtagnationis fuerit, non uſque adeo clarum eſt. Fortè impuritas ſanguinis ſeu particulæ viſcidæ, lentæ, craſſæ in maſſa ſanguinis contentæ ſolæ accuſari nequeunt, cum temperamenti ſit biliosi & cætera temperatè vivat, nec pellis mucoſa *in ultima V. S.* ſanguinem operiens pituitoſæ impuritatis aut depravationis index eſt, cum ſit caloris effectus, ab illo enim ſerum inſpiſſatur, & talem conſiſtentiam contrahit, unde etiam tali facie in febribus continuis & in pleuritide apparet, nec ſolas particulas acidas maſſæ ſanguineæ culparem, quamvis multi in abſceſſuum productione has præcipuè convitientur, nam æquè alibi, ubi ſimilis aut perplexior vaſorum in carnibus hinc inde reperiatur conſtitutio, ut potius ibi, quàm in genis ſimiles emergere abſceſſus debuerint. Frequenter abſceſſus in genis oriuntur propter cariem aliquam dentis, aut etiam maxillarum ipſiſſimarum tam ſuperiorum quam inferiorum, aliquando etiam citra ullam cariem, aut contuſionem, ob ſolam nimiam & frequentem inclinationem capitis antrorſum, quod quandoque *Literatis* evenit, qui multum ſcribendo & legendo occupantur, nam hoc capitis ſitu promovetur affluxus ad ductus ſalivares, eorumque ramos per glandulas genarum diſ-

perſos : ſi itaque ſaliva non plenè per inſignem ductum in utraque bucca internè hiantem expurgetur, ſed ſtagnet, vaſa capillaria ſanguifera premit atque abſceſſui anſam præbet, ideoque certiorem & inſigniorem, ſi ſanguis acris & impurus ſit, atque lympha redundet, quod admodum veriſimile eſt *apud Nob. Dn. Ægrum*, qui catarrhoſus eſſe ſcribitur.

Humorem, Abſceſſûs cauſam proximam, acrem admodum fuiſſe tum globulus, tum duratio utriusque longior primi 4. menſium, ſecundi duorum, docent. Globulus enim nonniſi ex membranis acrimonia ſeri corroſis contortus videtur, duratio ſi non ab oſſe carioſo fovebatur, certè acrimonia tantum glandularum, pinguedinis membranarum & fibrarum carnearum conſumpſit, ut nonniſi longo tempore reparari, ſinus impleri & tandem ulcus conſolidari, & *dexterrimè adhibitis remediis* potuerint.

Ad evitandam hanc calamitatem inpoſterum *cum Nobiliſſ. Dni Ægri Medico ordinario*, quem *Conſilium transmiſſum Virum Artis periſſimum* eſſe, declarat, ſuaderem. I. *Vere & Autumno per vices blandè purgantia*, ſive propinentur *forma vini medicati ſive decoct. laxat. Intermedio tempore neque pilulas de ſuccin. Crat.* improbarem, imprimis ſi caput gravatum perciperet. II. Quia *V. S.* aſſuevit, neque illæ intermittendæ, verum *vix ultra ℥v. ſanguinis* emitterem. III. *Scarificationes menſtruas cum Domino ordinario* ſummoperè improbo, cum cerebrum & omnino genus nervoſum valdè debilitetur atque à tam frequenti vertiginem moleſtiſſimam productam norim. *Omnibus Anatomiæ peritis* notum eſt ſub cute capillata ſemper plurimum ſanguinis aquoſi detineri, qui *à tot Scarificationibus* augetur, indeque levi data occaſione ad oculos, dentes & genas ruit. IV. *Fonticuli ambo* ſtudioſe *aperti* ſerventur. V. Ad imminuendum ſerum & acrimoniam & ſalſuginem nimiam ſanguinis aliorumque ab ipſo pendentium humorum emendandum, *à Menſe Majo ad Septembrem ſingulis menſibus per* 14. *dies* ſuaderem *juſcula alterata hepaticis & ſpleneticis*, cum enim hæc ſalſugo plerumque connata ſit, & cum ætate invaleſcat, non niſi longo tempore attemperari poterit. *Ex. gr.*

℞. *Rad. rec. cichor. ſcorzon. āā. ℥ß.*
Herb. beccab. borrag. bugloſſ. fumar.
Scolopendr. chærefol. acetoſ. āā. p. j.
Sem. fœnic. ʒj. paſſul. Corinth. ℥j.

Inciſ. & cont. coq. in juſc. carn. non ſaliti aut ſer. lact. capr. ℔ij. colat. bibantur mane ℥v. calidè.

Aut

Aut *ad diureſin promovendam* ac ſal ſanguinis fixum acerrimum obtundendum.

℞. *Herb. rec. cochlear. beccabung.*
Naſturt. hort. Acetoſ. Hiſp. ana. *p. j.*

Contuſis affund. juſc. carn. non ſaliti fervidiſſimi ℥v. *colat. ſtatim & exprimat. fortiter : col. add. ſyr. capill. vener. vel aperitiv. Mind. cochl. j. bibatur calide : poſt hauſtum obambulet. Efficaciora hæc juſcula* deprehendi, ſi *ante illorum hauſtum* ſumantur *pil. v. vel vij. hujusmodi.*

℞. *Pulv. antihect. Pot.* ʒij. *diaph.* ♂. *Dan. Ludov.* ʒj.
Extr. trifol. fibr. ʒiij. *c. Mucil. tragac. F. Pil. ex* ʒj. *No. xxxx. conſperg. pulv. glycyrrh. D.*

Hæc juſcula præferrem *acidulis aut thermarum potibus.*

Interea diætam præſcriptam accuratè obſervet, unicum hoc addo, ut vinum *ſive Rhenanum* ſit, *ſive Necarinum* diluat *decoct. rad. chin. aut lign. viſc. querc. unius ex his* ʒj. *coq. in aq. fontan. Menſ. j. citra ullum aliud additamentum.* Deinde ſive legat, ſive ſcribat, id peragat erecto capite & nunquam ſtatim à paſtu. *Tempore Autumnali, item Hyeme & in principio Veris* bibere poterit *nunc decoct. Thee, nunc Coffee, nunc Chiocolatam :* nec rejicerem *decoct. lignor.* modò *temperatiſſima* pararentur, nec vi ſudor proliceretur. Tunc quoque proderit *pulv. viperin.*

Quamprimum verò genarum intumeſcentia repullularet, ſtâtim *præmiſſo purgante cephalico* ſuaderem *pulv. diaphoret.*

℞. *Antim. diaph. cum tripl.* ⦶ *deton.* ʒij.
C. C. ph. pp. ung. alc. pp. ana. ʒj.
Cinnab. nativ. ʒß. *Camph. gr. iiij.*
Ol. ſuccin. rectif. gtt. ij. Sacch. alb. ℥iß.
Mſc. F. Ps. doſ. mane hor. 5. veſp. hor. 5. ʒß. *cum aq. fumar. aut card. ben.*

Neutiquam tamen ad ſudorem cogatur. 2. *Veſicatoria* non nuchæ, ſed primùm utrique carpo, & his veſicis ſiccatis utrinque poſt olecrana applicarem. 3. *Alternatim cubitum ituro* darem *nunc Pil. de cynogloſſ. gr. iij. vel iiij. nunc* ʒij. *hujus Elect.*

Conſ. roſ. r. ℥ij. *Conſ. fl. paralyſ.* ℥j.
Theriac. Andr. ʒiß. *Bol. Arm. Or.* ʒiij. *Mſc. l. a.*

 Genæ

Genæ intumeſcenti in principio ſolum *topica ſicca calidè* apponerem *ſcil. lintea multiplicata & perfumata maſtiches, ſuccin. flor. calend. &c. nulla emplaſtica aut actu humida.* Si verò his non cederet, *repellentia* penitus omitterem, ſed ſtatim *ad emollientia* properarem. Victum interea inſtituerem tenuem & refrigerantem. *Not.* ad præſervandum à recidiva, ſummè neceſſarium, ut in dentium conſtitutionem inquiratur, ſi carioſi deprehendantur, eradicandi ſunt, alias nunquam à recidiva tutus erit, quicquid demum moliamur: verum id fiat *dextrè & ab artis perito*, ne maxillæ findantur, & deteriori malo via ſternatur.

Miſi Reſponſ. Doneſchingam, inde Monachium

Die 22. *Mart.* 1687.

NOb. Dom. From. 12. *Mart.* 1688. *retulit, Conſilium meum placuiſſe Medicis Monachienſib. & benè ceſſiſſe.*

Die 14. *Apr.* 1688. *Monachio ſcripſit* 1. *Serum* ſe *ſingulis menſibus alteratum* bibiſſe *ad Octobr. uſque à Novilunio ad Plenilunium prope quotidiè*, quod 1. 3. & 4. vice peperit hæmorrhagiam narium. 2. *Singulis prope menſibus* ſumpſiſſe *pil. de ſuccin. Craton.*

℞. MP. *de ſuccin. Crat.* ℈ij. *diagrid. ſulphurat.*
Magiſt. jalap. cum ſem. melon. ſol. ana. *gr. ij.*
Flor. ☽. *gr. ij. opobalſ. q. ſ. Mſc. F. pil. xvij.*

Harum ſumpſit 11. 12. *ad ſummum* 13. *quot pilulas* ſumpſit, toties dejecit. 3. *Vinum Necrinum* diluebat primùm *decoct. chin. aut lign. viſc. q.* verùm poſt adverſum ſaporem poſtea omiſit. 4. *V. S. Menſe Majo* inſtituit, emiſit ℥iij. non amplius pelle obducebatur. 5. *Fonticulos* adhuc apertos habet, qui benè manant. 6. *Scarificationem alternis menſibus* admiſit. *His præſentibus* ſuperavit aſperam hyemem bene, quamvis ſubindè leviculam odontalgiam nunc in hac nunc in alia maxilla ſeu ſuperiore ſeu inferiore ſenſit. Veretur recidivam humorum æſtate. *An hac æſtate ſero lactis aut juſculo alteratis & porro continuare debeat? An V. S. continuanda, cui alias aſſuevit, & ter ſolum illam admiſit? an ſingulis menſibus pil. Crat. ſumendæ? an præſtaret aliud purgans, Vere & Autumno per vices agens?* Hactenus omiſit *decoct. Coffeé, Theé & Chiocolatam*: dentium evulſionem eorumque fragmentorum abhorret, ob metum odontalgiæ: dentes ſapientiæ emerſerunt demum 30. ætatis anno, nunc etiam carioſi fiunt & fruſtulatim excidunt, ab his plerumque occepit odontalgia, duo carioſi fruſtulatim exciderunt. *Num vinum Majale ſuaderem.*

Reſpondi

Reſpondi die 28. *April.* 1688. *Sero lactis ſemel cum flor. roſ. r. ſæpius juſcul. alterat.* utatur : ſufficit *V. S. Vere. Pilulæ ſingulis menſibus* non neceſſariæ, *Jun. Jul. & Aug.* nocent. *Purgari* poſſet *commodè ſyr. & extr. diacarth. doſ. cochl. iiij.* Dentes non evellendi niſi *per peritum Chirurgum. Vinum Majale temperatum* ſuaſi : *Fonticulos* apertos ſervet.

OBSERVATIO CCII.

Genæ ſiniſtræ Ulcera fiſtuloſa cum dolore Arthritico.

CUm de morbo Virginis *unus ex Doctiſſimis totius Helvetiæ Medicis* conſulendus ſit, ſufficiet paucis verbis dicere, quod à duobus circiter annis illa odontalgiâ affecta fuerit, quam paucis diebus ſecutus tumor unius glandulæ in maxilla inferiore lateris ſiniſtri, qui ſæpius increſcebat & decreſcebat, circa veſperam ordinario magis intumeſcens. Verùm poſtea hæc glandula manifeſtè turgeſcebat, ut *Chirurgus ordinarius* crederet, hanc ad ſuppurationem promovere: hinc diverſis diebus *emplaſtra* imponens tandem *inciſione* aperuit, ubi ex punctura hac quatuor vel quinque guttæ ſanguinis veniebant. Poſtea *emplaſtris applicatis* expulſum fuit pus cruore mixtum, quod ex apertura hac per 15. dies fluebat, *abſente tunc Magiſtro* cura tradita fuit *ejus Miniſtro : redux Chirurgus* vidit ſuppurationem pro ejus voto non fieri, fecit ſecundam inciſionem 2. digitis altiorem, ubi exiebat magna quantitas ſaniei, quotidie continuata. Duo hæc vulnera aperta manent adhuc. *Ægra* ſæpius *purgationes* ſumpſit *conſtantes è diverſis medicamentis, ſed maximè Gialappâ, nunc in Reſina, nunc in Pulvere, ad pondus* ℥j. Et quia magnæ curæ habetur, quotidiè illam levare quacunque medela, ſpatio duorum annorum nil ſalutaris intentatum relictum fuit. A 15. diebus *Virgo illa* ſufficienter jam gravata, augmentum novum mali hujus à defluxione ſuſtinuit, quæ in brachium dextrum uſque ad cubitum & paucis abhinc diebus ad ſuram & metapedium tendebat, pedes nunc admodum inflantur cum dolore ſuræ, dolet etiam brachium à ſimili inflatione. *Purgata fuit pulvere ex fol. ſenn.* ʒß. *rad. gialap.* ℈j. *inde habuit* 4. *ſedes. Poſtea iterum* ſumpſit *pulv. jalap.* ℈ij. *vel* ℈iiß. *crem.* ♀. ʒß. unde alvus 12. ad 13. vicibus ſoluta: poſtridie pedes multum detumeſcebant, veſperi tamen redeunte inflatione. Præterea tutò credit hac ratione pedibus inſiſtere, vel in domo obambulare, quia ſcamni inſeſſio ſtuporem & torpedinem ipſi inducit.

Itaque

Itaque in his verſatur ſtatus morbi *illius Perſonæ*, quæ hocce afſligitur. Eſt 13. annorum, temperamenti melancholici, ratione ætatis teneræ & ſexûs effera abhorret *remedia*; cum numerus & varietas horum antipathiam in ſtomacho tam ſenſili produxere, ut paucis horis poſt aſſumtionem cogatur evomere. Appetitus & ſomnus optimè conſtituti. Dolores nullos habet in ventriculo, inteſtinis, nec capite.

Quando *Doctiſſimus & Experientiſſimus Ille Medicus Conſilium* largiri vellet *Scriptum*, magna in nos redundaret gratia, ſine mora perficere, dum, tempore *ad medicamentorum uſum accommodato* nunc fruitur, malum quotidie ſenſim ſine ſenſu increſcit: ſic per quinque dies *à magno illo Viro* diſliti ſentimus infortunium, quo omnibus diebus & horis non poſſimus audire ejus conſultationes.

D. Appolonya M. Lauſannæ credit me habere aquam quandam contra hunc affectum, diu uſa eſt opera D. Arthaud. d. 29. Mart. 1687.

Reſolutio.

DUos affectus patitur, ſcil. ulcera fiſtuloſa in gena ſiniſtra, & dolorem arthritico ſimilem in brachio dextro ad cubitum, in ſura & imo pede. Ulcera fiſtuloſa in gena ſunt, quia à duobus annis durant, ſemperque ſaniem fundunt, licet ſedulò deligentur. Ut curentur, cauſa aufferenda, quæ erit aut caries dentis, quod credibile, quia prima cauſa mali Odontalgia fuit, aut os maxillæ carioſum, aut caro lardicea quod credibile, quia tumor primum in glandula erat. Ergo ſi adſit dens carioſus, dextrè eximendus eſt. Si caries comperiatur in oſſe maxillæ ſuperioris vel inferioris, illius ſeparatio promovenda, deligatione ſicca natura expellet, non multum doloris afferendo, unde ſemper novus affluxus. Si caro luxurians lardicea *pilul.* indendæ.

℞. *Mic. pan. rec.* ℥ij.
☿ *ſublim. gr. iiij. Mſc. F. Pil. magnitud. piſi minor.*

Indatur *ſemel in ſeptimana una*, relinquatur, donec diſſoluta fuerit. Ulcus apertum ſervetur *turundis brevibus imbutis ol. ovor. pauxill.*

Dolori arthritico conveniunt *pulv. diaph. ex antim. diaph. C. C.* ſuperbibat *juſcul. alterat. chærefol. borrag. bugloſſ. agrimon.*

Purgantia nihil hic præſtant, deſtruunt ventriculum. Non neceſſaria, quia appetit, benè dormit, capite non dolet.

Victus ex cibis optimi ſucci, & facilis digeſtionis. Bibat *decoct. ſaſſafr. aut rad. chin.* ad hilaritatem excitetur.

OBSER-

OBSERVATIO CCIII.

Scirrhus Cancroſus Genæ dextræ.

DOminus *Franciſcus N. N. Sabaudus, Civis & Mercator Rattolf-Cellenſis*, 43. annor. ſtaturæ juſtæ, carnoſus, ante 8. annos habuit tuberculum in mala dextra magnitudine N. Moſch. quod neglexit. Anno 1682. perſuaſus *ab Agyrta* conceſſit *inciſionem*, quâ factâ ichor flavus emanavit, vulnus conſolidabatur. Ann. 1687. rurſus aperiebatur, per vulnus ore clauſo aërem emittere valuit: à ſemeſtri tumor invaluit. *Die* 28. *April.* 1688. *cum D. Ant. Tritten Chirurgo Doctiſſ. Locarn. Conſtantiæ habitante, me convenit.* Tumor erat ovi gallinacei magnitudine, convexus, concolor, mobilis, alicubi & ferè maximam partem cutis ab ipſo avelli poterat, admodum durus erat: ſub angulo maxillæ inferioris alius tumor magnitudine N. Moſch. atque alius huic major verſus jugulum erat, ambo duri, mobiles, portio tumoris majoris occupavit angulum oris, oblonga, dura, continua cum maximo tumore. Intra buccam exulceratus erat tumor maximus à dente molari, canino vicino in uno loco, & in medio ſatis profundè, ubi à dente exeſus ſeu attritus fuit, ab attactu doluit, non autem in medio. *Sectionem* diſſuaſi, quia ſi totus eximendus eſſet, cutis adduci ad conſolidationem nequiret propter amplitudinem vulneris, deinde tubera reliqua & portio verſus angulum ſuſpecta erant, nam ablatis etiam illis & labii portione inſigni, nihilominus timenda erat recidiva, cum ſcirrhus iſte malignitatis non ſit expers, nam punctiones jam in illo percipit, & ardorem verſus tempus dextrum & ſinciput: jam diu appetitus eſt proſtratus, ſolo vini potu ſemet ſuſtentare dixit. In ulcere medio tetigi carnem, quæ mihi lardicea videbatur. Ex ulceribus profluxit jam aliquoties ſanguis: hodie etiam à fortiori attactu imprimis medii ulceris nullus ſanguis effluxit. Tumores nullibi adhuc maxillis affixi ſunt, neque etiam maximus.

Videtur tumor Meliceris aut Atheroma fuiſſe, quod malè tractatum in hunc ſcirrhum degeneravit, nam primò aqua effluxit in prima inciſione. Suaſi *hoc mell* indendum.

℞. *Succ. rec. expr. geran. beccab. plantag.*
ſanic. ſcrophular. āā. ℥j.
Mell. roſat. ℥iiij. *coq. ad conſiſt. Mell.* applicetur *cum fil. ſicc.* ulceribus. *Foris* imponantur *ſacculi infarcti fl. chamom. melil. ſambuc. Geran. Robert. Purgetur mixtura ex ſyr. roſ. ſ. ſ. de cichor. c. rh.*

rh. Extr. diacarth. Dentem ſauciantem buccam limet *Chirurgus.* In victu vitet acetaria, ſalſa, caſeum, frixa &c.

Die 18. *Jul.* 1688. *ſcribit* tumorem foris ruptum eſſe, ac multum materiæ fundere. *Die* 10. *Sept. me convenit* : tumor magnus pervius eſt ex ore per genam, ut aerem emittere poſſit, foris tam amplum eſt ulcus, ut articulum digiti parvi intrudere potuerim. Tumores in eadem magnitudine ferè ſunt, prout ultima vice vidi, omnes ſunt mobiles, at tumori magno cutis tam affixa eſt, ut avelli nequeat : in tumore magno non procul ab ulcere nuper abſceſſus ruptus fuit, multum puris fudit, ante ruptionem mala valdè intumuit, ac ferè oculum operuit, nunc ſubſedit, ubi rumpebatur parum cutis leviculè exulcerata eſt. Nullos dolores patitur in tumoribus, appetit, non ſitit, ſapit tamen vinum magis quàm cibus, alvus aperta eſt. Pro lubitu attrectare auſus ſum tumores, ulcus mundavit *pulv. Adank.* Indidit quoque *aliquid de aq. Phagadæn.* Fiſtula in os pervia intus rubicunda eſt, nihil in illa, nec in ore ſordidi videtur, anterius verſus genam cutis recreſcere videtur, adeo ut fiſtulam calloſam ferè dixerim. Bibet *decoct. guajac. cum ſarſapar. paſſul. maj.* Ulcus mundum tenebit. Callum leviculè ſauciet & *ſarcotica* adhibebit *Chirurg. Thvielenſ. Foris* imponet *pulvill. aq. calc. imbutos noctu.* Interdiu contra frigus *pulvillis ſiccis* muniet.

Die 10. *Jun.* 1689. *narravit D. D. Brunner, Herniotomum Theyngenſem* tumorem hunc excidiſſe cum alio ad collum ſito : tumore colli ſecto ſauciatus fuit ramus Carotidis externæ, unde in leipothymiam incidit, & de vita actum credebatur. Vulnus genæ ampliſſimum evaſit, verùm dexteritate contractum fuit, ut jam propè conſolidatum ſit.

OBSERVATIO CCIV.

Maxillæ inferioris caries cum carne fungoſa Gingivæ.

VIr, temperamenti admodum humidi, 45. annor. ab aliquot menſibus conquèſtus eſt de quadam punctura, quam ſenſit ſecundum longitudinem labii inferioris dextri, præceſſit ſtupor hujus partis, poſtea correptus fuit odontalgiâ in eodem latere, ſucceſſit excreſcentia carnea ex cavo dentis carioſi, quoniam augebatur ægroque moleſta evaſit, *Chirurgus* illam ligavit *filo ſericeo* ad illam hac ratione auferendam, quod etiam factum fuit feliciter, poſtea obſervans non ſolum

lum

lum hunc, ſed quoque vicinum æque carioſum eſſe, vacillare & leviculè alveolis inhærere, radicitus, ambos evulſit facillimè & propè ſine dolore *Ægri*. Accidit interea, ut in regione vel ibi, ubi dentes evulſi fuerunt, in vicinia formarit ſe caro magis conſiderabilis vel majoris momenti, quàm prima, occupans gingivam foris & intus maxillæ inferioris, tegensque aliquot molares, altitudine digiti transverſi. *Conſulebantur* hanc ob cauſam *Medici & Chirurgi*, qui ſuadebant primo remotionem harum carnium, quæ tam molles erant, ut ſolis digitis aufferri potuerint, poſtea aliquot vicibus adhibuerunt *ferrum candens* tum ad recrudeſcentiam carnis cavendam, tum ad occurrendum cariei maxillæ inferioris, quæ præſupponebatur. Inſuper *V. S. & purgationes crebrius adhibitæ*, bibitque *decoct. lignor & antim. crudi.* Nihilominus ſimilis caro renaſcebatur, non quidem ibi, ubi *aduſta fuit*, verum magis verſus fundum maxillæ inferioris ad latus. Poſtquam caro exſtirpata fuit, deprehenſum fuit maxillæ inferioris os carioſum uſque ad fundum & fiſſum totum transverſim, ad diſtantiam duorum digitorum transverſorum ab articulatione, ut portio digiti transverſi longitudine avellenda fuerit, quod tamen fieri nequit *citrà inciſionem* foris ſub maxilla læſa. Nunc in eo ſunt, ut duas extremitates maxillæ inferioris fractas ad cariem aufferendam *inurant.*

Prius uſi quoque ſunt *gargariſmis paratis ex vulnerariis*, *abſinth. raphan. ruſtic. coct. in vino rubro; it. tinct. myrrh. &c. cum ſp. vin.* ad reſiſtendum putredini & ad corrigendum fœtorem. Utentur etiam *Tinct. lacc. cum ſpir. vin.* & ad reprimendam carnem quotidie recreſcentem in loco memorato fungoſam & glanduloſam.

Obſervandum, *Ægrum* nunquam liberum à febre eſſe, & leviculam inflationem pedis dextri habere, ex quo in cubili manet, & ſemper admodum catarrhoſum eſſe.

Hiſtoria D. Joh. Hurtero Genevâ miſſa & mihi tradita fuit d. 26. Novembr. 1689.

Reſpondi d. 27. *Nov.* 1689.

CAro hæc fungoſa non videtur eſſe adhuc cancroſa, licet dicatur quoque glanduloſa, quia ſemel exulcerata aut cuticula denudata, jam ab aliquot menſibus ſerpiſſet ad partes vicinas, nec malæ nec linguæ pepercißet, *cujus generis tria exempla memini, talis depaſcuit genam & menti partem, ut omnis cibus & potus non ad fauces ſed per ulcus effluxerit & ægri fame perierint.* 2. Quia pro radice habet os cario-

ſum, cujus multum ſine magno damno auſferri poteſt. Ad illam auſferendam ſuaderem *intus aduſtionis continuationem*, quæ tutior eſt *ſpiritibus corroſivis*, *aq. virid. Plateri*, tum quia, ſi ſubeſſet aliquid cancroſi, malum in propatulum duceretur, tum quia partes vicinas læderent & cariem augerent. *Tinct. lacc.* quoque probo. Prodeſſet quoque *hæc mixtura.*

℞. Succ. Naſturt. aq. ℥ij. ſucc. fol. raphan. ruſt. ℥j. Mell. roſ. ℥ij. add. myrrh. ʒij. coq. ad conſiſt. ſyrup. craſſior. cum pulvil. linteo imponi poſſet. *Foris* ulcus impleatur *pulvillis ſeu filamentis ſiccis ſine pulvere catagmatico.*

Internè non obſtante febricula propinari poſſet *decoct. guajac.* ac ſudor prolici *ſuper ſcamno ſudorifero*, refici poſſet *aq. diaph.* dum *in ſcamno* incumbit. Toleraret *hoc decoct.* quia *à purgantibus iterato datis* non lædebatur. Potus *decoct. ſaſſafr.*

Ulterior Relatio miſſa fuit die 18. *Dec.* 1689. *ab infra ſcriptis D. D. Medicis & Chirurgis.*

RES ægri in eodem ferè ſunt ſtatu, in quo erant ante tres circiter ſeptimanas. Hoc tantum acceſſit novi, quod portio maxillæ inferioris carie affecta, dimidiam unciam lata, ab eo tempore ablata ſit, & duo extrema oſſis *aliquoties uſta fuerint.*

Extirpatæ etiam ſæpius fuerunt carnes, tum fungoſæ, tum etiam glanduloſæ, quod ſedulo notandum, quarum proventus adeo magnus, tum circa gingivam, tum circa malam & vulneris labia, ut hactenus eradicari penitus non potuerint, imò unâ avulſâ, duæ, ut ita dicamus, ſuccreverint. Cum tamen maximâ adhibitâ diligentiâ, hujusmodi ſarcomata maxillæ viciniora primùm amota ſint, hinc factum eſt, ut maxilla fulcris illis deſtituta, pendula & quoquoverſum mobilis manſerit, unde *inſtrumento ex ferri lamina confecto ſub mento applicato*, continere illam in ſua ſede opportuit.

His ita ſe habentibus exſpectabamus in dies prolapſum eſcharæ ſeu partis oſſis aduſtæ, verum jugis & copioſa lymphæ viſcidioris colluvies, qua os perpetuò madet, impedivit quo minus voti compotes fieri potuerimus. Nec ea ſola humoris illius noxa, imò parvi id penderemus, ni glandulæ & carnes veluti cartilaginoſæ, de quibus ſupra, quæ ejuſdem humoris affluxui ortum aut ſaltem incrementum procul dubio debent, nobis moleſtæ hactenus fuiſſent. Ad glandulas illas quod ſpectat, incertum an à maxilla omnes oriantur, imo, ut jam obſervatum, pars earum à mala & partibus maximè muſculoſis, & forſan ab ipſa maxillæ articulatione, ſuccreſcere videtur.

Vir

Viri Excellentiſſimi Conſilium de ampliando vulnere malæ inflicto lubentes audivimus, in eadem fueramus & nos ſententia, ſed *Excell. Veſtræ autoritas* efficiet, ut & ſecurius rem aggrediamur, & ægrum magis obſequentem habeamus. Aliàs enim, quamvis os affectum digito in vulnus immiſſo tangere potuerimus, perdifficile fuit *cauteria* ipſius meditullio, ut par erat, applicare.

Cæterum notatu dignum eſt, labem peculiarem oſſi maxillæ inhærere jam pridem potuiſſe. Obſervandum enim *in Viri honeſtiſſimi Familia* ferè omnes gibboſos fuiſſe, *ipſumqne ægrum* ſcapulas craſſiores habere. Præterquam quod fluxione perpetuâ faucibus impluente, in ipſa ſanitate vexatus ſemper fuerit.

Le Clerc, M. D. Edu Commun, M. D.
T. T. Manget, D. M.
E. Fentand, Chyr. Coudouguag, Chyr.

Reſponſio ad has *die* 28. *Dec.* 1689.

SPeravi carnem è gingiva pullulantem merè fungoſam reputandam, quia caries oſſium illi anſam dedit, verùm quia non ſolum fungoſa molliſque eſt, ſed etiam glanduloſa, dura & veluti cartilaginoſa, quia quoque præter gingivas & labia vulneris maxillæ inferioris, etiam carnem muſculoſam occupat, imo ab ipſa maxillæ articulatione ſuccreſcere obſervatur, mihi ſuſpecta eſt, vereorque aliquid cancroſi latere, eoque magis, quia magnus carnis hujus proventus adeſt, unaque avulſa plures veluti uno Hydræ Lerneæ capite truncato emergunt. Hæc caro cauſa eſt affluxus ſeroſi ad fauces, ut ulcera & tumores aliàs ſunt in his locis, idemque hanc carnem fovet & auget. Quoniam verò hactenus nondum depavit malam, quod tandem eveniſſe aliquoties vidi, meliora ſperabimus. Miror maxillam inferiorem pendulam tam mobilem eſſe, ut *Inſtrumento* firmanda ſit: carie illam nondum perruptam exeſam credam, forſan ab affluxu muſculi adducentes enervati ita ſunt, ut officium ſuum non amplius præſtent adducantque illam. Quomodocunque ſe res habeat, caries aufferenda, quamdiu enim hæc ſupereſt, nulla ſpes eſt, carnium proventum ſuppreſſum iri: vulnus dilatandum, ut *cauterio* tangi poſſit, non ſemel ſed ſæpius propter colluviem ſeroſam ad illam continuò defluentem; ſi dilatatio impoſſibilis, ne caro tangatur, *per cannulas* ad cariem dirigi poſſet, *harum medio* ſine dolore polypos in naribus *aduſſi*, & ſine hæmorrhagia ſiccatos extrahere valui. In ore caro fungoſa nullo modo acribus aufferenda videtur, quia jam quoque malam & carnem muſculoſam

 occupat,

occupat, ibique dura & veluti cartilaginea apparet. Tum ad colluviem ſeroſam exhauriendam, tum ad cariei ſeparationem promovendam commendavi porro *ſcamnum ſudoriferum*. Cariei ſeparationem accelerat *Trepanum Fabr. ab Aquapend. quod deſcribitur in Armament. Chir. Scultet.* Lymphæ excretionem promovebit *ſcamnum ſudorifer.*

OBSERVATIO CCV.

Labii ſuperioris & Naſi ulcus ſerpens.

VErena Sparr Neukirchenſ. 22. annor. ſtaturæ juſtæ, carnoſa, nondum menſtruata. Anno 1685. in ore circa palatum habuit ulcus quoddam ex longo dentium dolore aphthæ ſimilius, quam abſceſſui, quod ſcorbuticum Parentes crediderunt. Eluebatur os *ſalviâ cum acet. & aq.* Poſtea labium ſuperius exulcerari cœpit, & naſus in parte dextra foris & intus, oborta quoque ſerpigo aſſis Tigurini amplitudine in ſupercilio dextro. In nare dextra vidi rimam quoque illaque obſtructa eſt. Impoſuerunt *folia tabaci ſicci aqua emolliti, nuper rob. ſambuc.*

Die 5. Febr. 1686. me convenit. Totum labium ſuperius exulceratum eſt ab uno angulo ad alterum, in ulcere caro eſt granulata, facilè ſanguinem fundit, labia ulceris non ſunt alta nec inverſa, interſtitium inter naſum & labium non eſt exulceratum, at pinna naris ſiniſtr. foris & intus. Serpigo in ſupercilio ſicca eſt. Suaſi *Liniment.*

℞. Litharg. ☉ pulv. ℥iij. ☿ ſubl. ʒß.

Coq. in acet. ℔iß. cum acet. hujus cochl. iiij. & ol. lin. cochl. v. Mſc. F. liment. quo inungantur ulcera, tegantur *emplaſtr. de ſperm. ran.*

Die 28. Mart. illam vidi: labia ulceris maximam partem erant conſolidata, quædam cruſtâ ſiccâ operta, ut & ulcera pinnæ naſi in latere dextro. *A decoct. menagogo d. 14. Mart.* menſes primùm manare cœperunt per aliquot dies. Melius habens vino indulſit, *ex Xenodochio* erupit.

OBSERVATIO CCVI.

Tuberculum Labii inferioris.

MAtrona quædam Nob. annor. 24. in matrimonio vivens, æſtate ſiniſtrorſum aliquantulum, in medio labii inferioris Sironem habuit, cui interdum fuit obnoxia, unde idem duobus digitis

vel

vel eorum unguibus ſæpius exprimebatur, id quod etiam hac vice ſed paulo duriore & ſenſibiliore expreſſione fiebat, unde locus aliquantiſper intumuit lividum colorem relinquens, quamvis parum per biennium hoc in ſtatu permanſerit, atque partim ob parvitatem, partim inſenſibilitatem nihili æſtimaretur, uſque dum tuberculum hoc aliquid tandem in primo puerperio creverat ſeſeque magnitudine ciceris repræſentaverat, retro quod aliquid albi ſed parùm inſtar radicis verrucoſæ videbatur, diu jam ſubſiſtente tandemque creſcente hoc tuberculo ſollicitudo etiam augebatur, unde *varia Conſilia* fuere data; nonnulli enim ſuaſerunt, ut malum hoc, cum de nulla moleſtia conqueratur, nulliusque ſit periculi, intactum relinquatur, alii, *ut filo conſtringeretur*; voluerunt alii, ut aperiatur & inſtar vulneris tunc tractetur, ſenſerunt alii aliter. Tandem *& ego conſultus Menſ. Decembr. præteriti anni* itidem, ut intactum relinquatur malum hoc, perſenſi, & cum *Nob. Matrona* temperamenti ſit melancholico-ſcorbutici, melius fore credidi, ſi *per remedia appropriata interna* ſanguinis impuritas corrigeretur & edulcoraretur, quod ſi tunc ab internis humoribus impuris huic externo nullum accedat nutrimentum, ſperans malum hoc tempore & regulari diætâ ſi non penitus ſuâ ſponte exſiccaturum, ſaltim *per blanda medicamenta externa* in ſtatu quo permanſurum fore. *Quod Conſilium* arridens in uſum duxit *talia remedia Nob. Patiens* eo cum ſucceſſu, ut *menſis ſpatio* tuberculum hoc aliquantum fuerit imminutum, hinc *vergente Vere hiſce* continuare in animum induxit ſuum. Interea verò temporis *heic tranſiens Medicus Viennenſis vel potius Alchymiſta nomine Hübnerus*, datâ occaſione tuberculum hoc videndi, 40. dierum ſpatio idem penitus exſtirpaturum jactavit, ita ut ſanitatis cupido reſolutionem antea ſumptam vicerit, atque *curam hanc ſuſcipiendi* concluſerit *Nob. Matrona*. Et cum denique *medicamenta ab hoc Medico propoſita* damnoſa non repererim, in eorum uſum conſentiebam; *externa* verò, quod urſit, *applicanda remedia* penitus rejeci, partim quod *omnia externa* ob facile ſubſequendam inde irritationem mihi ſint ſuſpecta, partim etiam quod *horum ingredientia* non omnino ſint cògnita, quamvis *liquor propoſitus* mihi videretur *compoſitus ex phlegmate 🜖li & florib. virid. æris: linimentum verò ex lithargyr. & ol. 🝆* Quidquid autem ſit, *Cura hæc* non ad conſolationem *Nob. Patientis* fuit peracta, nullaque alia mutatio indè obſervabatur, niſi aliqualis doloris in tuberculo ſenſus, decrementum aliquod putatitium & quædam expalleſcentia, uti etiam ante 3. ſeptimanas per aliquot dies rurſus aliqualis dolor ſeſe oſtendebat, nec

non

non albedo quædam in ſuperiore tuberculi parte, ac ſi ad ſuppurationem tenderet: hac verò vice abſque dolore deprehenditur, atque ratione magnitudinis in eodem ſtatu. Cum *Nob. Matrona* ante 10. ſeptimanas rurſus enixa fuerit filiam, hinc propter tempus opportunum magna ſanitatis ſollicitudo *Ipſam* impulit denuò *medicamentis efficacibus* utendi, quare *Excell. Tuam* rogat inſtanter *Judicium ſuum exaſciatiſſimum* aperiendi, *quid ad felicem hujus affectûs ablationem ſit faciendum*, hac generoſa reſolutione ſumpta, ut omnibus ſeſe ſubjicere velit, quod tutò præſtari queat.

Tiguri d. 23. *Aug.* 1692. Joh. Conrad Hottinger,

Reſpondi die 26. *Auguſt*. 1692. Labii tuberculum mihi ſuſpectum, quia 1. ab aliquot annis durat. 2. A forti expreſſione crevit ad magnitudinem piſi minoris, livuit, radicem albam in poſtica parte inſtar verrucæ habet. 3. Dolet. Talia facilè degenerant in cancros, ſi vel *corroſivis* irritentur, vel illorum ſuppuratio tentetur, quod plerumque evenit tuberculis verrucoſis, ſi hac ratione tententur, *ut Jul. Cæſ. Arant. in Libro de Tumoribus teſtatur, atque hactenus ſæpe obſervavi, nam Cancrum ſubſecutum vidi in fronte Jacobi Hebræi; in gena ſub palpebra inferiore in obſtetrice Oſterfing. Petri Schenkels uxore, in angulo oculi majore apud D. D. Hagenb. ad latus naſi R. D. Columb. de quo vid. Obſerv. CLXXXIII. in apice naſi Dornſperg. in labio inferiore Prætor. Wyſwil. Prætoris Stetten. uxore, in Cive Neukirch. Tutius exſcinditur, ut in vetula octuagenaria Gechling. in Tribun. à D. Chr. Simonio;* Operatio non eſt dolorifica, citò perficitur & curatur ſine turpitudine, infantes illam ſuſtinent in curatione labiorum leporin. Requiritur *Artifex dexter & peritus, qualis D. D. Pfiſter noſter*, quo cum jam hac de re contuli. Non requiritur amplius *operoſa præparatio*, quia jam abundè uſa eſt *mundificantibus. Prætor* von Uſſen, *ſenex propè ſeptuagenarius in labio inferiore verſus angulum habuit ante duos annos verrucam, quam avulſit, multum ſanguinis profudit, ſequebatur cruſta, labium inde crevit articuli parvi digiti longitudine, craſſitie quoque: à lapide infernali rubuit, à digeſtivo pus coctum ſuggeſſit. D. J. Seilerum juſſi, ut exſcinderet, quod præſtitit cum ſucceſſu.*

D. Hottinger ſcribit rurſus d. 3. *Septembr* 1692. *D. Ægram* fortè territam *ab operatione Chirurgica*, exiſtimare exiguitatem tuberculi nondum illam exigere, eoque minus quia non ſponte emergerit, ſed productum fuiſſe à violenta compreſſione labii, illam ſperare *præmiſſis ſanguinem depurantibus iteratò, à topicis tutis & ſpecificis* ſi non ſtatim, tamen progreſſu temporis aufferri, & ſi non penitus, tamen in præſenti ſtatu conſervari poſſe, malle ſe hanc moleſtiam, quæ tolerabilis ſit,

quam

quèm *anceps remedium* experiri. *Timæus Libr. VI. Conſ. IX. meminit tumoris in maxilla ſuperiore juxta externum oculi angulum nucis avellanæ magnitudine à contuſione ob Ecchymoſin contracti : tumor iſte evanuit ab empl. diſcutiente & reſolvente, manente livore, quem ſuſtulit ſcarificatione cum cucurbitula & inunctione ol. Talci;* fatetur tamen tumorem hunc non ſimilem eſſe in omnibus *Nob. Ægræ,* quia ille nondum diu durarit; attamen non credit *hujus Matronæ* tuberculum carneum, quia non habet talis tumoris conſiſtentiam, unde opinatur eſſe ſanguinem ſuffuſum. *Joh. Hucherus de ſterilitate utriusque Sexus Libr. I. pag. 36. mentionem facit remediorum carunculas abſumentium.* Quia vari in facie hujus tuberculi fortaſſe anſa fuerunt, opinatur à vi labio per compreſſionem illata materiam Varorum huic tuberculo incrementi pabulum ſuppeditaſſe. *An cosmeticum, & ex his ol. talc. ſine corroſivo aut alio acri paratum applicari liceat? ℞. Talc. multoties candefacti & in aq. appropriata extincti rurſusque ſiccati, ſacch. cand. ãã. p. æq. cum vel ſine camphora, reponatur in locum humid. frigid. donec ſolvatur.* Putat à forti compreſſione labii venam vel in cute vel carne ſubjecta læſam fuiſſe, quia à fortiori motu, imprimis tempeſtate calidâ *Dom. Ægra* percipit tuberculum altius fieri, diſtendi & magis ſentiri moleſtiam aliquam.

Reſpondi D. 8. Septembr. 1692. Ut *Conſilium ſolidum* dari poſſit, primum aliquid certi de affectu ſcire oportet; *Chirurgici* autem *affectus* facilius innoteſcunt ex inſpectione & exploratione, quæ manibus fit; niſi enim notum, qui, qualisve affectus ſit, vix *commodum remedium* ſuadebitur. Nuper conjeci tuberculum alius naturæ, quàm vulgò occurrentes puſtulas aut verrucas; ejus cauſam occaſionalem non negarim ecchymoſin ſeu extravaſationem humorum, ſed non illis ſimilem, quæ ſuggillata vocantur, & in cute contuſa conſpiciuntur, quæ primo atrorubentia, hinc livida & flava ſunt, ſe longè latèque diffundunt, & citra tumorem ſuperſtitem aut ſuppurationem plerumque evaneſcunt, nec tamdiu durant. Alia ratio tumoris poſt contuſionem nati *in Filia Timæi,* quia ultra menſem duravit, quæ procul dubio relicta evaſiſſet in tumorem cum folliculo, quia grumus niſi folliculo incluſus centies putrefactus fuiſſet. Mihi hoc labii inferioris tuberculum adhuc ſuſpectum eſt, quia durat à duobus annis, eſt in parte glanduloſa, occaſio à compreſſione contuſioni forti ſimili, quæ ſemper in partibus glanduloſis noxiæ, damno demum poſt annos emergente; principium ſæpe exiguum eſt, ſenſim creſcit, diu eſt indolens, quando punctiones adveniunt, celeriùs augentur; à motu corporis & tempeſtate calida altius fit, diſtenditur & jam dolet. Certius tamen judicari poſſet, ſi Tu-

 morem

morem conſpicere & tangere liceret. Quia dolor non magnus, nullum adhucdum periculum in mora, dolores pungentes ſeu ab acu ſeu ſubulâ, mali. *Ante ſectionem* prodeſſent *interne.*

℞. *Diaphoret. ♃al.* ʒij. *♂tial.* ʒiß.
Matr. perl. ppr. ʒj. *Ocul. ♋. pp.* ʒiß.
Succ. fumar. inſpiſſat. q. ſ.
Mſc. F. Pil. cum mucilag. tragac. q. ſ. ex ʒj. *N. xxxx.*
Doſ. Mane No. x. cnm aq. fumar. Veſper. No v.

Topica optima ſunt *♄na, ex. gr.*

℞. *Sacchar. ♄n. plumb. uſt. & bene lot.* āā. ʒj.
Sief. alb. Rh. ſ. op. ʒß.
Aq. nymphea ℥iiij. *Mſc.*
Immergant. lint. quadruplic. apponant. calidè.

Ol. Talci effectus ignoro, nunquam illo uſus ſum. *Dn. Simon Schmid Chirurgus Thieingenſ. præſtans tale tuberculum in labio inferiore ſenſim aduſſit cauterio actuali, quo dentes cavi aduruntur, unde corrugabatur, ut extrahi potuerit, cavo ulceris indidit globulum ex mica panis & ☿♎ unde excidit totum, & ut ſolet poſt tale ☿riale brevi conſolidabatur ſine recidiva.*

Die 10. *Maji* 1693. *ſcribitur:* tuberculum manet, uſa eſt *pil.* & *collyrio ♄no* ſine fructu, imo dum lactavit, ſtatim lactis fons exaruit præter ſolitum, & hanc ob cauſam ac hyemis inclementiam affectum oſtendere *D. D. Pfiſtero* noluit. Tuberculum nunc majus nunc minus. *Vere* ſuadebantur *ſanguinem mundificantia*, quæ tamen *ob averſionem verſus medicamenta* hactenus reſpuit. *D. Hottinger* petit, ut ſuggeram *quædam ſanguinem mundificantia.*

Die 20. *Maji* 1693. ſuaſi *juſcul. alterat. aut ſer. alterat. per ſingulos menſes æſtivos dieb.* 10. *mane ad* ℥v. *vel vj. calidè, ſcil. ex rad. cichor. ſcorzon. herb. rec. lapath. ac. fumar. ling. cervin. pimpinell. borrag. bugloſſ. bellid. min. &c. ſeligendo ſemper tria ſimplicia, addendo tamen ſemper acetoſ. ſem. fœnicul. vel aniſ.* prodeſſent etiam *Aq. recenter deſtill. c. liq. meo aperitiv.* Ut recte ipſi conſuli poſſet, inſpectionem neceſſariam ſcripſi.

Die 31. *Octobr.* 1694. *denuò ſcribitur: Poſt uſum juſcul. alterat.* lactantem die ſexto lac amiſiſſe, ſequente diarrhœa & imprægnatione, peperit

peperit fœtum vivum; quia puerpera non benè ſe geſſit & intempeſtivè lectum deſeruit, contraxit inflammationem mammæ. Interea deſideravit ſæpius tuberculi ablationem. Inquirendo invenit poſt tuberculi primi radices, illas in novum tuberculum excreviſſe, ambo tubercula altiora quidem ſed non ampliora in ambitu evaſerunt, nec ullas circum circa radices tangit, itaque illa circa baſin conſtrinxit *filo ſericeo* ſine ullo dolore, nullæ radices apparuerunt, ſimilia ſunt cuti, admodum mollia & non mutata, ſimilia piſo oſtenderunt, unde methodum faciliorem, tutiorem & certiorem fore, ſi ſenſim *filo conſtricta* tollerentur. Quia tamen ille nunquam hoc auſus eſt, *Dom. Ægra* ipſi ſoli confidit, & *propter confuſionem in re medica* non facilè conceditur alios *in Conſilium* adducere, denuò *meum Conſilium* expetit: non putat *D. Hottinger* à M. S. corrupta, ſed à cauſa violenta ſcil. à compreſſione forti ſyronis ſeu puſtulæ in labio oborta. 2. Quia intra aliquot annos non altius crevit. 3. Quia *Ægra* cætera ſana & juvenis eſt, adhuc lactat puellum 16. ſeptiman. *Annon aliquid cum ipſa tentandum ſit? an ligatura conveniat?* nunc utitur ♄*n. lot. p. ij. ceruſſ. p. j. ſucc. plantag. q. ſ. An ſolum hoc tingenda, an cum pulvill. applicanda? num tutius ſit humiditatem exſiccare ſimul, an ſolâ ligaturâ tollendum? Chirurgus* ſuaſit *ligaturam & ſimul uſtionem. Alius* putat *fruſtulum* ♄*n.* imponendum, verùm neutrum probat, quia *uſtione* alia accidentia accerſerentur; à compreſſione vix affluxus caveretur.

Reſpondi: Caro labiorum glanduloſa eſt & exquiſito ſenſu prædita, imprimis in toto illo ſpatio ubi rubeſcunt. Tubercula diuturna in illâ emergentia ſunt vel tumores cum folliculo vel caro fungoſa; tumores cum folliculo nihil mali denotant, at caro fungoſa, quæ diu latere poteſt, nihilque mali affert, donec exulceretur, & etiam ſaniſſimis evenire poteſt, etiam poſt 20. annos. Quia à Syrone incepit & hucuſque durat, res ſuſpecta eſt: ſi circa baſin ligari poteſt ſine dolore, ligetur *Setâ equinâ*, unde citò decidet: ſi recreſcat, ſupereſt *ſectio, quæ tuta & non dolorifica.*

OBSERVATIO CCVII.

Gingivæ tumidæ atrorubentes cum Arthritide vaga.

P*Erilluſtris Infans Franciſcus Wilbelm de N.* propè bimulus, jam à trimeſtri minus laudabili valetudine fruebatur: aliquid de Arthritide vaga paſſus eſt, quamprimum corpuſculum in cunis movebatu

batur, ejulavit, propterea longo tempore in lecto ſinebatur, quando neceſſario ad corpus mundandum & ad lectulum ſternendum levabatur, ploravit: intumuit circa articulos ſubindè non conſtanter in uno articulo, ſed alternatim nunc hic nunc alibi, ſæpius ſine cauſa vagiit, & plures noctes inſomnes egit. Intumuerunt gingivæ, & ſæpe cruorem fuderunt: æſtuavit incertis periodis, multum ſudavit: bibit *decoct. ſaſſaſr.* uſus *pulv. antarthrit. ex lumbric. pp. it. pulv. March. comp.*

Die 9. April. 1691. *ipſum Müllheimii conveni:* pallidus erat, ancilla ipſum geſtavit, de arthritide non multum querebatur. Gingivæ in utraque maxilla tum in dentium interſtitiis, tum in ſuperficie, ubi dentes erupturi eſſent, tubercula atrorubeſcentia, alicubi livida habuerunt, ſimilia veſiculis, ruptæ fundebant plurimum ſanguinis, qui tamen ſtatim in grumos concreſcebat, quando prominuit in ſuperficie veſica cruenta, erumpente dente rumpebatur, & illa evanuit. Nunc tumorem habet in fœmore ſin. concolorem durum, circumſcriptum, attactum utcunque ferentem: dormit magis interdiu quam noctu, à ſomno ſudat. Uſus eſt hactenus *pulv. ſpecif. à me præſcripto cum aq. hepat. & pulm. vitul.*

Not. Circa finem Decembr 1690. pallidior erat ſolitò cum flavedine, noluit amplius ſtare & incedere, quod jam præſtare valuerat: habuit puſtulas ſcabioſas in planta pedis, his *ol. olivar.* ſublatis & exſiccatis morbus incepit. *An ab exſiccatione harum puſtularum, anne verò à caſu? dubitabatur.* Sæpè per dies duos benè comedit, tertio minus, & tunc cætera malè ſe habet, unde putant illum febricitare.

Die 9. Aprilis non bene cœnavit, ſudantem famula non deterſit, imo ſæpe frigori expoſuit, dum aberat *Domicella M. B.* ultra 8. ſeptimanas, inde valetudo deficere cæpit. Not. Dentes canini nondum eruperant.

Die 10. *April.* Mane benè comedit: alvus ſolvebatur, fœces compactæ naturales, ſolitò ſicciores, quotidie ſemel alvum aliàs ſolvit.

Analyſis.

SAnguinem *Nob. Puelli* ſeroſiorem eſſe teſtantur gingivarum tumor atrorubeſcens, arthritis comitans & prægreſſa, tumor femoris concolor, pallor &c. Cauſa non victus ratione, quâ non erratur, ſed potiſſimum ſudoris ſuppreſſio: omnes liberi *hujus Familiæ* ſtatim ac in lectum reponuntur, largè ſudare ſolent, & idem ipſi ante invaſionem hujus morbi evenit, poſt impeditum ſudorem *abſente Dn. Cognatâ* hæc ſymptomata emerſerunt. An ſcabiei intempeſtiva exſiccatio in pedibus

bus fortè quoque ſuum ſymbolum contulit? jam ab aliquot diebus ſudare rurſus cœpit, unde dolores ceſſarunt.

Suaſi *Mane ſummo & Veſp. hor. ante cœnam* ℈ß. *pulv. ſpecif. cum aq. ex naſturt. aq. hortenſ. acetoſ. it. hep. & pulmon. vitul. deſtill. & pauxill. ſyr. de rub. Id. noctu horâ ſomni* dentur *gr. vj. pulv. March. cum aq. fl. til.* Gingivæ ſubinde tingantur *tinct. lacc.* abluantur *decoct.*

℞. *Cort. ſalic. rad. prunor. ſylv.* ãã. ℥ij.
Flor. roſ. r. ʒij. *Alum.* ʒß.

Coq. in aq. fontan. ℔vj. *cum mell. cochl. iiij. ultra hor. col.* ſudor nunquam prohibeatur.

Die 12. *Maji Me convenit D. Joh. Chirurg. à medicamentis* ratione dolorum corporis melius habuit *ad* 10. *Maji:* habitus incrementa ſumpſit, comedit benè, minus moroſus fuit. Gingivæ ſemper in eodem ſtatu manſerunt, novis emergentibus dentibus duo rubra tubera in ſuperficie gingivarum eminuerunt, facilè ſanguinem fundentes, quando liveſcunt, brevi rumpuntur, & multum ſanguinis fundunt, quandoque tumores non rotundi ſed oblongi ſunt, ac ſi digitus parvus cruentus incumberet gingivis. *Not.* Tumores *à decoct. cort. rad. prun. ſylv. cort. ſalic. It. à tinct.* nec quicquam imminuebantur nec cruentationem prohibuerunt. Tumor fœmoris ſiniſtri nunc redit nunc imminuitur, nunquam penitus evaneſcit: à biduo in omnibus artubus dolet. Suaſi *liq. aperit.*

℞. *Aq. gramin.* ℥iij. *Spir.* ⊖ ✳*ac. urin.* ʒiij.
Spir. C. C. ʒj. ⊖ *abſinth.* ʒj. *Mſc.*

De hujus Mixt. ℞. *Cochl. ij. cum aq. antiſcorbut. ex*
aq. beccab. naſturt. aq. ãã. ℥ij.
Syr. de rub. id. ℥ß. *in hoc detur pulv.*

℞. *Antim. diaph.* ʒß. *C. C. ph. pp. ung. alc. pp.* ãã. ʒij.
Sal. vol. lumbr. ℈j. *ſem. aquileg.* ʒj.
Sacch. ℥ij. *Mſc. F. Ps. add. fol.* ☉. *No. ij.*

Pro ore ℞. *Rad. & fol. lapath. ac. q. v. coq. cum aq. font. ad conſ. p. t. Col.* ℔j. *add. ſucc. naſturt. aq. beccab.* ana. ℥iij. *cum mell. coq. ad conſiſt. ſyr. add. ung. Ægypt. parum.*

Os eluatur porro *decoct. rad. prun. ſylv.*

Die 14. *Maji* 1691. Gangræna oborta eſt in gen. dextr. Ulcus ſecutum

tum eſt pervium dahleri amplitudine cum ſummo fœtore : potuit deglutire admoto linteo foramini. Vegetior erat ſolito , invaſit maxillam inferiorem cum mento, omnia fruſtranea erant, *mell. roſ. cum ſp.* ⊖*l.* ♀. *&c.* de nullo dolore conqueſtus eſt.

Mortuus eſt d. 18. *Maji* 1691.

OBSERVATIO CCVIII.

Linguæ Tumor cum folliculo.

NOb. *D. G.* Infans habet tuberculum anterius in lingua, magnitudine teruncii , ſimile lardo : ad hujus conſumptionem illinivi *ſucc. diamor. aq. cochl. phlegm.* ⊖*l. mell. roſ. add. ſp.* ⊖*l. q. ſ. ad acorem.* Tunc *vocatus D. D. Cyſat applicata* approbavit. Verùm *ab horum uſu* tumor apicem linguæ deſeruit ac ſubſidit , poſtmodum autem triplo latior ſub linguâ evaſit. Præterea *Dn. D. Huber* uſus eſt , quantum colore & ſapore conjicere potui , *aq. viridi* ⊖*lata*, ſed fruſtra : dein *decoct. herb. vinc. per vincæ in vin. alb. add. pauxil. ſpir.* ⊖ ✳*ci*, quo lingua fricabatur. Juſſit etiam apicem linguæ *lanceolâ* pungere, ut ſanguinis parum ſtillet, ſed omnia incaſſum : malum nec augetur nec diminuitur.

Propterea *Conſilium Excell. Veſtræ* imploro, ut quid faciendum ſit, aperiat quàm humaniſſimè ad ſanitatem Infantis.

Cæterum &c.

Excell. Veſtræ

Lucernæ d. 14. *Mart.* 1672.

Addictiſſimus

C. L. Imhof, Chirurgus.

Reſpondi d. 16. *Mart.* 1672.

VIdetur eſſe Tumor cum folliculo. An fortè ranula? eſſet ſi magis profundus eſſet. Tumoris peripheria indaganda , & explorandum, an ſit in ſubſtantia linguæ mobilis. Si circumſcriptus ſit, & aliquantulum mobilis, profundè incidendus, cavendo venas majores, contenta eximenda & exprimenda, ne recreſcat *tutò aduri poteſt ferro candente per cannulam immiſſo , quod tutius cauſticis.* Curatur poſtea ulcus *ſolo mell. roſ. Acria* periculoſa in hac ætate.

OBSER-

OBSERVATIO CCIX.
Faucium Ulcera.

PErilluſtris quidam Dominus Generalis Vigiliarum in Exercitu Ser. Electoris Saxoniæ, annor. 50. ſtaturæ longæ, bene coloratus, carnoſus, *ab Atavis editus Anglis*, diu vixit *in Brabantia*; ipſe autem educatus *in Lotharingia*, diu militiam ſecutus eſt. Non multos exceſſus commiſit in potu. *Anno* 1690. Æſtate varia ulcuſcula in ore & faucibus hinc inde oborta ſunt, quæ negligebantur *à Chirurgo militari ebrio*, hinc verſus Autumnum vera ulcera in faucibus emerſerunt, quæ deglutitionem impediebant ſolidorum: pluribus ſeptimanis vitam ſuſtentavit ſolis juſculis, unde emaciabatur, & valde debilis evadebat, ut vix ſtare potuerit. *Die* 14. *Septembr.* 1690. *Scaphuſium venit*, inſpectis faucibus in membrana pituitoſa poſtica poſt uvulam in conſpectum venit ulcus amplum, profundum & ſordidum, ſimilibus ambæ tonſillæ affectæ fuerunt; multum ſalivavit, vix liquida deglutire potuit, inter deglutiendum ad vehementem tuſſim ſtimulabatur prope ſuffocationem intentantem, quâ multùm ſputi viſcidi craſſi ejecit.

Die 15. *Septembr.* dedi *Turpeth. mineral. gr. iij. cum ther. in pilul. format. Die* 17. *Sept.* ſumpſit *ejus gr. iiij. cum ther.* quæ nihil effecerunt. *Die* 18. *Sept.* dedi *gr. v. cum ther.* unde bis vomuit, multum ſalivavit. Ulcera leviculè jam *die* 16. *Septembr.* tangebantur ▽ *virid. Plater.* continuabatur per aliquot dies: os colluit *gargarizando & per ſyringam injiciendo decoct ex guajac. & traumaticis:* cum bene gargarizare rurſus potuit, hanc *præ ſyringatione* commendavi. Cum fauces ruberent *d.* 17. *Sept.* ſuaſi *gargariſm. refriger. &* ▽ *virid.* parcius adhibebatur, lingebat ſæpe *mell roſ. dilutum aq. prun. Ad d.* 22. *Sept.* deglutitio adhuc difficilis erat & protinus ad tuſſim ſtimulabatur, nam linguâ valde depreſſâ tuberculum quaſi eſcharâ obductum occurrit, quâ ſublatâ ulcus manſit dimidii bazii amplitudine: continuato *gargarismate, linctu mell. roſ.* & novo ulcere *bis vel ter aq. viridi* tacto, tum hoc tum alia ulcera mundiora apparuerunt. Interim brevi *poſt illinitionem aq. viridis* ſtatim *gargariſmum* ſuaſimus, ne quid de illa ad ventriculum perveniret. *Die* 25. *Septembr.* ulcuſculum in medio uvulæ emerſit, quod tamen brevi *ab* ▽ *virid. & gargariſmo* evanuit. *Die* 24. *&* 25. *Septembr.* jam melius deglutire valuit, ulcera faucium & tonſillarum munda & anguſtiora, minus ſalivavit, non tuſſiit, indies

melius

melius deglutire valuit cibos ſolidos, panem, carnem aſſam & elixam, pruna, pruneol. poma cocta, unde vires *ad d.* 30. *Sept.* egregie præter ſuam ſpem recuperavit.

Præter hæc particularia ſuaſi *Curam ſudoriferam ſuper ſcamno ad id conſtructo : mane* antequam *ſcamno* incubuit, ſumpſit *Electuar.* ʒij. ſuperbibit *decocti lignor.* ℥v. *vel vj. calidè:* primum *M. & V.* incubuit *per horæ quadrantem*, ſudavit egregie *ſuper ſcamno* & poſtea in lecto; dum *ſcamno* incubuit & poſt egreſſum, refocillabatur *julepo.* Incepimus uti *ſcamno die* 19. *Sept.* continuavimus *M. & V. ad d.* 22. *Sept.* poſtea *ſolummodo mane, ſed ferè ad horam,* hunc ſudandi modum continuavit *ad d.* 3. *Octobr.*

Die 21. *Sept.* doluit carpus ſiniſter, ut manum ad latera movere aut ſupinare bene non poſſet, ſed intra biduum dolor evanuit.

Die 2. *Octobr.* doluit in tibia externa ſupra malleolum in medio tendinis, non ſuper oſſe aut parte excarni; tendinis portio altior videbatur, nec bene attactum pertulit, tibia autem optimè.

Per aliquot dies ſani inſtar obambulabat, priſtino robore ut ajebat reparato. Comedit hucuſque cibos boni ſucci, facilis coctionis, bibit *primò decoct. ſaſſafr. poſtea ipſius Chirurgus Vir egregius & ſobrius* dedit *decoct. lignor. cum ♄ crudo.* Alvus ſuppreſſa movebatur *ſuppoſitor. mellit.* ſemel *paſſul. laxativ. quarum* ℥iij. comedit *in uno mane*, ter alvum moverunt. Plerumque bene dormivit. Urina in principio tinctior, poſtea naturalis.

Ad decoctum ℞. *Lign. ſanct.* ℥iiij.
ſaſſafr. ʒvj.
Rad. ſarſæparill. ℥ß.
chin. ℥ß.
Cort. guajac. ʒvj.
Inciſ. & contuſ. inf. cum aq. font. ℔iiij. *ſtent in digeſtione hor.* 16. *poſtea coq. in vaſ. vitr. bene clauſo in* MB. *per hor.* 2. *ſub finem coction. add.*
Rad. glycyrrhiz. ℥ß.
Paſſul. maj. exacin. ℥iß.
Sem. fœnicul. ʒiij.
Factâ ebullitione coletur, detur ad fictil.

Ad Aquam alexiteriam ℞. *Rad. pimpinell. biſtort.*
diptamn. alb. ana. ℥j.

Herb.

Herb. card. bened. ſcord. ãã *Mij.*
rut. hortenſ. beton. rut. murar. ãã. *Mj.*
Flor. lavendul. hyperic. ãã. *Mij.*
bugloſſ. Mj.
Sem. angelic. fœnic. ana. ʒ*vj.*
citr. ℥ß.

Inciſ. & contuſ. infund. cum aq. fontan. ℔*iij. poſtea digerant. per hor. 24. affund. denuo aq.* ℔*vj. add. theriac.* ℥*j. diger. rurſus hor. 6. hinc deſtill. ex vaſ. vitr. per* MB.

Ad Electuarium ℞. *Conſerv. roſ. r.* ℥*iij.*
bugloſſ. ℥*j.*
fl. centaur. min. ʒ*vj.*
Diaſcord. Fracaſt. ℥*iß.*
Theriac. Androm. ʒ*iij. Mſc.*

Ad Gargariſmum adſtringentem & refrigerantem.
℞. *Rad. tormentill. biſtort.* ana. ℥ß.
Herb. prunell. equiſet.
Flor. roſar. rubr. ana. *Mj.*
balauſt. Pj.
Hord. mund. Mj.

Coq. in aq. font. menſ. ij. per hor. i. col. add. mell. roſ. ℥*ij.*

Pro Julepo ℞. *Aq. Alexiter.* ℥*ij.*
card. ben. fl. acac.
de bacc. rub. id. ana. ℥*iß.*
Syrup. de rub. id. ℥*j. Mſc.*

Die 3. Octobr. expetiit laxans die 4. Octobr. ſumendum ante V. S. die 6. Octobr. inſtituendam.
℞. *Fol. Senn. ſ. ſ.* ʒ*iij.*
Rhabarb. el. ʒ*ij. Agaric. alb.* ʒ*iß.*
Crem. ♀. ℈*iiij.* ⊖ *abſinth.* ʒß.
Flor. paralyſ. beton. ana *Pj.*
Sem. aniſ. ʒ*j.*

Inciſ. & contuſ. ebulliant c. aq. font. q. ſ. in vaſe vitr. bene clauſo, colet. citra expreſſion. in Colatur. ℥*v. ſolv. Mann. el.* ℥*iß. Coletur iterum, bibat mane hor. 6.*

OBSERVATIO CCX.

Caries Palato imminens à Lue Venerea.

ILLuſtriſſimus quidam magni Nominis Vir, 42. annos natus, temperamento valido & ſicco præditus, boni habitûs, venis plenis & amplis, jam per *6.* annos de moleſtiſſimo conqueritur morbo, qui primum duxit ortum, cùm *apud Belgas Martis caſtra* ſecutus cum hoſtibusque congreſſus ictu ſclopeti in humero dextro læſus fuerit, laborabat eodem tempore Gonorrhœâ pertinaci & virulentâ, quæ tamen protinus ceſſavit *ſine curâ & ſollicitudine Medicorum ac Chirurgorum tunc præſentium*, qui ſolummodo jam *in dicti vulneris curatione* occupati erant, ſed quid fit? cum *Dnus Ægrotus* ſe curatum crederet, acerbiſſimo dolore in dextra regione oſſis ſacri corripiebatur, qui dum in femur, tibiam & extremum pedem ſe extenderet, dolorem iſchiadicum eſſe pronunciarunt, uſus fuit *Conſiliis plurimorum Medicorum* abſque ullo tamen emolumento, tandem *Cranenburgum* appulit, & *famoſi illius Empyrici (nomine du Fay) curæ* ſe ſubmiſit, qui more ſuo ſolito *inunctiones ☿riales Dno Ægroto* adhibuit, unde non contemnendum ſenſit levamen, *uſque ad annum* 1676. quo plurima ulcuſcula phagædenica in cruribus extiterunt cum ingenti capitis dolore & auditûs læſione, conſuluit *Chirurgum haud indoctum*, ac per aliquot ſeptimanas *decocto ſudorifero* non infelici cum ſucceſſu uſus fuit; poſtea etſi dolor capitis cum quadam auditûs depravatione ſæpius rediret, nihilominus tamen *Illuſtr. Dominus* obambulavit, ſecutus eſt caſtra præliisque interfuit per tres ferè annos. *Anno* 1679. revertebantur commemorata ſymptomata & quidem cum majori exacerbatione, vidi enim fauces inflammatas, uvulam elongatam & palatum tumefactum, à maligna & acri defluxione loca hæc alluente, præſcripta fuerunt *plurima remedia* tamen parvo cum fructu, ceſſarunt quidem capitis dolores & faucium rubedo, ſed ſuſpecta palati tumeſcentia omnem eluſit medelam, uſus fuit poſtea *Acidulis in Valle Petrina*, cum mediocri levamine, & *Bataviam* iterum ſe contulit, quâ ante 10. circiter menſes *in Germaniam* redux de novo acerbiſſimis corripiebatur doloribus, aderat enim intolerabilis capitis dolor cum paralyſi oculi ſiniſtri, ingens palati tumor ac rubedo, dolor pungens in baſi naſi, laſſitudo ſpontanea. *Ex mandato Illuſtriſſimi Dni Ægri ad conſultationem vocatus fui, cum Medicis doctrinâ & eruditione Excellentiſſimis*, qui, poſteaquam de ejus affectu amicè contuliſſemus, unanimiter concluſimus morbum hunc fomitem habere à contagio venereo, quod concluſum ſereno vultu accepit

pit *Illuſtriſſimus Dnus* & *Curæ noſtræ* ſe concredidit: utebamur *præmiſſis præmittendis per aliquot ſeptimanas decocto ſudorifero*, poſtea ad mali eradicationem adhibitæ fuerunt *inunctiones ☿riales* & quidem tali cum ſucceſſu, ut omnia prædicta ſymptomata evanuerint, excepto palati tumore, priori tamen multò minore, & aliquali oculi motûs depravatione ſine viſionis tamen læſione; vix credendum, quam copioſa & fœtida fuerit ſalivatio, excreta quoque fuerunt cum fœtidiſſimo & pituitoſo ſputo fruſtula quædam carnis corruptæ, unde *cum præfatis Medicis* conjicio, cariem quandam in oſſe palati adeſſe, imprimis quia partis hujus tumor nondum cedit, propoſuimus partium harum *inuſtionem*, tàm ad impacti humoris reſolutionem, quàm corrupti oſſis ſeparationem, *ſalvo tamen doctiori & meliori veſtro judicio*.

Propter moleſtiſſima hæc incommoda Illuſtriſſimus Dominus Æger doctiſſimum veſtrum Conſilium efflagitat & magno cum deſiderio exſpectat.

Die 26. Maji 1680. Joh. Fatio, Med. & Chir. Doct.
Civitatis Rupispolitanæ Phyſ.

Conſilium Medicum.

CAriem oſſis palati *in propoſito caſu* imminere, vel jam ſub illius integumento latere vix dubitare ſinunt tumor diuturnus in cœlo palati etiam *poſt diætam ſudoriferam & inunctionem ☿rialem* permanens, ejusque rubor cum dolore punctorio. Verendum tamen eſt hoc cariei periculum non ſubſiſtere in oſſe palati, ſed altius aſſurgere & penetraſſe jam ad vomerem, oſſa ſpongioſa narium, oſſis ſphænoidis partem atque etiam ad oſſa oculi orbitam ſpectantia: nam *in ultima ſalivatione* cum particulis carneis fœtidiſſima exſpuebantur, licet nulla palati exulceratio in conſpectum venerit, quæ certè *in hiſtoria* non memorata fuit, deinde jam dolorem *Sereniſſimus Princeps* ad radicem naſi ſenſit; & nunc oculi ſiniſtri motus ceu in ςραβίσμῳ perverſus eſt, quamvis inde viſio nec aboleatur aut imminuatur; attamen procul dubio depravatur, ut utroque oculo aperto objecta duplicia appareant, inſuper præſente cephalalgia vehementi auditus turbatur; denique vox rauca eſt & animadvertitur *Sereniſſimum Principem* loqui, ut ſolent illi, quibus uvula aut vomer ſublatus fuit. Quod eo veriſimilius eſt, quia hæc ſymptomata cum tumore palati inceperunt ipſumque hactenus comitata ſunt.

Cauſa calamitatis hujus proxima eſt humor aqueus, ſeu ſerum maſſæ ſanguineæ, imbutum particulis ſalinis ſimilibus illis, quibus ſcatet *Aqua fortis, ſpir.* ⊖, ⌽, ⊖l. *aut liquores alii hiſce ſimiles*: hoc ſi

ſe oſſium ſpongioſorum porulis inſinuat, aut ſi intra perioſtia & oſſa ſtagnat, aut ſi illa jam à perioſtiis nudata attingit, facile cariem inducit. Humorem talem in Lue Venerea affectis redundare jam in vulgus notum eſt; *Sereniſſimum* autem *Principem* hac quoque contaminatum fuiſſe Gonorrhœa demonſtrat pridem perpeſſa, atque ſanguis inde magis corruptus poſtea fuit, quia, dum vulnus humero dextro inflictum *Chirurgi* curabant, penitus negligebatur, & quamvis conſolidato vulnere *Sereniſſimus Princeps ter curationibus huic morbo ſolennibus* ſe ſubjecerit, *ſcil. inunctioni ☿riali & diætæ ſudoriferæ*, *utrique ſeorſim & ultimâ vice utrique ſimul,* nunquam tamen luem hanc ſublatam fuiſſe teſtantur dolor iſchiadico ſimilis, ulcera phagædenica, cephalalgia vehemens ſæpius recurrens, & tandem palati tumor cum aliis ſymptomatibus ſtipatus nunc cariem minitans. *An ☿ hic quoque culpandus ſit?* certò definire non auſimus, quamvis ſciamus ipſum intima quæque penetrare, ut vel paralyſes & tremores *Aurifabrorum, ipſa ſalivatio & ☿ vivus* intra cranium ab inunctionibus poſt mortem repertus, abunde id probent; niſi velimus illum cum ſalibus maſſæ ſanguineæ ſociatum corrodendi vim contrahere, unde *in ſalivatione*, niſi caveatur, fauces, tonſillæ, lingua, gingivæ & uvula ſæpe miſerè exulcerantur: verius in culpæ conſortium veniet ſcorbutica quædam diſpoſitio, in qua etiam maſſa ſanguinea ſilveſtribus ſalibus & oſſium compagi infeſtiſſimis imbuitur; nam *Sereniſſimus Princeps* aliquot annis in locis verſabatur, ubi ſcorbutus endemius eſt, & victu caſtrenſi utebatur ad hanc labem inducendam efficaciſſimo, adeo ut duabus hiſce cauſis conſociatis gravius *Sereniſſimum Principem* affligi credendum ſit.

Quæ cùm ita ſint, indicationes erunt totam maſſam ſanguineam à labe venerea & ſcorbutica eſſe vindicandam, tumorem palati & contiguarum partium imminuendum & diſcutiendum, aut ſi ſuppuratio impediri nequeat, illam maturandam, ſuppuratum quantocyus aperiendum, ne pus oſſa corrodat, ulcus detergendum & conſolidandum, & ſi, omnibus tentatis, nihilominus caries obvenerit, carioſi ſeparationem accelerandam, neve ulterius ſerpat, magnâ diligentiâ cavendum eſſe. Quomodo hiſce indicationibus ſatisfaciendum ſit, *methodo executiva* explanare lubet.

Ante omnia maſſa ſanguinea *tum in principio curationis, tum reliquo progreſſu* ſemper emendanda, ac ad meliorem conſtitutionem reducenda & conſervanda eſt. Itaque convenit, ut *Sereniſſimus Dominus ſubinde purgetur infuſ. fol. ſenn. rhabarb. tamarind. add. colatur. ſyr. roſ. ſ. ſ. aut de cichor. cum rhabarb.* Poſt dies caniculares *ante novi- & plenilunium* exhiberi poſſent *mane pilulæ.*

℞. *Extract*

℞. *Extract. catholic. vel cochiar.* ℈j.
☿ *dulc per repetitas ſublimationes bene pp.* ℈ß.
Mſc. F. pilul. No. xiij. de ☉.

Si fortius purgent, Extr. ſumantur gr. xij. vel xiij. Deinde, quia *decoctum Guajaci* faſtidit, ſumat *ſingulo mane bolum* ℞. *Hujus pulv. diaphoret.* ʒß. *conſ. bugloſſ. cochlear.* ana. ʒj. *Mſc.*

Deſcriptio pulveris diaphoretici hæc eſt.

℞. *Pulv.* ♁*ii fix. alb.* ʒvj. *Diaphor.* ☉ ℥ß.
Cinnab. ♁*ii, Matr. perlar. pp.* ana. ʒij.
Sang. dracon. ver. lap. bezoard. Occid. ana. ʒj.
Ambr. gryſ. ℈ß. *Fol.* ☉. *No. xii.*
Sacch. perlat. ℥j. *Mſc. F. Pulv.*

Huic bolo ſuperbibat *hujus decocti* ℥*iiij. vel v. calidè*, maneatque poſt hauſtum duabus horis in lecto: ſudorem non urgeat, emergentem tamen non impediat.

℞. *Rad. ſarſæparill. quæ in hujusmodi tumoribus ſpecifica eſt,* ℥*ij.*
chin. ℥*j. cort. Winter.* ʒ*iij.*
Sem. fœnicul. ʒ*ij. paſſul. maj. exacin.* ℥*iij. inciſ. & contuſ. indantur vaſi vitreato cum aq. font.* ℔*iiij. & bene clauſa coquantur in* MB. *hor.* 4. *ſponte frigefacta colentur citra expreſſion.*

Veſperi hor. 5. *Bolus & Hauſtus* repeti poterunt, verum non neceſſe eſt, ut *Sereniſſimus Princeps* tunc lectum repetat.

Dum hæc ſumuntur, præcipua quoque ratio tumoris palati habenda eſt: ſi valde inflammatus ſit magnusque affluxus appareat, ſanguis aliique humores omni ingenio revellendi; quod præſtatur *Venæſectionibus* in partibus diſtantioribus ſcil. in pedibus factis, *ſcarificatione, Hildanus in ſimili caſu ſetacea adhibuit*, quæ tamen *Sereniſſimo Principi* nimis moleſta fore putamus: *fonticuli* nimis tardè opem aliquam ferunt: nos imminente carie à ſimilibus tumoribus in partibus excarnibus utiliter *unicâ vice iteratò quatuor veſicatoria ſcil.* 2. *carpis utrinque & tibiæ internæ ſub genu, aut femori externè ſupra genu* applicavimus. *Repellentes oris collutiones* vix amplius locum habebunt, cùm tumor nimium jam inveteratus, ſi omnino affluxus ingens illa poſtulet, *adſtringentibus ſcil. ex rad. biſtort. torment. cort. granator. fol. & flor. liguſtr. roſ. rubr. balauſt. addenda erunt diſcutientia ex rad. ſarſap. fl. chamom. ſambuc. &c.* Dein *potius hæc in aqua cum pauxillo aceti, quàm in vino rubro* coquantur. Si nullus affluxus amplius ſuperſit,

 ex

ex meris diſcutientibus parentur, *addito mell. ſimpl. pauxillo.* Si verò ſuppuratio hactenus evitari nequierit, nec adhuc tumor apertus fuerit, illa âliquandiu maturanda *emollientibus in lacte coctis*, & poſtea *inciſione factâ* puri, quod plerunque hoc in loco loturæ carnium ſimile invenimus, exitus parandus, cavendo diligenter anterius propè inciſores vaſorum ſanguiferorum vulnerationem; poſtea ulcus detergendum ejusque conſolidatio promovenda *collutionibus traumaticis ex herb. vinc. pervinc. alchimill. ſanic. fl. liguſtr. fl. roſ. r. decoct. in aq. add. mell. roſ. colat.* Item *illinitione mellis in quo ſuccus petroſelini coct. ad ſyrup. conſiſtentiam*, quod aliquando hic utile comperimus; ſi ulcus ſordidum ſit, ac ſerpat, nihil præſtantius eſt *aquâ viridi Plateri:* proderit quoque *Aqua Phagadænica Gallis conſueta* cautè illita. Utiliter quoque deterget *Aloë ſoccotrina cum melle roſato ſubacta*, tutiorque eſt, quàm ſi *cum ſpir. vini* dilueretur.

Si ab illo tempore, ex quo *Sereniſſimus Princeps* hinc diſceſſit, caries alicubi vel in palato vel intra nares in propatulum venerit, omnis cura ad cariem auferendam ejusque progreſſus impediendos vertenda eſt: quod *potenter ſiccantibus* faciendum, notiſſimum eſt. Si os palati cœlum conſtituens carioſum eſſe certò conſtet, & videatur ac tale tangatur, tuto *ferro candente*, utpote compactius, *aduri* poterit, ut foliatim carioſum ſeparetur, aut ſi tota lamina excidat, caveatur, ne ad vicina ſerpat, cùm damnum, quod inde ſequitur, lamina aurea reſarciri poſſit: ſi verò os maxillæ ſuperioris, vomerem, oſſa ſpongioſa narium aut portiones oſſis ſpongioſi caries corripuerit, *ferrum ignitum, ſpiritus corroſivi, olea deſtillata ſcil. cinamom. & caryophyllorum noſtro conſilio* omittenda ſunt, cum tantum abſit, quod cariem tollant, ut potius illam augeant ſimulque periculoſiſſimum ſphacelum in vicinis partibus accelerent, cujus aliquot exempla funeſtiſſima novimus; imò *omnia alia topica acria, irritantia & dolorem excitantia, ceu venena* proſcribenda ſunt. *In tali caſu utiliſſimam experti ſumus methodum, quam Clar. Fabr. Hildanus tradit Centur. 2. Obſ. 22.* nec *præſtantiora topica* his adhiberi putamus, quibus tamen *præſens Medicus* prout ſymptomata poſtulaverint, quædam addere aut demere poterit. Quoniam verò *curatio plena* non niſi longo tempore abſolvi poteſt, *ſubindè* neceſſariò *purgantia* repetenda erunt, ſeligendo *temperatiora* his diebus canicularibus imminentibus; deinde, tunc *omiſſo decocto, juſcula vel ſerum lactis hepaticis & traumaticis herbis alterata, poſt bolum ſumtum* ſuperbibenda, ne verò *ſerum vel juſcula* nau-

ſeam

ſeam pariant, *unum vel duo ex his una vice in his* decoquenda erunt; & qualibet vice *in liquoris* ℔j. *herb. rec. Mj. aut radic.* ℥j. *vel.* ℥iß. *ex. gr.* ſumantur *radic. rec. ſcorzon. cichor. ſativ. caryophyllat. herb. rec. endiv. agrimon. acetoſ. pimpin. chærefol. trifol. fibrin. naſturt. hort. cochl. nummular. ſanicul. alchimill. borrag. bugloſſ. fumar. veron. beton. &c.* Poſt caniculares prodeſſent quoque ℞. ♀, *ſalia volat. oleoſa, pil. ex* ☿ *diaph. & cinnab.* ♃*ii cum Eſſent. vegetab.* Pro exigentia quoque ſymptomata *ſubinde revellentia memorata iteratò toto curationis tempore* repetenda erunt; donec caries ſublata & ulcera perfectè conſolidata fuerint, exactiſſima diæta obſervanda eſt. Verſandum erit ſemper in aëre temperato, nimis æſtuans, item frig. & humidus pluviusque vitetur. Ex cibis nocent illi, qui ſuccum viſcidum lentum & aqueum præbent, item omnes, qui ſanguinem acrem efficiunt, ut nimis ſaliti, fumo indurati, nimium aromatibus conditi, in butyro frixi, acidi ab aceto, ſucco citri, aurantior. Cœna ſit parcior prandio. Vinum prorſus exulet, ut & cereviſia, præſtant *decocta rad. chinæ, ſarſæparill. lign. ſaſſafr. viſc. quern. C. C. uſt.* quorum ſimplicium unum eligatur *add. paſſul. maj. aut minor. ſem. fœnic. aniſi: decocta hordei aut glycyrrh.* nobis non placent. Quies ad ulcerum curationem magnum momentum affert, ut & animus tranquillus.

Et hæc ſunt, quæ nobis hac vice ſuccurrerunt; ſi ulterius noſtrum Conſilium deſiderabitur, nunquam deerimus, quin officium noſtrum humillimè præſtemus. Deus T. O. M. hæc Sereniſſimo Principi ſalutaria eſſe jubeat! Ita vovemus

Humillimi Clientes

Scaphuſii d. 14. *Jun.* 1680.

Joh. Jacob Wepfer, M. D.
Henricus Screta à Zavorziz, M.D.

Sanum rurſus Sereniſſimum Principem alloquutus fui 1684.

De hoc affectu videantur Hild. Cent. I. Obſerv. 30. *p.* 28. *Obſ.* 37. *p.* 33. *Cent.* 2. *Obſ.* 20. *p.* 93. *Obſ.* 22. *p.* 48. *Cent.* 4. *Obſ.* 21. *p.* 304. *Cent.* 6. *Obſ.* 15. *p.* 510. *Horſt. L.* 3. *Obſ. p.* 196. 200. *Tulpius L.* 1. *cap.* 37. 38. *p.* 74. 76. *Scultet.* 45. 86. 120. *Borell. p.* 329.

OBSERVATIO CCXI.

Salivatio mucoſa quandoque aquea faſtidioſa.

D*Om. Antonius N. Bernas*, juvenis 30. annor. ad 10. ætatis annum valetudinarius, poſtea per 20. ann. ſanus, ſolummodo per 2. dies decubuit, temperanter vivit, vinum diluit tertiâ parte aquæ

aquæ. Macilentus & quaſi excarnis, robuſtus tamen per ſingularem Dei gratiam. In hoc ſtatu *medicamentis* uſus eſt *hepar refrigerantibus & Acidulis Villæ Contæri Anno* 1672. *&* 74. A ſeptem annis hiſce moleſtiſſimè gravatur.

Primùm leviculè & quaſi inſenſibiliter eructare cœpit inflato quandoque ventriculo, ut primo ſaliva ſalſa, hinc dulcis nauſeabunda evaſerit. Poſtea ſequebatur conſtipatio alvi, ut ſæpe demum d. 2. 3. 4. aut tardius alvus ſolveretur, & quidem tunc paucis fœcibus excretis: *à laxativis* ſolvebatur, mox tamen conſtipatio ſequebatur. Excrementa ſeu fœces ſiccæ ſunt ac duræ & aduſtæ, quaſi muco obductæ, quandoque tenaces & phlegmate mixtæ, coquuntur in ſcibala & globulos. Interdum maximè nunc ſalivat multum, & putat omnia in ſalivam mutari, cum nulla alia excernat. Jam aliquando abdomen à ſcrobiculo cordis deorſum inflatur, & induratur ſine tumore aut alia moleſtia: à motu corporis & animi, quibus tamen non obnoxius, ſentit nauſeam, unde ſurgit mucus albus viſcidus ſæpe acris, ſæpe dulcis nauſeabundus, qui ſcreatu ſine tuſſi rejicitur. Videntur ſæpe fauces & palati cœlum inflammata, & quaſi pipere conſperſa. Mane dentes longiores videntur & ſtupidi, ac ſi ſucco acri fricati fuiſſent. Manus ſemper æſtuant. In ventriculo non dolet, appetit cibum & potum, inſenſibiliter flatus aſcendunt. Vinum diu nunquam purè bibit, ſed dilutum, quia inde facies ſtatim inflammabatur, nunc non amplius, nihilominus ob æſtum manuum illud diluit. Carnem ſuillam, piſces ſalitos, cochleas non concoquit, excitant cum dolore gravativo illa ſalivam acrem viſcidam, hæ dulcem & ſpumeam, quam ſcreatu ejicit, aerem tunc denſum & fervidum exſpirat. His ita ſtantibus nihil ipſi moleſtum eſt, quam ſaliva alba, ſpumea, viſcida, nauſeabunda, fœtida, & aer, quem exſpirat denſus, calidus, itidem fœtidus, quando ſurſum illum propellit more gargarizationis, & naribus odorem excipit, quæ ambo tum ipſi tum aliis permoleſta ſunt, propterea *medicamentis* exactè uti decrevit. Non tuſſit, niſi à 2. menſibus defluxione obortâ, quæ tamen iterum remiſit, ut intra biduum vix ſemel tuſſiat. Reſpirationem habet facilem: ob catarrhos nihilominus veretur phthiſin.

Hæc *Medici quidam* variè adſcripſerunt, alii nidoroſæ corruptioni, alii glandulis ſalivaribus debilibus & non coquentibus, alii fermento ſtomachi nimis vehementi. Inde ſuaſerunt *alii Trageam & Ambram*, cujus pro 20. Dahleris conſumpſit, *Gargariſmos, maſticatoria* &c. ſine fructu, niſi quod vapores adverſi repreſſi fuerint, æger verò incendebatur. *Alii* conabantur fermentum præcipitare & debilitare

aliis

aliis remediis ſed ſimili effectu. *Item Chiocolata ſine pipere, It. Coffeé* ſed incaſſum omnia fuerunt.

Reſponſum d. 20. *Mart.* 1678.

SAliva, quam copioſe exſpuit, cum lentoris particeps ſit & ſcreatu educatur, non tam ex ductibus ſalivaribus ſuperioribus & inferioribus, ſpumea excepta, quàm ex tonſillis, membrana pituitoſa poſtica, glandulis in membrana palati poſtica propè uvulam & fortè aſperæ arteriæ exſtillat, quia oſcula arteriarum patula, cavernulæ harum glandularum amplæ, quæ multum recipiunt & detinent & multum in illa deponitur, cum ſerum non alibi expurgetur, potulenta cito abripiantur, nihil vel parum ex glandulis inteſtinalibus ob conſtipationem excernatur, fœtorem & lentorem à morâ acquirit. Unde verò dulcedinem, perobſcurum, niſi fortè ejus ſal volatile avolet, aut ſolum lympha percoletur, ſale in ſanguine reſtitante, ut de aqua marina creditur, nam omnino ſerum ſanguinis ſalſum credo, quia manus æſtuant, ab ira & motu acrior fit. Exploretur veritas, nam certò ſerum ſanguinis *V. Sne* ſalſum reperi. Coctio nidoroſa non eſt, aliæ moleſtiæ adeſſent, pridem vomitus matutinos paſſus fuiſſet, ructus redolerent ova frixa, pateretur dolores, anxietates circa præcordia, vertiginem, cephalalgiam. Fermentum Stomachi non vehemens, quia nulla cardialgia adeſt, & neſcio quibus ex ſignis illud tale agnoſcatur. Glandulæ non debiles, quia ſalivam copioſam emittunt non aqueam ſed viſcidam, quia retinent & excernunt, lentor ab inſpiſſatione. Phthiſicus non eſt, nec fiet, niſi per errorem violentum, quia toleravit *Acidulas bis.*

Prodeſſent *Juſcula alterata*, quæ ſerum in toto corrigunt, glandulas inteſtinales humectant, harum oſcula aperiunt, ibi exitum parant, totam maſſam attemperant, pulmonum æſtum reprimunt, talia fiunt *ex hepaticis recentibus, endiv. acetoſell. acetoſ. borrag. bugloſſ. cichor. &c. Flor. roſ. r. viol.* ſemper unum eligendum *add. paſſul.* Alvum obedientem faciet cibus laxans ante paſtum, certâ horâ ſedem adeat: vitet *purgantia*, *medicamenta acria.* *Maſticatoria* alliciunt, *Gargariſmata* adſtringunt cum damno, potius utatur *abſtergent. ex decoct. hord.* *Clyſteres ex decoct. malv. eq. rec. violar. rec. beccabung. rec. vitell. ov. ſacchar. mell.*

Dom. Anton. N. ſcribit die. 29. *Mart.* 1678.

Per ſcreatum ſolùm mucoſa ejecit, non fluida: *juſculis alteratis* jam uſus eſt ex proprio inſtinctu. Affectus hypochondriacus moleſtus

eſt inflatione abdominis & inquietis inſomniis brevique ſomno. Petit propterea diaphoret. ♂le. *An Thermæ Fabarienſes profuturæ, cum actu calidæ ſint, anque penetrent? an potius Acidulæ Villæcontenſes bibendæ?* quod commodius domi liceret. Æſtus faucium, oris, poſt paſtum & poſt motus corporis jam ab aliquo tempore incrementa ſumpſerunt, & permoleſti fuerunt, ab aliquot diebus remiſerunt, nunc ſcabioſus fit ſeu excoriatus, ac ſi *Thermis* abuſus fuiſſet. An piſcibus optimis, it. acetariis *ex endiv. chærefol. menth. fl. borrag.* veſci liceat? *V. S.* nuper emiſſus ſanguis caloris & melancholiæ ſigna præbuit. Aliàs benè habet.

Reſpondi d. 2. *Apr.* 1678. Antequam incipiat *uſum acidularum*, ſumat *dimidiâ horâ ante hauſtum juſc. alterat.* 5. *vel* 7. *pil.* ♂. Propter inflationem abdominis, ſomnum brevem & inquietum, ardorem faucium, excoriationem in habitu ſuaderem potius *Acidulas*, quàm *potum therm. Fabarienſ.* *Extra uſum acidularum* poterit veſci *acetariis ex endiv. lactuc. add. chærefol. & Naſturt hort. ob ſal. vol. ſalubre: omiſſa mentha.* Piſcibus carnem firmam habentibus ſubindè innoxiè frui poterit, ſed carpionibus, anguillis, & ſimilibus abſtineat. Sanguis in ima parte niger non ſignum eſt melancholiæ, ſi nigrum aeri exponatur, æque poſt aliquot horas rubebit ac ſuperficies prima.

Sub finem Maji 1678. *me convenit Lucernæ, aditurus Thermas Fabarienſes.* Suaſi potius *Acidulas S. Mauritii.* Eſt ſtaturæ mediocris, carnoſus, vividus, gracilis, temperatè vivens. Vir doctus, omne malum à muco faucibus adhærente, emanante ſcil. è tunica palati, faucium, tonſillis.

Ex Thermis redux prope Weſen ex naufragio dicebatur aquis ſuffocatus Menſe Julio obiiſſe Vir optimus & doctiſſimus.

OBSERVATIO CCXII.

Tinea Capitis à Contagio.

ILLuſtriſſimus Dom. Comes N. N. natus d. 28. *Mart.* 1669. À primis unguiculis fuit ſanus, nec unquam ipſi caput exulcerabatur: adultiori vermes ſubindè moleſti fuerunt. *Ante biennium* ventriculum cibis debilitavit, ut aliquandiu cibum non amplius retinere valuerit, ſed aſſumpta omnia evomuerit, juvabatur imprimis *Clyſtere.* *Menſe Januar.* 1680. *Pragæ* Scholaris cujuſdam pileum impoſuit, unde cruſta circa verticem enata eſt, quæ dimidio bazio tegi potuiſſet, aliaque in ſyncipite ſiniſtro verſus occiput, cui alia adjungebatur e-

jusdem

juſdem magnitudinis, quæ ſerpebant ac ſe diffundebant ad amplitudinem dimidii dahleri: cruſtæ vix tam craſſæ, ac dorſum cultri parvi eſt, fuerunt coloris gryſei, illis ablatis aut vi abraſis ſequebatur ichor flavus ac in cute ulcera parva, quædam ſeminis milii capacia conſpiciebantur, aliquando ſanguis tenuis exſtillavit; ex mediis cruſtis pili concolores enaſcuntur: circa cruſtas cutis aliquouſque furfuribus occupatur, ſentit ſub cruſtis pruritum ſæpe moleſtum.

Die 4. *Auguſti* 1681. *Ipſum Feldkirchii conveni*, utebatur tunc *medicamentis à Ruoſchio Chirurgo & Chymico Abbatiscell. ſuppeditatis.* Tum cruſtæ in vertice & ſyncipite adhuc aderant. *Hic prope per 6. ſeptiman. ſuaſit* 1. *liq. ex ▽ fl. acac. ſambuc.* ⊖ ♀ *volat. ſacch. cand. alb. cochl. ij. mane, poſt aſſumptum liq. ambulavit ad ſudorem uſque.* 2. *In paſtu quolibet in cochleari primo juſculi gr. iij. liq. Alkah.* 3. *Semel dedit mane pil. quæ non purgarunt, poſtea mane de* ☉ *vitæ piſi magnitudine, quod purgavit & anxietatem quandam peperit, ut totus expalluerit & vix prandere poſſet die* 4. *Auguſti quo ipſum conveni.* 4. *Diu ſolum Tinea tangebatur liq. cui pulv. inſipidus permiſcebatur, poſtea per* 3. *ſeptim. M. & V. liquore qui aliquantulum mordebat.* 5. *Cruſtæ & ulcuſcula tegebantur empl. tenaci, ſimili diachyl. c. gum. Nullo lixivio* toto tempore caput abluendum nec capillos abradendos curavit.

Die 6. *Auguſt.* 1681. Suaſi 1. ut ſumeret *ſingulo mane pilul. v. ex diaphor.* ♃*al.* ♂*tial. &c. cum aq. fumar. ſcabioſ.* 2. *Bis* inungeretur *unguent. ex nutrit. fl.* ♀. *helleb. alb. ſtaph. agr. ol. ovor.* 3. Ut imponeretur *Empl. diachalcit.* 4. *Bis in ſeptimana* lavaretur *hoc lixivio.*

℞. *Rad. lapath. ac.* ℥ij. *alth.* ℥j.
Herb. bet. rubr. Mij. Fol. tab. ʒj.
Coq. in menſ. j. lixiv. commun.

5. Evellantur ex cruſta pili decolores. Vitet in cibis ſalſa, aromatizata, paſtas farinaceas. *Purgantia*, quia ipſum debilitant, omittat.

Die 13. *Sept.* 1681. *Ipſum iterum conveni:* cruſta circa verticem ablata erat & cutis ſub illa glabra, ſine furfuribus, ſyncipitis ſupererat; illâ ablatâ cum furfuribus cutis rubebat aliquot in locis ceu recenter cuticula operta. Habitûs erat carnoſi, labia rubicunda, vegetus fuit, nullumque in actionibus vitium animadvertere potueram. Inunxi primum *ung.* impoſui *emplaſtr. miniat. Fr. Job. Bendel* ante annum cruſtas excidit ad hæmorrhagiam uſque, verùm protinus renaſcebantur.

Die 15. *Sept. Mane* cicatricis portio exigua, quæ ſem. tritici tegeretur, ichorem ſtillavit, in duobus locis cruſtæ duæ non amplio-

res illo ulcuſculo apparuerunt; ex cicatrice excepto uno loco pili concolores enaſcuntur *: ſolum empl.* impoſuit, furfures pauci apparuerunt.

Die 16. *Sept.* Quamvis *nihil unctuoſi ſolumque empl.* impoſuerim, nihilominus in duobus locis ſtillavit parum ichoris pellucidi ſine morſu: nulli furfures apparuerunt.

Abiturus ſuaſi 1. ut *ſingulo mane* ſumeret *pilul. ſuperiorum No. v. cum aq. borrag.* 2. Ulceri ubi madet inſpergatur *pulv. ex C. C. tut. lap. calamin. alum. uſt.* ☿ *præcipit. ppt.* tegatur *empl. diachalcit.* 3. *Singulis menſibus* abradantur capilli *poſt novilunium.* 4. *Singulis noctibus & interdiu* mutentur *cucuphæ lintei.* 5. In victu vitet ſalita, aromat. frixa.

Conſilium Medici Dillingani.

CUm credibile mihi videatur exulcerationem iſtam foveri à ſero ſalſo bilioſo, neceſſario corpus ab hujusmodi humoribus purgandum judico, idque obtinebitur etiam *communibus nempe extract. cochiar. cum aureis permixto*; dein imponendum primò *ſolum diapalma*, quo ſi non ſanaretur, ad aliud *magis ſiccans ceratum* transgrediendum, idque præter ſiccitatem minimè trahens eſſe debebit; *hoc* enim *emplaſtr.* quo utitur *Illuſtr. Comes*, ſiccat quidem ſed ſimul valde trahit; (*ex min.* enim *& oleo* confectum eſſe mihi perſuaſum habeo) præterea *minium* in ſimplicibus capitis exulcerationibus minimè tutum eſt, cum illud humores valde fundere ſoleat, quod experientur illi qui tumidis Gallicis exulcerationibus & tumoribus id adhibent, hinc mirum non eſt, quod continua facta *ab emplaſtr. hoc* humorum fuſione, ſuppeditando nempe continuam ſimul humiditatem, exulceratio iſthæc cicatricem induere nequierit. Cæterum ſi prædictis non ad cicatricem perduceretur, hæc continui ſolutio, ob à tanto tempore præſertim ab *Empiricis* ſiniſtre applicatam methodum, ipſum quoque cranium cariem contraxiſſe, haud vane quivis ſanioris mentis ſuſpicabitur, hæcque ſunt quæ *ad petitionem D. Moderatoris* paucis perſtringere volui.

Dilingæ d. 20. *Novembr.* 1681 J. M. B.

Reſponſum ad hoc Conſilium die 26. *Novembr.* 1681.

PUrgantia diſſuaſi, quia tinea non à cacochymia ob temperamentum, διάθεσιν morboſam aut errores in victu cumulata pendet, ſed à contagio: ad quid ergo ventriculus aliæque partes innocuæ defatigandæ? ſalſuginem tamen corrigendam juſſi *pil. ex diaph.* ♃ *al. &c. Emplaſtr.*

plaſtr. miniat. nihil quam operculi vices præſtat, quod etiam præſtaret *diapalma*, quæ non multum differunt, niſi nodum in ſcirpo quærere velimus. Suaſi *ol.* ♀. *vel liniment. ſeq.*

℞. *Unguent. pomat.* ℥iß. *Sacchar.* ♄*n.* ʒij.
☿ *dulc.* ʒß. *Ol.* ♀. *per deliq.* ʒj. *Mſc.*

Nob. Dn. Pfl. ſcribit d. 12. *Decembr.* 1681. *D. D. B.* negat cariem oſſis innuiſſe, nec ſe ſuaſiſſe *purgantia ſed laxantia*, item illum vereri *ol.* ♀. acrius fore & affectum exacerbaturum. *D. Moderator addit, à pulv.* ſe nullum affectum obſervare ratione tineæ, imò deteriorem evadere. *An crebro cultro capilli abradendi, vel forfice detondendi? num in tinea evellendi?*

Reſpondi, pergat *pulv.* hoc conſumpto utatur *linim. ex ung. pomat. &c.* audacter *bis vel ter in ſeptiman.* tangat *ol.* ♀. ſi acrius, diluat *aq. roſar.* pili abradendi, evulſio bona, ſi illam admitteret, ſæpe neceſſaria, nunc *purgantia* omittantur. Prodeſſet *ol. flor. verbaſc. per colliq. paratum.*

Die 6. *Maji* 1682. *vidi Illuſtr. D. Comitem* : Tinea prorſus evanuit, ſanus eſt, egregie appetit. *Cum Fratre abituro* monui operam dandam, 1. ne tinea recrudeſcat. 2. Si repullulet, adhibenda *ſine morſu ſiccantia*, tegendo *emplaſtr. ex ſucc. Nicotian.* 3. *Non fortiter, nec ſæpe purgandum,* quod *ab Empirico Feldkirchii* temere factum fuit cum virium proſtratione. 4. Si à cibo gravetur, parciorem cœnam imperandam, à paſtu obambulationem concedendam, quandoque ventriculum *pulv. ſtomach.* roborandum eſſe.

OBSERVATIO CCXIII.

Tumor cum folliculo Ganglio ſimilis in Fronte exciſus.

NOb. *Dn. Joſeph. S.* ætatis annor. 35. ſtaturæ mediocris, capillis nigris præditus, carnoſus, principia guttæ roſaceæ habens, in media fronte tribus digitis ſupra radicem naſi jam à 4. annis tuberculum animadvertit, quod ſenſim incrementa ſumpſit, unde perplexus & quandoque admodum melancholicus evaſit. *An.* 1687. *d.* 2. *Jan.* illud attigi, oſſi frontis paulò pertinacius adhærere animadverti, juſſi ut illud ſæpius commovendo ab oſſe avelleret, quod fecit *ad d.* 11. *Jan.* ſæpius interdiu. Igitur poſt meridiem mobile deprehendens, quia ſuper-

medium tuberculum vena frontis incedebat, digito tuberculum magnitudine olivæ jam apparens ad latus d. adegi, incidi *Novaculâ* cutim ſecundum longitudinem ad tuberculum uſque, hinc illud *unco* apprehendi, atque extra vulnus extraxi, quod *D. D.* Schaffhauſer *Lancettâ* ſeparavit, ut penitus evellere potuerit, ſanguinis unc. ij. circiter effluxerunt, indidi *fruſtulum fungi, quem crepitum lupi vocant*, impoſui *empl. de lap. calamin.* ac frontem *faſciâ* involvi. Exciſionem generoſe pertulit, tota nocte dormivit, nec quicquam doluit.

Die 12. *Jan. ſublato empl. & crepitu* nec guttulam ſanguinis profudit, nihilque tumidi circa vulnus aut in vulnere apparuit: indidi *lintea ol. hyperic. comp. madida*, tegi *empl.*

Die 13. *Jan.* jam pus ſed fluidius apparuit, nihil tangitur de reliquiis: *deligatio eadem.*

Die 14. *Jan.* pus in fundo vulneris aqueum adhuc, ipſum adhuc profundum eſt, indidi *filamenta ſicca*, tegebam *empl. duplicato* ob frigus.

Die 15. *Jan.* pus aqueum in fundo fuit, caro deterſo vulnere bona, indidi *filamenta ſicca contorta*, nihil tumidi apparet, tetigi ſpatium cavum ubi detinebatur tuberculum, recreſcit caro in fundo.

Die 16. *Jan.* pus in fundo paulo craſſius erat quàm heri & paucum, nondum tamen exactè coctum: caro recreſcit pulchrior quàm heri: hodie templum cœlo admodum gelido & flante Borea ſine læſione adiit.

Die 18. *Jan.* prægreſſa nocte *empl.* à vulnere ſeceſſit, fortè quia largius cœnatus eſt *ob hoſpites ſcil. Legatum Gall. Convivam: veſperi* vidi fundum vulneris album, indidi *filamenta contorta.*

Die 19. *Jan.* fundum hodie rubicundiorem habuit, pus bonum, indidi *filamenta contorta balſ. Peruv. imbuta.* Ut labia & cutis cum membrana frontis felicius uniantur & recidiva caveatur, *cum empl.* imponatur *noctu lamina plumbea.*

OBSERVATIO CCXIV.

Impetigo humida Faciei.

REv. D. Joh. Bapt. H. Capellanus N. in ſylva Martia* ſtaturæ juſtæ, gracilis, phthinodes, catarrhis, tuſſi, coryzæ, ophthalmiæ, ab 18. annis obnoxius. Pleuro-peripneumonia *æſtate* 1692. periculoſe decubuit

decubuit per novem ſeptimanas. *In Autumno* 1692. in nare ſiniſtra ulcuſculum obortum fuit, inde ſerpere cœpit poſt paucas ſeptimanas, à tribus ſeptimanis invaſit genam ſiniſtram indeque nunc ſerpit collum verſus. Eſt annor. 50. *natus menſe Febr.* 1643.

Me convenit d. 8. *Maji* 1693. Labium ſuperius, pinnæ extremæ narium, gena ſiniſtra & mentum collum verſus integebantur cruſtis denſis ſubflavis, inter quas hinc inde fiſſuræ ſunt oblongæ, profundæ, rubræ, cum longa ab angulo oris ſiniſtro genam verſus, etiam intra nares & circa radices pinnarum, ſecedentibus cruſtis exſtillat ichor flavus tenuis acerrimus, pruriens, urens, oculi dextri palpebra inferior inverſa eſt, ex oculo deſtillavit nuper de humore illius parum in dorſum manûs dextræ, quod protinus ichore impetiginem ſiccam excitavit. Urina ipſius tenuis, pallida. Suaſi *aq. phagad.*

℞. *Aq. roſ. alb. euphrag. lactuc.* ā̄ā. ℥iij.
☿ *ſublim.* ℈ß. *ebull. in vaſ. terr. col. per chart. emporet.*
℞. *Lap. calam.* ℥iij. *C. C. uſt. pp.* ℥j.
Lithargyr. ☉. ℥iß. *Mſc. F. Ps. D.*
Pulv. ſicc.

℞. *Lap. calam. pp.* ʒj. *Tut. pp.* ℈j.
Sacch. ♄n. ʒj *camph. gr. j. Mſc. F. Ps. pro linim. ophthal.*

Bibat *decoct. rad. & fol. lapath. acut. cum ſem. aniſ. in ſer. lact. caprin. Not.* Imponat *ſubinde fol. lapath. ac.* ad aufferendas cruſtas. *Emplaſtr. de litharg.* alias poſt ablut. *cum aq. phagaden.* cui *aq. calc.* permixta ex. gr.

℞. *Aq. phageden. cochl. iiij.*
Calc. ℔j. ſi acrior, temperetur *aq. fontan.*
Ad aq. calc. ℞. *Calc.* ℥j. *infund. aq. font.* ℔iiij. *col. per lint. dupl.*

Not. Tuſſit adhuc ſputo facile ſuccedente, pulſus eſt frequentior debitò, ſed vegetior. Punctula nigra habet in facie.

Die 25. *Maji* 1693. Minùs ichoris effluit, quando portio impetiginis ſiccata eſt, rurſus manare deorſum incipit, nec firma cuticula obducitur, ac *remoto emplaſtro* vel in cruſtam vel furfures mutatur, quæ radices habere videntur, nam remota cruſta remanet ſcrobiculus, ac ſi verruca parva aut clavus avulſus fuiſſet. *Aqua Mercurialis ſine calce ex Pharmacopolio* ſola non mordet: putat ſe etiam *fortiorem* toleraturum. Ex nare ſin. largius manat, & in mento ſiniſtro infra labium inferius, ubi impetigo quadrantis floreni magnitudine rubra apparet.

Die 26. *Maji ſcripſi*, ut miſſis pergeret. *Die* 8. *Jun. ſub emplaſtr.*

multum

multum aquæ colligitur, impoſita lintea indurantur, & vi avellenda ſunt, labia cruſtis teguntur, circa finem interſtitii narium quoque multum ichoris prodit, ut putet, illum jam à ſubjecta cute ſeparatum & mobile eſſe: macula rubra invadit labium ſuperius & inferius totum, & partem menti. *Die* 15. *Jun.* V. S. ejus ſuperficies rubra, habuit multum ſeri: ſive imponat *empl. ſive fol. lapath.* ſive nihil, ſemper manat aqua acerrima.

Die 29. *Jun.* in eodem ſtatu erat, bibit hactenus *ſerum alterat. lapath. ac fumar. & acetoſ. Ex Theophr. Paracelſ.* vocatur Syrey/ niſi occurratur, tollit naſum, palatum &c. radicitus.

℞. *Reſin. abiet.* ℔j. *farin. hord.* ℥vj.
Pin. ℥v. *vel viij. F. ceratum.* NB. *Mucilago ex nuc. pinaſtr. viridib.* grünen Dannzapffen/ *in aq. coct.* Commendat etiam *Arlatum.* Vocat Noli me tangere: omnem *ſola arlata* curat.

Reſpondi die 4. *Jun.* affectus non eſt *Noli me tangere Paracelſi,* quod eſt Cancer, qualem in fronte habuit *Jacob. H. Stülingæ,* alii in naſo, labiis, genis, ſed eſt herpes ſeu impetigo humida. Tale quid aliquando paſſa eſt *Illuſtriſſ. Comitiſſa St.* Juvit *aq. virid. Plat.* Miſi *aq. virid. It. pulv.*

℞. *Alumin.* ℥ß. *vitriol. Rom. min.*
Virid. ær. ā̄ā. ʒj. ☿ *ſubl.* ℈ß. *Myrrh.* ℈ij. *Mſc. F. Ps.*

Iteretur Doſ. adhuc ſemel. coq. in vin. alb. ℔ß. *ſpir. vin.* ℥j. *in vaſ. clauſ. col. per lint. dupl.*

Die 30. *Jul. rurſus de ſuo affectu ſcripſit:* videtur *ultimas meas literas* non accepiſſe: interea uſus eſt *conſilio Chirurgi Caſtrenſis nunc Civis Lottingenſ.* qui ſuaſit *decoct. & ung.* unde ulcera ſiccabantur ſine cruſtis, per noctem emergunt furfures, quos tollit *ung.* Manet macula levidiuſcula, ob abundantiam acrium humorum, metuit recidivam. Ophthalmiam ſuſtulit *linim. meum ophthalmicum,* ſubindè tamen redit.

An ſetaceum tum propter ophthalmiam, tum ob impetiginem proficuum ſit? Affirmatur, modo dextrè ducatur, dolorem non timeat.

Die 22. *Aug.* 1693. *Cur ipſi lin. Moniali Fridemwylanæ datum à me, non ſuaſerim? aq. virid. & pulv.* non uſus eſt. *An hæc omnia à ſanguine proveniant? an à vaporibus ventriculi?* putat omnia in ſputum & phlegma mutari: *Chirurgus* ſuadebit *decoct. ſanguinem purificans.* Impetigo curata eſt.

Aquam

Aquam viridem omittat: *ſetaceum* contra defluxionem præſtans eſt: *decoctum ne ſit purgans.* Defluxiones nullo modo à vaporibus. Parcè cœnet ac bibat.

OBSERVATIO CCXV.

Faciei Impetigo & Vari.

VIr quidam (*quem ex Magnatibus Oenipontanis ex literis Nob. Dom. Comiſſarii Haaſii d. 7. Jul. 1692. cum Caſu Waldshuto miſſis conjicio*) temperamenti ſanguineo-cholerici, ætatis annor. 48. qui cætera ſanus eſt & obambulat. Oculos habet manantes à 7. ætatis anno, quo etiam fiſtulam in ſiniſtri oculi regione contraxit. *Ante 3. circiter annos* cutis capitis capillata exulcerari cœpit, & poſt ſe cruſtulas reliquit, obortum quoque eſt tuberculum duriuſculum lardiceum. *Ab annis duobus & dimidio* ſuperficiaria quoque hæc exulceratio faciem invaſit in ſiniſtro latere propè tempus, verſus oculum, naſum & frontem, & ſemper magis ſerpebat, ſimulque tubercula enaſcebantur, quæ maturanda erant, & nunc ſub naſo in ſiniſtro latere ad labium uſque cutis exulcerata eſt, & in gena tria tubercula exiſtunt, quæ ad maturitatem tendunt, & profundè immerſa ſunt.

Contra hunc affectum uſus eſt *decoctis ſudoriferis*, quæ *mane & veſperi* bibit, & poſtea ſudorem prolicuit; ſumpſitque *alias potiones ſiccantes*, datæ quoque fuerunt *ſex pilulæ ☿riales jam ter*, quarum *unam alternis diebus*, *aut tertio quoque die unam* ſumpſit; *diebus autem intermediis* bibit *decoct. ſudorifer. Mane & veſperi* ſudoremque promovit. Ab his quidem juvabatur, ita tamen ut remanſerit tuberculum, & alicubi levis ac exigua exulceratio; verùm curatio hæc non firma erat, poſt 3. vel 4. ſeptimanas aliis in locis faciei exulceratio propè tubercula nova fiebat.

Ab hac curationis ratione humor iſte exulcerans in cute capillata capitis conſumptus & oculorum fluxus imminutus fuit, attamen timet, ab his exulcerationibus & tuberculis dolorificis faciem deturpatam & deformem aliquando fore cum dolore aliisque moleſtiis.

Quæritur num affectus ſit curabilis, nec ne? Quidam jam ſuaſerunt, ut *Patavii curam* ſubiret; ille tamen nondum annuit, expetit prius quoque *meum Conſilium.*

Neque in Hiſtoria neque in Literis vel minima mentio fit doloris no-

 cturni

ćturni vel in capite vel in artubus, aut exulcerationis in parte interna narium aut in faucibus, quamvis ☿*ialibus* uſus ſit.

Reſpondi d. 11. *Junii.* 1692.

LIcet de affectu hoc non viſo judicare difficilius ſit, quàm de propius conſpecto, quia *Chirurgicus* eſt, nam vel uno intuitu melius agnoſceretur, quia ſcribendo non ſemper omnia ſatis clarè exprimuntur; *ex Hiſtoria* tamen non obſcure colligo exulcerationem in capite prægreſſam & nunc in facie emergentem, eſſe Impetiginem quandam, quia ad vicina ſerpit, & procul dubio ſuperficiaria eſt, ſolum cuticulam tollens, non autem profundè cutim erodens, quia quoque in cruſtas ſeu ſquammas deſinit, aut tales ipſi ſuperveniunt. Tubercula verò hujus impetiginis comites ex Varis majoribus eſſe & ad Furunculorum naturam accedere exiſtimo, quia dolent & vel ſponte ad ſuppurationem perveniunt, vel ad illam promovenda ſunt; à ſuppuratione ſinulum poſt ſe relinquunt, nam *in Hiſtoria* memoratur, profunde in cute immerſa eſſe. Cauſa hujus tum exulcerationis, tum tuberculorum eſt ſubſtantia quædam in maſſa ſanguinea terrea, acris, ſale quodam fixo imprægnata, in extremitatibus capillamentorum arteriolarum ſeu in glandulis ſubcutaneis ſubſiſtens exulcerationem, aut ſimul tubercula minutis inflammationibus ſimilia pariens, unde quoque ad ſuppurationem tendunt: non videtur malignitatis venereæ particeps eſſe, quia *in Hiſtoria* nulla mentio fit dolorum nocturnorum ſive capitis ſive artuum, nec memorantur exulcerationes in faucibus aut intra nares. Nec venenum cancroſum humor in ſuo gremio occultat, nam tum exulcerationi, tum tuberculis ita *Pilul.* ☿*libus & decocto ſudorifero ac potionib. ſiccantib.* medebatur, ut nullibi nec in exulceratione impetiginoſa, nec poſt ſuppurata tubercula ulcus labiis inverſis præditum relinqueretur, quod ipſum *ab his decoctis* pejus omnino evaſiſſet, utpote calidis & cauſam cancri exaſperantibus.

Curatio licet difficilis & aliquo modo moleſta ſit, non tamen impoſſibilis eſt, aliquam ſolertiam & indefeſſam continuationem exigit; nam à ſeptimo ætatis anno oculos manantes & fiſtulam lachrymalem poſt variolas in ſiniſtro oculo habet; capitis verò exulceratio à tribus annis, & faciei cum varis à duobus annis cum ſemeſtri jam perdurat.

Apud Dominum Ægrum craſſamentum hoc terreſtre, acre, ſale quodam fixo & erodente præditum in tota maſſa ſanguinea corrigendum, & in loco affecto penitus auferendum, ac vaſorum capillarium & glandularum ſubcutanearum conformatio pro virili reparanda erit: quod, quomodo faciendum ſit, *Methodo executiva* paucis exponam.

Medi-

Medicamenta ☿*lia* hoc ⊖ ſylveſtre, ut quidam vocant, *præ aliis medicamentis* emendare ſolent, ut vel vitiorum cutaneorum per illa ſola ſæpius ſublatio integra teſtatur, unde hæc jam in uſum vocata fuiſſe *ex Hiſtoria* patet: *an verò tribus vicibus, quibus alternatim ſex pilulæ datæ eouſque fuerint, donec ſalivationem effecerint?* non additum fuit. Quod ſi non factum fuerit, ſuaderem *Turpethum minerale ad ſalivationem uſque dandum hac ratione: Primo die* ℞. *Turpeth. miner. gr. ij. theriac. Androm. parum, F. Pil. j. detur mane hor. 6. Die tertio dentur ejus gr. iij. cum ther. F. pil. ij. Die* 5. *vel.* 6. ℞. *Turpeth. gr. iiij. cum theriac. F. pil. No. iij. Interea attendatur, num ſalivatio ſuccedat: ſi inceperit quinto vel ſexto die, illa ſinatur nulloque modo impediatur; ſi verò vel non eveniret, aut pauca admodum eſſet, rurſus Turpeth. gr. iij. aut ſi bene illud toleraret, nec vomitum, nec largum alvi fluxum excitaſſet, dari poſſent die ſeptimo, & rurſus die nono aut decimo gr. v. ſalivatio ſinatur, vel fluxus continuetur ad dies* 10. *vel* 11. *Interea maneat in hypocauſto, omnis aer frigidus fugiatur, veſcatur ſolis juſculis. Si in ore doleat, os ſæpe eluatur lacte tepido, ulcera illinantur mell. roſat. &c. aut gargariſmus traumaticus injiciatur; ſi nimia ſit, in juſcul. coq. rad. petroſel. copioſe, aut alvus clyſter. lenitivo moveatur, aut propinetur ſyrup. roſar. ſ. ſ. cum aq. fl. acaciar. dilutus.* Hanc ſalivationem movendi rationem feliciorem expertus ſum, quam *inunctione* procuratam.

Salivatione propè ceſſante ſudor promovendus idque tutò & efficaciſſimè *ſuper ſcamno ſudorifero*, quod cum majore fructu, quam *in lecto aut in ciſta*, fit, *hac ratione: mane hor. circiter* 5. *dentur hujus Electuar.* ʒj.

℞. *Conſerv. roſar. rubr. rec.* ℥iij.
flor betonic. ℥j.
Diaſcord. Fracaſt. ʒvj.
♁ *diaphor. cum triplo* ⊕ *deton.* ʒij.
Syr. de rub. id. parum. Mſc.

Poſt quadrantem horæ dentur hujus decoct. ℥v. *vel vj. calide.*

℞. *Rad. lapath. acut.* ℥iß.
ſarſæparill. vj.
chin. el. ℥ß.
glycyrrh. ʒiij.
Lign. ſanct. ℥iij.
Paſſul. maj. exac. ℥ij.
Sem. fœnicul. ʒij.

 Inciſ

Inciſ. & contuſ. indantur Lagen. ♃. affund. aq. font. ℔vij. bene obturata lagena immittatur cacabo aq. pleno, coq. hor. 3. poſtquam lagena ſponte refriguerit, coletur : decoct. ſervetur in vaſe ▽eo vitreato ad uſum.

Dum hæc aguntur, ſcamnum apparandum, ei imponatur ſaccus paleâ impletus, tegatur linteo mundo; cervicali imponantur pulvinaria mollia; inferiori ſcamni parti indantur batilli prunis candentibus pleni, undique tegatur ſcamni corpus concameratum ex hemicyclis ligneis, culcitris : quamprimum interiora ſcamni probè incaluerint, Dom. Æger ſacco incumbat toto corpore, exſerto tamen capite, quo incumbat pulvinaribus : anterius apponantur lintea, ne calor nimium feriat. Dum ſcamno incumbit, ſubinde detur cochl. j. vel ij. hujus Julepi.

℞. *Aq. fumar. ſcabioſ.*
lapath. acut. ãã. ℥ij.
♁ *diaphor.* ʒß.
Syrup. rub. id. ℥j. *Mſc.*

Si ſcamnum frigeſieri incipiat, novus indatur batillus : ſi nimius ſit, unus eximatur. In promptu habeantur lintea mollia calefacta, quibus facies & caput ſubinde tergatur. Primo mane ſuper ſcamno maneat, ſi benè toleraverit, ad horam dimidiam, poſtea petat bene deterſus lectum calefactum : in lecto ſponte ſudor continuabitur, ibique ſubinde reficiatur uno alterove cochl. Julepi. Prandeat circa horam 10 *Veſperi circa hor.* 4. *Dom. Æger rurſus incumbere poterit ſcamno, ſed tunc minus ſumat de electuar. & decocto, ſufficient utriusque pars dimidia circiter, breviusque ſuper ſcamno moretur, nihilominus reficiatur Julepo, in ſcamno æque ac mane repetendus eſt, ut in lecto. Sequentibus diebus ſenſim morâ ſuper ſcamno aſcendat, ita tamen ut mane non ultra horam cum dimidia; veſperi v. non ultra horam permaneat, ſemper attendendo quid vires ferant. Hæc cura tribus ſeptimanis neceſſariò continuanda erit. Toto curationis tempore hæc diæta obſervetur : Aer præ omnibus vitetur frigidus & humidus, victus concedatur plenior quam in ſalivatione, dentur carnes vitulinæ, agninæ, pullorum elixæ aut aſſæ, pruna Dameſcena, pruneol. poma dulcia coct. hordeata : vitentur nimium ſalita aut aromatizata, in butyro frixa, olera, piſces &c. Potus ſit decoct. lign. ſaſſafr. cum Paſſul. maj. aut min. & pauxill. ſem. fœnicul. vinum vix concedere auſim. Alvus quotidie ſit aperta, ſi occludatur, injici poſſet clyſter emolliens domeſtic. vel ex ſolo juſcul. carn. mell. vitell. ovor. ol. lin. fortiores & purgantes omittantur.*

Finitâ hac curâ, ad minimum per menſem induciæ naturæ concedendæ; victus tamen ſemper ſit ex cibis boni ſucci & facilis digeſtionis, omiſſis omnibus qui ſanguinem fœculentum & acrem reddere poſſent. Bibat vinum bene maturum, non ſulphure adulteratum; ſi nimis generoſum ſit, attemperetur *decoct. rad. chin. cujus* ʒ*iij. in aq. font.* ℔v. *coq.*

Dum

Dum *à medicamentorum uſu* feriatur, bene faceret, ſi *ſemel in ſeptimana ſummo mane pulv. viperar ʒß. ad ℈ij. in lecto cum aq. fumar.* ſumeret, & duabus horis in lecto permaneret. *Romæ aut Venetiis* haberi poteſt.

Topica poſt hanc curam, ſi fortè impetigo emergeret alicubi, ſæpe donec ſicceſceret, *tali aq.* leviculè tangi poſſet:

℞. *Aq. calc. comp.* ℥*ij.*
☿*rialis* ʒ*j. Mſc.*

Si acrior foret, diluatur *aq. ſolan. vel roſar. alb. Ad aq. calc. compoſit.*

℞. *Calc. viv.* ℥*ß.*
⊖ ♀ ʒ*iij.*
Myrrh. elect. ʒ*ij.*

Coq. in vaſ. vitr. cum aq. font. ℔*ij. col. per chart. emporet. ſervetur in vitro.*

Pro aqua ☿*ali.* ℞. ☿ *ſublim.* ℈*j. ebull. in aq. fontan.* ℔*j.*
Coletur, & ſervetur ſeorſim ad uſum.

Contra tubercula ſeu varos utiles comperi *Flores* ♁. *qui in ſcaturigine Thermar. Badenſ. parietibus adhærent,* ex quibus *magma* fit *ſolâ ſalivâ;* hi obtineri poſſunt *à Cauponis thermar. Helvetic. per amicos Waldshutanos.* Si ad ſuppurationem vergant, imponatur ſolum *empl. citrin.* maturi, exprimantur bene & *Empl. citr.* curentur penitus.

Audio *Dom. Ægrum* in animo habere hujus affectûs cauſâ *Patavium* adeundi; nunc verò uti *Thermis quibusdam in Agro Salzburgenſi. Poſt curam Patavinam* cavendum erit, ne hyeme *per Alpes* domum remeet, quia facies *poſt tales curationes* tenerrima facta ab aere nivoſo & gelido valde afficeretur, unde affectus deterior redderetur & deformior, quam *ante curam* fuerat. Si *Thermæ Salzburgenſes* parum juverint, quod vereor, *hæc propoſita cura in Autumno* auſpicaretur adhuc tutò, & *benedicente Deo* feliciter abſolvi poſſet.

Die 21. *Octobr.* 1692. *D. Comiſſarius Haas retulit, Thermas & mea Ipſi ſuaſa egregie contuliſſe.*

OBSERVATIO CCXVI.

Gutta roſacea.

AB 8. annis corpulentior evaſi, faciem admodum rubram habens ſæpeque magnas puſtulas duras, quæ ſuppurabantur, fundebantque

bantque pus album craſſum. Rubor iſte faciei producebatur à ſanguine calido rodente & mordente, proveniente à laboribus & tædiis *circa tempus perſecutionis in Gallia.* Sæpe jejunus manſi ad 2. horam pomeridianam, poſtea comedi plus, nec cœnavi, unde gravabatur ventriculus, qui debilitabatur à nimis longa abſtinentia. *Poſtquam anno* 1690. *veni in Helvetiam*, magis regulariter vixi. *Intra* 6. *menſes ſingulo mane* bibi *juſculum rubrum D. de L'Orme compoſitum ex* 8. *herbis*, appropriatum ad temperandum ſanguinis æſtum, quod quidem profuit, ſed non ſuſtulit ruborem, qui perduravit. *Menſe Auguſt* 1691. bibi *Aquas minerales debiliores à Roſchefort non procul à Neocomo* nuper inventas, & imprægnatas *♂te ac pauco ⊖li*, quas mihi commendavit *D. D. Grojan*, unde multum imminuebatur rubor: *Aquæ hæ* quotidie quater vel quinquies purgarunt & refrigerarunt; verùm poſtea redierunt rubores. *Singulis menſibus* ſub auribus imponebantur *duo emplaſtra veſicatoria* educentia multum aquæ flavæ, & in principio diminuebant aliquantum ruborem faciei. Sanguis æſtate quotidie ex naribus effundebatur ſæpeque per hæmorrhoides pauca quantitate, verùm hoc indicavit acrimoniam magnam. *Balnea in cubili* profuerunt. *Sanguis mittebatur mihi & purgabam ſingulis annis bis vel ter*; verùm hæc nihil egerunt: alias ſanus ſum. *Petitur Conſilium.*

Reſolutio.

Ruboris faciei continuò permanentis per annos eſt ſanguis ſubſiſtens ſub cuticula, vel in ipſa cute p. n. rubeſcit quandoque facies poſt cibum & potum aut motum corporis nimium, ſed rurſus ceſſante incaleſcentia evaneſcit: differt à rubore quibusdam naturali, quia intenſior eſt illo ſuavi & obſcurior, nec ſubſiſtit in genis, ſed alias partes faciei & nonnunquam naſum invadit cum turpitudine quadam. Antequam ipſi Vari accedant aut Impetigo cum furfuribus, ſubſiſtere videtur in vaſis ipſis, quia cuticula levis permanet. Subſiſtit non tam propter craſſitiem aut fervorem ſanguinis quam ob glandularum ſubcutanearum obſtructionem aut indurationem, ob quam glandulæ ſanguinis tranſitum impediunt; ſi ſola craſſities culpanda foret, alibi quoque ſanguis in minutiſſimis capillamentis ſubſiſteret, cum alibi æque minuta ſint, quæ ſanguis permeare debet, ex. gr. in oculis, pulmonibus, meningibus &c. & ſimul cum hac gutta roſacea alii affectus evenirent, ex. gr. in oculis ophthalmia, in capite cephalalgia, in pulmonibus dyſpnœa &c. imo aucto vitio affectus periculoſi, Anginæ, peripneumonia &c. ſcil. impedimento majore facto & nimium ſtagnante ſanguine. Quod ideo moneo, ne nimium ad refrigerationem ſanguinis

nis attendatur, *unde extincto calore ſanguinis quidam ſphacelum extremorum contraxerunt abuſu acidularum, ut Sereniſſimus quidam Dux, Ampliſſimus Dn. Pro-Conſul* N. N. *D. Oſchwald, aut affectum hypochondriacum, ut Dn. Pater meus.*

Vid Sebiz. Manual. Med. Tom. I. P. II. Sect. III. C. X. pag. m. 411. *Ex Nic. Florent.* 3. *gradus habet*, 1. *ſine puſtulis*, 2. *cum puſtulis*, 3. *cum ulcere. Concedit fieri, ſi nec diſcuti, nec remeare ſanguis poſſit ob craſſitiem : eâ corripi etiam temperanter viventes & quandoque vitium hæreditarium eſſe, curatu difficilem tradit inveteratam imprimis puſtuloſam.*

Negari non poteſt in ſanguine *Dn. Ægri* particulas craſſas contineri, quia præceſſerunt Vari, qui ſuppurabantur, ac pus craſſum coagulatum rupti emittebant, etiam acres, quia pruriebant, acrimoniam acquiſiverunt à laboribus, craſſitiem à mœrore; glandulæ tum ab his conformationem amiſerunt, fortè etiam faciem æſtuantem perfrigeravit. Levamen attulerunt *Acidulæ*, & imprimis *Balnea domeſtica*, ſanguinem diluentia.

Zacut. Luſit. Prax. Admir. L. I. Obſerv. 68. *Juveni hyeme evenit, Vere & Æſtate ceſſavit, fruſtraneis univerſal. profuit fonticulus in crure dextro. Obſ.* 69. *etiam fruſtraneis internis univerſal. & cauteriis profuerunt Hirudines* 8. *in facie affixi. De Hirudinibus & ſale Bismuthi vid. Agricol. Chirurg. parv. Tr. V. p.* 467.

Suaſi *Vere & Autumno ante V. S. Potion. laxant. ex ſenn. rhabarb. agaric. tamarind. cum borrag. bugloſſ. cichor. in aq. coct. col. add. ſyr. roſar. ſ. ſ.* 2. *Singulis menſibus circa novilun. ſcarificationem in ambitu aurium in extremo limbo.* 3. *Fonticulum in crure.* 4. *Juſculum aut ſerum lact. alterat. cichor. endiv. borrag. fumar.* 5. *Alternis annis Acidulas.* 6. *Topica.*

℞. *Aq. roſar. fumar.* āā. ℥j.
fl ſambuc. ℥j.
Myrrh. el. ℈j.
Camphor. ʒj. *Mſc.*
Digerant. in vaſ. clauſ. col. per chart. Col. add. ✢ *de Lythargyr.* ℥ij. *Mſc.*

Nunquam ſe frigidâ abluat, faciem muniat contra frigus. *Hyeme mane linteo tenero* faciem abſtergat. In victu fugiat valde ſalita & aromatizata, item viſcida, caſeum, artocreas, placentas.

Proſunt *etiam flor.* 🜍. *cum aq. roſ. noctu illiti, item ſeq. aq. diſcut.*
℞. *Sacchar.* ♄*n.* ʒiij.
Myrrh. elect. ʒj.

Camphro.

Camphor. ʒij.
☿ *dulc.* ʒiß. *affund.*
Aqu. ſigill. Salomon. ℥iiij.
roſar. alb. fumar. ā͞ā. ℥ij. *Mſc.*
Digerant. per dies 4. *Col. per chart.*

℞. *Aq. diſcutient. p. ij.*
Acet. de lithargyr. p. j. Mſc.
Utatur tantum noctu.

OBSERVATIO CCXVII.
Gutta roſacea cum Impetigine.

Titius habet malum, cujus nomen cauſamque ignorat, ab anno & ſex menſibus eo laborat; antequam apparuerit, frons maxime erubuit ſine ulla tamen inflatione, poſtea rubor ille converſus fuit in farinam albam, aliquanto poſt tempore inter naſum & oculum dextrum apparuit veluti plaga ſeu vulnus, quod ita increvit, ut totam per faciem ſe extenderit, imò per aures, circa collum, in nares ambas & per caput: hoc malum ergo eſt humor flavus, qui in auctu ſuo cauſat multas punctiones, id eſt pungit pellem faciei, corrodit eam, & deindè humor hic deſinit, terminatur & mutatur in farinam ſulphuream, & cruſtas flavas, adeo ut tota facies ſit quaſi ſcabie plena, operta granis milii, & diceretur facies leproſa. In capite multi ſunt furfures ſeu multa farina candida; *paulò ante Novilunium* humor hic abundat, & dum *Titius* prandet aut cœnat, vultus fit ruber, & dolores fere tot, quot ſunt pori, ſuffert: vultus diſtillat aquam flavam per poros, circa aures fluit humor flavus: reliquum corpus eſt album & nitidum. *Titius* habet magnum appetitum, nec ſuffert ſitim, non dolet ex capite, vel ex alio corporis membro; hic humor venit & redit, eſtque periodicus. *Remedium* huic malo *quærit & percupit Titius;* cujus adhuc cum manus permanſere paulum in aqua, vel cum eas paulo longius lavit, ita inflantur & digiti, ut non poſſit claudere: aliquando etiam fit ſonitus in capite ejus non aliter, ac ſi parvum horologium ſonaret. Factus eſt *Titius* promptiſſimus ad iram, timidiſſimus eſt, & ſanguis facilè ac pro nihilo mutatur ſeu invertitur: quando cucurrit parum vel ambulavit fortiter, propè guttur motus velociſſimus repentiniſſimusque.

Die 18. *Mart.* 1678. *Conſilium dedi.*

Affectus eſt Gutta roſacea cum Impetigine ferâ junctus, cauſa non eſt

eſt ſanguis totus ob vitium hepatis & lienis, quia cutis in toto nitida eſt, ſed particulare ſcil. meatuum, per quos ſanguis & lympha remeant. Evenit *lotâ facie aquâ frigidâ poſt æſtum ablutâ, coſmeticis acrioribus, contagio,* ut ſcabies.

Non curatur nimiis ſanguinis evacuationibus, unde prope cachexiam contraxit, & hinc pulſatio arteriarum colli: ſufficiet *decoct. tamarind. comp. & V. S. Vere & Autumno: V. S. ſub lingua alternis menſibus. Alterno mane lotio faciei lact. virgin. aq. phagadæn. Noctu lacte & aq. flor. fabar.* Victus ſit temperatus.

OBSERVATIO CCXVIII.

Ulcera Faciei & Narium Venerea.

NOb. *Dominus N. N.* ſexagenario major propter debilitatem genuum uſus eſt *ante triennium balneo Acidularum* in Obernau/ unde robur aliquod genubus conciliavit: ab illo tempore hemicrania lateris d. incepit, continuavit illa ultra annum cum ſemeſtri. Ante ſemeſtre obortum eſt ulcus in palato, ſequebatur obſtructio naris d. emunxit ſæpe mucum viridem, quandoque fœtidum, in nare ſin. conſtipatus fuit; poſtea faciem invaſit impetigo quandoque puſtuloſa, ejusque termini ſeu labia alicubi ſunt elata: in labio ſuperiore quoque habet ulcus ſuperficiarium, in nare ſin. ad latus ſiniſtrum tangitur aſperitas quædam ceu oſſis carioſi. Patitur ſubindè dolores nocturnos.

Ex ulceribus, palati labiorum, impetigine, oſſe carioſo, dolore nocturno videtur malignitas Luis venereæ latitare. Quia malum inveteratum & Lues non purulenta eſt, ſuaderem hoc decoctum.

℞. *Rad. ſarſæparil.* ℨvj. *liquirit.* ℨij.
Lign. ſanct. ℥iß. *ſaſſafr.* ℥ß.
Paſſul. maj. exac. ℥ij. *ſem. aniſ.* ℥ß.
Inciſ. & contuſ. lig. in nodul. ex ſyndon. rubr. cum ♁ crudi ℥ij. *NB. ♁ium aq. frigida eluendum, ne pulv. ei adhæreat, coq. in vaſ. 🜄eo cum aq. fontan.* ℔vij. *lento calore, & vaſe bene clauſo per hor. 2. add.* ☿ *crudi* ℥ij. *per hor. dimid. ulterius: poſtea decantetur & ſervetur.*

Mane hor. 6. & veſp. hor. 5. bibat ℥iiij. *calide* vel in vel extra lectum, non ſe cogat ad ſudorem, mane tamen ſponte emergentem non ſupprimat. *Tempore paſtus & quando ſitit,* bibat *hoc decoctum frigidè,* vinum, cerevisiam & frigidæ potum intermittat. Si *hoc decoct.* non

ſapiat *pro potu ordinario*, bibat ejus loco *ſolum decoct. ſaſſafr.* In victu vitet imprimis acetum, valde ſalita & aromatizata.

Ulcera labiorum leviculè attigi *aq. virid. Plater.* Contra impetiginem uſus ſum cum fructu *lact. virgin. in quo parum ☿ ſublim. ebullierit. Ex. gr.* ℞. *Lact. virgin. cum lixiv. parat.* ℥ *vij.*
☿ *ſublimat. gr. iij.*
Ebull. & per chartam emporetic. col.
Si nimis acris ſit, *coq. ſolum gr. ij. cum hoc lacte.* Propter narium obſtructionem *mane lac aq. calida dilutum add. pauxill. ſacchar.* hauriat. Poſtea utatur *pulv. errhino cephalico.*

OBSERVATIO CCXIX.

Cancer Colli.

D*Orothea S.* 70. annor. ſtaturæ juſtæ, mediocriter carnoſa, bene colorata: puella adhuc *in Aulam Meskirchianam* pervenit, benè educata fuit, nunquam ægrotavit, ut decumbere cogeretur, ſubinde odontalgia juveni moleſta fuit, à qua à multis annis libera eſt: ſeptem annis vixit in matrimonio, quinquies peperit, annis 34. vidua eſt: ſemper temperanter vixit, educavit omnes liberos *Meſskirchii*, virtutibus omnibus & imprimis manſuetudine inclyta; durante bello nunquam ad inopiam redacta fuit. Verſabatur ultra annum in eodem conclavi *cum Anna cœca Meſskirchii* cancro mammæ affecta, à quo non parum horruit, quamvis nihil vel linteorum vel ſuppellectilis ad illam ſpectantis attigerit. *Jam circa principium anni* 1680. *imo finem* 1679. in colli parte ſiniſtra ſub aure ſenſit tuberculum piſi magnitudine. *Menſ. Mart.* 1681. avellana majus erat, *D. D. H. ipſius Gener nulla* ſuaſit *medicamenta*, diſſuaſit attactum. *Menſ. Jun.* 1681. ſuaſit *emplaſtr.* quod tamen ultra duos dies tolerare nequiit. *Menſ. Auguſt. in monaſterio* ſuaſerunt *V. S. in pede, empl.* quod perferre non potuit, hinc commendarunt *liquorem turbidum viridem*, cui aliquid ſalini permixtum eſt, quem melius tolerat. Mœrorem occultum ab annis experitur: *ſcarificat Menſ. Mart. bis, aliis vicibus ſæpius in anno.*

Die 14. *Septembr.* 1681. *ipſam inviſi Meſskirchii*, tumoris hæc conditio erat: tumor in colli parte ſiniſtra ab auricula diſtabat pollicis latitudine, à vertebris colli unc. ij. exporrigebatur antrorſum ultra laryngem unc. j. deſcendebat ultra claviculam ad unc. un. & dimid. erat continuus ab auricula verſus claviculam ad unc. vij. verſus vertebras

&

& laryngem unc. vj. circiter: hoc continuum tumoris ante & retro ut & inferius ambiebant aliquot tubercula rotunda, dura, compreſſa, acini uvæ magnitudine, atrorubeſcentia, quædam minora, quædam paulò majora, in ambitu quoque conſpiciebantur venulæ ſanguine atro repletæ, propè capillares. Tumor continuus rubicundus & duriſſimus fuit, vix unciam altus aut extra cutim prominens, inæqualis, in medio ſuperficiarie exulceratus, ſtillavit ichorem flavum, quandoque ſanguinem; ſentit ſubinde dolores punctorios ceu à ſubula cum ardore quodam quoque, maximè noctu, ut propterea ante medium noctis indormiſcere nequeat, & plerumque interdiu & extra lectum melius habet, quam noctu. Tumor magis interiora quam exteriora occupare videbatur, quia vix mobilis & deglutitionem ciborum ſolidorum impedit: attactum non bene fert, in mala ſiniſtra ſtuporem ſentit: appetit, non ſitit, munia œconomica adhuc ſubit more ſolito.

Die 15. *Septembr.* comperi tumorem duriſſimum & propè planè immobilem, rubicundum, ab auricula ultra claviculam fere 2. palmos longus, à vertebris ultra laryngem palmum unum cum dimidio latus: nocte prægreſſa dormire nequiit ob tumoris tenſionem & dolores punctorios ſubito irruentes; mane extra lectum melius habuit, querebatur de deglutiendi difficultate. Illud quod excoriatum erat, tenui cuticula operiebatur; hac nocte nihil impoſuit.

Die 16. *Septembr.* quamvis demum poſt hor. 11. lectum petierit, dormire tamen nequiit uſque ad ſummum mane, & licet tunc indormiverit, ſtatim rurſus expergefiebat ob dolorem tenſivum & punctiones in tumore non unum locum ſervantes, ſed nunc hic nunc alibi. *Noctu* impoſuit *Fotum ex decoct. cort. rad. liguſtr. &c. à Monialibus Inzikovianis communicatum.* Conſtituit hodie ſe rhedâ *Wyngartam* profecturam, quæ itinere diei unius diſtat *Meſskirchio* ad Filiam partui vicinam.

Dn. Völterum de hoc affectu conſului, qui mecum incurabilem reputat, at dolorem imminui & graviora mala putat præcaveri poſſe *hoc fomento*, quod in pluribus ſalutare comperit.

℞. *Cohlear. cum teſtis No. xij.*
Cancror. vivor. cum teſt. No. vj. vel vij.
Sem. lini. Mij.

Contund. & in aq. font. ℔vij. vel viij. coq. lentè ferè tribus hor. col. & parum exprimat. Col. add. theriac. ℈j. vel ʒß. pulv. croc. gr. xij. ad ℈j. Mſc. ſervet. æſtate in loc. frig. hyeme in loco tepido. In hoc. decoct. imbuantur linteamina ac applicentur ſæpe calide.

OBSER-

OBSERVATIO CCXX.

Scrophulæ.

M*Atrona quædam Nob.* 47. circiter annorum, temperamenti melancholico-cholerici, ante annum per totam ferè hyemem aſthmaticam indiſpoſitionem, imprimis verò noctu gravem reſpirationis difficultatem & cephalalgiam habuit, quod eum in finem notandum eſt, poſtquam apud ipſam excretio menſtrua jamjam naturaliter deficere incepit, quod ideo motus ſanguinis circularis, præcluſâ nimirum ex parte viâ per venas uteri etiam mutationem ſubierit, atque arteriæ capitis à nimio impulſu ſanguinis in ventriculos cordis & dictas arterias capitis in hoc acceſſu tam vehementer pulſarint, etiam vaſa ſanguifera pulmonum cruore diſtenta, intercluſis horum meatibus, aerem in ſufficienti quantitate in ſe non receperint, unde aliqualis conſumptio corporis ſecuta, poſtquam ſcil. ſanguis ob impeditum fluxum debitum ad venulas capillares partium pro harum nutritione ſeſe non debito effundebat, partim etiam ob nimiam hujus ebullitionem & exinde obortum incendium originem ſumpſit. Cum igitur *pro ſcopo curativo chalybeata, & inter hæc pulv. ♂t. cachectic. &* R *⊖l. ♂t. Lud.* fuerint in uſum ducta, reſpirationis quidem difficultas inde ceſſavit; in utroque verò colli latere & ſub axilla ſiniſtra (ac ſi natura illud, quod prius difficultatem reſpirationis excitavit, ad circumferentiam expellere fuerit conata) bubones ſeſe oſtenderunt, qui per attractionem humiditatum modo aliquid magis intumuerunt, modo iterum ſubſiderunt parum, poſtea tandem ille ſub axilla & quidem à trimeſtri in majorem molem tam verſus mammam quam verſus dorſum excrevit, quæ denique in ſiniſtrum brachium ad latus bubonis ſub axilla ita ſeſe extendebat ut ſenſim ſenſimque brachium ad digitos uſque valde intumuerit, ubi *emplaſtr. epuloticum adhibitum* nullum ſingularem effectum præſtitit, cum verò *certa quædam cataplaſmata* fuerunt in uſum vocata, puſtulæ quædam & exanthemata in brachio ſeſe oſtenderunt, quæ tamen *ab ordinato unguento refriger. & adhibito emplaſtr. albo temperato* retroceſſerunt, excepto quod tumor verſus manum perpetuo adhuc remanſerit, bubo verò axillaris mollior fieret. Aliàs notatum fuit, quod nervi à bubonibus colli & axillæ ſenſibiliter fuerint tenſi atque vim perpeſſi. *An igitur intumeſcentia brachii per emplaſtr. & ſudorem, uti ſpes ſupereſt, queat diſſipari, dubium tamen eſt, an etiam poſtea bubones ſeu potius Scrophulæ colli & ſub axilla itidem ſint evanituræ, nec ne?*

Hanc hiſtoriam miſit Generoſ. Dnus Baro Zwier de Evenbach è Foro Tiberii d. 20. *Januar.* 1687. *Petitur ſententia mea de hoc Affectu. Miſi Reſponſum Soloduro d.* 26. *Januar.* 1687.

Reſolu-

Reſolutio.

TUmores in utroque colli latere & illum qui ſub axilla ſiniſtra eſt, ſcrophuloſos exiſtimo, eoque magis quia tubera ſub axilla ſin. quoque in plurali numero enuntiat. Illos non merè phlegmaticos èxiſtimo, cujusmodi frequenter occupant colla puerorum & puellarum, nec mere ſeroſos, quales eveniunt imprimis ſequiori ſexui cum vel poſt eryſipelas capitis, noſtri vocant illos das Gewůlck; ſed ab humore viſcido & ſimul acri valde, nam diutius durant quàm merè ſeroſi, inſuper ſubaxillares attraxerunt ſimul tumorem protenſum ad mammam vicinam, ad dorſum, imo ad brachium & extremos uſque digitos manus ſiniſtræ cum tenſione & afflictione nervorum colli, quod etiam confirmant puſtulæ & excoriatio brachii *cataplaſmatis impoſitioni* ſupervenientes; & licet *beneficio linim. refrigerant. & applicatione empl. ſive albi cocti, ſive ſperm. ranar.* ſublatæ ſint, manent tamen nervorum afflictiones, tubera & reliquiæ tumorum. Non negari poteſt, ſuppreſſionem menſium præproperam ſcil. circa ætatis annum 46. ut aſthmati, ſic etiam anſam dediſſe hiſce tuberibus, nam plerumque apud ſaniores & vegetiores periodicè ad 50. ætatis annum manare ſolent. At interim quoque concedendum erit, *Dnam Ægram* ob temperamentum cholerico melancholicum & forte errores quosdam in victu collegiſſe ſeu lympham ſeu laticem viſcidum lentum & acrem, nunc ſubſiſtentem in glandulis colli & ſubaxillaribus, per quas aliàs, ſi tenuitatem debitam obtineat, citra damnum imo cum commodo naturæ percolatur & quaſi filtratur. An aliquid cancroſi hic lateat? incertum eſt: certe tale quid mihi valde ſuſpectum eſt, quia tales tumores in his locis in hac ætate poſt menſtruum fluxum ſubſiſtentem, ſi diu duraverint, in cancros degeneraſſe vidi: certi aliquid ſtatuere nequeo, quia hujus generis affectus ocularem inſpectionem requirunt, meliora tamen ſperabo, quia tumores *à Cataplaſm. & emplaſtr.* non aucti fuerunt, quod tamen plerumque fit, imprimis *ab emollientibus, prout obſervavi in Moniali quadam, nam brevi in molem inſignem cum ejus pernicie crevit à talibus applicitis.* Ad cauſæ proximæ ablationem ſuaſi *hunc pulv.*

℞. *C. C. ph. pp.* ʒij.
Cinnab. nativ. aut ♁ ʒj.
Ocul. ♋. *pp.*
Pulv. viperar. ana. ʒij.
⊖ *volat. ſuccin.*
Flor. ⊖✱*c. c. lap. hæmat. ſublim.* āā. ℈j.
Ol. N. M. expr. gr. ij.

Tab. man. Chr. perlat. ℥ij. Mſc.
Doſ. man. hor. 5. & veſp. hor. 5. ʒß. cum aq. gramin. cochl. ij.
Poſt dimidiam hor. ſuperbibat ℥iiij. vel v. hujus decocti.
℞. Rad. ſarſæparill. ℥iß.
Paſſul. maj. exacin. ℥ij.
Sem. fœnicul. ʒij.

Coq. in aq. fontan. ℔*v. in vaſ. vitreato bene clauſo. hor.* 2. *in* MB. *Mane poſt pulv.* maneat in lecto *hor.* 2. *veſperi* non eſt neceſſum, ut decumbat: non urgeat ſudorem, ſponte evenientem non remoretur.

Topica non imponerem, & ſi imponenda, *in Conſilium* ſumerem *D. Antonium Tritt peritiſſimum Chirurgum.* Si ad ſuppurationem tendant ſcrophulæ, juventur *emplaſtr. dia* 🜍. *Ruland. aut diachyl. c. gum.* aperiantur *lancettâ*, ſed non niſi bene maturæ & quando manifeſte tangitur puris fluctuatio. Ulcera perfectè curantur *indito* ☿. *ſublim.* ſed prudenter & cautiſſimè adhibito, modum ſuo tempore indicabo. Veſcatur cibis optimi ſucci & facilis digeſtionis; cibi quadrageſimales planè non conveniunt. *Loco potus ordinar.* bibat *decoct. ſarſæpar. nominatum*, vitet vinum & cereviſiam. Alvum quotidie apertam ſervet, ſi non ſuccedat, injiciatur *Clyſter emolliens. Purgantia* nihil ad rem faciunt.

Die 31. *Mart.* 1687. *ſcribitur illam melius ſe habere.*

OBSERVATIO CCXXI.

Scrophulæ exciſæ.

C*Aſpar M.* Adoleſcens 17. annorum, facie citrina præditus, vegetus & animoſus, ab anno & ultra in gena ſiniſtra habuit ſcrophulam unam ovo columbino majorem, maxillæ inferiori, alteram avellanâ majorem ejus angulo majori infra accumbentem; ambæ ſub cute mobiles erant, & minor verſus majorem facilè pelli digitis poterat, concolores & indolentes: verebatur illarum majus incrementum. *Die* 19. *Jun.* 1683. doluit valde dens molaris in maxilla inferiore ſin. cum antehac ne minimum dolorem nec poſtea paſſus eſſet. *Die* 21. *Jun. illas hoc modo excidi:* Cute in altum ſublatâ & *à Chirurgo* conſtrictâ transverſim inciſionem feci ad ſcrophulam majorem, hinc illam verſus vulnus digitis adegi, cum vulnus brevius eſſet, illud novâ inciſione prolongavi, pertinaciter panniculo carnoſo

&

& partibus ſubjectis adhæſit, ut illam ungue indicis ſeparare nequierim, itaque hamulo attractum cultello ſenſim ſeparavi, quod citius præſtiti, quàm *D. Volterus in Nob. Domina de St. Andrea Stuttgardiæ*, nam poſt unam alteramve fibrillarum tenaciſſimarum abſciſſionem non ægrè ductum hamuli ſequebatur, & cum minore extra vulnus elapſa eſt, atque utriusque radicem amputavi, ambasque integras ſuſtuli. Vulneri ad ſanguinem ſiſtendum inditum fuit *Fungi, quem crepitum lupi vocant, fruſtulum*, tegebaturque *emplaſtr. contr. Fractur.*

Die 22. Jun. nihil prorſus doluit, deligato vulnere nullum id ſanguinem ſtillavit, magna pars *fungi* extracta, vulneri *ſevum liquatum cum petiolis fervidum* fuit inditum, imponebatur *emplaſtr. diapalm.* inſuper *pulvillus vino rubro madidus calide.* NB. jam incepimus labia adducere *emplaſtr. contr. fractur.*

Sub finem Junii vulnus plane coaluit nihilque adverſi amplius ſenſit.

OBSERVATIO CCXXII.

Botium.

SErenisſimæ Dominæ N. N. natæ in Flandria, Botium ab anno multum crevit, totum collum anterius occupat, rotundus inſuper tumor incumbit laryngi; pars Botii quoque deſcendit ſub capulo ſterni in cavum pectoris, eſt altum, molle, æquale, non nodoſum, *ut nuper obſervavi in Matrona quadam Nobili*, creſcit cum luna, item ſi menſes inſtent & fluant, aut ſi mœrore afficiatur: moleſtiam affert, ſi collum verſet, etiam in ſomno, aut ſi defluxio ad fauces fiat, aut ſi ſternutet. Menſes ritè fluunt, per dies 3. nuper largius fluxerunt, unde hac vice tardius redierunt, cum aliàs aliquot diebus anticipent. Mane non ſitit, at in paſtu, ac potus præ cibo ſapit, piſces non magis quàm carnes appetit, placent præ his olera & fructus cocti: alvus ritè aperta eſt; pulſus æqualis, non tam frequens ac pridem, ſed durus & tenſus. Cor diu non palpitavit, reſpirat ſatis benè, dormit. Nephritis diu non moleſta fuit, unicè de Botio ſollicita eſt. Dentes quandoque vacillant. Si terreatur aut mœrore afficiatur, utitur nimis promiſcuè *pulv. March.* NB. Botium alliſione ante aliquot annos valde crevit, nam in genua preces dictura, extremo ſcamni graviter alliſit, unde ſubito intumuit, circumponebatur collo *ſuccida imbuta oleis diſcutientibus.*

Eſt admodum gracilis & tenera, videtur emergere aliquid de gutta roſacea: aliquot liberorum mater, & partus laborioſos ſuſtinuit. Quia ſiticuloſa eſt, vinum bibit multâ aquâ dilutum, delectatur eciam fructibus,

cætera

cætera temperatè vivit. Inter comedendum & bibendum etiam ſi non loquatur aut rideat, facilè aliquid de cibo aut potu rimæ laryngis illabitur, ipſamque ad tuſſim irritat vehementem, indeque Botium dolet, ac reſpirationem difficiliorem reddit. *Die* 25. *Auguſti* 1685.

Reſolutio.

BOtium hoc augmentum ſumpſit, dum glandulæ lateribus capitis laryngis accumbentes, à primis unguiculis majores, auctæ fuerunt à partubus pluribus & laborioſis ob fœtus grandes, à victûs ratione in temperamento calido refrigerante *in Hiſpania, Belgio & Suevia* ſc. potu cereviſiæ, vini aquâ diluti, eſu fructuum refrigerantium; fovenrur à muco craſſo in illorum cavernis detento, *ut vidi in Dn. N. N.* annon quoque ab aere? nam à forti tuſſi tumidius, ceu inflatum redditur, *ut Baſileæ in Mercatoris Fœmina vidi*, & in Bronchocele fieri traditur. Ad mucum hunc conſumendum ſuaſi *hunc pulv.* ℞. *Pulv. contra Bot. Auguſt.* ℥j. *Radic. ononid.* ℥ß. *C. C. ph. ppr.* ʒiij. *Ol. N. M. expr. gr.* iiij. *Tab. man. Chr. perlat.* ℥ij. *Mſc. F. pulv. ſubtil. Doſ. mane à novilun. ad plenilun.* ʒj. *cum aq. fl. calendul.*

Emplaſtr. nondum conſulta reputavi, *Pulv. Marchion.* ſumat *noctu c. aq. fl. til. ad* ℈j. aut ſi ſubito terreatur. Vitet in victu refrigerantia, nimium & mucoſa.

Die 9. *Octobr.* 1685. *ſcribit D. Medicus ordinarius*, tumorem ultra unc. un. decreviſſe & molliorem apparere cum levamine.

Die 5. *Nov.* 1685. *ab uſu pulv.* Botium manifeſtè decreſcit, putat tamen calefacere, quia aliquot noctibus calorem quendam ſenſit cum ſiti & ſiccitate faucium. *Petit pulveris reiterationem, additis quæ calorem corrigant.*

Die 7. *Novembr. addidi ſacchar. roſat. tab.* ſi æſtum ſentiat, *cubitum itura* bibat *hauſtum emulſion. amygd. dulc.*

Die 26. *Januar.* 1686. *Ipſam conveni*, adhuc magis potum quam cibum appetit, multum tamen de potûs copia imminuit. Nihil prorſus nephritici patitur. Botium *ab uſu pulv.* mire imminutum & emollitum hactenus fuit, quamvis non admodum ordinate ſumpſerit.

Suaſi ut continuaret *hunc pulverem à novilunio ad plenilunium hoc menſe Febr. Mart. & April.* æſtate illum intermittat. *Menſe Majo* utatur *laxativ. & V. S.* Poſtea *bis in menſe pulv. nephrocat. ad Autumnum uſque.*

Medica-

Medicamentorum Formulæ Authori quondam uſuales, & paſſim in hoc Opere commendatæ.

Maſſa Pilul. Aloet. c. rhabarb.

℞. *Rad. aron. ppt.*
hellebor. n. pp. ãã. ʒiß.
bryon. ʒj.
rhabarb. el. ℥ß.
Fol. ſenn. ſ. ſ. ℥vj.
beccabung. ʒij.
aſar. ʒiij.
endiv.
Flor. roſar. r. ãã. ʒij.
Sem. cartham. ʒiiß.
fœnicul.
coriandr.
aniſ. ãã. ʒiß.
Agaric. alb. ʒiij.
Aloes ſoccotr. ℥ß.
Gumm. gutt. ppr. ʒß.
Myrrh. el.
Cinam. acut. ãã. ʒiß.
Santal. citr. ʒß.
rubr. ʒj.
Caryophyll.
Galang. ãã. ℈j.
Spic. Indic. ʒß.
Granor. kerm. ʒij.

Inciſ. & contuſ. affund. acet. acerrim. ut 4. digitos emineat, ſtent in digeſtione in loco calido per 8. dies, & quotidie 2. vel 3. agitetur, colatura exprimatur fortiter, & denuò per chart. emporet. filtretur ac inſpiſſetur ad extracti conſiſtentiam. Adde

Magiſter. gialapp. ʒiij.
ſcammon. ʒj.
Extract. mechoacan. ſ. ʒij.
Elix. propriet. Paracelſ. ʒiij.
Spec. diamargarit. fr.
diatrionſantal. ãã. ℈j.
Fœcul. aron. ʒß.

Mſc. diligenter & inter miſcend. aſpergatur ſæpius ol. ♀. per deliq. aliquot guttul. redigatur in Maſſam pilularem.

Maſſa Pilul. Cephalic.

℞. *Extract. Pil. ſ. quibus.*
cochiar.
aloet. c. rhabarb. ãã.
p. æq.

Formentur Pilul. ex ʒj. *No. xxx.*

Spiritus Bezoardicus Palatinus ſeu Sal volatile oleaginoſum communicatum à Sereniſſ. Electrice Palatina nata Princ. Danica d. 8. Mart. 1685. Heidelbergæ.

℞. *Calc. viv. vel quod præſtat ab aëre ſolut.* ℔j.
⊖✳c. ℔ß.
Vin. malvat. ℔ij.
Ind. Viol. vitr. Add.
Ol. Juniper. rec. ℥ß.
ſuccin. ʒiß.

Deſtill. ex Phiol. vitr. circa alembicum lutata. Deſtillato Add.

 Spir.

Spir. C. C. partem dimidiam reſpectu ſpiritus primi deſtillatione eliciti.
Ol. d. Cinam. gtt. x.
cariophyll. gtt. xv.
Deſtill. ex Retort. vitr. per Arenam. Datur à gtt. ij. ad 50. Bonum eſt, ſi ſudor inde promoveatur, non tamen ſemper id neceſſum eſt. Prodeſt præſervationis cauſa contra Apoplexiam, Epilepſiam, Aſthma: Phthiſicis valde nocet. Utilis eſt in Catarrhis, contra debilem ſtomachum, in torminibus ventris, maxime in Colica, in Affectibus hyſtericis, Leipothymia, in Febribus continuis & intermittentibus, imprimis hor. j. ante paroxyſmum datus: in Hydrope, Palpitatione Cordis, contra Peſtem, Pleuritidem, contra caſum: gravidis bis in ſeptimana, Parturientibus. Utilis, ubi ſanguis impurus, ſcil. in Scorbuto, Scabie, Lue venerea, Arthritide, morbo virgineo, ſuppreſſione menſium.

Liquor aperitivus.

℞. *Spir.* ✱*c.* ◻*oſ.*
⊖ *dulc.* ana. ℥ß.
✱*c. arom.* ʒij.
⊖ *abſinth.* ʒj.
volat. C. C. ʒß.
Aq. borrag.
beccabung. ana. ℔ij.
gramin. ℥iij.
Mſc. doſ. cochlear. ij. cum juſcul. carn. non ſalito, mane.

Spiritus aperitivus.

℞. *Limatur.* ♂*t. recent.* ℥ß.
Spir. ✱*c.* ◻*oſ.* ℥j.
⊖ *dulc.* ℥ß.
⊖ *abſinth.* ʒj.
Mſc. Indantur vaſi vitreo capaci, ne rumpatur, digerantur per quatuor dies, poſtea filtrentur per chartam emporeticam.

Pulvis Cryſtallinus compoſitus ſeu ſpecificus incompletus.

℞. *Rad. aron. pp.*
N. M. pp. ana. ʒxj.
Succin. alb. pp. ℥ij.
Fœcul. aron.
bryon. ana. ʒv. ℈j.
Cryſtall. mont. ppt. ℥iiß. ℈iiij.
Sacch. roſat. tab. ℥ij.
Mſc. F. pulv. ſubtil.

Pulvis ſpecificus completus.

℞. *Pulv. Cryſtall. compoſ.* ℥ij.
Lumbric. 🜄 *pp.* ℥iß.
Lap. Bezoard. Or. ʒß.
Sacch. alb. ℥ij.
Mſc. F. pulv. ſubtil.

Pulvis contra Botia.

℞. *Pulv. contr. Bot. officin.* ℥xx.
Rad. ſcrophular. ℥vj.
Spong. uſt. ℥j.
⊖ *Gemm.* ℥ß.
Mſc. F. Ps.

Pulvis Nephrocatharcticus.

℞. *Lap. Lync. pp.*
Judaic. pp. ana. ℥j.
prunell. ʒiß.
Ocul. ♋. *ppt.* ʒvj.

Nuc.

Nuc. Moſch. ʒß.
Sacch. cand. alb. ℥iiij.
Mſc. F. Ps.

Pulvis ſtypticus.

℞. *Rad. tormentill.*
biſtort. ana. ℥ß.
Flor. roſar. rubr.
balauſt. ana. ʒiß.
Sem. acetoſ.
plantag. ana. ʒj.
C. C. uſt. pp.
Ebor. uſt. pp. ana. ʒij.
Sacchar. albiſſ. ℥iiij.
Mſc. F. Pulv. ſubtil.

Species Menagogæ.

℞. *Limat. chalyb.* ℥ß.
Cinam. acut. ʒvj.
Caryophyllor. ʒiß.
Mac. ʒj.
Baccar. Laur. ʒiij.
Croc. Or. ℈j.
Summit. roriſmar.
puleg.
meliſſ. ana. *Pj.*
Sacch. alb. ℥iij.
Mſc. F. Pulv. groſſ. immitantur oll. vitreat. novæ, ſuperaffund. vin. alb. veter. & aq. font. ana. *menſ. dimid. muniatur olla & cooperiatur probè, ſtent poſtea ſpatio tridui.*

Extractum Bezoardicum.

℞. *Laudan. Opiat. perlat.* ʒj.
Pil. reg. compl. No. j.
♁ *diaphor.* ʒj.
Mſc. F. Pil. c. gumm. tragacanth. aq. roſar. ſolut. ex ʒj. *No.* 60.

Pila Regia cum & ſine ambra.

℞. *Chelar.* ♋. *apic. nigr.* ℥iiiß.
Ocul. ♋. *pp.*
C. C. ph. pp.
Succin. alb. pp.
Ungul. alc. pp.
Corall. r. pp.
Matr. perlar. pp. ana. ℥ß.
Margarit. pp.
Lap. Bezoard. Or. ana. ʒj.
Occid. ʒij.
Mſc. F. Pulv. Parti dimid. add. ambr. gryſ. ſpir. roſ. ſol. ʒß. *moſch. Or.* ℈j. *Cum Gelatin. C. C. F. Pil.* ʒij. *pondere, ſiccentur in umbra & ſerventur in vaſe vitreo.*

Aurum Horizontale ſeu Panacea Kornmanni.

℞. *Cinnab. nativ. Hungaric. ſel. ſexies ſublimat.*
♁ *rectific. & ſexies unà ſublimat.* ana. ℥ß.
Ol. d. cinamom. ʒj.
Sacch. albiſſ. ℥ij.
Mſc. F. Ps.

Maſſa Pilar. Hyſtericar.

℞. *Caſtor.* ʒij.
Aſ. fœtid. ℈ij.
Succin. alb. pp. ʒj.
Sem. rut. ʒß.
nigell. ℈j.
angelic. ʒß.

Mſc. F. Pulv. & cum Oxymell. ſ. q. Maſſa form. Pil. N. M. magnitud. in nodul. ex ſyndon. rubr. ligando.

Balſamus Cephalicus.

℞. *Unguent. alabaſtr.* ℥ß.
Ol. N. M. expr. ʒiij.
d. majoran.
rorismar. ana. ℈ß.
ſuccin.
rut. ana. *gtt. iij.*
lavendul. gtt. vj.
Balſam. apoplect. ℈ß.
Mſc. F. Balſam.

Linimentum Ophthalmicum.

℞. *Medull. ex crurib. vitul. ſexies aq. roſar. lot.* ℥ij.
Lap. calamin. pp. ʒj.
Tut. pp. ʒß.
Matr. perlar. pp. ℈j.
Sacch. ♄n. ℈ij.
Mſc. exactè, cui addi poteſt camphor.

Emplaſtrum defenſivum.

℞. *Calc. viv.* 4. *vel* 5. *aq. font. lot.* ℥iij.
Bol. Arm. Or. ℥iiß.
Sev. Hircin.
Ol. roſac. ana. ℥vj.
Therebinth. Venet.
Picis alb. ana. ℥iß.
Ceræ q. ſ. ſcil. ℥viiß.
Mſc. diligenter F. Emplaſtrum molliuſculum, ſub finem coction. adde camphor. ℥ß. *Mſc. diligenter.*

Index

Index locupletiſſimus Virorum doctorum in Medicina & Chirurgia Clariſſimorum,

Quorum in hoc Opere mentio fit.

Ægineta. 360
Aëtius. 344
Albineus. 3, 138, 349, 428, 438, 449, 505
Amman. 900
Anhorn. 632
Aquapendens. 37, 942
Arantius. 944
Arcæus. 446
Arneſt. 267
Arthaud. 936
Avicenna. 94, 445, 889
Aurelianus. 724
Ballonius. 848
Bardili. 7
Bartholinus *Thom.* 43, 94, 97, 409, 791
Bartholinus *Caſp.* 928
Bauhinus. 320
Baumgarterus. 60, 107
Baverius. 196
Becker. 10, 11
Bellinus. 20
Beutelius. 219
Beverovicius. 420
Bilgerus. 595, 708
Blancardus. 637
Blaſius. 541
Bohnius. 118, 229
Bonettus *Theophil.* 114, 116, 429, 449, 928
Bonettus *Joh. Ant.* 114
Bontius. 569
Bootius. 180, 532
Borellus. 959
Braïer. 433
Braunius. 28
Brawn. 740
Breüning. 733
Brunnerus *Joh. Conrad.* 32, 58, 253, 262, 372, 375, 392, 485, 491, 501, 502, 532, 597, 648, 654
Brunnerus *Med. Solod.* 622, 834, 853
Buoch. 365
Burkardus. 247, 515, 515
Bürklinus. 200
Caliſius. 52
Camerarius. 154, 155, 428, 747, 501, 502, 862, 863, 906, 910, 935
Caſtellus. 222
Celſus. 35
Charras. 71, 308
Chevalerius. 61
le Clerck. 738, 745, 941
du Clos. 792, 793
les Comptes. 689
Coudouguag. 941
Crato. 919
Cyſatus. 141, 272, 291, 292, 296, 315, 316, 950
Dolæus. 34
Drawiz. 179, 756
Drelincourtius. 192
Dürrius. 712
Edu Commun. 941
Efferhem. 907

Eha. 36
Emericus. 246
Ettmüllerus. 322, 561
Faber. 188, 529, 585, 906
Fabius Columna. 544
Fallopius. 33, 474
Fatio. 955
Federer. 544
Fernelius. 69, 344, 790
Fertaud. 941
Florentinus. 975
Fontanus. 461
Forer. 844
Freytagius. 446, 641
Galenus. 33, 110, 344, 427, 484, 710
Gelbius. 356, 358
Gliſſonius. 537, 821
Gloxin. 689
Gmelinus. 227, 232, 503, 920
Goodal. 192, 195
Groyan. 67, 319, 322, 777, 796, 974
Guldenklée, 698, 708, 712, 945
Haffenrefferus. 891
Haizelmann. 40
Hamererus. 15, 585, 586
Harderus, *Joh. Chriſtoph. Phyſ. Scaph.* 337, 570, 844, 858, 899, 900
Harderus, *J. Jac. Prof. Baſil.* 523, 767
Harlinus. 44, 384, 475, 476, 477, 502, 697
Hartmannus. 925
Harveus. 439
Haugen. 588
Havers. 741, 746
ab Heer. 847
Hegj. 830, 833, 841
Hegner. 773
Helblingius. 818
Helmontius. 188, 703
Hernand. 447
Hildanus. 37, 43, 827, 830, 835, 846, 847, 848, 851, 857, 858, 859
Hippocrates. 63, 175, 293, 446, 457, 537, 543, 641
Im Hoff. 950
Hoffmannus, *Prof. Altorf.* 428, 732
Hoffmannus *Frideric.* 346
Hollanderus. 338, 878
Horſtius. 43, 92, 246, 959
Hottingerus. 830, 944, 946
Huberus. 950
Hucherius. 945
Hurterus *Emanuel.* 50, 337, 338, 400
Hurterus *Melchior ejus Fil.* 52
Jäger. 586
Jordanus. 428
Köfferlinus. 154, 163, 392, 394, 708
Küefferus *Johann.* 246
Küefferus *Wilh. Chriſt.* 316
Larche. 40
Lavaterus. 135, 389, 483, 830
Lemnius. 344
Lentilius. 254
van der Linden. 275
Lowerus. 305, 508
Luſitanus *Amatus.* 428
Luſitanus *Zacut.* 427, 569, 790, 975
Makofsky. 729
Malpighius. 20
Manget. 86, 349, 742, 825, 941
de Maphæis. 535, 536, 726
Marcellus. 528
Marchettis. 530
Marlianus. 800
Maſſa. 641

Mayernus,

Mayernus. 455, 461
Megerlinus. 39
Mejerus. 129
de Menteln. 799, 800, 804
Mezgerus. 77, 132, 530
Möglinus. 15, 585, 586
Moguet. 689
Monginotus. 112
Morton. 641
Muraltus. 135, 830
Myllerus *Phyſicus Lindav.* 143, 277, 531, 546, 594, 788
Myllerus *Cirurg. perit. Frauenfeldenſ.* 546, 590
Noſet. 104, 574
Ott. 200
Paſſinger. 636, 639, 641
Patin *Guido.* 703
Petit. 112
Peyerus. 118
Pfiſterus. 25, 26, 27, 119, 182, 602, 944
Piliot. 275, 277
Piſo *Carol.* 109, 120, 237, 306, 440, 481, 507, 508, 652
Piſtorinus. 534, 536
Placentius. 712
Platerus *Franciſc.* 629
Platerus *Felix.* 251, 420, 444, 486, 487, 491, 847, 848
Plempius. 847, 855
à Porta. 824, 825
Radelmayer. 242, 595
Raoult. 433
Reiſel. 585, 730, 732
Renodæus. 112
Rheinhardus. 597, 621
Rhem. 242, 595
Rhodius. 846
Rhonhyſen. 833
Rickius. 906
Riolanus. 444, 460, 703
Riverius. 194, 446, 457, 698
Rolfinkius. 180
Rondeletius. 456
Ruſconi. 315
Salius. 110, 457
Salmuth. 427, 848
Schelhammerus. 780
Schenkius. 33, 43, 344, 362, 446, 528, 848
Scherpfius. 31, 515, 523, 525, 595
Schikardus. 10, 383, 384
Schmidt. 37, 827, 875, 946
Schneiderus. 94, 254, 442
Schnorpff. 407, 415, 416
Schottus. 428
Schrökius. 313, 711, 712
Screta. 58, 79, 93, 188, 313, 381, 858, 879, 900, 959
Scultetus. 942, 959
Sebaſtianus. 143, 800
Sebizius. 975
de Seguier. 461
Sennertus. 117, 698
Serranus. 112
Severinus. 849
Simonius. 8, 11, 12, 23, 34, 677, 682, 944
Slegelius. 117, 444
Smetius. 43
Spigelius. 529, 542
Stangius. 700, 707
Steckius. 340
Steigerus. 34

Stockam.

Stockam. 192, 195
Stockarus *Alex.* 25, 26, 27, 174, 182
Stockarus *Franciſc.* 535
Stuber. 275
Syband. 5, 6
Sydenhamus. 637
Sylvius. 574
Tauvri. 117
Thabor. 275
Thiermair. 531, 535, 536, 726
Trallianus. 344
Trincavellus. 830, 851
Tritt. 937, 982
Tulpius. 428, 537, 846, 851, 959
Tzernellus. 277
Varolius. 538
à Vega. 848
Verzaſcha. 246, 424, 428
Vicarius. 649
Vieuſſens. 237, 485, 704, 780
Villefranche. 112, 123
Volkamerus. 109
Völter. 23, 530, 879, 983
Wachterus. 267
Walterus. 428
Wedelius. 582
Weiſs. 397, 402, 405, 406
Welſchius. 246
Wepferus *Joh. Conr. Clar. Autoris Fil.* 8, 182, 219, 324, 375, 666
Werenbeck. 331
Wetſtein. 581
Wilhelmi. 80, 82
Williſius. 93, 94, 188, 237, 305, 440, 461, 485, 486, 498, 507, 510, 538, 540, 541
Winckler. 117
Wipflinus. 238, 239
Wolff. 428
Zacchias. 33, 344, 410
Zachmann. 31, 32
Zecchius. 698
Zwingerus. 428

INDEX

INDEX
Rerum maximè memorabilium,
In hiſce OBSERVATIONIBUS contentarum.

A

ABietis lachrymæ vulnus capitis conſolidarunt. Pag. 30
Abortus ex hæmorrhagia uteri V. S. non potuit præcaveri. 233
Acidum, an efficiatur in corpore. 701
- ventriculi flatus cauſat. 87
Acidulæ Deinacenſes in Hemicrania proſunt. 152. In perturbatione ſpirituum. 200. 209. In palpitatione cordis. 153. In tremore artuum. 475. 476. In vertigine. 219 220. In paſſione hypochondriaca ſpecificæ. 342. In melancholiâ. 351. 353.
- Ebenhuſanæ in Cephalalgia uſurpatæ. 76
- Egranæ in contracturâ membrorum proſunt. 751
- Fridricenſes, quomodo contulerint in Hemicrania & cervicis dolore. 147. Vertiginem titubantem mitigarunt. 242.
- Göppingenſes in loquelæ vitio adhibitæ. 729. In perturbatione cerebri. 200.
- Griesbacenſes Nephriticis proſunt. 659
- St. Mauritii in affectu hypoch. & Epilepſ. non commend. 621. Non levârunt gravitatem capitis. 200
- Rippliſavienſes quid in Catarrhoſo. 648. In Melancholia. bonæ. 344
- Sulzbacenſes, quid egerint in ſtupore fœmorum. &c. 689
- Sulzenſes tollunt vomitum matutinum. 268
- Swalbacenſes in afflictionibus hyſtericis optimæ. 63. In hemicrania fruſtraneæ. 151. In perturbatione cerebri proficuæ. 201. Vertiginem mitigârunt. 263. Intempeſtivè potæ, ſerum acre in cerebro augent. 280. 281. In Epileptica gravida cum fructu potæ. 628.
- Vallis Petrinæ, quemnam habeant effectum in tumoribus faucium venereis. 945
Acidulæ *generaliter ſumtæ*; In convulſivis motibus aliquando commodè bibuntur. 486. 554. 555. 637
- Bilis & ſeri acrimoniam temperant. 156. 162
- in Colicâ bilioſâ proſunt. 512
- Colicam atque Pareſin tollunt. 469
- Epilepſiam non tollunt. 577. 591 631
- In hypochondr. affectu utiles. 132
- Inflammant quandoque. 107
- Sæpe lympham intra cranium augent. 710
- Quænam in mania proſint. 328 329. 331
- In Nephritide proſunt. 422
- In Reſolutione lentorum & viſcidorum humorum proficuæ. 708
- In tuſſi ſuſpectæ. 640
- Spirituoſæ in vertigine nocent. 247 ibid. non ſemper tutæ. 232. 250. 301 interdum tamen bonæ. 302.
- Incuriè potæ, vel non excretæ, quænam mala poſt ſe trahant. 117

- Partibus robur conciliant loco balneorum uſurpatæ. 977
Acor ventriculi morboſus. 792
Acrimonia humorum varia producit ſymptomata. 154. 156. quomodo corrigenda. ibid.
Aër in paroxyſmo vertiginoſo in aurem quaſi inflatus, quænam ſymptomata producat. 234.
- frigidus à vulneribus capitis arcendus. 40
- - Hemicraniæ cauſa. 141. 142
- - ſæpiſſ. Catarrhorum autor. 430. 431
- quinam fugiendus ab iis, qui dolori capitis obnoxii. 142. 143. aut in Hemiplegia. 720.
- quinam eligendus pro iis qui paralyſi alicujus partis laborant. 721
Æſtus volaticus fæminis frequens 99
Affectûs nervini, Convulſionem aut Pareſin minitantis, hiſtoria. 480. Analyſis, cum cauſis, &c. & cura. 481 482
Ἀλαλία. 209
Alkalia volatilia, quænam præcipua. 703
Aloëticorum abuſus inflationes & dolores hypochondriorum parit. 603
Alvi conſtipatio, unde oriatur. 99. 161
- exoneratio moleſtiſſima. 81
Ambra auribus indita, quid agat. 619
- & reliqua valdè ſuaveolentia ſæpè ſpiritus animales turbant. 205. 206
Amoris inſani relatio hiſtorica. 316 317. Reſponſ. ibid. Cauſæ & cura. 318
Amputatio membri, per conſenſum Epilepſiam excitantis, an ſuadenda. 632
Anchylops. 822. 824. 839
Aneuriſma vaſorum tenuis meningis, quibus ſignis cognoſcendum. 93
- in arteriis meningum unde dignoſcatur. 76
Angor circa præcordia. 209
Animi deliquia frequentia à variis cauſis. 185
- labores nimis intenſi ſpiritus conſumunt, & humores aqueos in cerebro cumulant. 279
Anodyna in perturbatione ſpirituum animalium non ſemper proſunt. 204 206. 207
Antiſcorbutica. 67. 154. 155
Anxietas ſ. dolor compreſſivus præcordiorum. 493
Aphonia cum ſurditate ab hydrocephalo. 254
- cum motibus convulſivis. 534. 545
- à vermibus. 569
Aphthæ ab acrimonia ſeri ſanguinis. 69
Apophlegmatizantia in auditûs difficultate proſunt. 889
Apoplexia ab abſceſſu cerebri. 360
- ab abuſu fumi tabaci. 601
- mortui ferè omnes liveſcunt. 683
Apoplexiæ cauſæ. 21. 94
- imminentis præſagia. 280. 358
- indicia. 16
- quomodo ſtatim medendum. 394
- Prodromi. 388. 642. 643. Cura. 644. 645. 646
- - prægreſſis varii generis catarrhis. 646. Indicationes curativæ. 647 Symptomatum concurrentium enarratio ac reſolutio. ibid. & 648 Cura horum ſymptomatum. ibid. Ulterior morbi enarratio à Dno D. Brunnero tradita. 648. 649. 650. 651 Curandi methodus. ibid. & 652. Ulterior valetudinis ſtatûs deſcriptio. 653. 654. Cura ulterior. ibid. Mors. 655
- Metus, cum enarratione & reſolutione

tione

tione ſymptomatum. 655. 656. Cura. 657
- Hiſtoria. 658. Præcedanea. 659 660. Scholia in illam. 661. 662. 663
- - cum ſymptomatib. variis & inſecutâ morte. 663. 664. Scholia. 665
- fortiſſimæ hiſtoria. 665. 666. 667 Mors. 668. Scholia. 668. 669. 670
- à caſu ſymptomata. 670. 671. cum ſubjunctâ poſt mortem Anatome. ibid. & 672. 673. Binæ quæſtiones circa lethalitatem vulnerum. 674 Epitaphium. ibid. & 675. 676.
- varia ſymptomata, cum ſubjunctâ Anatome. 676. 677. 678
- Reliquiæ, recenſitæ ac reſolutæ, cum conſilio medico. 685
Appetitus ſpiritu vitriol. mart. reſtitutus. 383
Aqua alexiteria. 953
- anti-Apoplectica. 228. 764
- anti-Epileptica. 571. 589. 607
- benedicta Rulandi, an in vertigine proſit. 292
- hyſterica. 548. 556
- intra meninges cerebri reperta. 182
Aquæ cephalicæ ſpirituoſæ interdum noxiæ. 424. 543
- minerales nimis frequenter uſurpatæ ventriculum atterunt. 111. 112
- Rochefortenſes. 974
- Spadanæ an in dyſpnœa conveniant. 110
- viridis Plateri deſcr. 125
- Vitæ nervis glandulisque inimicæ. 74. 638
Aquilæ diu abſque potu ſuſtentatæ, tamen ſerum ſecernunt. 439
Ardor totius lateris dextri. 796. 797
Aromatica proſunt maniacis. 322
Arteriæ in baſi cranii ruptura. 21
Arteriotomia præſentiſſimum remedium in hemicrania. 131. 175. Cautelæ circa eandem obſervandæ. 145. In Phrenitide commendatur. 315
Arthritidi quomodo ſuccurrendum. 157. Momentaneum tantùm levamen afferunt Thermæ. 749
Arthritis oritur à lymphâ acri &c. 109 188. 192
- vaga. 185. 187. 236. 947, 948
- - ſudoriferis cavetur. 187. 190
- - quomodo aliàs curanda. 233. 234 237. 238. 241
- Catarrhos avertit. 451
Arthritica an lactare debeat infantem? 240
Artuum reſolutio, quomodo curata. 264. 265
Aſa fœtida, affectus caput obtundentes levat. 195
Aſthma, ſeu orthopnœa ſicca, ſeu dyſpnœa. 257. 262
- à tuberculis pulmonum. 114. 123
- cum Hemicrania. 178
Atrophia univerſalis non à cerebro derivanda. 537. Undenam ergò fiat. 543
Attemperantia ſanguinis. 472
Auditûs imminuti ſigna quædam. 618
- difficultatis cum tinnitu Hiſtoria 887. Reſolutio. ibid. & 888. Indicationes curativæ. 889. 890
- gravis cum tinnitu hiſtoria. 890-893. Reſolutio. ibid. & 894. 895 Prognoſis & cura. ibid. & 896-99
- Abolitio à Parotide cancroſa. 895
Auris Cancer. vid. Cancer.
Aurium tinnitus. vid. Tinnitus.
- - unde oriatur. 149. 186. 191. 230 310. 462. quomodo curetur. 141 142. 154. 241.
Aurum Horizontale. 71. in Epilepſiâ utile. 605. 608. huic æquiparans medicamentum in Epilepſiâ pro ſecreto habitum. 634

Aurum ex pulv. Epil. March. diu in ventriculo retentum. 495. 498

B

Balneum Canſtad. in Paralyſi commendatur. 755
Balnea in Epilepſia non tuta. 577. 582
- non reſolvunt humores in cerebro ſtagnantes. 547. 763
- aquæ tepidæ communis dolores artuum lancinantes ſuſtulerunt. 275
- commendantur in obtuſione capitis. 193
- in Arthritide vaga ſuſpecta. 195
- In Vertigine nocent. 232
- nimis calida in Nephritide nocentiſſima. 422
Balſam. cephalic. 260. 271. 348. 385 391. 401. 424. 514. 607.
Βαρυηκοΐα. 137. 138. Cura. 140 890. 891. &c.
Betæ ſuccus Nares mordet. 899
Billoſa dejectio unde oriatur. 99
Biliosis calida nocent. 535
Bilis, nimia per ſedes deturbata, quidnam mali producat. 111
- & ſuccus pancreat. acidior, unde 167
- efferveſcens compeſcitur pulvere ſtom. Pot. 187. 190
Botium. 483. 484
Borborygmi Abdominis obſtructionem in Meſenterio arguunt. 454
Bregmatis dolor ardentiſſimus. 106
- ſiniſtri vulnus, &c. tempeſtatum prænotiones cauſat. 204
Bronchus cum ariditate faucium. 442
Bruma ſerum in corpore cumulat. 392
Bubones inguinales quomodo Ilei cum Peritonæo coalitum, &c. cauſare poſſint. 94
- - quomodo curentur. 196
Bubonocele. 108
Bufones pro amuleto uſurp. in memoriâ abolitâ. 415
Bulimos in Catalepſi. 568. 569
- cum Cephalalgia. 101
Butyrum, an Hypochondriacis conveniat. 622

C

Cachexiæ cauſæ, & remedia contra eam. 641. 642
Calculus ſeſſilis renum: quomodo curetur. 624. 625
Cancer Auris dextræ: ejus hiſtoria. 879. 880. Reſolutio. ibid. Prognoſis & Cura. 881.
- Colli: ejus hiſtoria & cura. 978. 979
- Oculi, vid. Oculus.
Cancroſi Tumoris ſigna quædam diagnoſtica. 875
Cancroſum Miaſma, quomodo expugnandum. 839. 840
Cannabis ſemen Maniacos curat. 331
Capitis dolor gravativus, unde. 63. 73
- - punctorius. 107
- - cum variis ſymptomatibus: ejus hiſtoria & cura. 84. 85
- Obtuſio: deſcriptio variorum ſymptomatum, & cauſarum tùm anteced. tùm comitantium tùm efficientium. 181. 185. Natura ejus ſeu ratio formalis. 186. Reſolutio ibid. & 187. Indicationes curativæ. ibid. Conſilium D. D. Scretæ, ubi recenſentur cauſæ proximæ & remotæ. 188. 189. Prognoſis, Prophylaxis ac Therapia. ibid & 190. Diæta, qualis obſerv. ibid. Ulterior ejus decurſus & intermedii alii morbi deſcribuntur, ibid. & 191. Reſolutio. ibid. & 192. Conſilium D. Drelinc. ibid. & 193. Conſil. Medicor. Anglor. ib. & 194. 195. Concluſa alia circa curam. ibid.
- Sudor, unde. 311. 258
Caput ſero turgidum cum ſymptomatibus

matibus hyſtericis: morbi hiſtoria. 73. Cauſæ. 74. Cura. 75.
Cardialgia Elix. Propr. Parac. curata. 163. 168
- acidulis curata. 166. 167
Caries coſtæ. 183
- Oſſium Naſi & orbitæ oculi, quomodo auferenda. 824. 825
- - Cranii. 119
- & ulcera circa loca carioſa, quibus ſignis dignoſcenda. 921
- Palato imminens à Lue Venereâ: ejus hiſtoria. 954. 955. Conſilium Medicum. ib. & 956. Indicationes curativæ & remedia ib. & 957. 958 959
Caſſia, an virulenti quid habeat. 456
Catalepſis. 558. 564. 567. Symptomata in eâ notanda. 559. 563. 567. 568 Ejus cauſæ variæ, ſcil. redundantia ſanguinis, &c. 561. Phantaſma memoriæ impreſſum. 568. Serum in cerebro ſtagnans. 569. Prognoſis & cura. 560. 561. 563. 566. 569.
- Suffocationi ab utero ſimilis: ejus ſymptomata varia. 570. 571. Cura. ibid. & 572. 573.
- in Epilepſiam degenerans: ejus mira ſymptomata. 573. 574. 575. 578 579. Cauſæ variæ. 575. 576. 580 Curandi methodus. 576. 577. 580 581
- à fumo carbonum. 361. 362
Catarrhacta, artificioſè depoſita. &c. 143. Cautelæ circa depoſitionem obſerv. 144
Catarrhi varii generis, Apoplexiæ prodromi. 651
- ad duram Matrem, quibus ex cauſis & unde oriantur. 161
- frequentes: *eorum Hiſtoria.* 428-432. Reſponſum *Medicor. Pariſ.* 433. Cauſa & curandi methodus. ibid. & 434. Reſp. II. D. Raoult. 435. 436. ejusd. Reſponſ. III. 437. Conſil. & Reſponſ. D. Autoris. 438 439. *ubi monſtratur, quænam ſit eorum materia*, &c. ibid. & 440. 441 442. 458. Cauſæ variæ. 442. 443 Diagnoſis genuina. 444. Prognoſis ibid. Indicationes curativæ. 445 446. 447. Regulæ diæteticæ. 448 449. Albinei Literæ ad Clar. Autorem, cum Conſilio D. Th. Boneti, *ſuper hunc caſum.* 449. 450. 451 *ubi traduntur ſeq. ſc. Fluxionum prima origo & cauſæ.* 452. 453. 454 Indicationes curativæ & remedia. 455. Chirurgica, Pharmaceut. ib. & 456. 457. Diætetica. ib. & 458 462. Reſponſ. D. Autoris ad præcedent. 458-462. Memoriale I. *de ulteriore Ægri ſtatu* 463. 464 Memoriale II. ibid. Memoriale III. 465. Reſponſum. ibid. & 466. Ulterior ſtatûs morbi deſcriptio. ibid. & 468. 469.
- alia hiſtoria. 469. 470. Reſolutio & cura. 471. 472
- tenues, cum Conſilio diætetico & curativo. 471. 472
.. ſæpè à gravioribus morbis præſervant. 421
Catarrhus ſuffocativus cum aſthmate. 217
Catoche. 662
Cauterium actuale, quibusn. oſſibus carioſis tutò applicari queat. 825
- potentiale Parotidi applicitum. 141
- - malè applic. 29
- quomodo ejus roſio mitigetur. 30
Cephalalgia, *quaſi à Faſcia capiti circumligatâ*, &c. 75. Locus affectus, *Dura Mater.* 76. Cauſa, *ſerum intra*

tra cranium effuſum. ibid. & 77. Indicationes curativæ, & indicata. ib. & 78.
- *periodica in Occipite.* 78. Loc. aff. *ut ſupr.* 79. cauſa, *ead. & Venus &c.* ibid. Cura ib. & 80.
- vehemens, *periodica*; cum variis ſymptomatibus, cauſis, ſede ſ. loco aff. Cura. 80. 81. 82.
- cum Rheumatiſmo. 82. 83. Cura. 84
- cum ſymptomatibus hypochondriacis. 85. Ejus ſedes, *Membranæ cerebri.* 86. Cauſæ 87. Cura. ib. & 88. 89. 90.
- - Inflatione ventris. 90. 91. Reſolutio, *cum cauſis & modo.* 92. 93 94. Curationis methodus. 94. 95. 96
- - aliis ſymptomatibus. 97. Cauſa principalis, *lympha acris intra anfractus cerebri,* &c. 98. 99. Curandi ratio. ibid. & 100.
- & Hemicrania periodica. 100. Reſolutio. 101. 102. Cura. ibid.

Cephalæa, ejus hiſtoria. 103. 106. Symptomata, cauſæ, ſedes. 104. 106. Prognoſis & indic. curat. 104. 105. 106 107
- & inveteratus humeri dolor: varia ſymptomata eorumque cauſæ. 107. 108. 109. Cura. ibid.
- tubercula ad radicem linguæ & dyſpnœa: Hiſtoria morbi. 109. 110 Cauſa, *obſtructiones indomitæ.* 111. 112. 119. 120. *remedia quænam hactenus uſurpata, & quonam fructu.* ibid. Symptomata à tuberculis faucium excitata. 113. Aſthmatis ſeu dyſpnœæ vera cauſa. 114. Prognoſis totius morbi. ib. Ulterior ejuſdem hiſtoria à Cl. Autore conſignata. 115-120. Indicationes curativæ ibid. & 121. Regulæ diæteticæ. 122 Dubia aliquot circa curam occurrentia. 123. Reſponſa ad illa 124 Ulterior curandi ratio, ib. & 125.

Cephalica, qualia conveniant iis, qui ſanguinem fervidiorem habent. 897

Cerebri commotio à Percuſſione: varia ſymptomata deſcribuntur. 24 25. Reſolutio cum methodo curandi. 26. 27
- monſtroſi cum Occipitis tumore *in Infante recens nato deſcriptio.* 41 42. Abſciſſionis impoſſibilitas. ib. Anatome. ibid. & 43. allegata Analoga. ibid.
- - *Fœtûs ab incuſſo Matri gravidæ Terrore* deſcriptio. 44. Anatome. ibid. & 45.
- Perturbatio. vid. Perturbatio.
- Debilitas, quomodo & quibus emendanda. 194. 195. 198. 216. 231
- Obtuſio. vid. Obtuſio.
- Imbecillitas, unde producatur. 215
- nimis hum. cauſæ & ſign. 451. 452

Cerebrum, quomodo corroborandum 247. 249. 260. 261. 290. 770. 771 774. 775.
- per eſſentiam læſum, unde dignoſcatur. 413

Chalybeata in pil. in Epilepſia adhibita. 637
- ubinam proſint. 194

Chalybis infuſum commendatur in reſolvendo humore viſcido ſanguinem inquinante. 708. 710
- - - in Chloroſi 710

Chimicus empiricus in Cura Vertiginis refutatus. 272

China chinæ deſpumationes ſeri coercet. 120

Chloroſis à comeſtis pomis muriâ conditis. 480

Chocolata, an Emaciatis proſit. 432. 434. 447. 456. 461
Cholera. 209. 210. quomodo curanda. 211
Cibi & potus ſeroſos humores generantes, quinam. 65
- Sanguinem impetuoſius moventes, quinam. 65
Cinnabaris uſus in Cephalæa. 121
Cinnabarina non ab omnibus Epilepticis tolerantur. 582
Clavus hyſtericus. 547, 550. 552
Clyſteres in doloribus hæmorrhoidum cautè adhibendi. 199
- ubinam magnam operam præſtent. 231
Cœcitas cum Hemiplegiâ. 820
- à pertuſo tendine Bicipitis in V. S. 529
Coli vaſa lactea. 161
- excrementa diutius retenta, quomodo ructus pariant. 161
- pigrities, Literatis familiaris, tardioris dejectionis cauſa eſt. 161
Colicæ bilioſæ ſigna quædam. 148. 469. 471. 629
- in Pareſin degeneratio ab abuſu purgantium. 511
- à ſero acri productio. 758
- Nephriticæ, ſigna & cauſæ. 418. 419
- ſpaſmodicæ cura. 313. 314
- proventus à diuturna conſtipatiorum ne alvi poſt puerperium. 863
Collum obſtipum, unde. 202
Colluvies humorum excrementitioquomodo expurganda. 433
Coma, unde producatur. 198. 816
- quomodo curandum. 510
Contabeſcentia, quomodo curanda. 178
Contuſio Capitis, *ab illapſo trunco ligneo*. 1. eam ſequuta ſymptomata, 2. Cura. ibid.
- - *alia, ab acceptâ plagâ*. ſymptomata ſuperventa. 2. 3. cura. ib. & 4.
- - *à percuſſione cum pugno in oculum ſiniſtrum*. 4. cauſa lethalitatis anatomicè demonſtr. 5. 6
- - funeſta ab alapa, *ebrio inflictâ*. 7 cauſa lethalitatis, &c. anatom. demonſtrata, ibid.
- - *à lapſu de equo*. 8. cura. ibidem. Scholia ſuper hunc caſum. 9
- - cum læſione cranii, *ſecuri peractâ*. varia ſymptomata. 9. 10. curandi methodus. ibid. & 11.
- - à caſu cum cranii læſione: ſymptomata varia & cura. 11. 12.
- - funeſta à caſu. 12. Anatome. 13
- - ſeq. Apoplexiâ lethali: præcedanea. 13. 14. ſymptomata poſt lapſum. 15. methodus curandi. ib. & 16. ſigna mortifera. 16. anatome. 17
Contuſionum Capitis variæ obſervationes, easque ſecuta ſymptomata 530-34
Contuſiones in partibus glanduloſis, periculoſæ. 945
Convulſiones à ſeri intra cranium effuſione. 94
- à comeſtâ cicutariâ. 498
Convulſio particularis: hiſtoria morbi. 482. 483. 484. Reſolutio ib. & 485. cogitata Exc. D. D. Brunneri ſuper hunc caſum & methodus medendi. ib. & 486.
- - *muſculorum, cervicis & colli, &c. deſcripta à D. Platero*. 486. 487 Conſilium D. Autoris, ubi monſtrat ſedem, cauſas, & curam 488-493
- - *ſive Tractus ſpaſmodicus* capitis cum hæmorrhoidibus cœcis, ſymptomatibus & cura. 493. 494. 495

Convulſio mira. 495. 496. 497. Reſolutio. 498. 499. curandi methodus. 499. 500
Convulſiones infantis recens nati: hiſtoria & cura. 500. 501. 502. 503
Convulſivi motus, *variis adhuc aliis affectibus ſtipati, in Matronâ 25. annorum.* 503. 504. 505. Reſolutio, ubi traduntur cauſæ proximæ & remotæ. 505-508. Prognoſis. ib. curandi ratio. 509-515.
- - *in Juvenculâ* 12. *annorum* 515-519. Reſolutio. 519. 520. curandi methodus. 521. 522. Affectûs in Pleuritidem mutati recenſio. 523-526. Reſponſ. 526. 527. ſanitas reſtituta. ibid.
- - Lateris dextri, *rariores, in Filiolâ 9. circiter annor. à D. Fabro deſcripti* 527-530. Conſilium D. Völteri. 530 531. Reſponſum D. Autoris 531 532. 533. curandi methodus. ibid. & 534.
- - præced. Hemiplegiâ & Aphoniâ, *in Domicellâ* 10· *annor.* 534. Scholia, cum conſiliis curativis varior. Medicor. 535. 536. Reſponſ. Cl. Autoris. ib. & 537. 538. Locus affectus & cauſæ varior. ſymptomatum ib. & 539-543. indicationes curativæ. 543-547.
- - cum clavo hyſterico: hiſtoria, cum cauſis præcipuis 547. remedia, quænam data fuerint diverſis temporibus. 548. 549. Ulterior deſcriptio ſtatûs ægræ. ibid. & 550 Ratio formalis paroxyſmorum. ib. & 551. Medicamenta. ib. Reſolutio, ubi monſtratur ſedes morbi & cauſæ 552. Indicationes curativæ & remedia. 553.
Cordis debilitas, quomodo emendanda. 216
- palpitatio cum Vertigine. 298
- - ab Ideâ ſomni. 354
- punctio à vertigine. 242. 243
- reſuſcitatio anatomica. 539
Corpora pituitoſa in ſinubus cerebri reperta. 94
Coryza prope continua, cum variis aliis ſymptomatibus. 916. cura. 917
- Maſſam S. depurat. 311
- ſuppreſſa, humores aquoſos in cerebro cumulat. 305
Cranii in ſincipite ſinus & cuniculi p. n. ab alliſione. 40
- Raſio. 41
- defectus in fœtu monſtroſo. 45
Crus medulloſum cerebri, quomodo & per quas vias ab humoribus acribus perfundi & lædi queat. 541
Cucupha, in Memoriæ abolitione prodeſt. 401. 402
- in auditu gravi convenit. 899
- in tremore artuum geſtanda. 476
Cucurbitæ magnæ, quomodo applic. 16. 88
- ubinam feliciter fuerint adhibitæ. 703
- ſerum attrahenti, cur æquiparetur cerebrum ab Hippocrate. 63. 719

D

Datura, inordinatum ſpirituum motum excitat. 520
Debilitas cerebri, à quibus ſignis dignoſc. &c. 685
Decoctum lignor. ſudorifer. in vertigine. 251. 706
- - In Hemicrania non improbandum. 176
- cephalicum temperans. 898
- purgans in Memoriâ abolitâ. 405
- trium ſantalor. in Phthiſi prodeſt. 457. 461
- laxativum. 953
- ſudoriferum. 490. 957

Defluxio-

Defluxiones ad fauces, quomodo curandæ. 89
- ſuper Pectus, Capitis obtuſioni ſuperventæ. 190
- dolorificæ ad cervicem, unde. 206
- quomodo ſiſtendæ. 199
Deglutitionis impedimentum ab Hemicrania. 141
- difficultas, ſeq. Hemiplegiâ. 537
Delirium, à corruptione cerebri & meningum. 39
- melancholicum. 320, ejus cauſæ, & cura. 321, it. 351
Dentes, quâ ratione firmandi. 308
Dentis fiſtula. 91, conf. qq. Fiſtula.
Dentium dolor à conſenſu in Hemicrania. 165
- conſtrictio p. n. loquelam impediens. 729, 730, 731
- relaxatio. unde. 309
Diæta accurata, quid faciat ad debellandos morbos. 65
- qualis Melancholicis conveniat. 322
- qualis in memoriæ abolitione obſerv. 370, 371, 385, 388, 410
- qualis in auditu gravi. 899, 900
- qualis conveniat iis, qui Catarrhis freq. ſunt obnoxii. 430, 434, 435, 448
- qualis eligenda in cura lactis. 468
-- in affectib. nerv. 482.
Diaphoreſis, ſeri exſuperantiam tollit. 652, 708
Diaphoretica in macie non penitus damnanda. 445, 446
Diarrhœa bilioſa Hemicraniam levavit. 152, 156
- ex abuſu volatilium producta. 706
- ſpontanea, quosnam morbos levet. 175
- à ſero ſalſo. 419, 420
- ſæpè à gravioribus morbis præſervat. 421
- Phthiſicis lethalis. 446
Digitorum impotentia à numeratâ multoties pecunia. 741
Diuretica, quomodo uſurpanda. 687
- nimium acria cauté adhibenda. 897 quâ ratione ſeligenda. ib. & 253, 512 ſæpe nimis fundunt humores. 402 calida Phthiſicis obſunt. 437, quomodo ſeligenda pro Phthiſicis. 447
Dolor punctorius duræ Matris, unde. 76
- orificii ſtomachi. 163, 167, ejus ſymptomata & cura. ib. conf. m. Cardialgia.
- ab acrimonia ſeri. 174
- Lateris pungens. 217
- lancinans membrorum. 275, vini potu exaſperatus. ib. & 280.
- Capitis conſtrictivus, & concuſſorius. 277, ejusdem & brachiorum Eryſipelatôdes. 585, 599, 602, 604
- Brachii à Fonticulo. 444. 445
- Oſteocopus, unde. 312
- Dorſi ab Ichore illabente in fiſtulam Medullæ ſpinalis. 39, 148
Dulcia comeſta hemicraniam exaſperant. 149. acrimoniam in ventriculo contrahunt. 150, interdum vertiginem movent. 287
Dyſenteria periculoſa, unde. 209, 210
- opiatis curata. 196
Dyſpnœa, 109, ejus vera cauſa. 114 conf. caſ. de Cephalæa c. Dyſpnœa. vid. quoque Aſthma.
Dyſuria à Veſicatoriis nimis diu relictis. 71

E

Ebullitionis ſenſus intra Cerebrum. 413
Ecſtaſis ab intenſis ſtudiis, &c. 208, 210
Ejectio cruenta à crebris & violentis Purgantibus. 150
Elæoſaccharum cephalic. 606, 607, 798

Electuarium cephalic. 162, 193, 199, 271, 290, 300, 308, 358, 393, 394, 401, 607, 693. 709.
- Cephalico-ſudoriferum. 706
- - antiſcorbutico-ſudoriferum. 763
- pro faucium ulcere. 953
- lenitivum. 299, 300
- contra Miaſma cancroſum è corpore expugnandum. 839, 840
- ſtomachicum. 253
- ſudoriferum. 971
Elixiviatio ſalium in corpore ex chylo, quomodo fiat. 441
Elix. Propr. Parac. in Vertigine non rejicitur. 293
Embrocatio Thermar. Fabarienſ. in Epilepſiâ, ambigua eſt. 622
Emetica in affectibus ſoporoſis, quomodo uſurpanda. 299, 301
Emollientia, quidnam in tumores cancroſos agant. 875
Emplaſtrum capiti impoſitum in Vertigine. 229
- Cucum. aſinin. Æginet. dolorem capitis mitigat. 360
- Williſii in ſtupore capitis, &c. cum fructu adhibitum. 227
Empyema, quomodo dignoſcendum. 109
Empyricus maniacos curans methodo extraord. 323
Emulſionum effectus in acore ſtomachi. 145
Enemata in convulſionibus Infant. proficua. 501, 502
Epigaſtrii dextri dolor & tumor. 150
Epilepſia à Vulnere capitis. 34, 36
- ejus paroxyſmi frequentes ac funeſti. 213
- à Vermibus. 569
- à Catalepſi. 573, 575
- ab Hemiplegiâ. vid. Hemiplegia.
- imminens; ejus hiſtoria. 581, cura. 582
- incipiens, deſcripta & reſoluta. 583 curandi methodus. 584, 585
- cum ſymptomatibus antecedentibus, concomitantibus & ſequentibus deſcripta. it. cura. 585-590
- cum Mania: ejus ſymptomata & cauſæ. 590, 591, 592, Reſolutio. 593 Prognoſis & cura. 594, 595, Mors à convulſionibus maniacis. 596
- cum ſymptomatibus hypochondriacis. 596-601, Reſolutio horum ſymptomatum. 602, idiopathicam eſſe probatur argumentis. 603, cauſa proxima *eſt ſerum acre intra cranium extravaſatum*. ibidem & 604 cauſa prædiſponens *quænam*. ibid. Prognoſis. ibid. & 605, indicationes curativæ. ib. Diæta VI. rerum n. n. 606. Medicamenta ib. & 607 Ulterior ſymptomatum, paroxyſmorum, ac ſtatûs morbi enarratio. ibid. & 608-623. medicamenta in uſum commendata. ib. & 624.
- cum Calculo ſeſſili: ſymptomata varia deſcrib. 624, cura proponitur. 625, 626
- per conſenſum: hiſtoria morbi 626-629, Reſponſio, de cauſis & natura morbi. ib. cura. 630
- - - alia in juvene. 631, curandi methodus. 632
- Hyſterica ſeq. Phthiſi. Relatio hiſtorica morbi. 632, 633, Analyſis ejus. ib. indicationes curativæ. ib. & 634, 635, 636, ſedes morbi. ib. ratio agendorum. 637, 638, ratio ſymptomatum. ib. & 639, 640, 641 prognoſis. ib. cura. *impr. quoad tuſſim*, &c. 642.
Equitatio calculoſis nocet. 148, 214
Erotomania; ejus relatio hiſtoria. 319 320, Reſolutio, ubi traditur ſedes ſeu

ſeu pars affecta; cauſa procatarctica; cauſa proxima, 321, Prognoſis & curandi ratio D. Groyan. ib. & 322, Reſponſ. D. Autoris, cum diagnoſi, prognoſi ac therapia, 323, 324.
Errhinum maximè celebratum. 252
- alia. 899
Erriphyſema. 844
Errores in diæta cruditates cumulant. 222
Eryſipelas Capitis. 314, 981, confer. Dolor capitis Eryſipelatôd.
- Tibiæ. 324, itid. à Fonticulis. 250. 445, 577.
Eſſentia diaphoretica. 260
Eſſere Arabum. 136, 138, 152, 156, 870
Exæſtuatio poſt paſtum, unde proveniat. 131
Excoctio humoris ſalſi in ſtomacho. 164
Excoriationes in corpore, ſanguinis acredinem denotant. 417
Externa anti-paralytica non multum proſunt. 707, cur? ibid.
Extracti Cathol. Parac. deſcriptio. 125

F

Faciei color critinus, &c. ſeri abundantiam in corpore arguit. 425
Faſcinum inane cum melanchol. 333
Fatuus Apoplecticus: ejus hiſtoria c. omnibus circumſtantiis recenſetur. 679-682, cultro anatomico ſubjectus examinatur. 683, 684
Faucium dolor à tuberculis. 112
- Ulcera. 951. quomodo curanda. ib. & 952, 953.
Febre continuâ defuncti cadaver apertum. 6
- - laborantes, quomodo curandi. 196, abuſus ſaccharator. eam rurſus contrahit. ibid.
- - inflammationes oculorum auferuntur. 863
- - detenti ſanguinem accenſum habent. 192, 443
Febris perpetua à ſanguine ebulliente. 108
- putrida linguam aridam comitantem habet. 116. putrida, & non putrida quosnam invadat. 454
- Ungarica. 190
- Catarrhalis. 429, 454, ejus quædam ſigna. 523
- Synochos putrida. 430, quomodo curata. ib. & 431.
- à nimio mœrore. 431
- frequens ſerum ſalſiſſimum & acre generat in corpore. 441, 542.
- intermittens, bili fomitem debet. 443
- lenta, cauſa ſuppreſſionis menſium. 640
- Ephemeræ natura & cura. 453
- Ephemera malè curata in Hecticam tranſit. 453
- intermittens quotidiana, ſ. tertiana duplex. 463
Febrilium ſymptomatum cauſæ quædam. 405
Febribus quænam corpora maxime ſint obnoxia. 453
Fermentatio ciborum in ventriculo. 160
- humorum eſt catarrh. cauſa. 452
- - in corpore exploditur. 702
Ficus Oculorum. 851
Fimi equini exhalationes nitroſæ, humores fundunt. 899
Fiſſuræ cranii lethales à caſu. 672
- - ſymptomata & cura. 23
- - quomodo explorandæ. 12
Fiſtula dentium. 735, confer. m. Dentis fiſtul.
- lachrymalis poſt Anchylopem malè curatum occaſione Odontalgiæ. 822, 823, Reſolutio. 824, 825, methodus curandi. ib. & 826.

 Flatu-

Flatus unde producantur. 156
- ſub cute non adeo facilè oriuntur, aut diſſipantur. 484
Fluor albus muliebris. 518
Fluxio quid propriè ſit. 452, 453
Fluxus cœliacus vaſa lactea obſtructa innuit. 117, 294
Fœcum alvinarum nimis diuturna retentio acrimoniæ humorum anſam præbet. 542
Fomentum ad cancros. 979
Fonticuli: ubinam proficui. 99
- in Hemicraniâ proſunt. 151, 175
- in qua parte excitentur commodius. 168
- in obtuſione capitis proſunt. 187 190, 192, 194
- in Hemiplegiâ. 758, 761, 771, 772 775, 782, 788
- in Vertigine. 222, 231, 244, 248 250, 255, 261, 277, 281, 286, 290 380
- in guttâ ſerenâ. 771, 868, 874
- in Memoriæ abolitione. 365, 367 382, 385, 388, 391, 398, in ejus defectu. 424, 455
- in Aurium tinnitu. 886
- in Auditûs difficultate. 889, 896
- in Catarrhis. 430, 445, ubinam excitandi. 461
- in Fœtore narium. 921
- in Ozæna. 926, 929
- in genæ Ulcere. 935
- in motibus convulſivis. 544
- in Affectibus nervinis. 482
- in Perturbatione ſpirituum animalium. 205, 207
- in Epilepſia. 577, 634
- in pedibus facti, quænam incommoda excitent. 445
Formicationis ſenſus per brachium ad laryngem uſque tendens, & loquelam intercipiens. 364, 365
Frictiones in Hemiplegiâ egregiè proſunt. 761, in Paralyſi non ſpernend. 707, in ſenſu formicationis extern. qualicunque proſunt. 208
Frigus cerebro inimicum. 202, 208
Fuligines an linguam exareſcant. 115 116
Fungi cerebri, quomodo aufferendi. 37
Furunculi in Fronte & Occipite. 108
- in habitu corporis. 171
- poſt aurem ſuppur. & curat. 179
- in variis partib. ſuppurati. 863

G

Gargariſmus adſtringens & refrig. pro Ulcere faucium. 953
Gelatina antiſcorbutica. 155
- cephalicis alterata. 290, 479, 513
- temperans in hæmorrhagia narium. 910
Gelatinæ in Macie tabif. proſunt. 124
- in Hemicraniâ præſcript. 139, 157
- in pertinaciſſimis generis nervoſi affectibus valdè proſunt. 513
Genarum abſceſſus: Hiſtoria morbi, cum mothodo medendi præcedanea. 929, 930, Reſolutio. 931, 932 cauſa proxima. ib. cura. ib. & 933 934, 935
Genæ ſiniſtræ ulcera fiſtuloſa cum dolore Arthritico: hiſtoria, Reſolutio & methodus curandi. 935, 936
Gingivæ tumidæ, atro-rubentes cum Arthritide vagâ. 947, 948, Analyſis ib. cura. 949, finis morbi funeſt. 950
- - à ſero. 309. 312
Glandulæ ad radicem linguæ. 115
- ſubcutaneæ. 45
- Bronchiales. 442
- Meſenterii obſtructæ in Tabidis & Hydropicis. 542
- pituitariæ uſus. 305, 306
Glandularum inteſtinalium humor unde proveniat. 118
- durities, unde. 23, 74, 121

- Meſenterii obſtructio catarrhorum cauſa eſſe poteſt. &c. 454, 460
- Axillarium tumefactio. 474

Glaucoma. 864
- cum vertigine tenebricoſâ. 304

Gonorrhœa quomodo curata. 196
- unde proveniat. 612
- virulenta. 689, 690
-- oleo olivar. manè epoto abacta. 170

Goſſypium auribus indendum in auditu gravi, quale. 899, 901

Gravitatis ſenſus in vertice, &c. memoriæ abolitionem præcedens. 363 367, id. Veſicatoriis aufertur. 368

Guajaci decoctum. &c. verè balſamicum eſt. 754

Guttæ roſaceæ hiſtoria. 973, 974, Reſolutio. ibid. cura. 975.
-- cum impetigine deſcriptio. 976 curandi methodus. 977

Gutta ſerena, unde producatur. 94, ejus diagnoſis. 865, curatur ſetaceo. 605, 740
-- Aliæ ejus hiſtoriæ 867, 868, 869 870, 871, 872, 373, methodus medendi. ibid. & 874.

H

Hæmoptöe. 496

Hæmorrhagia Narium: hiſtoria. 907 cura. ibid. & 908, Reſponſ. ibid. & 909, Prognoſis. ibid. curandi methodus. 910
-- alia hiſtoria. 910-913, Reſolutio, cum cauſis variis. ibid. & 914, 915 curationis modus. ibid.

Hæmorrhagiæ periculoſæ produci poſſunt per abuſum volatilium. 706

Hæmorrhoides ab uſu clyſterum tumefactæ. 99
-- cœcæ. 493, 494
- tumentes aut dolentes quomodo curandæ. 100, 393, 394, 395
- ceſſantes multa mala producunt. 609
- in Epilepſiâ convenienter aperiuntur. it. in Hypochondriorum dolore. 612, it. in obtuſione capitis. 194 it. in Hemicraniâ. 168, an in morbis catarrhoſis utiliter aperiantur? 461

Hæreditaria labes ſæpè morbi implicati cauſa eſt. 69, 85, 601, 604, 624

Helleboriſmus in maniâ commend. 328, 332, in melancholiâ. 336

Hemicrania externa: recenſio ſtatûs morbi & ſymptomatum. 125, 126
- cauſarum. ib. & 127, curæ, ib. & 128
- periodica: Mala eam prægreſſa. 129, ſedes in ſpecie explicatur, & reliqua ſymptomata diverſis temporibus obſervata, cum eor. cauſis. ib. & 130. Reſolutio dictorum. ib. & 131, indicationes curativæ, ibid. remedia. 132.
- alternatim nunc dextrum nunc ſiniſtrum latus occupans. 132, Reſolutio, cum cauſis & cura. 133, 134
- ſæva: recenſio ſtatûs morbi & hactenus applicatorum. 134, 135, Reſolutio caſûs, & vera ſedes mali. ib. curandi methodus. ib. & 136.
- ſeq. Βαρυηκοΐα, prægreſſo Eſſere Arabum: ſymptomatum decurſus enarratur. 136, 137, Reſolutio, circa cauſas & curandi method. 138 139, 140
- cui Parotis ſupervenit: ejus cauſæ, ſymptomata & cura. 140, 141, 142 143
- poſt iteratam puncturam ad deponendam catarrhactam. 143, 144, cura. ibid. & 145, 146.
- & cervicis dolor mirus: ſymptomata prægreſſa, concomitantia. 146 147, nocentia & juvantia adhib. ib. aliæ circumſtantiæ notatu dignæ. ibid.

ibid. Reſolutio de ſtatu totius morbi. 148, variæ cauſæ morbi complicati indicantur. ib. curandi methodus per acidulas, &c. ibid.
- cum aliis affectibus, *tam præcedaneis, quàm comitantibus.* 148, 149 Reſolutio, ubi traditur cauſa proxima. &c. ib. & 150, Prognoſis & cura. 150
- - - ſymptomatibus, *tùm prægreſſis, tùm concomitantibus.* 150, 151 Reſolutio caſûs, cum cauſis & curandi methodo. ibid.
- - ſymptomat. hypochrondr. 152, 153, remedia, quænam hactenus uſurpata. ibid. porrò præſcripta à diverſis Medicis. 154, 155, Reſolutio. totius caſûs. ibid. & 156, cura ulterior. ibid. & 157.
- - affectu hypochondriaco: hiſtorica relatio ſymptomatum. 158, 159, Reſolutio, ubi deſcribuntur loca affecta & cauſæ proximæ variorum horum ſymptomatum. 159 160, 161, 167, methodus medendi, proponitur. 161, 162, 163, Relatio de ſtatu valetudinis ulteriore. 163 164, 165, Reſponſ. medic. 166, 167 indicationes curativæ ſubjunctæ. ib. & 168.
- cum ſymptomatib. Venereis. 168 169, 170, Reſolutio cum cauſis & curandi methodo. ibid. & 171.
- funeſta cum Scrophulis, ſubjunctâ Anatome: ſymptomata antecedentia, & comitantia. 172, 173, Reſolutio, ubi traditur ſedes & cauſa proxima. &c, 174, Prognoſis. 175, indicationes curativæ & remedia. ib. Diæta, quænam obſerv. 176, Ulterior valetudinis ſtatûs deſcriptio. ib. 177, Omnium deterioratio. 178 179, 180, Deſcriptio accurata totius morbi & ſymptomatum ad mortem uſque. 181, 182, Anatome 182 183, 184.
- ab obſtructis naribus. 94
- à ſero acri. 106
- cum Ophthalmiâ. 858

Hemiplegia poſt perturbationem mentis. 214
- per conſenſum. 265
- poſt Febrem Petechialem. 740
- in puero, iterum curata. 656
- à vomitu valido in colica Nephritica. 421
- ſymptomat. præced. & ipſam invaſionem comitantia. 759, cura. 760, Reſolutio, cum Diagnoſi & Prognoſi ac Therapiâ. 761.

Hemiplegiæ principium: deſcriptio ſymptomatum antecedentium & comitantium. 757, Reſolutio, cum locis affectis & curandi methodo. 758, 759
- caſus recenſetur. 762. Conſil. exhibitum. ibid. cauſa proxima, Prognoſis & cura. ibid. & 763, 764, 765
- ſtatus & invaſionis morbi recenſio 766, 767, Analyſis ib. cauſæ, cum indicationibus curativis & remed. 768, 769, Diætæ obſerv. 770.
- Alia hiſtoria. 771, 772, Reſolutio & cura ibid.
- ſymptomata, tùm præcedanea, tùm comitantia, tùm conſeq. 773, 774, Reſolutio cum cura. ibid. & 775.
- Alia hiſtoria. 775, 776, Scholia ib.
- - - 777, 778, indicationes curativæ. ib. & 779, Ulterior ſtatûs morbi recenſio. 780, 783, 784, 785, Reſponſum. 781, 782, 783, Reſolutio recenſion. ibid. & 785, 786, indicationes curativæ, ib. remedia 787-792, Memoriale de ulteriore valetudinis

tudinis ſtatu. 793, 794, Reſponſ. ad hoc Memoriale. ib. 795, Prognoſis. ibid. cura lactis rurſus commendatur. ib. & 796.
- ſpecies mira. 796, 797, Reſolutio. ib. Medela. 798.
Hemipleg. lateris ſin. cum motu convulſivo poſt Hemicraniam: deſcribitur quoad ſymptomata & curam jamjam adhibitam. 798, 799, 800 801, 802, cauſa proxima. ibid. cura. 803, Ulterior ſtatûs morbi & geſtorum enarratio. 804, 805.
- ſequente Epilepſiâ: hiſtoria morbi. 805, 806, cura. ibid. Ulterior enarratio. 807, 808, Reſolutio, ib. indicationes curativæ. ib. & 809, Ulterior relatio de ſtatu morbi. ib. & 810, cura Epilepſiæ ſuperventæ. ib. Ulterior recenſio ſymptomatum ad mortem uſque. ib. & 811.
- poſt Apoplexiam prægreſſâ hemicraniâ. 811, 812, Reſolutio ib. & 813, cura. ib. & 814, Ulterior relatio de ſtatu morbi, deque operatione medicamentorum. 815, 816.
- cum loquelæ vitio. 816, 817, Reſolutio & curandi method. ib. & 818
- prægreſſo aſthmate. 818, Reſolutio. ib. Prognoſis & cura. 819.
- ſeq. cachexiâ: hiſtoria morbi. 819 820, Analyſis ſymptomatum, & curandi method. 821, 822.
Hepatis abſceſſus. 183
- magnitudo ſtupenda. 45
- obſtructio non gignit vertigin. 288
- - quomodo dignoſcenda. 117
Hernia inteſtinalis. 263
Hirudines quid præſtent. 77, iidem poſt aures applic. in Phrenitide proſunt. 315, it. in Hemicraniâ. 146, Hypochondriacis magis proſunt quàm V. S. 455. Ano applic. in Vertigine commendantur. 299.
Horror febrilis, &c. à perluſtratione ſcriptorum ſitu contractorum. 184 187, 189
Humores acres non ſemper producunt motus convulſivos. 540, A quibusnam cauſis generentur & cumulentur in cerebro. 541, 542.
- intra cranium gravantes, quibusnam ſignis dignoſcantur & quomodo iis medendum. 369, 379.
- melancholici quomodo edulcorandi. 342
Hydragoga. 252
Hydrocephalus, *in puello 5. annorum infeliciter ſectus à quodam Chirurgo.* 49
- *ſeptem menſ. cum ſymptomatibus per 5. menſ. ad mortem uſque durantibus.* 50
- *in fœtu præmaturo.* 51, Anatome. 52
- - *puella 8. ſeptimanar.* 52, convulſionibus emortua. 53
- - *fœtu mortuo enixo.* 53, Anatome. 54, 55, 56
- - *in infante 4. ſeptimanarum mortuo brevi poſt.* 56, 57, Anatome. 58, 59
- - *puellâ 24. ſeptimanar.* 59, Anatome. 60
- - - *quinquenni valdè monſtroſus.* 61
- cum ſenſuum integritate. 541
- ſeq. vertigine titub. vid. Vertigo.
Hydrops imminens. 114, 862
- product. ab Acidulis. 117
- - à perverſâ lactis curâ. 636
- ſæpe curatur ſudoriferis. 511
- cerebri 251, 359, vid. etiam Hydrocephalus.
- à frequentibus Hæmorrhagiis. 853

Hydropici ab acrimonia ſeri vix convelluntur. 540, 541
Hypercatharſis quomodo ſiſtatur. 702
Hypochondriaci clyſteribus abutentes copioſos & lentos humores in inteſtinis colligunt. 118
- purgantia non ſemper ferunt. 406
- quibusnam plerumque morbis occumbant. 409
- difficulter curantur. ibid.
Hypochondriorum affectiones ſunt rebelles. 65, earum prima rudimenta. 160, 161, eis ſimilia ſymptomata. 417, proveniunt ſæpe à ventriculo. &c. 609, ab humorum falſugine &c. 114, quomodo compeſcantur. 87, 203
- Obſtructiones, unde. 117, quomodo dignoſcendæ ibid. & 206, 210.
- ſtrictio. 219, eor. dolor. 245.

I

Ichoris effluxus per capitis vulnera, convulſiones, &c. avertit. 39
Icterus oritur à bile corporis habitum pervadente. 108
- à comeſtâ coxâ bufonis. 417
Ictus in vertice cephalalgiam & Paralyſin produxit. 533
Jejunium diuturnum bilem acuit. 168
Impedimenta aeris effluxum ex auribus remorantia, quænam. 882, 885
Impetigo faciei & vari: relatio hiſtorica 966-968, Reſponſ. med. 970. methodus med. 967, 968, 971, 972, 973
- frontis. 690, 692
Impotentia brachii dextri *à morbillis proveniens.* 737, 738, 739, Conſilium medicum, *in quo impedimentum principale* indicatur. 739, 740 741, 745, cura. 742-746
- Inceſsûs: eamque præcedentia & comitantia ſymptomata. 747, 748 Reſolutio. ibid. cauſa proxima. 749 753, contra-indicantia & convenientia. ibid. Ulterior ſtatûs morbi deſcriptio cum Reſponſo. 750-753. alia ſtatûs morbi enarratio. 754, reſponſum aliud ib. & 755.
Incubus fortior. 259, ei affinis affectus. 204
Inflammationis ſympton. ſigna. 875
Infuſum laxans mitius. 522
Inſomnia inquieta à cruditate humorum. 160
Intemperies viſcerum calida acres humores generat. 63, 77, eadem quidnam ad vertiginem contribuat, &c. 298, quomodo emendanda. ib. & 299, ead. catarrhos cauſat, &c. 433 443, quomodo corrigenda. 433.
Intertrigo. 396
Inteſtinum Ileum in pectoris cavo repertum. 45
Inteſtinorum concretio p. n. in Herniâ. 17
Intumeſcentia in ſuffocatis. 39, unde. 40
Inuſtio cum lapide cauſtico in dorſum in Phthiſi imminente laudatur. 455
Ira & mœror Hemicraniam accelerant. 147, itid. Ira & terror. 153
Irritatio nervor. quidn. producat. 539
Iſchuria. 181, 182
Italica methodus præſcribendi catarctica. 456
Julepus refrigerans in ulc. fauc. 953
Juſcula ſanguinis acrimoniam emendantia, quom. paranda. 139, 154, 155
- cephalica. 211, 228, 247
- herbis ſanguin. purific. alterata. 353

L

Labii ſuperioris & naſi ulcus ſerperns; deſcript. & curat. 942
Lac Aſinin. prodeſt in Cephalæa, &c. 108, 109. In Tuberculis Faucium. 112,

112, 113, in Catarrhis frequentibus. 434, 436, 437, 438, in catarrhis ad Phthiſin tendentibus. 447, 449. 458 cur tabidis præſcribatur? 453. ejus curam in Podagrâ & Catarrhis, *vinum* depravat. 462, 468, prodeſt in doloribus artuum lancinantibus, &c. 275.
Lactis caprini ſerum *cum ſuccis herbarum antiſcorbutic.* obſtructiones reſerat. 68, idem *cum herbis ſanguinem edulcorantibus* in melancholiâ prodeſt. 342, 344, 345, idem *plantis refrig. temperatum* in affectibus convulſivis prodeſt. 488.
- - - alcali volatili turget. 322. idem commendatur in Erotomaniâ. ibid.
- Cura tollit Podagram. 109, 447, 513, 577, 792, 794, 795, it. ſpaſmos flatulentos 577.
- - in Epilepſia ambigua. 577. in eadem proficua. 632, 636, 638.
- - in Hemiplegia. 782, 792, 795.
- - non ſemper prodeſt in doloribus capitis. 105, in Hemicraniâ ſeq. contabeſcentiâ, benè tolerata. 178, Pulmonibus prodeſt. 438, Maſſam ſanguineam emendat. 465, Colicam biliosam cum horrendis convulſionibus ſuſtulit. 513
- - quânam methodo adhibenda. 513, eam præcedens præparatio qualis eſſe debeat. ibid.
Lac naribus attractum Cephalalgiam mitigat. 81, 157, mucos craſſos reſolvit. 199
- reprimentia medicamenta. 73
- retropulſum ſymptomata hyſterica renovat. 72
- ejus defectus poſt partum à matris mœrore. 43
Lachrymæ multæ labefactant cerebrum. 311, 312
Laconica in Hemiplegiâ non conveniunt. 818
Lapicidæ Phthiſi mortui. 444
Lapilli in Glandulâ pineali reperti. 672
- intra Pulmones, quid pariant. 110
Laryngi incidentes liquores in Paralyſi, ſuffocationem intentant. 16, 21
Laſſitudo ſpontan. à vaporibus è fodinâ cæmeterii provent. 184, 187, 189
Lien ſanguinem non fermentat. 77, 161 306, 311, Ventriculo vel Cerebro nihil tribuit. 161, 346, habet ſanguinem ut reliq. viſcer. &c. 288, ſanguinem præparat ad ſecretionem bilis in Hepate. 118, 311, ejus affectus ſunt rebelles. 65.
Linguæ mucoſitas. viſciditas, ariditas à ſanguine fervido. 115, 116.
- ariditas à ſecundinis corruptis 116 it. ab Eryſipelate Tibiarum. ibid. it. ab hauſto butyro fervido. ibid.
- Siccitas, unde. 420
- Tumor cum folliculo. 950
Linimentum contra Nephritidem. 422
- ophtalmicum D. Autoris. 809
Liquor cephalicus in perturbatione cerebri utilis. 201
- antiepilepticus. 510
Lochia aquis deſtillatis promota. 828
Loquelæ interceptio à vulnere Capitis. 36, 37
- imminutio à ſeroſâ colluvie, *notatu digniſſ.* 62, 64.
- Impedimentum. 713, 714, Reſp. medicum, ubi enumerantur cauſæ & locus affectus. 714, 715, Prognoſis & Cura. ibid. & 716, 717, Aliud Conſilium à Medicis Bavaricis ægro exhibitum. 718, 719, 720, 721, Cura morbi, & recenſio ulterioris morbi ſtatûs à pag. 721-729.

- peculiare vitium, *cum variis ſymptomatibus, loco affecto, & methodo curandi.* 729-737.
- Vitium aliud. 389, 390
- - cum Hemiplegia. vid. Hemipleg.
- - & linguæ gravitas, unde. 380
Lues frigida. 120
Luis Venereæ ſigna. 689, Cura ejusdem. 690-693. eâ affecti, quales habeant humores. 955, 956, quomodo tractandi. 956, 957.
Lumbago poſt Hemicraniam ſedatam ſalutaris. 534
- cum Febre continuâ. 196
- ejus quædam ſigna diagnoſtica. 629 it. 210, 220, 276, 753, ejus cauſæ & cura. 99, 108.
Lumbrici lati Excretio. 234
- - quomodo ſit promovenda. 238 eadem purgante facta. 239, 240
- - Vertiginis & Cephalalgiæ cauſa eſſe poſſunt. 230
Lymphæ acrimonia in corpore, unde. 203, quomodo mitiganda. ibid.
- paucitas in ſanguine non eſt argumentum, quod illa non poſſit alicubi in corpore ſtagnare. 312
- redundantia, quibusnam abſorbeatur. 352, quænam ejus redund. ſigna. 305, 761, quomodo corrigenda ac diſcutienda. ibid.
- revulſio à cerebro, quâ ratione fiat. 289
- ſtagnatio intra cranium, quibusnam ſignis dignoſcatur. 710, quibusnam remediis curetur. 862. 863
Lupi & canes, cur æquè hyeme ac æſtate rabidi fiant. 541

M

Maciei cauſæ, quænam. 444
Macies ingruens cum febre, quomodo tractanda. 124
Mammæ areæ impetigo, quomodo curetur. 216
- cancroſæ ablatio & conſolidatio. 840
Mandibulæ inferioris fragor, unde. 720
Maniæ hiſtoria. 324, 325, Reſolutio, cum diagnoſi, cauſis & indicationibus curativis. ibid. & 326.
- - alia. 327, 328, & 329, 330, curandi methodus. ibid. & 329, 331, 332
Manna pectori amica eſt; ejusque humores ſeroſos bene purgat. 456.
- quænam habeat incommoda; & quomodo adulteretur. 461
Maraſmus ſenilis oritur ab humidi radicalis defectu. 192
Martialia in vertigine titubante cum motibus convulſivis commendantur. 274
Maſſæ ſanguineæ acrimonia, quomodo temperanda. 433, 434
Maſticatoria, qualia in Hemicraniâ proſint. 175, in vertigine. 229, 253 in auditu gravi. 899
Maturantia abſceſſus. 875
Maxillæ infer. caries cum carne fungoſâ gingivæ. 938, 939, Reſponſ. D. Autor. ad caſum propoſitum. ib. & 940, curandi methodus. ibid. Ulterior relatio. ibid. & 941, Reſponſum. ib. & 942.
Medicamenta caput roborantia. 142
- quænam in Erotomaniâ commendanda. 322
Meditationes intenſæ, &c. dilatant cerebri poros. 358, eosd. relaxant. 202
Medullæ ſpinalis afflictæ ſigna. 753
- - debilitas contrahitur à Vener. 692
Melancholiæ hiſtoria *in Sene.* 332 333, 334, varia concluſa medica ſuper hunc caſum, cum indicationibus curativis 334-338.

- - *in*

- - *in Juvene* 18. *annor.* 339, 340 Conſilium à Cl. Autore exhibitum. 341, 342
- - *in Viro* 52. *annor.* 343, Scholia in hunc caſum, cum methodo curandi. 344, 345
- - *alia* 345, 346, Conſilium medicum cum indicationibus curativis & remed. ib. & 347, 348.
- - - *Viri* 46. *annor*, 349, Reſolutio cum remediis. 350, 351.
- - cum ſuffocatione ab utero. 351 352, Conſilium cum methodo medendi ac remediis. ib. & 353. victûs ratio. 354.

Meliceris. 934

Membrorum impotentia. 650, Unde oriatur. 651

Memoriæ hallucinatio. 214, ejus ſedes, ubinam? 425, ejus debilitas, an à fibrillis cerebri ſiccatis? 815.
- abolitio: ſymptomata eam prægreſſa & concomitantia. 363, 364 Analyſis, demonſtrans ſedem, cauſas remotas & proximas, cum Prognoſi & curandi methodo. 365-367 Analyſis ulterior cum curâ. 369 370, 371, ulterior ſtatûs morbi deſcriptio cum remediis. 371-378, Analyſis. ib. & 379, Cogitata Autoris ſuper hunc affectum. 380, 381, mors tandem, prægreſſâ Hemiplegiâ. ib.
- - Alia deſcribitur unà cum methodo medendi. 381, 382
- abolitio cum Epilepſia. 382, 383 medendi ratio. 384, 385, ulterior ſtatûs morbi deſcriptio. 386, 387, analyſis cum indicationibus curativis. ib. & 388.
- & locutionis vitium. 389, 390, Reſolutio. ibid. medendi methodus. 391-396
- abolitio ſequente Melancholiâ. 396 397, 398, Reſolutio hujus morbi, ubi traditur locus affectus, cauſa proxima (conf. pag. 414,) prædiſponens, cum ratione agendi. ibid. & 399, 400, Prognoſis & indicationes curativæ, ib. remedia. 401, 402, ulterior morbi deſcriptio. ib. & 403 404, Reſolutio ulterior. ibid. Prognoſis & Therapia. 405, 406, Conſilium aliud. 407-411 ulterior valetudinis deſcriptio. ibid. & 412, 415 416. Reſolutio. 413, 414, methodus medendi. 415, conſultatio de curâ ulteriore. 417, mors poſt ſanguinis ſputum. 418.
- defectus ejusque recidiva præced. Nephritide cum Podagrâ & Hemiplegiâ. 418, 419, analyſis morbi. 419 420, 421, Indicationes curativæ. ib. & 422, 423, 424, ulterior recenſio ſtatûs morbi. ib. & 425, Reſponſ. ib. & 426, Progn. & cura. ib. & 427, 428
- abolitio ab Epilepſia. 586
- imminutio à ſeroſa colluvie. 62
- - à Cephalalgia vehementi. 81

Meningis duræ affectus per conſenſum, quomodo diſcernendus. 174
- - inflammatio. 142

Meningum accretio Cephal. cauſa. 21
- affectus quâ ratione diſcernendi. 76 79, 92, 159, 174
- nimia impletio. 92
- coalitus. 182, quid gignat. 93, 94 151, unde fieri poſſit. ib. an ſit curabilis. 95
- obſtructio. 101, 102

Menſium retardatio ſymptomata hyſterico-convulſiva auget. 73
- fluxus Cephalæam levat. 107, morbos convulſivos dijudicat. 561, 562 564
- tempore fermentatio quædam in ſanguine fit. 150

- obſtructio. 495, 496
- decoloratio à frequentibus partubus. 761
- provocatio per V. S. in pede. 238
- excretio per quænam medicamenta promovenda. 514, 522, nimia, quomodo ſiſtenda. 548
Mercurius in Calvariâ repertus, etiam ab externâ inunctione. 176, 255, 691 956
- nervoſo generi inimicus. 176, 198 255, 279, 632, 692, in doloribus artuum noxius. 275, aurifabros reddit tremulos. 255, 280.
Mercurii dulcis uſus in Cephalæâ. 120 121, an in macie ingruente tutus? 123, 124
Mercurius præcipitatus benè digerit. 877
Mercurialia & vener. in Hemicraniâ ſæpe noxia. 168
Menſenterii obſtructiones, &c. non ſunt cauſa vertiginis. 294
- - quomodo tractândæ. 403.
Mictio copioſa Catarrhoſis interdum evenit. 442, ſuſtulit Catarrhum ſuffocativum. 646.
- cruenta. 229, 733
Millepedes tabido exhibitæ, quemnam habuerint effectum. 180
Minium in exulcerationibus capitis, cur non tutum. 964
Mixtura antiſpaſmodica. 482, antiſpaſmodico-ſudorifera. 490
- Cephalica. 302, 382, 393, 395
- Cordialis. 233, 512, 307
- Diaphoretica. 512
Mœror inſanus, quomodo curatus. 318
- Obtuſionis Capitis cauſa. 187
- in Vertigine nocet. 272
Mola ex utero extracta. 73
Morbi nervini refractarii 577, 580 conf. etiam nervoſi affectus.
Motus convulſivi Hyſterici. 554, *excitantur à ſero ſalſo.* 555, *irritantur ſæpe à Balneis.* 556, quibusnam curentur. ibid.
- - Epidemici. 556, *eorum cauſa ab uſtilagine frumentorum.* 557, *terribilia ſymptomata & mortis genera in hominibus & brutis.* 558.
Moxa crudelem Capitis dolorem ſopivit. 81, 103, 175. 177
- in Gutta ſerena uſurpata. 868
- in Vertigine gyroſâ utilis. 238
Mucus an è faucibus per Laryngem delabi poſſit? 442, ejus ſecretoria. 441, 442
Myſtagogus Melancholicum perfectè curavit. 338

N

Narcotica in obtuſione Capitis abhorrenda. 190
Nares humidæ redditæ per applicationem veſicatorior. ad Tibias. 178
Narium Fœtor deſcribitur. 920, 922 Reſolutio traditur. 921, 923, indicationes curativæ. 921, 922, 923
- Hæmorrhagia. vid. Hæmorrhagia. Ceſſans, quænam interdum mala poſt ſe trahat. 186, 187, 188
- Obſtructio. 917, Reſolutio hujus morbi. 918, curandi methodus. 919 920
- Stillicidium. 147, 152
Naſi calculus: ejus morbi deſcriptio. 905, calculi extractio. 906.
Nephritidis quædam indicia. 148, 164 216, 420, 686, 795
- Cura. 216, 422, 423, 688, per Thermas Fabarienſes. 773
- à Diureticis nimis acribus productio. 897
Nervi, quomodo trahantur. 701
- Paris vagi circa originem ſuam vellicati indicia. 237

Nervo-

Nervorum conſenſus ſæpe mala paralytica efficit. 687
- ſtructura qualis. 638, 704
Nervoſi affectus curatu difficiles. 65 238, 280. 474, 508, 594, 685, 692, 736, 740, 749, 765, 766.
- generis roboratio, quibus perficiatur. 237, 281, 481, 489, 490, 509, 510, 514, 768, 821.
- Tubuli, quomodo queant oppilari. 237
Nodulus anti-hyſterico-ſpaſmodicus. 485
- in Vertigine proficuus. 252, 271

O

Obauditio à vehem. percuſſione. 844
Obauditionis aliæ binæ hiſtoriæ cum Analyſibus & curandi methodis. 900, 901, 902, 903.
Obſtructiones viſcerum quomodo reſerandæ. 513
Obtenebratio ſpirituum. 252
Obtuſio capitis poſt nonnullos morbos. 352
- Cerebri; varia prægreſſa ſymptomata & morbi perpeſſi deſcribuntur. 196, 197, Conſilium medicum traditur. ibid. cauſæ internæ & externæ indigitantur. ibid. & 198, curandi ratio. ibid. & 199.
Oculi dextri Cancer exciſus, poſtea recrudeſcens lethalis; hiſtoria morbi. 827, 828, curandi methodus. 829 ulterior morbi hiſtoria. ib. judicia varior. Medicorum. 830, 831, curandi ratio à Clar. Autore adhibita. ibid. & 832, 833. Judicium ſuper pernicioſam curam Chirurgi. ibid. & 834, præparatio ad ſectionem; ipſaque operatio. 835, ſtatus rei poſt ſectionem. 836-839, Reſolutio. ibid. Cura palliativa. ibid. & 840, deſcriptio ulterioris morbi ſtatûs & remediorum adhibitorum. 841, Reſp. 842, ulterior deſcriptio ſtatûs morbi. ibid. & 843, Prognoſis. ibidem mors ſuperventa. ibid.
- Corrugatio præternat. unde. 22
- Dolor à conſenſu duræ Meningis. 126, 127
- Fungus *à clavo ignito, Fabro in oculum proſiliente*; dextrè curatus. 826, 827
- Nubecula quomodo aufferend. 865
- Procidentia; hiſtoria mali. 843-846 Reſolutio. ibid. & 847, 848, varia exempla analoga. ibid. Tumoris ipſius natura & origo. 849, 850, cauſa prolapſûs oculi. 851, Prognoſis. ib. indicationes curat. ib. ulterior ſtatûs rei deſcriptio. ib. & 852, 853
- Robur ab Epilepſiâ. 589
Oculorum convulſiones, unde. 21
- Dolor pungitivus. 62
- Flavedo obſtructionem Hepatis arguit. 420
- Obſcuratio. 303
- Obtenebratio momentanea in capitis obtuſione. 186, 188, 191
- Pruritus. 313
- Tumores occulti, quomodo ſenſim ſoleant generari. 849, 850
- Variculæ. 849
- Vibratio. 309
Oculos clarificans remedium. 855, 856
Oculus ſclopeto ex orbita truſus. 27 28, 33
Odontalgia, unde oriatur. 86, 88, 133 138
- quomodo curetur. 138, eam curans pulvis. 88
Oedema pedum. 357, 862
- - & genuum Hemiplegiam præcedens. 759, 760
Olea deſtillata cariem augent. 958
Oleum Juniperi vulneribus inimicum. 32, 33

Olfactûs deperditio à frequentibus doloribus capitis. 147, it. à vomitu frequenti & catarrhis. 148
Omphalocele. 860
Ophthalmiæ cauſæ. 133, 857, Cura. 134, 152,
Opiata in nimiâ ferviditate ſang. nocent. 116, nimis freq. uſurpat. vires proſternunt. 354, in delirio phrenitico commendantur. 315, Maniacis proſunt. 324.
Opiſtotonos. 213, 497, 551
Opium, an ſit calidum. 576
- interdum inordinatum ſpirituum motum excitat. 520
Opobalſamus, quemnam præſtiterit effectum in doloribus lancinantibus membrorum. &c. 275, 280
Optici Thalami ſæpe vertiginis tenebricoſæ cauſam continent. 305, 310
- - ab humore heterog. obſeſſi. 218
Oris Tortura, unde orta, & quomodo curata. 696, 697, 698
- Contorſio à Paralyſi. 698, Methodus medendi. ib. & 699, Conſilium aliud. ib. & 700, Notæ & dubia, hoc Conſilium ſpectantia. 701-703, Proximior mali cauſâ & ſedes. 704, Method. med. ulterior. 705-707, Diæta ib. Alia conſilia ſuper hunc caſum. 708, 709, Reſponſ. D. Schröckii ad hæc bina conſilia. 710-712, aliud Conſilium Româ miſſ. ibid.
Oſſicula duo p. n. Meningi falciformi adnata, prope criſtam Galli in cranio reperta. 182, aliud in corpore falciformi, pertinacis Cephalalgiæ cauſa. 94, alia p. n. in botio ad latera Laryngis reperta. 684
Oſſis Frontis friabilitas. 18, unde producebatur. 21
- - duplicatura Materiâ ſeroſâ ſcatens. 131, 132
Oſſium carioſorum deſquamatio, quibusnam fiat. 823
Ova in ovariis, an ad motum convulſivum ſymbolum conferant. 498, 499, 520
Oxyſaccharum emeticum in vertigine commendatur. 292
Ozæna, ſeu potius cruſtæ Narium. 923, 924, Reſolutio hujus morbi. 925, 926, Prognoſis & cura ibid.
- Alia: ejus hiſtoria. 927, Reſponſ. Medicum. 928, Cura. ibid. & 929

P

Palpebræ inferioris Emphyſema. 844
Pancreas durum & ex parte cartilagineum in Apoplect. repert. 17, 19
- - à Thermis. 19
- - Vomitûs cauſa. 19
Paralyſis à vulnere capitis. 36, 37
- Ejus Prodromi. 686, variorum ibi occurrentium ſymptomatum cura. 687, 688
- Poſt luem vener.: Recenſio variorum ſymptomatum prægreſſorum. 689, 690, cura. ibid. & 691, Reſolutio. 692, Cura ulterior. 693, 694
- Oris, invaſionis modus & ſymptomata. 694, 695, Reſolutio cum cauſis, Prognoſi & cura. ibid. & 696
- Fœmorum, eam prægreſſa ſymptomata, & cauſæ. 755, quomodo curanda. ibid. exactior rei ſtatûs deſcriptio. ibid. & 756, Reſolutio. ib.
Paralyſeos ſpecies omnes curatu difficiles. 708
Paregorica convulſiones ſiſtentia. 521
Pareſin minitans affectus quibusnam phænomenis dignoſcatur. 481
Pareſis ab Epilepſiâ. 601
- ex Colicâ dolorificâ. 537, 863
Parotis, 141, 178, 179
- Hemicraniam levavit. 141, 143
- emollita & aperta, quomodo. 141 142

- cancro-

- cancroſa ſeu ſcrophulæ cancroſæ poſt aurem dextram. 878, quomodo tractandæ. ib. & 879.
Parotidis hiſtorica relatio. 874, 875 Methodus medendi. ib. & 876, 877 878
Parturitionis nixus fortiores producunt ſeri abundantiam; indèque pendentes morbos exaſperant. 98 289
Partus difficiles, vaſorum cerebri dilatationem efficiunt. 246
Pectoris miranda & inaudita contenta in fœtu monſtroſo. 45
- debilis ſigna pathognomonica. 433
Pectus novem libras continens. 184
- à frequentibus catarrhis debilitatur. 433
Pediluvia in Hemicraniâ non ſpernenda. 175, in vertigine titubante proſunt. 250, 252
Pedum frigus extraordinarium. 747
- Intumeſcentia. 314
- Stupor. 753
Perfrigeratio vertiginis cauſa. 256
Perſicariæ ſuccus, ulcus cancroſum curavit. 842
Perturbatio cerebri. 200, ſymptomata enumerantur & ratio hactenus uſurpatorum, cum cauſis morbi & curandi methodo. ib. & 201.
- - ejus ſymptomata, tùm antecedentia, tùm concomitantia. 201, 202, Conſilium medicum cum curâ. ibid. & 203.
- Spirituum animalium intra cranium: antecedentia. 203, 204, concomitantia ſymptomata. ibid. Reſolutio. 205, curandi modus. ibid. ulterior rerum ſtatûs deſcriptio. ibid. & 207, ſedes morbi proximior indigitatur. 206, Cura. ibid. & 207
- - - ſequentibus Epilepſiâ & Apoplexiâ funeſtâ: varia ſymptomata deſcribuntur. 208, 209, Reſolutio traditur. 210, cauſæ enumerantur. ibid. Curationis methodus proponitur. ibid. & 211, 212, 213, ſymptomata epileptica & apoplectica funeſta. 213, 214.
- Mentis: ejus varia ſymptomata. 214, remedia, quænam adhibita. 215, Reſolutio. ibid. cauſa proxima. ibid. curandi ratio. 216, mors ſuperventa. 217.
- quædam Vertigini ſimil. 217, modus invaſionis deſcribitur & variæ cauſæ occaſionales. ib. & 218, Reſolutio, ubi oſtenditur quâ ratione talis perturbatio fieri poſſit. ib. Prognoſis, ibid. Cura. 219, Ulterior ſtatûs morbi deſcriptio. ib. & 220, 221 Medulla cerebri affecta creditur, hinc Cephalica exhibita. 220, Reſponſum medicum. 221, cauſæ exacerbationis mali, Prognoſis ac Therapia. 222, 223.
Peruviani corticis uſus in vehementiſſimâ Cephalalgiâ. 110
Phantaſiæ contaminatio, unde. 380
Phantaſma de morte ſubitanea demtum. 318
Pharyngis Paralyſis. 820
Phrenitis à rhabarbaro. 314, 315, 316
Phrenitide mortuus Helmontius. 703
Phthiſeos imminentis ſigna. 641, ejusdem præſentis ſigna pathognomonica. 444
Phthiſis pulmonalis duplex. 437
- ab ariditate, an detur? 444
- quomodo curanda. 446, 452
Phthiſicis, ſpecif. antihect. Pot. valdè prodeſt. 438, 446
Pilulæ abſorbentes & ſpiritus inſtaurantes in Melancholiâ. 353
- Aloeticæ non raro hæmorrhoides aperiunt cum levamine. 282

- anti-

- anti-epilepticæ. 577, 582, 584, 586 588
- aperientes ac diureticæ. 512, 862
- aperientes & ſanguinem edulcorantes 274
- caput roborantes. 249, 261, 266, 293
- cephalicæ alterantes. 211, 227, 228 232, 427, 479, 652
- - purgantes. 131, 194, 247, 249 254, 261, 283, 307, 385, 388, 393 426, 476, 482, 688, 716, 765, 774 874, 889, 903.
- Matthæi in obtuſione capitis non ſemel cum ſucceſſu uſurpatæ. 195
- Mercuriales. 957

Pinguia Cranio denudato obſunt. 41

Piſum in aurem illapſum, Paralyſin illius lateris effecit. 687

Plethora, quomodo imminuatur. 145

Pleuritici affectûs Hiſtoria. 523, 524 526, Cura. 525.

Pleuritis crebrior, Pulmonis cum Pleurâ coalitum cauſat. 94
- poſt motus convulſivos. 523

Podagra. 418, 419, 426
- mitior, à gravioribus partium principum morbis præſervat. 421
- - purgantia fortiora non fert. 421
- Hemicraniam prægreſſa in fœmina 48. annorum. 133

Podagricis V. S. nocet ex mente Dn. Du Clos. 792

Polypi, quales creent moleſtias. 119
- in cordibus Apopl. defunctorum. 18, 684

Polypus Narium ferro candente uſtus & extractus. 826
- - deſcriptus & poſtea quoque extractus. 903, 904, 905,

Pori Cerebri, quâ ratione reſerandi. 415

Potio purgans pro Catarrhis avertendis. 432, in Erotomania. 321, in mania. 331, in Melancholia. 342.

Principium nervorum irritatum varior ſymptomatum hypochondriacorum cauſa exiſtit. 63

Ptyalyſmus in hemiplectico. 267

Pulmonum concretio cum Pleura. 18
- Debilitas, unde dignoſcatur. 452
- Fabrica naturalis. 460
- Fluxiones, quâ ratione contingant. 453

Pulſus in febriculâ tabificâ, qualis. 114
- qualis in ægro Hemicraniâ laborante. 141
- in morbis frigidis & chronicis, qualis. 64

Pulvis abſorbens. 102, 127, 131, 216
- - & nervos roborans. 281, 290 296, 308, 352, 481, 499, 657, 758.
- - & Maſſam ſanguineam edulcorans. 71, 77, 80, 89, 151, 154, 388.
- - & opiatus. 315, 316
- - & præcipitans. 95
- anti-Arthriticus. 233
- anti-Epilepticus. 219, 271, 344 485, 501, 509, 514, 521, 546, 571 576, 582, 584, 586, 625, 630, 634 803.
- - & contra tuſſim. 640
- anti-Hyſtericus. 75, 84
- anti-Scorbuticus, 154
- anti-Spaſmodicus, 66, 484, 489 493, 556, 563, 566, 755.
- aperiens in affectibus hypochondrior. 67
- aperitivus, aquas minerales pellens. 284
- contra caſum. 1
- Cephalicus. 99, 171, 203, 205, 206 228, 239, 244, 247, 248, 266, 308 328, 342, 606, 764, 772, 775, 782 787, 790, 799, 860, 874.
- - & anti-Spaſmodicus. 144
- - & laxans. 104
- - & memoriam roborans. 366, 369 373, 391, 393, 395, 416

- Cinna-

- Cinnabarinus, contra dolorem capitis. 85, contra hydropem Cerebri. 251, contra vertiginem. 222.
- Diaphoreticus. 933, 957
- Edulcorans in Phthiſi. 446, 447
- contra Fluxum. 493
- Laxativus. 207, 289
- Martiatus in Erotomaniâ. 321
- Maſticatorius. 251
- contra Melanch. 342, 345, 348, 350
- contra Nephritidem. 423
- Sanguinem ſiſtens poſt Arteriotomiam temporum. 315, alius ſtypticus. 906
- Stomachicus. 635

Pupillæ ſtructura. 865

Purgantia lenia, ichores acres cum levamine expellunt. 67, 69, 87, 111, 187, 281
- fortiora cerebrum lædunt. 279, 353
- humores turbant. 104, 511, Cephalalgiam exaſperant. 145, 161, 175, 195, 216, Tunicas ventriculi & inteſt. denudant. 620, 702, 705, in macie deteſtantur. 445, 446, Catarrhoſis nocent. 471.
- nimis freq. Ventr. & inteſt. debilitant. 445, 461, in vertigine nocent. 239, pariunt affectum hypoch. 231
- in affectibus convulſivis ſuſpecta. 511, 569, 570, 574, 577, 603, 633.
- Sirio flagrante non conveniunt. 171
- quomodo operentur. 702

Purgationis die non lactandum. 241

Puris ex aure effluxus Hemicaniam levans. 174
- Puris extruſio per Trepanum. 28, 37, it. per vulnus cranii. 35

R

Radicis chinæ & ſarſap. uſus in macie tabificâ, an conveniat? 123, 124

Radix Helleb. n. ubinam noceat? 124

Raucedo à Catarrhis. 436
- unde oriatur, juxta Galenum. 718

Recurſus Catarrhor. freq. unde. 443

Renes p. n. parvi. 17

Renum canaliculi nimis laxi copioſam mictionem cauſant. 20
- Calculi. 360
- - cur facile generentur apud Literatos. 420, eorum accretio, quomodo cavenda. 423, Excretio quâ ratione promovenda. 421, 422, 423
- Calculus ſtabil. non pellendus? 687
- - quibusnam ſignis cognoſc. 747

Rerum n. n. uſus, qualis requiratur pro Catarrhoſis. 435

Rhabarbarum in nimiâ doſi, quænam ſymptomata excitaverit. 314, 315 conf. Phrenitis à Rhabarbaro.

Rheumatiſmus. 82, 83, 84

Roris Majalis virtus ad clarificandos oculos. 856

Rotulæ pectorales. 448, conf. Tabellæ.

Rubificans, carpis imponendum in Hemicraniâ. 145

Ructus nidoroſi, unde. 420

S

Saccharum ſerum in corpore acrius reddit. 514

Salivatio Mercurialis, an in Hydrocephalo tuta? 254, 255
- - Scrophulis medetur. 180
- - caute inſtituenda in febricitantibus & emaciatis. 180
- mucoſa quandoque aquea faſtidioſa deſcribitur. 959, 960, Reſponſ. medicum traditur; cum medela. 961, 962

Salivatoria, quid agant. 692
- Maniacis commendantur. 324

Sal Tartari volatile Majoranâ imbutum in Paralyſi ſpecificè commendatur. 709, 710.
- Urinæ, quomodo generetur. 440

Salviæ uſus multiplex in Tremore artuum. 474

Nnnnnn Sangui-

Sanguinis inflammabilitas, quâ ratione emendanda. 445
- calidioris Natura & cauſæ examinantur. 116
- nimia profuſio caput debilitat. 74 94, 313, 909
- fervidi & acris ſigna. 116
- ex naribus & faucibus larga emanatio poſt inſultum Apoplect. 771
- dyſcraſia, quomodo corrigenda. 194
- - ſæpe melius emendatur ſuccis herbar. rec. quàm acidulis. 195
Sanguis catarrhoſi, qualis. 432
- venoſus ubique ſibi ſimilis in toto corpore. 443
- an viſcera calefaciat? 118
- præfervidus in capite quid producat. 93
- ſeroſior, Apoplexiæ pararius. 445
- orgaſticus, quibusn. attemperandus. 907
Sarcocele. 412
Saſſafras cædentes, fiunt amentes. 569
Scabies pruriginoſa, ſeri acrimoniam notat. 151
- quomodo curanda. 128, 220, 268
Scamni ſudoriferi uſus, & regimen ſuper illud. 70, 72, 490, 491, 706, 711 742, 743, 763, 768, 769, 813, 952.
Scarificationes, ubinam præſertim conveniant. 703, in vertigine proſunt. 247, 281, 290, in Hemicraniâ non ſemper utiles. 163, nimiæ, auditum graviorem reddunt. 896.
Scirrhus cancroſus genæ dextræ. 937
- curandi methodus. ib. & 938.
Scorbuticæ affectioni quomodo obviam eundum. 65, 67
- labis ſigna quædam. 227, 275, 762 ejus cura. 154, 155
Scrophula. 30
Scrophulæ, & inde Tabes. 172
- cancroſæ. vid. Parotis cancroſa.
- in Matrona 47. annorum, hiſtoricè deſcriptæ. 980. Reſolutio medica cum Conſilio curativo. 981, 982
- exciſæ. 982, 983
Semicupia in paroxyſmis catarrhoſis non rejicienda. 448, 455
Sennæ foliorum incommoda 456
Senſuum & motûs abolitio, 13, 62, 149, 570
Seri intra Cranium extravaſati ſigna. 15, 76, 119, 246, 460, 530, modus illud extrahendi. 531
- in maſſa ſanguinea cumulatio, unde? 155
- Scorbutici ſigna & effectus. 756
- acris revulſio & evacuatio, quomodo fiat. 231, 280, 281, 758
- - mitigatio ac diſſipatio quâ ratione efficiatur. 237, 244, 421
- Salſugo unde dignoſcatur. 440
- Sang. deſpumatio in Arthritide. 237
- à capite revulſio, & abſorptio, quibusnam promoveatur. 247, 296, 307 308, 358, 366, 367, 387, 388, 390, 392 393, 400, 401, 415, 421, 426, 427, 481 489, 509, 889, 890, 921, 922.
- Colluviei in Cerebro variæ cauſæ. 306, 818, 819
- Colluvies in cerebro, memoriæ defectus cauſat. 426
- Damna, & utilit. in corpore. 439, 440
- in maſſâ ſanguineâ deſpumantis diverſis in locis egreſſus. 442, 443, à variis cauſis producitur. ibid.
- abundantia in genere nervoſo, quomodo pateat. 520
Sero, quinam præcipuè abundent. 440
Seroſa capitis colluvies cum Cephalalgia aliiſque ſymptomatibus. 61 62, 63, 64, 68, 69, Prognoſis. ibid. cura triplex. 65-73.
Serum in quibusn. morbis præcipuè acre deprehendatur. 507

- acre, ſalſum, Meninges irrigans, dolores capit. pertinac. gignit. 167, 174
- quænam cumulent in corpore. 420, 481
- acrius generatur à viſceribus calidioribus. 420
- omnium viventium eſt ſalſum & nitroſum. 441
- purgantia, quænam optima. 511
- in M. S. redundans, quomodo imminuendum, edulcorandum, inſpiſſandum. 445
- lactis caprini herbis alteratum in memoriæ abolitione prodeſt. 405 conf. m. Lac.

Setaceum ſæpe collum obſtipum reddit. 731
- in imminente guttâ ſerenâ proficuum. 175, 308, 874, it. in defluxionibus ad oculos. 823, it. in viſûs imminutione. 860, 863, it. in impetigine Faciei & Ophthalmiâ. 968, it. in Hemicraniâ funeſtâ, &c. 175, it. in Epilepſiâ. 602, 605, 612.

Somnambulæ quâ ratione curari debeant. 355

Somnolentia ſ. Caligo, cum obtuſione capitis. 197

Somnolentiæ hiſtoria. 355, 356, 357 Reſolutio hujus morbi. ib. cauſæ proximæ & remotæ. ib. & 358, it. 566, Prognoſis. 358, curandi methodus. ib. & 359.

Somnus pomeridianus ſerum in cerebro cumulat. 819

Sopor profundus ab ichore corrupto in Medulla cerebri intima. 40, 62
- funeſtus à colluv. ſeroſâ cerebr. 359

Soporifera in Cephalalgia interdum malè uſurpantur. 111

Soporoſi affectus, unde. 94

Spaſmus ab acido volatili. 700

Spaſmus cynicus. vide Oris Tortura.
- flatulentus, unde oriatur. 116

Spina dorſi duplex. 55

Spiritus animales nimis efferi, quibusnam compeſcendi. 195

Spiritûs interceptio convulſiva. 63

Spiritus C. C. perturbationes ſpirituum auffert. 204, 206, 207, id. ſutur. Cranii illitus Catarrhum ſedat. 179
- ſal. ammoniac. urinoſ. ſanguinem emiſſum reddit rubicundiſſ. &c. 409

Spirituum animalium motus à quibusnam rebus impediatur. 205, 206 eorum liberior commeatus, quomodo reſtituendus. 210, 211, eor. torpor ſomnolentiæ cauſa. 377, eor. motus inordinatus à quibusn. excitetur. 520, eor. inſignis perturbatio ab aquâ roſaceâ per faciem ſparſâ. 158, 160.

Stagnationes humorum in corpore, quænam mala poſt ſe trahant. 444

Staphylomatis dignotio. 846

Stertoris cauſæ. 20, 21

Stomachi conſenſus Hemicraniæ cauſa. 148

Stranguria cum vertigine, quomodo curata. 229
- ex nimis diu relictis veſicatoriis, quomodo curetur. 231

Stridoris ſenſus p. n. intra occiput, &c. 275, 276, unde. 278.

Succini uſus in morbis convulſivis egregius. 562

Sudorifera. 67, 69, 70, 187, 706
- ſæpe multum ſeri extravaſati evacuant. 511
- nimis frequenter uſurpata, quæn. mala producant. 703, 706
- in vertigine gyroſa, &c. non conveniunt. 232
- in Hemiplegia proſunt. 763
- in doloribus lancinantibus membrorum quidnam efficiant. 275, 280
- an in auditu gravi profic.? 896, 897

- in Memoriâ abolitâ non ſemper proſunt. 402
- quænam incommoda habeant, in Arthritide. 897
- Phthiſicis nocent. 437
Sudoris provocatio efficaciſſimum eſt remedium ad convulſ. particulares. 489
- Regimen in Catarrhis ad Phthiſin tendentibus. 446
Suffocatio à motu convulſivo nervorum pectoralium. 414
- à fumo carbonum. 360, 361, Reſolutio totius hujus hiſtoriæ. 362
Suffocationis metus in Catalepſi. 569
Suffuſio oculorum ſeu Catarrhacta. 864, 865, method. curandi Chirurg. 873
Sulphurea Phthiſicis nocent. 437
Suppoſitoria ſæpè multum muci educunt. 147
Syncopes ſigna. 668
Syrupi aurati virtutes. 456, 461

T

Tabellæ Cephalicæ. 100, 271, 284, 348, 382, 391, 401, 423, 476, 479
Tabes Pulmon. ſui generis, unde. 114
Temperiei calidioris & ſiccioris ſigna. 450, 451, 471, ejusd. effect. 452, 541
Temporum compreſſio, cur vertiginem avertat. 237
Terror nocturnus. 276
Tetanus univerſalis. 497, 537, 551
Textura corporis rarior non facile fert injurias aeris. &c. 451
Theriaca cœleſt. Catarrh. avertit. 72
Thermæ *in genere*, ſerum acre diſcutiunt. 23, 91, frequent. uſurpat. ſanguinem attenuant. 669, quales proſint in ſtupore membrorum? 691 humores fundunt, & caput vaporibus implent. 819, enormes ſæpè menſium fluxus cauſant. 73.
- *d'* Aix *Allobrogum* in impotentiâ brachii adhibitæ, quemnam habuerint effectum. 737, 738
- Badenſes commendantur in vertigine & Arthritide vagâ. 241, in colluvie ſeroſâ hyſterica cum fructu adhibit. 73, in rheumatiſmo non ſemper tutæ. 84, quidnam faciant boni in Hemiplegiâ. 813, in Chloroſi conducunt. 480.
- Bollenſes, in loquelæ vitio adhibitæ. 729
- Bonnenſes in Pareſi optimæ. 601
- Carolinæ, quemnam habuerint effectum in Hemiplegiâ. 762
- Embſenſes, an in Epilepſiâ ſuadendæ? 582, 621
- Equinæ convulſiones non excitant. 554
- Fabarienſes ſeu Piperinæ, in Arthritide aliquando motus convulſivos excitant. 554, in Catalepſi non multum proſunt. 573, ibidem tamen aliquando levamen afferunt. 578, memoriam reparant. 406, 579 ſcabiem curant. 828, in Epilepſiâ uſurpandæ. 598, 605, 634, calidè potæ in vertig. titubante proſunt, 247, 248, 283, 284, capitis dolorem quandoque ſummopere irritant. 91 in cerebri perturbatione proſunt. 201, in Colicâ billioſâ, & motib. convulſ. bonæ. 512, in ſtupore membrorum proſunt. 645, quomodo ad illas præparandus ſit Patiens. 646 211, 212, in affectibus ſcorbuticis commendantur. 155, qualis præparatio præcedere debeat in Scorbuticis. ibid. in obtuſione capitis non profuerunt, &c. 191, in perturbatione ſpirituum animalium laudantur. 210, quâ ratione in hoc caſu potandæ? 212, quomodo pellendæ ſi non tranſeant. ib. renitus maximè proſunt.

proſunt. 407, ear. potus non ſemper ſuadendus in convulſion. particular. 491, cur Thermæ Fabarienſ. & Ferinæ in Hemiplegiâ non ſemper conveniant. 819.
- Ferinæ in tremore artuum proſunt. 475, 476, etiam hyeme utiles in Hemiplegiâ. 776
- Gyrenſes, quidnam præſtiterint in Catalepticâ. 570
- Plumbarienſes, in ſtupore fœmorum, &c. quid egerint. 689, in convulſionibus particularibus non improbandæ. 492
- Valleſianæ, cum damno uſurpatæ in Cephalæâ. 107, Appetitum reſtaurant. ibid. in Vertigine & Arthritide commendantur. 241
- *de* Ville Comte abſque fructu uſurpantur in Cephalalgiâ. 83
- Walterswilenſes conducunt iis, qui Apoplexiam metuunt. 394, 595 quænam præparatio præcedere debeat. ibid.
- Wembdingenſes *in Bavariâ*. 747 quidnam contineant. 753, nervos non exſiccant. ibid.
Tinea Capitis à contagio. 962-965. Cura. ibid.
Tinnitus Aurium. 549, 881, 882, cauſæ variæ. ibid. & 454, cura. 883, 884 ulterior relatio morbi. ib. & 885, indicationes curativæ. 886
Tonſillarum inflammatio. 185
Tonus fibrillarum cerebri relaxatus, memoriæ debilitatem, &c. adfert. 392
Topica, interdum non niſi humores alliciunt. 95, quomodo ſeligenda. 96, an & quænam conveniant in Catarrhactâ? 144
Tragea anti-hyſterica. 548, 551
- Cephalica. 151, 155, 291, 391, 400 427, 698, 821, 860, 898
Tremor *Brachiorum, Manuum & Pedum* 473-478, Cura. 479.
- Membrorum paralyticorum eſt ſignum redeuntis virtutis. 764
- Artuum, unde. 802
Trepana non proſunt, niſi ſanguis ſit extravaſatus intra cranium. 3, in hac occaſione ſæpe omnino neceſſaria. 12, 22, 40
Trepani applicatio felix. 8, 12, 25, 37 107, eadem cum perforatione duræ meningis felix. 23, ejus loco ſcalprum uſurpatum in depreſſione oſſ. Cranii. 10.
Trochiſci ambrati. 220, cephal. temperati. 423, ſublinguales in Paralyſi oris. 699.
Tuberculum labii inferioris. 942-946 Curandi method. ib. ulterior morbi deſcriptio cum Reſp. 947, Cura. ibid.
Tumor bregmatis ſiniſtri ſectus, 119, idem, ſectus & Trepano curatus. 25, 26, 27
- Colli in ſiniſtr. latere apertus. 181 anatomicè examinatus. 183
- cum Folliculo, Ganglio ſimilis, in Fronte exciſus. 965, 966
- Lateris ſiniſtri capitis, corroſivo apertus. 40
- quidam circa Maxillam inf. intern. apertus & curatus. 731
- - maxillæ ſuperioris. 945
- Occipitis in recens nato p. n. 41, 42
- - itid. in recens nato ab imaginatione gravidæ per 6. annos geſtatus. 46-48, Anatome. 48, 49
- palpebræ dextræ & Parotidis, ſacculis cephal. diſcuſſus. 29
- quidam infra Parotidem. 173
- in latere dextro pectoris. 181
Tunicæ Corneæ læſio Hemicraniam excitavit. 144, 146

Turpethum miner. Maniacis prodeſt. 323, 324, 326
Tuſſis, quibusn. medicamen. cedat. 82
- à Cæment. acidulis curata. 91
- Hemicraniam exacerbat. 141
- Lympham cerebri propellit. 305
- Epilepſiæ prodromus. 641

V

Valerianæ ſylv. uſus egregius in affect. epilept. & convulſiv. 576, 588, &c.
Vaporum è ventriculo ad cerebrum aſcenſus impoſſibilis. 76, 105, 109 120, 197, 198, 230, 313, 459, 508, 873
Vari curantur florib. ſulph. è Therm. Badenſ. &c. 973
Varices ſub claviculâ. 108
- in iisdem interdum reperiuntur valvulæ. 161, 163
Venæſectio anceps in extravaſatione ſeri intra cranium. 15, 16, 22, 107
- Abortum præcavet. 107
- nimia, ubinam noceat. 645
- nimis frequens caput debilitat. 138 163, 889
- in pede commendatur in ſpaſmo cynico. 697, nocet in Arthriticis. 749, nimis frequens pedes debilitat. 753, in vertigine prodeſt. 247, 281 299, 801
- Syrio flagrante non convenit. 171
- Venar. jugular. in obtuſione capitis proficua. 194, ubinam adminiſtretur Pariſiis. 300
- quasnam utilitates aut noxas afferat corpori. 445
- Catarrhos exaſperat. 455
- in Febre catarrhali interdum prodeſt. 461
- diverſos habet effectus in convulſionibus. 510
Venenum venereum quomodo eliminetur. 692, 693
Venti frigidiores, mutant corpora. 451
Ventriculi benè diſpoſiti ſigna. 150
- intemper. humid. affecti ſigna. 452
Ventriculus morboſus à muco effœto. 821
Vermes vomitu excreti. 677
Vertigo. 201, 202, 204, 208, 209
- tenebricoſa, unde. 64, 333, 609
- quibusnam curetur. 99, 129
- Gyroſa per conſenſum à ventriculo, cum perturbat. capitis. 223-226
- - & titubans. 226-232
- - & Arthridis vaga. 233-241
- Titubans. 241-248
- - alia ejus hiſtoria, cum Analyſi, 249, & cura. ib. & 250.
- - ab Hydrocephalo. 251-255
- - cum Incubo profundo. 256, 257 258, 262, Reſolutio. 258, 259, Prognoſis & cur. 260, 262, 263, ulterior relatio. ib. & 264, Cogitata Exc. D. D. Brunneri. 265-267.
- - cum motibus convulſ. 268-274
- - cum aliis ſymptomatibus. 274-278, Reſolutio. ib. & 279, 280, Prognoſis. ibid. cura. 281, 282, ulterior morbi recenſio. ib. & 283, cura per Therm. Fabar. aliaque. ib. & 284.
- - cum variis ſymptomat. 284-287, Reſolutio. 287-289, Prognoſis. ib. Remedia. 290, 291, ulterior morbi recenſio. ib. & 292, method. med. tum Medici cujusdem Baſilienſiis tum Dn. D. Cyſati. 293, Reſp. Dn. Authoris. 294, 295, Reſolutio. ib. & 296, Cura. ibid. Conſil. Medic. Pariſ. 297, dijudicatio. ib. aliud Conſil. Pariſiis miſſum. 298-300, Reſp. Clar. Autoris ad illud. 301, ulterior ſtatus indicatur. 302.
- Tenebricoſa. 303, 304, Conſilium Med. 305, 306, Prognoſis ib. Therapia. 307, 308, objectiones aliquot ad hæcce reſponſa. 309-312, ulterior valetudinis ſtatûs explanatio. 313,

Reſponſio. ibid. felix curæ eventus 314
- Titubans. 363, 389
Veſicæ bilariæ calculi. 498
Veſicatoria, toti cuti capillatæ quomodo imponenda. 71, 231, 250, 255, 791, ei impoſita, quid agant. 371, 229, 580, 605
- in aurium tinnitu adhibita. 886
- in memoriæ abolitione. 363, 367, 370, 371, 385, 388, 391
- an in diſtantiori vel vicino loco magis revellant? 78
- ſæpe ſola ad revulſionem ſufficiunt. 96, 106
- in Hemicrania ſatis bona. 144, 162, 175
- in Gutta ſerena. 703
- in motib. convulſiv. 488, 544, 697, 708
- in dolore temporum punctorio proficua. 308
- in Phrenitide proſunt. 315
- in auditûs gravitate. 896
- ob Podagram non tuta. 706
- in Paralyſi linguæ proſunt. 718
- Epilepticis proſunt. 569
- in vertigine proſunt. 229, 238, 250
- in artuum tremore. 479
- in Macie, Febribus, it. in Renum debilitate, &c. nocent. 445
- Membris applicata in carie faucium venerea commendantur. 957
- quid egerint in convulſionibus infantis. 501, 502, 503
Vigiliæ nimiæ, unde oriantur. 310, 355
- - præter n. 354, Medela per humectantia 355
Vinacea in ſtupore Fœmorum commendantur. 691, it. in Arthritide aliquando bona. 554
Vina ſulphurata capiti & nervoſo generi inimica. 232, 720
Vinum omnium fluxionum vehiculum. 66, 70, Sang. inflammat. 70, in vulneribus capitis denegandum. 34, it. in Catalepſi. 569, it. in Epilepſiâ: 614, 626, 636, in Arthritide vitandum. 237, it. in dolore capitis. 173
- Abſynthites in Epilepſ. uſurpatum, caput gravat. 623
- Album Briſgovienſe ſerum acrius in corpore generat, &c. 420
- Cephalicum. 308, 345, 350, 860
- Lacus Bodamici inf. multùm Tartari acidi habet. 703
- Rubrum in Diarrhœâ prodeſt. 554
Viſûs imminutio, unde. 64, 65, 81
- - à diuturnâ Hemicraniâ. 147, 148
- - cum Hydropis principio. 859, 860-863
- impeditus. 863-867
- Obnubilatio. 243
- Deperditio à mot. convulſ. 557
- - ab Epilepſia. 604
- - à Contuſione Capitis. 8
- Debilitas à ſang. nimis ſeroſo. 22
- - à Parotide ſuppuratâ. 878
Vita ſedentaria ſerum cumulat. 246
Vitrioli acor, an cerebro inimic. 592
Ulcera Dyſepulota clauſa, quænam mala poſt ſe trahant. 662
- circa palpebras. 825, 865
- Tunicæ Corneæ cum Ophthalmiâ & Hemicraniâ. 857-862
- quænam facilè degenerent in cancros. 944
- Faciei & narium vener. 977, eorum cura. ib. & 978.
Viſcera, an ſanguinem calefaciant, aut accendant? 118
- propter inæqual. humorum concoctionem incenſa, quidn. mali pariant, & quomod. tractand. 154, 155
Viſum conſervandi modi apud Literatos. 853, 854, 855
Ulcus Narium non diu latere poteſt, quin ſe prodat. 105

- Glandis, gall. *Chancre*. 196, 689
Unguis in angulo majore oculi. 776
Unguenta in Hemiplegiâ minus ſunt efficacia. 763
Unguent. anodyn in Cephalalgiâ. 253
Vomica Hypocrania. 180
Vomitoria tunicam ventriculi nerveam denudant. 19
- Hæmorrhagias augent. 22
- in Maniâ conducunt. 324, 326
- in Paralyſi inveteratâ cur minus tuta? 710
- in obſcurationibus oculorum non proficua. 307
- in Erotomaniâ uſurpata. 321
- antimoniata, ſæpe Convulſiones excitant. 554, 555, 581
- in Catarrhis nocent. 471
Vomitus, quibusnam coërceatur. 14
30, 102
- frequentes ſerum acre cerebro plus impingunt. 22, 102, 366, idem nimis concutiunt. 279
- Apoplexiæ cauſa. 812,
- frequens, cur cor debilitet? 821
- violentus ab Hemicraniâ. 177
- à Lap. Smarag. Vir. æris tincto. 264
- cruoris & muci in Catalepſi. 570
- frequentiſſimus cum convulſionibus miris. 495, 496, unde. 498
- à membranâ ventriculi admodum ſenſitivâ. 19
- Materiæ acidiſſimæ Hemicraniam prægreſſus, unde originem traxerit? 146, 148, 152, ab antimoniatis, purg. & clyſteribus juvabatur. 147
Urinæ aquoſæ & pallidæ, unde. 64, 65
- Suppreſſio in Cephalal. vehem. 81
- Tenues & largæ, ſeri abundantiam produnt. 604
- calculoſorum, quales. 624
- Sal rubicundum, temperamentum calidius indicat. 130
- quales in diuturnâ Hemicraniâ. 147
153, 159
- in mictione chyloſa, quales. 178
- in vertigine gyroſa, quales. 224
- turbatæ farinaceæ maſſam ſanguineam turbatam indicant. 312
- Rubra ſalis abundantiam ſignificat. 313
- Tabidorum, quales. 454
- Pelliculâ obductæ interdum in hypochondriacis obſervantur. 454
Uteri ſuffocatio. 235, 758
- concurſus ad ſymptomata vertiginoſa producenda. 306
Uvarum abuſus Hemicran. auxit. 147
Uvulæ prolapſus, quomodo curandus. 88, 89
- Tumor & rubor. 169, 172, quonam gargariſmate curatus. 171
Vulnus capitis ſclopeto illatum, cum ejus ſymptomatibus & cura. 27, 28
- - forcipe ferreo inflictum. 29, 30, 31
- - à percuſſione in frontem. 31, 32
- - ad medulloſam cerebri ſubſtant. penetrans, neglectu lethale. 32, 33
- - à ſclopeti ictu lethale. 33, 34
- - Magnum, acinace inflictum ad Cerebrum uſque penetrans. 34, quomodo curatum. ib. & 35.
- - cum læſis Cranio, Meningibus, & Cerebri ſubſtantiâ, ſecuri inflictum. 35-37
- - cum Cerebri ſubſtantiâ læſâ. 37, 38
- - ad cerebrum penetrans, cum perforatione oſſis temporum. 38, 39 mors ſubſecuta. ibid. Quæſt. an potuiſſet ſervari? 40
- Globulo plumbeo pedi inflictur conſolidatum. &c. 1

FINIS.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE
273

CHARING CROSS HOSPITAL MEDICAL SCHOOL · LIBRARY ·